6
32 N
24

C. 113.

VII B 2

Conventus Cremonae.

Usui fr. Stephani Chizolae Mag. D. Theol. Carm.

OECONOMIA BIBLIORVM,

SIVE

PARTITIONVM THEOLOGICARVM LIBRI QVINQVE: QVIBVS

SACRAE SCRIPTVRAE DISPOSITIO, SEV ARTIFICIVM ET VIS atque ratio, in tabulis velut ad viuum exprimitur, & ità ob oculos ponitur, vt non modò abſolutiſſimam complectantur vniuerſę Theologię SVMMAM atque Methodum, ſed Commentarij etiam vice haberi queant.


OPVS MAGNO STVDIO ET LABORE CONGESTVM, ET AD SOLIDAM DIVI*narum literarũ cognitionem, artemq́ cæleſtis philoſophiæ rectè perdiſcendam accommodatiſſimũ: Quod non iniuria quis vel aureã Catenam, vel Clauem dicas totius doctrinæ Chriſtianæ.*

AVTHORE

D. GEORGIO EDERO I.C. FRISING. DIVORVM IMPP. FERDINANDI Auguſtiſſimę memorię I. & nunc Cęſaris Maximiliani II. Conſiliario Aulico Imperiali.

HIS ADIECIMVS ETIAM, CVM PROPTER ARGVMENTI SIMILITVDINEM, *tum vt ſtudioſus Lector, quis ſacræ ſcripturæ ſit vſus, viuum habeat exemplar, Partitiones* CATECHISMI *Catholici Tridentini, eodem D.* GEORGIO EDERO *authore.*

Bibliothecę S. Marię Transpontinę



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

CVM Indicibus duobus, nunc primùm additis: altero in Oeconomiam Bibliorum, altero verò in Partitiones Catechiſmi Catholici Tridentini.

COLONIAE AGRIPPINAE

Apud Geruuinum Calenium, & hæredes Iohannis Quentelij, Anno M. D. LXXI.

Cum gratia & Priuilegio Imperiali in decennium.

PIVS PAPA V.

DILECTO FILIO GEORGIO EDERO

Iur. Vtriuſque Doctori, Cęſareę Maieſtatis Conſiliario.

DILECTE *fili, ſalutem ac apoſtolicam benedictionem. Librum tuum, cuius eſt titulus Oeconomia Bibliorum ſiue Partitionum Theologicarum, quem tu nobis, & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Maximiliano in Imperatorem electo nuncupâſti, cùm primùm nobis datus eſt, & ſuſcepimus libenter, & libentiùs etiam lecturi fuimus, ſi per occupationes noſtras, quibus in hoc onere Apoſtolicæ ſeruitutis nobis impoſito, multis vndiquè vrgentibus diſtinemur, illum priùs legere licuiſſet: à quibus occupationibus in his natalitijs Domini noſtri diebus feſtis, cùm ideò paulominùs premeremur, quia celebrandæ tantæ feſtiuitatis cauſa, aliqua negociorum intermiſſione vti volebamus, nacti ſumus tempus legendo tuo libro aliquandò magis idoneum: eius ſanè lectione, quãtum in tantis anguſtijs temporis licuit, in Domino delectati ſumus, operamque tuam benè poſuam iudicauimus, tuumque pro fide Catholica zelum, deuotionemq́ in Domino commendauimus, quòd in iſta ſcilicet prouincia, in qua tantoperè ab hæreticis Romana oppugnatur eccleſia, religionis Catholicæ cauſa ſuſcepta, ea ſcripſeris, quæ non ſolùm propter doctrinæ Chriſtianæ ſummam, in quadam quaſi tabula ante lectorum oculos propoſitam, Catholicis prodeſſe poſſunt, ſed etiam quibus propter hæreticorum fallacias locis ſuis aptè detectas, illi ipſi hæretici, ſi modò velint, neque per eos ſteterit, fidei Catholicæ veritatem agnoſcere, atque ad ſanctæ matris eccleſiæ gremium redire valeant. Illud verò nullo modo, dilecte fili, credere debuiſti, aut debes, laborem atque operam qualemcunque tuam nobis minùs gratam, acceptamq́ fuiſſe, proptereà quòd propter occupationes noſtras ſeriùs tibi à nobis aliquid de tuo libro ſignificatum ſit. nos enim cùm omnes, qui vbiquè terrarum ſunt, Catholicos doctosque viros paterna dilectione proſequimur, quemadmodum ipſa à nobis communis patris ſuſcepta perſona poſtulare videtur, tum teipſum inter eos & amamus vehementer, & laudamus, & quanquàm vt in eadem fidei Catholicæ defenſionis perſeuerantia conſtanter maneas, bonamq́ue illam tuam voluntatem erga ſanctam hanc ſedẽ conſerues, de qua ad nos dilectus filius noſter Ioannes Franciſcus Cardinalis Commendonus legatus noſter ſcripſit, proptereà hortandus non videaris, quòd huius tam Catholici libri editione, fidem ei tuam quaſi quibuſdam vadibus datis obſtrinxeris: tamen, vt eundem pietatis, deuotioniſq́ue zelum non ſolùm retinere atque augere ipſe velis, ſed etiam vt eos, qui à veritate aberrârunt, quantùm per te fieri poteſt, ad lucem è tenebris reuocare ſtudeas, magnoperè te in Domino hortamur: daturi quoquè operam, vt tuos iſtos vtiles labores aliqua ratione remuneremur. Quod verò ad eas pertinet laudes, quibus nos in tua nuncupatoria epiſtola affeciſti, cuperemus nos quidem talem eſſe, qualem nos deſcripſiſti, bonam tamen nobis adeſſe voluntatem agnoſcimus. Sed hanc quoquè à Deo nos accepiſſe intelligimus, qua quidem bona impulſi voluntate, pro ſanctiſſima Dei, atque omnium Chriſti fidelium matre eccleſia non modò nullos labores, ſolicitudines, vigiliasq́ue recuſamus, ſed ſi occaſio tulerit, ſanguinem ipſum profundere parati ſumus. Tibi verò, pro tuo iſto diuini honoris zelo, charitatis noſtræ ſigna quæcunque cum Deo poterimus, libẽter ſemper impertiemur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſecundo Ianuarij M.D.LXVIIII. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.*

T. Aldobrandinus.

SVMMIS CHRISTIANAE REIP. MONARCHIS ET PRINCIPIBVS, SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI AC D. N. DOMINO PIO V. PONTIFICI MAXIMO:

CATHOLICO INPRIMIS, EIDEMQVE POTENTISSIMO PRINCIPI AC D. DOMINO MAXIMILIANO

II. Romanorum Imperatori &c. Hungariæ Bohemiæq; Regi &c. Archiduci Auſtriæ &c. Veræ auitæq; Religionis Protectori &c. Dominis ſuis clementiſſimis,

SALVTEM ET FELICITATEM IN CHRISTO IESV PRECATVR IMMORTALEM.

QVOD APVD PLEROSQVE OMNES, QVI Lucubrationes ſuas ſub Principis alicuius viri nomine & patrocinio in lucem edere ſtudēt, in ſolenni more poſitum videmus, vt tam ſcriptionis, quàm dedicationis ſuæ cauſas diligenter exponant, Beatiſſime PATER, IMPERATOR inuictiſſime, id mihi rem neque tritam, neque vulgárem adgreſſuro, ſed ſcripturæ Diuinæ methodum quādam, ſub veſtra potiſſimùm tutela edituro, nulla ratione aut prętermittendum aut diſſimulandum eſſe ſentio. Nam etſi de innata illa & apud omnes peruulgata SANCTITATIS ac MAIESTATIS veſtræ clementia & humanitate liberaliter mihi polliceat omnia, quæ ab optimis & prudentiſſimis Principibus fideli ſubdito ſunt expectanda, nec in re per ſe honeſta opùs longa ſit excuſatione: ex eo tamen quod alijs, qui me multis nominibus antecellunt, in pari ſtudio plerunquè accidere ſolet, vt in hominum linguas repręhenſionesque incurrant, facilè animaduerto, non defuturos qui laborem hunc meum, quantunuìs candidè ſuſceptum, citiùs etiam ſibi carpendum ſumant, quàm vel vtcunquè cognôrint. Alijs enim hæc opera mea ideò fortaſsìs videbitur ſuperuacanea, quòd faciendi plures libros nullùs ſit finis, & dum ad ſcribendum nimia facilitate ac temeritate plerique proruunt, nihil ferè effecerint aliud, nisì quòd fidei Catholicæ dogmata non pauca, etiam incertiora apud multos ſint reddita, quàm aliâs ferè vllo vnquàm fuerint tempore: Nonnulli etiam indignum eſſe clamitabunt, res Diuinas ab alijs tractari, quàm ab ipſis ſacræ Theologiæ profeſſoribus, nec me hominem aulicum, Iuris titulotenùs conſultum, & iam per annos viginti verſatum in foro, falcem meam in ſegetem alienam mittere debuiſſe. Alij demùm, quibus nisì quod ipſi fecerint, placet nihil, ſuſpicabuntur neſcio quid, cur hoc opus non vni, nec alijs quàm vobis ſupremis

 Rei-

Reipub. Chriſtianæ Monarchis nuncupare voluerim. Quæ cogitatio cùm multos exagitare, & me non improbis tantùm odioſum, ſed apud alios etiam temeritatis reum efficere poſſit: equidem iuxta pręclaram D. Petri ſententiam, illis omnibus, quantùm in me ſitum eſt, paratus ſum eius, quę in me eſt, ſpei ſimplicem quidem, at puram tamen atque veram reddere rationem. Nam primùm ſi quis ſapientis verba, quibus ſtudium plures ſcribendi libros, inter cæteras vanitatum numerat vanitates, accuratiùs expendat: facilè intelliget, eum neque ſalutarem fidei doctrinam, neque neceſſariam veritatis defenſionem vnquàm aut vetare, aut repræhendere, ſed inutiles & noxias tantùm contentiones, & quiduis conſcribendi libidinem, caſtigare atque coërcere voluiſſe. Deindè ſi temporum quoquè aliqua eſt habenda ratio, tria fortaſsìs aſſignari queant, quibus Eccleſia librorum copia aut carere potuiſſe, aut non vſqueadeò indiguiſſe videatur: Vnum, quo hominum tanta fuit pietas, vt per ſe quiſq; ſibi quod fieri vellet, id ipſe etiam pręſtaret alijs: Alterum, quo multitudinis credentium cor vnũ & anima erat vna in Domino: Tertium, quo apud omnes ſua cõſtabat ſacrę ſcripturę authoritas, eiusq́ue vigebat ſana & catholica interpretatio. Quòd ſi inter nos quoquè eadem eſſet in fide vnitas, in moribus pietas, & in doctrina integritas: ſuperſedendum certè à tót ſcribendis libris potiùs videbatur, quàm vt vel margaritę mitterentur ante porcos, vel maleſana & importuna alioquì ingenia, ad nouos ſubindè furores concitarentur: Præſertim cùm tot iam antè ſanctorum Patrum pręclara egregiaq́ue de rebus ad ſalutem neceſſarijs extent monumenta, vt nihil penè dici poſſit ampliùs, quod non ſit dictum priùs. Verùm cùm longè alia nunc ſint tempora, alij mores & ſtudia planè diuerſa, nunquàm propè Eccleſia Catholica doctorum hominum ingenijs, opera, induſtria perindè atquè nunc in tanta rerum omnium perturbatione, indiguiſſe videtur. Porrò ſi roget aliquis, quę illa tanta ſit ſcribendi neceſſitas, cùm D. Paulo teſte, oporteat eſſe hæreſes, nec vlla fuerit ætas, quæ non aliquid ſemper tulerit mali: is mihi perpẽdat, quęſo, quàm multę, quàm varię, quàm pernicioſæ extremis hiſce temporibus in Eccleſia Dei graſſentur ſectę, quę in tot tamq́ue diuerſas diſſectæ ſunt particulas, vt de grauiſſimis etiam Chriſtianæ religionis capitibus tot penè ſententiæ ſint, quot non modò prouincię aut vrbes, ſed quot omninò ſunt tecta, & quot propemodùm ſunt homines. Nullius autem ſecta tam vel impia eſt, vel abſurda & ab omni ratione aliena, quam non illius ſtudioſi pro ſe quiſque incredibili tutentur peruicacia. Quàm verò facinus hoc fuerit indignum, dum aduerſarij tot furioſis clamoribus, tot exitioſis ſcriptionibus, tot abominãdis erroribus totum implent orbem terrarum, nos intereà oſcitabundos ad impias quaſque blaſphemias reticere, ac tacendo tantùm non victos illis dédere, illorumq́ue impietati non ſolùm non ire obuiàm, ſed propè etiam conceſſiſſe videri? cùm potiùs in contrarium nitendum eſſe, vt confundantur & erubeſcant, qui dicunt nobis, Eugè eugè, vbi eſt Deus eorum, ipſe nos moneat Chriſtus. Neque enim myſterio caret ſingulari, quòd is in monte Olitueti, Iuda proditore

cum

cum armata furioſorum hominum turba, ipſi peſſima queque machinante, tam acriter diſcipulos dormientes à ſomno excitauit. Ea enim re proculdubiò nos docere voluit, æquum non eſſe, vt ſectarum authoribus ſtudijs tam improbis in Eccleſiæ perniciem inhiantibus, in vtramuis aurem dormiant illi, qui Chriſti fideles & dici velint & haberi. Oportet quidem eſſe hęreſes, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis, quemadmodùm neceſsè eſt vt veniant ſcandala: at nihilominùs committendum non eſt, vt noſtra ignauia & negligentia increſcant, ſed ſummoperè connitendum eſt, vt modis omnibus hæreſes extirpentur. Auferte malum ex vobiſipſis, ait Apoſtolus: & in Apocalypſi angelus Pergami eccleſiæ à Deo repręhenditur, quòd tolerârit apud ſe Nicolaitas hæreticos, quos profligatos oportuit: itemque angelus Thyatiræ eccleſiæ, quòd permiſerit mulierem Iezabel, quæ ſe propheti ſſam diceret, docere & ſeducere ſeruos Dei. Etſi verò pia mater Eccleſia ſuos ſemper habuerit aduerſarios, fuit tamen id non rarò, eo tolerabilius, quòd ei cum vno aut altero plerunquè homine veſano eſſet negocium, cuius conatus quantunuìs improbi, vſqueadeò nihil obfuerunt vniuerſitati, vt ipſa Eccleſia Catholica velutì lilium inter ſpinas, eo & ſpecioſior & auguſtior exiſteret ſemper, quo eſſet infeſtiùs & impotentiùs oppugnata. Hoc autem infelici ſeculo non tantùm innumerę graſſantur ſectæ, neque ſolùm quotquot vlla fuerunt tempeſtate hæreſes iam olìm damnatæ, turmatìm omnes velutì ab Orco reuocatæ ſunt, ſed quotidiè nouæ ſparguntur blaſphemiæ & errores prophani. Cogimur hodiè non alio quàm ſacroſancti Euãgelij loco habere, quod palàm docetur, Fidem amitti per quodlibet peccatum mortale, Deum peccati eſſe authorẽ: Opera noſtra ad ſalutem nobis plùs obeſſe, quàm cõducere: iuſtũ in omni opere bono peccare: Adulterium Dauidis, æquè opus Dei eſſe, àc conuerſionem Pauli: Nullum eſſe peccatum mortale, niſi ſolam incredulitatem: Sacramenta non conferre gratiam, Miſſam cultum eſſe idololatricũ: Chriſtum in cruce deſperâſſe, ac ob id eſſe damnatum: Ordinem Eccleſiaſticũ, Antichriſti eſſe regnum: & principes Catholicos, idolorum cultores. Quę quidem omnia à nouis noui euangelij præconibus non impunè tantùm, ſed magno etiam multorum applauſu hodiè pro puro puto Dei verbo miſeris obtruduntur. Omitto hîc & prudens ſciensque prætereo alia monſtra penè innumera, quæ inter pios ne quidem nominari conueniat. Sed inquiet aliquis, Quis te horum conſtituit iudicem? aut quis tibi hanc fecit alios damnandi poteſtatem? Ego verò nullas iudicis mihi ſumo partes, ſed iudicant illos ipſa ſcripta diuina, iudicant ſacri Apoſtolorum Canones, iudicant Oecumenica ſanctorum Patrum concilia, ac vniuerſa iudicat Eccleſia: quam dum illi temerè negligunt atque contemnunt, ab ipſius præpotentis Chriſti ſe diſiungunt corpore, & à propria damnantur conſcientia. Quanuìs autẽ vnus idemq; ſemper hæreticis omnibus propoſitus hic ſit ſcopus, vt orthodoxam Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ fidem & vnitatem penitùs extinctam & diſſipatam velint, fraudes tamen & machinæ, quibus illi, quantùm in ſe eſt, id efficere conãtur, mille inter ſe modis differunt.

ferunt. Nullorum verò impudentia & improbitas fuit minùs tolerabilis, quàm illorum, qui Eccleſiæ Romanæ & ſcripturam ſacram ipſam, & germanam eius interpretationem, fraudulenter è manibus excutere conantur. Quorum alij libros aliquot ſcripturæ Diuinæ à ſacro excludunt Canone: Quidam falſas obtrudunt verſiones, ex quibus ſuas inſtruunt hęreſes, & impia fulciunt dogmata: Multi ſcripturam totam fruſtatim in mutilatas diſcerpunt ſententias, quas nomine ſpecioſo Locos vocant Communes: quibus nouas indunt appellationes, anteà neq; in templis, neque in ſcholis vſpiàm auditas. Plerique ius ſibi ſacras interpretandi literas pro ſua libidine violenter vſurpant, quæ poteſtas ſemper vnius fuit Eccleſiæ Catholicæ, cuius doctor & magiſter eſt Spiritus ſanctus. Patrum deniquè ſcripta hi omnes, qui ſe nouos appellant Euangelicos, ſic lacerant atque deprauant, vt nullus ferè bonus ſit author, quem non prophanis & impuris manibus ſuis contaminârint atque corruperint. Quibus artibus effectum eſt ſanè, vt recepta hactenùs ſacrorum Bibliorũ tranſlatio, multis in locis iamdudùm exploſa, & ſanctorum patrum doctiſſimi commẽtarij exulare iuſſi ſint: horum verò loco impię quotidiè ſpargãtur nugę & blaſphemię, quas nuſquàm nõ pro vero venditant Euangelio, idque adeò impudenter, vt illorum ex numero quidam deploratæ cęcitatis & amentiæ, non ſit veritus palàm ſcribere, ad eruditionem ſpiritualem, & ſapientiam illam Eccleſiæ peculiarem, & mundo ignotam, de gratia Chriſti & iuſtitia fidei rectè intelligendam, longè plùs conducere vnicum Luteri in Epiſtolam ad Galatas Commentarium, quàm omnia Hieronymi, Baſilij, Cyrilli, Origenis, Nazianzeni, Epiphanij, Hilarij & plerorunque Patrum opera in vnum conflata. Mirum eſt profectò, cur eundem ipſum, quem iamdudùm inter ſe alij Eliam, alij Ioannem Baptiſtam, alij Euangeliſtam, alij Prophetam, alij plus quàm Prophetam, virũ DEI, & ſanctum dicere non dubitârunt, tandèm non etiam ipſis præferant Euangeliſtis & Apoſtolis, cùm is, dum viueret, doctrinam ſuam ne ab angelis quidem voluerit iudicari, perſuadere nimirùm hominibus volens, carnalia ſua dogmata eſſe ſupra angelos, ſupra Eccleſiam, & tantùm non ſupra ſcripturam ipſam, immò id ſolum habẽdum pro Euangelio, quod is ſibi Euangelium ſomniâſſet furore ſuo plùs quàm ſatanico. Atque hinc ſanè ſtupenda & execrabilis illa in ipſum Spiritum ſanctum profecta eſt blaſphemia, qua turpiſſimè ſibi mentita eſt profligata iniquitas, Euangelium verum hactenùs ſemper ſub ſcamnis delituiſſe, at nũc demùm ab ipſis in lucem eſſe prolatum atque reſtitutum. Nam primùm, qd obſecro tandèm eſt, ſi non hæc eſt blaſphemia inſignis, ſuperiorum ætatum Eccleſiæ hanc inexpiabilem inurere notam, quòd illa nunquàm verum habuerit DEI verbum? Deindè cùm eadem ipſa Eccleſia pro ſyncero DEI verbo ſacra ſemper venerata ſit Biblia, quid hoc aliud eſt dicere, quàm in Biblijs nõ contineri purum putum Dei verbum? Quaſi verò vanus aut fallax fuerit Chriſtus, quãdò ſe diſcipulis ſuis ſpiritũ ſanctum miſſurum promiſit, qui eos doceret omnem veritatẽ: aut quaſi ipſa Eccleſia, quam ſuo proprio acquiſiuit ſanguine, à CHRISTO Domino

& ſponſo ſuo aut deſerta fuerit aut illuſa, aut quaſi deniquè Maiores noſtri quotquot ab Apoſtolorum temporibus hactenùs extitère, nunquàm veram tenuerint fidem aut religionem. Qua quidem in ſanctiſſimos Maiores noſtros & omnium ſeculorum Chriſtianos homines intoleráda prorſùs contumelia nihil neque atrocius dici, neque indignius fingi potuit vel excogitari. Iam verò & ſi modis omnibus deteſtanda ſit hæc tanta, tamque immanis dementia, multo tamen magìs illud dolendum eſt atque miſerandum, quòd mala iam graſſantia non pauci aut diſſimulare, aut certè nõ ſentire videantur, quod non leue quidem extremæ ac penè deſperatæ miſeriæ & infelicitatis noſtræ eſt argumentum. Nam quandò ægrotum aliquem ea vis morbi occupat, vt iam ipſe ægritudinem non ſentiat ſuam, id medici plerunquè certiſſimum volunt eſſe mortis imminentis indicium atque ſignum. Cùm itaque abominatio illa, quam Saluator noſter tandèm venturam eſſe prædixit, vt vbì ipſe in hunc redièrit mundum, vix aliquam reperturus ſit fidem, iam nunc præ foribus eſſe conſpiciatur, ac tanta vbiquè ferè ſit confuſio, vt ſi fieri poſſit, ipſi etiam ſeducãtur electi, ſatìs (opinor) patebit cuiuis, nos iam in ea incidiſſe tempora, in quibus neceſſitate ac vi quadam impelli videamur, vt quiſquis ſaluam & integram velit religionem Chriſtianam, ſtultis quidem, vt ait Sapiens, iuxta ſtultitiam, improbis verò ſecundùm malitiam ſuam reſpondeat, & Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, tot miſeris laceratam modis, quacunque poteſt ratione tueatur. Sed perget Momus: Quorsùm iſta, quæſo? quid ſibi tam longa vult querela? aut quod tu hoc opere malis iſtis omnibus adfers remedium? Dicam ſanè, & breuiter dicam. Proxima eſt atque efficaciſſima ad reſipiſcentiam via, redire vndè fueris digreſſus. Hæc enim dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum: Habeo aduersùm te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti: Memor eſto itaque vndè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Certus eſt in Eccleſia Catholica ſcripturæ diuinæ Canon, & genuina ſemper fuit eiuſdem interpretatio. Quin & regula rectæ interpretationis certa fuit ſemper & indubitata, magiſterium videlicet Spiritûs Sancti, qui nec falli, nec fallere poteſt vnquàm. Dum Maiores noſtri ſacrum hunc amplexi ſunt Canonem, quàm diù Patrum inhæſère veſtigijs, & in illis permanſère Traditionibus, quas ordinaria ſucceſſione ab ipſis acceperãt Apoſtolis, tam diù etiam ſana & integra fuit fidei doctrina. Sed poſtquàm homines importuni & in res nouas auidi, ipſos fontes deſerere, priuatasque opiniones ſuas ſectari cœperũt: ex vno mox in alium deuoluti errorem, in eum tandèm inciderunt labyrinthum, ex quo ſe facilè extricare non poſſunt. Nec illis remedium aliud etiamnùm relictum video vllum, quàm vt hac grauiſſima angeli cæleſtis admonitione excitati, diligenter aduertant vndè exciderint, & prima faciant opera: hoc eſt, vt relictis ſuis adinuentionibus, ad fontes, ad ſacroſancta videlicet redeant Biblia, & in approbatis ſanctorum Patrum acquieſcant ſententijs & interpretationibus. Ad quam rem ego has collegi rerum in ſacris Biblijs compræhenſarum Partitiones:

Quibus

Quibus diuinæ ſcripturæ diſpoſitio & velutì ſumma quædã in tabulis exprimitur, & ob oculos ponitur, vt non modò illius ſcripturæ ſuam quandam peculiarẽ methodum complectantur, ſed in non paucis etiam commentarij vice haberi queant. Nec eſt quòd librorum aliquis mihi obijciat multitudinem: Quo enim plures extant in ſacras Literas Cõmentarij, quibus legentium animos fortaſsè diſtrahi, atque memoriæ vigorem tanta rerum copia debilitari poſſe exiſtimant, eo magìs neceſſaria hæc noſtra iudicari debet Oeconomia, cuius ille non poſtremus ſcopus eſt, vt quæ diſiuncta videntur & propè infinita, in pauca & certa redigantur capita. Videmus enim hac tempeſtate, à ſacrorum librorum lectiõe plurimos, vel hoc potiſsimùm nomine deterreri, quòd inter tot egregios, immò præclaros ac Diuinos commentarios, vix vllus tamen extet liber, quantùm quidem ego aduertere potui, qui totius ſcripturę ſummam quãdam & methodum per ſingulas partes, perpetuo quodam ductu, atq; vno in corpore, ad oculum quaſi oſtenderet ac repræſentaret. Cuius rei cauſa & me aliquandiù ab his ſtudijs remoratum fuiſſe, diffiteri non poſſum. Atque hoc illud eſt, quod olìm optimos mouit principes, quandò iam eò vſque multorũ progreſſa erat quiduis ſcribendi & commentandi licentia, vt eſſet quaſi infinita librorum moles, publico vt cauerent edicto, nè quis porrò vllos ſacras in leges ſcriberet commentarios, nisì vel notas, aut breuia quædam paratitla, quæ ſummatìm rerum inprimìs neceſſariarum capita tantùm præcipua, veluti ſedes ac genera cauſarum, perſtringerent, eorumq́ue cùm ordinem, tum continuationes exprimerent. A quibus præceptis cùm me in hoc opere toto, quàm fieri potuit, minimùm diſceſſiſſe ſperem, eſt quod mihi pollicear, forę vt ſi quandò ſimilis cautio, etiam in Diuinis exponendis Literis videatur adhibenda, nè quis poſthàc ſuperfluos ſcribat cõmentarios, hęc ipſa Oeconomia, quæ eiuſmodi continet rerum ſacrarum, hoc eſt, titulorũ ſiue Locorũ Communium, quaſi paratitla, nihilominùs & in ſcholis, & in templis ſuum habitura ſit locum, ità ſanè, vt hic liber vnus haud ſecùs atquè directorium quoddam, multorùm vice commodè legi poſſit & haberi. Quòd ſi cui hæc opera mea non adeò p̃ſtans videbitur aut magnifica, quàm ipſius argumenti tam pręclari poſtulat ratio atque dignitas, mihi ſat erit, quòd inutilis nulli, multis verò etiam cõmoda & opportuna eſſe queat. Ac vt nulla mihi pro his laboribus alia debeatur gratia, id ſaltem ſperare licebit, neminem futurum neque tam iniquum rerum ęſtimatorem, nec vſqueadeò ab omni humanitate alienum, qui non vel tantum mihi concedat, me propter hoc tam pium Eccleſiæ iuuandę ſtudium, nullius viri boni dignum eſſe inuidia, vt qui neminem ſuo honore defraudare, omnibus autem quantùm in me fuit, prodeſſe voluërim. Atq; hactenùs quidem illis primùm, qui mihi librorũ ſcribendorum licentiam obijcere poterant, abundè ſatisfactũ eſſe puto. Longè minùs verò negocij nobis erit cum illis, qui res ad fidem & religionẽ pertinentes, non niſì à Theologis rerũ ſacrarum peritis, tractari volunt. A quibus ego vſq; adeò nihil diſſentio, vt idem affirmauerim ſemper, quod illi ſentire videntur, immò quod

quod ſanctiſsimi Patres,& maximè D. ſenſit Hieronymus,cuius grauiſſima extat ea de re querela: Quod medicorum eſt,inquit, Promittũt medici, tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarũ ars eſt,quam ſibi paſsim omnes vendicãt. Sic etiã illis haud facilè me oppoſuero,qui rerũ theologicarũ tractationem, Aulicis hominibus non admodùm conuenire autumant. Quin illud etiam addere auſim, Religionis cauſam tum quidẽ non potuiſſe non miſeram & calamitoſam videri,quandò ea temerè in forum contentioſum protrudi,& à leguleijs quibuſdam in diſceptationem & controuerſiã vocari cœpit. Sed hæc tum demùm videntur habere rationem,quotiès homines rerum diuinarum imperiti,propria authoritate ſeu potiùs temeritate quadam, non verentur noua & perniciosa ſubindè cudere dogmata. Cæterùm ſi quis ea,quæ certam ac firmam ſemper habuerunt interpretationem,vel ſanctorum Patrum atque Conciliorum authoritate certa tueri, vel in ordinem & Methodum quandam redigere ſtudeat, id à nullius vel mediocriter docti ac pij viri, nedùm Iuris periti, officio prorsùs alienum vel etiam abſurdum eſſe puto: maximè cùm tanta ſit harum facultatũ coniunctio, ſacræ, inquam, Theologiæ & ſaluberrimæ Iuris prudentiæ, eius præſertim, quæ à Chriſtianæ diſciplinæ regula,& piè ac religiosè viuendi ratione, Ius dicitur Põtificium ſiue Canonicum, vt neutrius cognitio perfecta ſine alterius ope adquiri poſſe videatur. Quo quidem nomine, multi inſignes & præſtantes viri,qui cum Iuris cognitione etiam rerum diuinarum coniunxerunt inueſtigationem,præclarè ferè ſemper de Eccleſia ſunt meriti:id quod doctiſſima illorum poſt ſe relicta teſtantur ſcripta,& perpetua ingeniorum monimenta. Ego certè, vt citra inuidiam quod res eſt fatear,priùs Theologiæ quàm Iuris prudentiæ operã dare cœpi,ac licèt conſilium hoc paulò pòſt,caſu neſcio quo mutare fuerim coactus, nunquàm tamen in totum diuina deſeruĩ ſtudia,ſed ſacra ſemper antepoſui prophanis: in reliquis ſtudijs non alio vnquàm verſatus ſum animo, quàm vt eſſent mihi ad rerum Diuinarum cognitionem ac æternam ſalutem conſequendam, quædam quaſi adminicula ſeu inſtrumenta. Neque etiam cuiquam mirum videri debet,ſi ego annum nunc agens quadrageſimum propè quintum,ad ea me conuertam ſtudia,quæ non ſenectutem tantùm iucundam,ſed mortis etiam expectatiõem mihi reddere poſsint expeditiorem. Satìs enim diù & plùs ſatìs mihi moleſtiſsimum hoc rixarum forenſium ſaxum voluiſſe videor: quarè quod reliquum fuerit à publicis occupationibus ocij,id totum in religionis Catholicæ defenſionem impendere decretum eſt. Quod vt faciam, non ſolùm quaſi voti me quædam mouet religio,ſed ipſa etiam miſeræ & afflictiſſimæ Eccleſiæ propè cogit neceſsitas. Defenduntur nunc maximis ſæpè viribus homicidæ, adulteri, periuri,ſeditioſi, & pacis publicæ hoſtes aperti: nec vllum crimen ferè eſt tantum,quod non ſuos inueniat aduocatos & Patronos: vna Eccleſia Catholica eſt relicta illa orphana, cuius calamitate ità, vt par erat, afficiuntur pauci, in quam infeſtiſsimis & armis & animis incurrunt multi, & quã nunc maior ferè pars Europæ noſtræ deſeruiſſe videtur. Sed nè poſthàc

hàc mihi Catholicæ vnitatis oblatret hoſtis aliquis, me falcem in ſegetem mittere alienam, priuſquàm alia religionis antiquæ adgrederer patrocinia, hoc præmittere voluï quaſi ſpecimen, vt iudicent illi, an ſacra ſcriptura mihi planè meſſis ſit aliena. Vtut ſit autem, neminem mihi bonum iurè ſuccenſere poſſe ſat ſcio, ſi contra tam varias horum temporum ſectas, illius veræ & vnicæ Eccleſiæ ſuſcipiam aliquandò defenſionem, in qua natus, in qua religione Chriſtiana initiatus, in qua nutritus, in qua educatus ſum, in qua omnia mea & ponere & conſeruare, in qua & pro qua tuenda etiam mortem ipſam oppetere ſum paratus, in qua deniquè ſola vnicuiq; vera ſperanda eſt ſalus. Atque hæ mihi ſatìs iuſtæ videntur meæ cùm ſcriptionis, tum editionis eſſe cauſæ, quas niſi inuidia corruptus, iurè nemo poſſit repræhendere. Hoc autem poſito cauſæ meæ veluti firmamento, erit tandèm eo infirmior etiam ratio illorum, qui id porrò vitio mihi vertere videntur, quòd veſtræ potiſſimùm Sanctitati ac Maieſtati has lucubrationum mearum primitias præ cæteris conſecrare voluerim. Quod vt facerem, nulla me duxit vel commodi priuati cura, vel vanæ gloriolæ aucupādæ ſtudium, vel alterius rei cogitatio ambitioſa: ſed illa potiſſimùm impulit reuerentia & obſeruantia ſingularis, qua magiſtratum ſuum optimus quiſque & colere debet & complecti. DEO nanque primùm, ac deindè vobis etiam primitiæ illorum debentur operum, quæ ex Dei benignitate & veſtro patrocinio fideli cuique obueniūt. Ac vt aliam huius dedicationis cauſam habuiſſem nullam, poterat vel hæc mihi ſola iuſtiſſima eſſe defenſio, quòd publicè interſit & referat maximè, nè liber vllus, in religionis præſertim negocio, ſine veſtro nutu vel auſpicio in hominum manus emittatur. Quod vtinàm rectiùs hodiè perpenderent illi, qui quod furioſè ſomniant, mox ab omnibus legi ac vt idolum aliquod adorari volunt: haberemus proculdubiò in omni Repub. Chriſtiana & concordiæ plus, & omnis generis perfidiæ minus. Ad hæc cùm mihi optimè ſim conſcius, hoc opus totum, cuius ego non tam author ſum, quàm collector, per ſe ipſum eſſe eiuſmodi, quod ad magni ac præpotentis illius DEI pertineat gloriam, & communem Reip. Chriſtianæ ſpectet vtilitatem, in ſpem erigor non vulgarem, nec vt opinor vanam, S. ac M. V. id officij genus quod non tam mea, quàm veſtra mihi cauſa ſuſceptum eſt, ingratū videri haud poſſe. Nota eſt enim, Beatiſſime Pater, atque toti orbi cognita Pietas tua ſingularis, qua dies noctesque nihil aliud meditari, nihil prius aut antiquius habere videris, quàm vt reſtaurata illa vitæ ac morum ſanctimonia, quā in primitiuæ Eccleſiæ hominibus ſuſpicimus & veneramur, ipſa religio refloreſcat: caſtigatisque malis moribus, profligatisq; hæreſibus, orbis Chriſtianus ad pacem & tranquillitatem reuocetur: fiatque tandèm, quemadmodùm olìm fuiſſe legimus, multitudinis credētium cor vnum & anima vna in Domino. Id quod abundè ſatìs teſtantur virtutes tuæ pręclarę & innumerę, conatusque ſanctiſſimi ac laudatiſsimi, quas indiès poſteritati & immortalitati commendant illi, qui noſtrorum temporum conſcribunt annales, & quæ ipſis etiam aduerſarijs videntur eſſe terrori. Quanto autem

ſtudio

ſtudio & pietate, Inuictiſſime Cæſar, tua quoquè Maieſtas in hoc iam diù tota ſit, vt integra & inuiolata ſit Catholicæ religionis ſynceritas, & fidei animorumque optatiſſima coniunctio, & concordia reſtituatur & confirmetur, vberrimè declarant tot ac tanti tamque heroici labores, quos huius conciliandæ cõcordiæ cauſa ea perfert infracti animi cõſtantia, vt in ſpem non dubiã adducamur, Maieſtatem tuã voto ſuo minimè fruſtratũ iri: præſertim cùm huius rei cura vſqueadeò diſcruciari videatur, vt non rarò lachrymas illi exprimat, atque ipſam etiam corporis valetudinem afficiat: quin & in illam ſubindè vocem cogat prorumpere, tanto quidem principe & Catholico Imperatore digniſſimam, quòd ſi ſanctiſſima illa veræ & Catholicæ religionis vnitas atque concordia, proprij ſanguinis effuſione tibi redimenda & recuperanda eſſet, te nihil vnquàm tibi parciturum. Facit profectò veſtrûm vterque officium optimo principe digniſſimum, ac Deo quidem gratum, toti verò Reip. Chriſtianæ his maximè exulceratiſſimis temporibus perq̃ neceſſarium. Tuæ nanque, Pater Beatiſſime, Sanctitati iſtius ouilis cõmiſſa eſt cura, quo nihil Deus Optimus Maximus, neq; in cælo, neque in terra charius habuit, pro quo Chriſtus Dominus precioſiſſimum ſuum voluit fundere ſanguinem, quod ſpiritus ſanctus vſquè gubernat & ſanctificat. Tuæ, inquam, curæ, ad quam pleraque myſteria illa diuina, quæ ſub Aaronico latitant ſacerdotio, quod tui nobis Pontificatûs typum quendam exhibuit, immò ad quam Chriſti ipſius, veri & primi Eccleſiæ ſuæ Pontificis, dicta pertinent & facta. Tuę verò, Auguſtiſſime Cæſar, Maieſtati veræ illius Catholicæ religionis pia demandata eſt tutela atq; defenſio, quam à Chriſto primùm & Apoſtolis eius, ac deindè etiam à ſuccedẽtibus inuicèm Eccleſiæ paſtoribus per manus velutì traditam accepimus, & quam in hodiernum vſque diem, veram, integram & incorruptã, quidquid de moribus obganniant aduerſarij, ſola Romana Eccleſia non abſq; ſingulari præpotentis Dei beneficio cõſeruat ac profitetur: Tuæ, inquam, protectioni, cuius figurã quandam nobis præbet dux Iſraelitici populi inſignis ille Ioſuë: quẽ præ cæteris maximè decet eam propugnare religionem, pro qua tot ſanctiſſimi põtifices, tot potentiſſimi reges & principes, tot omnium ordinum & ętatum, tot vtriuſq; ſexûs inuicti martyres, proprium ſanguinem fundere non dubitârunt. Vobis deniquè hæreſum extirpatio grauiſſimè demãdata eſt, adeò vt ſanguinem ouium ſuarũ Deus veſtris ex manibus ſeueriſſimè ſit exacturus. Atque hoc certè eſt vnum, cur ſeditioſis quibuſdam hominibus, qui vineam Domini depaſcuntur, non veſtra tantùm ſanctiſſima Monarchia, ſed omnis penè Magiſtratûs authoritas tam ſit exoſa, vt neq; in Eccleſiaſtico, neque in politico regimine Romanum nomen ampliùs ferre poſſe videantur. Non enim religionis aut Iuſtitiæ diuinæ tanta eſt ſitis, quam ſceleratis ſuis prętexunt conatibus, ſed vel Monarchiam vtranq; ſublatam, vel certè vinculum illud ſanctiſſimũ, quo Imperium Romanum cum Romana, id eſt, vera & Catholica, Eccleſia cõiunctum eſt, omninò cupiunt diſſipatũ ac diſſolutum, vt ſic tandèm eo liberiùs prophanos ſuos errores ſimplicioribus obtrudere, & impunè

graſſari queat, donèc vniuerſam euertant religionem. Quæ illorum deplorata nequitia & effrenis audacia vtinàm nô adeò nota iam ſit ac manifeſta, vt eius exempla, iam Vrbi & Orbi cognita, non tam referenda, quàm plangenda atque etiam ſeuerè comprimenda ſint. Nôrunt enim illi optimè, ac totiès iam re ipſa ſunt experti, neq; Eccleſiæ dignitatem abſq; Imperij præſidio, neq; Imperij vires ſine Eccleſiæ concordia ſatìs conſtare, ſeque tueri poſſe. Cùm em̃ duo hæc totius Reip. Chriſtianæ capita & luminaria magna ſic inter ſe, vt anima cum corpore, ſint coniuncta: quàm miſeranda, quæſo, tum erit eius Reip. facies, ſi quod homines quidam improbi & ſeditioſi non obſcurè machinari videntur, quædã inter ea, in religione præſertim, exiſtat diſſenſio? Satìs apertè id in vtranque partem teſtantur infinita penè hiſtoriarum exempla, & varij rerum maximarum euentus. Quàm diù enim hi duo Monarchæ, inter ſe concordes fuerunt, tam diù etiã Reip. ſtatus ſaluus mãſit & incolumis. Vbì verò vel paululùm ab hac diſceſſum eſt concordia, in extremum ſæpè diſcrimen Reſp. adducta eſt. Neq; enim temerè eſt, quòd Chriſtus hac de re multò antè pronunciauit: Omne regnum, inquiens, in ſe diuiſum, deſolabitur: notumq; eſt illud Saluſtianũ, Concordia res paruas creſcere, diſcordia etiam maximas dilabi. Nunquàm verò vana aut ocioſa erit ampliſſima illa promiſſio Diuina, cõtra hanc veſtram atque adeò totius Eccleſiæ Catholicæ ſanctiſſimã concordiam, nec inferi quidem portas vnquàm prævalituras: quod nô ignorans malus dæmon, per ſuos adminiſtros vaſa perditionis, nihil tam ſtudet, quàm religionis diſſidia excitare, quibus nihil poteſt Reip. eſſe pernicioſius. Ad eam verò vnitatem in Rep. Chriſtiana arctiùs retinendam, Deus Optimus Maximus Eccleſiæ ſuæ primùm veram patefecit religionem, ſacris cõtentam Biblijs. Deindè nè hominibus peruerſis vlla relicta eſſet licentia, verba illa, quibus diuina expreſſa eſt voluntas, in alienos atque impios detorquendi ſenſus, grauiſſima authoritate ſacrarum literarum adhibita eſt interpretatio: Cuius iudicium & poteſtatem omnem Pater dedit filio, filius Apoſtolis, Apoſtoli legitimè ſuccedentibus ſibi Epiſcopis: quorum operâ vera religio hactenùs conſeruata, & ad nos vſq; perducta ac propagata eſt. Idque Spiritu ſancto hauddubiè efficiẽte, quem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ & promiſit & miſit, manſurum cum illa in æternum. Teſtantur id ſatìs ſuperque tot illius ſtupenda, nec vnquàm ſatìs prædicanda miracula, tot illuſtria ſanctorum Martyrum trophæa, tot denique ſanctiſſimorum Patrum ſcripta doctiſſima, quibus catholica fides mirificè hactenùs & illuſtrata & propugnata eſt. Ob id enim Chriſtus quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sãctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donèc omnes occurramus in vnitatem fidei &c. Quæ vnitas dubio procul certiſsimã & infallibilem habet voluntatis diuinæ & cognoſcendæ & interpretandæ promiſsionem. Vndè D. Auguſtinus non veritus eſt dicere: Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas. In qua Eccleſia quæ illum ad mortem

Contra epiſtolam Manichæi c. 5.

vſque

vſque retinuerint, idem ipſe diſertis teſtatur verbis: Multa ſunt, inquit, quæ in Eccleſiæ gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtẽdere. Ab hac Catholica Eccleſia, vt idem Auguſtinus habet Epiſtola 152. quiſquis fuerit ſeparatus, quantunlibèt laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum: nec habebit Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. Quæ cùm ità ſint, & in rebus arduis etiam pius laudandus ſit conatus, omni qua poſſum animi ſubmiſſione oro & obſecro, veſtra ſanctitas atque Maieſtas, hanc voluntatis meæ ſubiectiſſimæ ſignificationem ea vt ſuſcipiant clementia, qua honeſtas bonorum virorum occupationes ſemper accipere ſoletis. Deindè ſi grata cuique illa debet eſſe opera, quæ ad Dei maximè ſpectat gloriam, non ingratum vobis ſit opus hoc non tam meum, quàm ſanctiſſimorum Patrum, ex quorum Diuinis lucubrationibus eſt collectũ: quod quidem vt Saluatoris noſtri ipſa prima fronte humanam præ ſe fert imaginem, ità totum ad diuinæ Maieſtatis eius pertinet laudem & honorem: Si deniquè illorum inprimis iuuandi ac fauore proſequendi ſunt labores, qui non priuato, ſed publico & veſtro maximè ſtudent commodo, veſtrum quæſo aduersùs obtrectatorum liuidos morſus & virulentas calumnias defendendum ſuſcipite Ederum, filium deuotiſſimum, eundemq́; ſubiectiſſimum ſeruitorem, qui pro Eccleſiæ Catholicæ amabiliſſima pace, pro ſanctiſſima veſtra authoritate, & pro iuſtiſſimo vtriuſque imperio, ſi ſit opùs, etiam extrema quæque perpeti, tam promptus eſt atque paratus, quàm id ab homine ſyncerè Catholico & pietatis & fidelitatis ratio poſtulare videtur. Deus Opt. Max. Sanctitatem ac Maieſtatem veſtram ad totius orbis Chriſtiani perpetuam ſalutem diutiſſimè tueatur & conſeruet incolumes. Quibus infimus ego & meipſum, & fortunam atque ſtudia mea, ad pedum vſque oſcula, quàm humilimè cupio eſſe commendata. Datæ Viennæ Auſtriæ IX. Calend. Februar. Anno ſalutis M. D. LXVIII.

Ibid. cap. 4.

Sanctitat. ac Maieſtat. V.

Obſequentiſſimus & humilimus ſeruitor & cliens

Georgius Eder.

PROLEGOMENA
AD LECTOREM STVDIOSVM.

DE SACRAE SCRIPTVRAE METHODO: ET PRIMVM, DE HVIVS OECONOMIAE PERſcribendæ occaſionibus.

Scientias omnes ſacræ Theologia longè eſſe inferiores.

ETSI *Iuris illius Ciuilis, quod Romani olim Principes ex antiquiſſimis virorum prudentum reſponſis & oraculis, in vnam ac perpetuã quãdam conſonantiam redigi curauerunt, tanta ſit prudentia, vt nihil eo ipſo quibuſdam aut dignius videatur, aut diuinius: ego tamen huius ſiue artis, ſiue ſapientiæ penetralia vixdùm ingreſſus, facilè animaduerti, cognitionem eius, abſque Theologiæ Sacroſanctæ ſtudio, non mancam tantùm, minusq́ue vtilem, ſed plerunquè etiam vanam eſſe atque perniciosam. Cùm enim Legum Politicarum omnium & anima, & ſcopus præcipuus ferè ac penè ſolus, æquitatis ſit ratio: æquitas autem vera, in Dei potiſſimùm ac proximi verſetur amore: non videbam profectò, quomodò aut æquitas ſine charitate ſubſiſtere, aut humana illa Philoſophia, nomen ſuum tam glorioſum, tamq́ue ſuperbum, ſine hac Diuina ſcientia vllo vnquàm pacto rectè poſſet tueri. Eſt enim imbecilla admodùm acies rationis illius humanæ, cui tantoperè ciuilis innititur prudentia, atque adeò deprauata miſerè eſt natura hominis, niſi diuini numinis vero illuſtretur lumine. Porrò ſi cæcus cæcum ducat, quid aliud futurũ arbitrari licet, quàm vt turpiter ambo in foueam, hoc eſt, in tenebras Cimmerias pernicioſiſſimorum incidant errorum?*

Theologiã Iuris prudẽtiæ meritò anteferendam.

QVIBVS *rebus diligenter expenſis, priùs ego Diuinarum literarum, quàm Iuris prudentiæ ſtudia, duxerã mihi eſſe capeſſenda. Ac licèt me paululùm progreſſum, ab his vtcunquè feliciter cœptis, non tam ratio conſtans, aut voluntas aliqua firma, quàm partim iuuenilis conſilij imbecillitas, partim verò ſumptuum neceſſariorum inopia, & melioris fortunæ captandæ blanda quædam expectatio ad Iuris peritorum abſtraheret ſcholas, ſic tamen legum admiratus ſum prudentiam, vt potiorem ſemper Diuinarum literarum haberem cognitionem: Sic legi Iuris conſultorum placita, vt interim tamen ſacræ ſcripturæ præcepta neutiquàm mihi negligenda putarẽ: Sic etiamnùm in forenſibus verſor conſilijs, vt legum peritiam ad retinendam rerum politicarũ æquabilitatem, inprimis quidem vtilem, ſed rerum diuinarum pietatisq́ue ſtudium, ad conſequendam animæ ſalutem, longè magis putem eſſe neceſſarium.*

Methodũ vt in alijs diſciplinis omnibus, ità in ſacris etiã literis vtiliter adhiberi.

VERVM *ab eo ipſo tempore, quo cum ſpecioſa boni & æqui arte illa, veram cæleſtis Philoſophiæ doctrinam coniungere cœpi, atque ſic prophanis ſacra præponẽda eſſe didici, nulla in re neq; frequentiùs occupatus, neque diutiùs fui ſolicitus, quàm vt, quæ facultatis vtriuſq; ſumma eſſet, certa quadã via tenerem atq; Methodo. Nam etſi rerum non tantùm humanarum, ſed earum etiam, quæ mentibus noſtris cum ipſa ſimul inſitæ ſunt natura, perpauca primùm & exigua quidem fuerint initia: vbi tamẽ hæc eadem in publicum produci, ac ſingula diligentiùs diſcuti cœperunt: ibì tum infinitis ferè ſapientum opinionibus, ità paulatim ſparſa pleraque ſunt & confuſa, vt quid in diſciplina quauis primum, aut quid vltimum eſſet, vix pauci rectè poſſent intelligere. Quam ob rem neceſſaria ſunt omninò ſtudioſis præcepta illa communia, quibus variè lateq; diffuſa, ad certa quædam capita & proprios ſuos fontes reducuntur.*

Sic

Conſiliū de Theologia in Methodum redigenda.

SIC *veterũ Iuriſprudẽtum conſulta, populo quondàm Romano, de rebus ambiguis longo tempore propoſita, in tantam excreuiſſe legimus varietatem atque multitudinem, vt verſuum triciès centena eſſent millia, qui libris vix tribus millibus contineri poterant. Et quidem apud Ciceronem Craſſus de legum ciuilium atque boni & æqui confuſione iterum reſtituenda, & in artem redigẽda, primo de Oratore libro, tale poſt ſe reliquit iudicium: Si enim aut id mihi, inquit, facere licuerit, quod iamdiù cogito: aut alius quiſpiam aut me impedito occupârit, aut mortuo effecerit, vt primùm omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deindè eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat, tum propriam cuiuſque vim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis babebitis, magis magnam atque vberem, quàm difficilem atque obſcuram.*

Methodi vtilitas.

QVIBVS *ſanè verbis optimus ille huius rei artifex, perfectiſsimam, non tam Iuriſprudentiæ, quàm alterius cuiuſcunque diſciplinæ in artem redigendæ rationem tradidit, qua nihil neque ad memoriam iuuandam commodius, neque ad res maximas propriè explicandas efficacius excogitari potuiſſet. Vt enim quæ confusè traduntur, nec intelligi exactè, neque diù memoria teneri poſſunt: ità quæ ordine diſcuntur, & faciliùs percipi, & hærere firmiùs, atque ſic paulatim in naturam quaſi abire ſolent, vt nulla ferè vnquàm ægritudine poſsint euelli. Nec etiam aliundè nobis rerum tam multarum artes propè innumeræ, quas priſca ſecula quondàm omninò putârunt eſſe infinitas, à Maioribus noſtris per manus velutì traditæ, ac Dei beneficio nunc factæ ſunt finitæ, quàm quòd optimi & doctiſsimi quique viri, id vnicè ſtuduerunt ſemper, vt quæ in omni doctrinarum genere eſſent præcipua, ea Methodica ratione in certa capita colligerent, ad quæ cætera referri poſſent omnia, quæcunque illis de rebus, quas ſibi vti neceſſarias tractandas quiſque ſtatuiſſet, vel antè fuiſſent dicta, vel etiamnùm dici poſſe viderentur.*

Theologiã ſua quadã Methodo explicari & poſſe, & debere.

QVOD *cùm hoc noſtro inprimìs ſeculo, in omni propè genere ſcientiarum à multis maximis viribus tentatum, à quibuſdam magna etiam cum laude ſit perfectũ, ſoleo ſæpè non abſque dolore admirari, cur ſcripturæ diuinæ nũc penè ſoli, prorsùs eueniat contrarium Nam quãtùm in alijs diſciplinis hucuſquè inſudatum eſt ferè ſemper, vt certa eſsent profeſsionis vniuſcuiuſque placita: tantùm hodiè in id plerique vnum ex profeſso, & data quaſi opera incumbere videntur, vt nouas in dies de rebus etiam certiſsimis excitent controuerſias, quibus omnia penè in dubium vocare, & incerta reddere nituntur, quorum in Eccleſia catholica certa ſemper fuit interpretatio & authoritas: cum tamen illud ipſum in hoc auguſtiſsimo diuinarum literarum campo, multo rectiùs quàm in vlla alia doctrina fieri & poſsit & debeat, vt videlicet certiſsima ratione conſtare omnia exiſtimentur, quæ in ſacro bibliorum corpore ſparsìm ſunt tradita. Quis enim tam eſt in ſpiritum ſanctum blaſphemus, vt eum, in tradendis cæleſtis doctrinæ myſterijs, ſingulari neget vſum fuiſſe artificio? Aut cur non potiùs quod res eſt fateatur, diuino ſcilicet inſtinctu ſic ſanctam ab eo traditam eſse ſcripturam, vt non modò peculiari quadam arte & ratione nos ad præpotentis Dei perduceret cognitionem, ſed vt ipſa aliarum artium omnium ſuo quodam modo forma eſſet atque regula? quòd tamen non aliter accipi velim, quàm vt receptus apud Theologos hiſce de rebus loquendi modus habet.*

POSTEA

Oeconomiæ huius perſcribendæ occaſio.

POSTEAQVÀM ergò ad meum mihi vſum in præcipuos vtriuſque iuris Titulos ad Methodum iam olim à Craſſo apud Ciceronem præſcriptam, & ab optimo Imperatore Iuſtiniano quàm diligentiſſimè obſeruatam, breuiſſima quædam collegiſſem paratitla, eáque commodis ad hanc rem Partitionibus ſic fueram complexus, vt non tantùm viuam germanæ ac veræ Iuris prudentiæ imaginem, ſed abſolutiſſimam vniuerſi orbis Chriſtiani Politiam exhibere viderentur, cœpi hinc etiam de ſacrorum Bibliorũ artificio ſummatìm explicando diligentiùs inquirere. In qua cogitatione cùm, vt par eſt, diù multúmque verſatus eſſem, en mihi non fortuitò, ſed quod conſtanter credo, nõ abſque Dei quodam nutu, in manus venit libellus reuerà aureus, conſcriptus primùm à probatiſſimæ eruditionis & ſanctitatis viro Petro Aureolo, poſteà verò à doctiſſimo viro Iacobo Vimphelingo, magno Germaniæ Theologo D. Ioanni Eckio dicatus: qui quod totiès mihi euenire optaueram, prima ſtatìm fronte pollicebatur, Compendium videlicet Bibliorum, hoc eſt, vtriuſque teſtamenti, atque adeò totius ſacræ ſcripturæ epitomen.

Libellus Petri Aureoli de Compẽdio bibliorum.

Libelli eiuſdẽ artificium atque diſpoſitio.

QVO ſemèl atque iterùm perlecto, magna cum voluptate cognoui, diuinum hunc virum illud prorsùs ipſum, quod olim apud Ciceronem Craſſus de ipſa Iuris prudentia propoſuit, in hac noſtra Theologia Chriſtiana, non tantùm pari dexteritate conatum, ſed maiori etiam cum laude aſſecutum fuiſſe, quàm ab vllo ferè potuerit expectari. Nam ſacroſanctũ illud diuinæ ſcripturæ corpus ferè totum in ſuas primùm partes, ipſas deindè partes in certos libros, hos in capita ſiue genera, capita verò in verſiculos tanquàm generum ſpecies, & tandèm verſiculos in ſingula ſæpè paulò grauioris ponderis verba, tanquàm ſpecierum differentias, tanto artificio partitus eſt, vt tam huius terrenæ, quàm illius æternæ & immortalis Eccleſiæ formam atque adeò Bibliorum non ſummam tantùm compræhendiſſe, ſed etiam artem quandam tradidiſſe videretur. Mirabar profectò vehementer vtiliſſimum hoc opus, adeò noſtris hominibus eſſe incognitum, quòd ferè nullam anteà audiuiſſem neque authoris, neque libelli tam excellentis fieri mentionem. Qui digniſſimus erat meo quidem iudicio, vt eum exercitatiſſimus aliquis Theologus, quaſi poſtliminio reductum, in perfectiorem paulò reſtitueret formam, & ſummis illuſtraret eloquentiæ viribus.

Vt ipſius Aureoli Cõpẽdium ab authore in tabulas fuerit redactũ.

CVM itaque ob id fortaſsè, huius ſcripti & lectionem & elucidationẽ negligi coniycerem, tum quòd ſtylus ingratam quandam redoleret, non dico barbariem, ſed ſimpliciorem paulò illius ætatis dictionem: tum quòd diſtinctiones illæ, quibus perpetuò quodam vtitur ductu, in oratione continua nec vſqueadeò ſint gratæ, neque à quibuſuis facilè percipi & intelligi queant: ego, nè tantus theſaurus diutiùs latitaret, totum hunc librũ in breues, ac, vt ſpero, dilucidas tabulas congeſſi. In quibus etſi authoris vſquè ſecutus ſim filum, non tamen parùm multa commodiori à me ordine ad præſentem Eccleſiæ ſtatum accommodata, pleraque etiam adplicatis vbiquè ferè ipſis ſacræ ſcripturæ & verbis & ſententÿs copioſiùs reddita, omnia verò puriùs multo, q̃ erant anteà, eſſe tradita & explicata, me etiam tacente, facilè ipſa probabit veritas, & æquus quiſque Lector iudicabit.

Quã operã præſtiterit in ſupplendis ÿs q̃ ipſi Aureolo ad

VNVM, quod ègo tum temporis deſiderabam, illud erat, quòd hic author Partitiones ſuas à Salomonis ferè auſpicatus ſit libris, quos vulgò appellârunt Sapientiales: Pentateuchi verò codices quinque, & hiſtoriæ ſacræ libros, inter ipſa quidem numeret

meret diuinæ legis volumina: ſed de proprijs iſtorum partibus, aut partium earundem membris, nec vllum quidem verbum fecerit, contentus ſolam eorũdem indicâſſe ſignificationem generalem. Quanuis autem ſuſpicari minimè deceat, noſtrum hunc aureum Aureolum, aut tam fuiſſe vecordem, vt laborem etiam in his partibus excolendis ſubterfugeret: aut adeò imperitum, vt quod in plerìſque potuit, non etiam poſſet in alijs præſtare monumentis: aut ità poſteris hanc felicitatem inuidiſſe, vt nollet tantum bonum orbi Chriſtiano eſſe commune: ſed vero longè videatur ſimilius, ſingulari hoc ab eo factum fuiſſe conſilio: vel quòd ſibi in tanta actionum humanarum varietate, quæ in hiſtoricis continetur libris, tam ſtricta ordinis ratio minimè videretur eſſe neceſſaria: vel quòd exiſtimaret lectorem pium atq; diligentem, artificium illud diuinũ, quo præcipua ediſſeruit capita, in reliquis minori poſſe negocio addiſcere: vel quòd etiam alijs ea de re altiùs cogitandi, aliquam relinquere voluerit anſam: mihi tamen Reip. Chriſtianæ plurimùm intereſſe viſum fuit, vt iſti etiam libri ab eo prætermiſſi, ſimili quadam induſtria tractarentur.

pleniorẽ ſacræ ſcripturæ Methodũ deeſſe videbantur.

QVOD maluiſſem equidem ab alijs rerum Theologicarum peritioribus tanta factum eſſe dignitate, quanta ab ipſo Aureolo cætera mihi pertractata videntur. Sedenim quandò nunc id oneris in me potiſſimùm recidit, nè priùs à ſemel cœpto deſiſterem opere, quàm id locis non paucis multo eſſet abſolutius, & ego non ſtupida prorsùs mihi aſſecutus viderer coniectura, quos ille in tradendis Partitionibus ſuis ſecutus eſſet authores, inter quos celebriores inuéni Gloſſæ Ordinariæ compilatores, & alios Patres ſanctos, qui ſcripturam ſacram doctiſſimis ſuis illuſtrârunt Commentarijs, eorundem inſiſtẽs veſtigijs, primùm antedictos Pentateuchi & hiſtoriæ Biblicæ libros, eodem ferè partitus ſum modo & ordine, quo ille explicauit & prophetas & Apoſtolos. Deindè quia de libri cuiuſque Biblici argumento, authore, partibus, ordine, collocatione, vſu, fide, intẽtione & authoritate, inter viros doctos etiam & Catholicos variæ ſæpè, & plerunquè vtiles miniméque contentioſæ incidunt diſputationes, ſingulis ſacræ ſcripturæ & partibus & libris, ex præclariſſimis & probatiſſimis ſanctorum Patrum monumentis, pia ſanè ac vtilia quædam prolegomena ſiue paratitla, quæ doctiſſimas eorum penè omnium, quæ de illis rebus ſolent quæri, continent deciſiones. Atque ſic omnis ſcriptura ſacra tribus nobis abſoluitur libris, quorum primus de legis antiquæ partibus, ſecundus de ipſius Euangelij ſumma, tertius de doctrinæ apoſtolicæ traditionibus eſt inſtitutus.

Totius Oeconomię diſtributio in tres libros ſeparatos.

PORRÒ cùm hæc quoquè ſciẽtia diuina, vt aliæ diſciplinæ pleræq; omnes, ſua quædam habeat principia, ſine quorum cognitione ad faſtigium eius ſummum nemo facilè vnquàm poſſit peruenire, de his ipſis Theologiæ Principijs & elementis librum Bibliorum tractationi præmiſimus ſingularem, qui ad ipſam ſcripturam ſanctam vtiliſſimam continet Iſagogen, id eſt, quãdam ſiue præcognitionem, ſiue introductionem generalem, quæ veram monſtret viam, ad conſequendam ſolidam diuinarum literarũ notitiam atque ſcientiam. Deniquè vt nihil, quod ad perfectiſſimam pertinet Theologiæ Methodum, à quouis iurè poſſit deſiderari, his etiam quintum ſubiecimus librum, qui locorum huic profeſſioni communium ſuccinctam proponit diſtributionem, hoc eſt, totius doctrinæ Chriſtianæ compendiariam tradit ſummam, ex toto illo Bibliorum corpore collectam, quæ verum nobis, non iſtarum tantùm Partitionũ, ſed totius ſcri-

Nouꝰ liber ab authore collectus de Principijs Theologię.

Alius liber authoris de Summa doctrinę Chriſtianæ.

pturæ diuinæ legitimum oſtendat vſum, qui potiſſimùm ex rerum ſacrarum applicatione ad Eccleſiæ gubernationem perſpicitur. Intereà mihi neque volenti, neque ſperanti, hoc opus in hanc neque propoſitam anteà, neque expectatam, iuſti voluminis magnitudinem excreuit. Quod opus ſanè non eo ſuſceperam animo, vt mox in publicum ederetur, ſed vt doctiſſimorum hominum id priùs ſubijcerem calculo.

INTER quos vt non vberioris tantùm fidei, ſed gratæ etiam memoriæ cauſa nominẽ ſaltem aliquos, præcipuus eſt reuerendiſſimus Princeps & Dominus D. Vrbanus Epiſcopus Gurcenſis, S. Rom. Cæſ. Maieſtatis Conſiliarius &c. Viennenſis Eccleſiæ adminiſtrator, vir ſingulari pietate conſpicuus, & vitæ ſanctimonia verè illuſtris, ac verbi diuini Præco præ cæteris, quos habet Germania, ad miraculum vſque potẽs atq; diſertus. Alter eſt Reuerendiſſimus item Dominus, D. Chriſtianus nouæ ciuitatis Auſtriæ Epiſcopus digniſſimus, propter ſummam pietatem, & rerum ſacrarũ, ac eloquẽtiæ diuinæ peritiam incomparabilem, decus & ornamentum Epiſcoporum ſingulare. Ad hos acceſſit teſtis oculatiſſimus magnus ille felicis recordationis athleta Reuerẽdus D. Matthias Zittardus, optimorum Imperatorum Ferdinandi glorioſiſſimæ memoriæ primi, ac poſteà Auguſtiſſimi Cæſaris noſtri Maximiliani II. optimus & Eccleſiaſtes & orator diuinus, Catholicæ veritatis propugnator, quandiù vixit, acerrimus. Neque hîc mihi cùm propter egregiam hominis doctrinam, tum propter fraternam, quæ mihi cum illo eſt, amicitiam, prætereundus eſt reuerendus Dominus Matthias Wertwein, ſacræ Theologiæ Doctor, Viennẽſis cleri & præpoſitus, & Cancelarius &c. Brixinẽſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, vir auitæ religionis & antiq̃ pietatis tenaciſſimus. Quorum omnium ſuffragijs etiam alij tam pietate quàm eruditione clariſſimi aliquot viri ſubſcripſerunt, quos hîc tum breuitatis, tum modeſtiæ gratia præterire cogor: quibus ſanè, vt citra iactantiam quod res eſt fatear, labor hic qualiſcunque tantoperè probari viſus eſt, vt ex illis me nõ pauci, neq; ſemèl ad editionem operis hortarentur necdùm perfecti.

Vrbanus epiſcopus Gurcenſis. *Chriſtian⁹ epiſcopus Neapolitã.* *Matthias Zittardus.* *Matthias Wertwein.*

EGO verò etſi metuerem, nè mihi hoc ſtudium, his maximè temporibus, apud multos plus & inuidiæ & æmulationis poſſit conciliare, quàm vel æſtimationis vel authoritatis, tamen vt tam honeſtis obtemperarem conſilijs, non me illorum tantùm, quos ſciebam integerrimos, mouit authoritas, ſed animi etiam mei propriaque conſcientiæ teſtimonium. videbam enim nihil in hoc opere poſitum, quod non cùm ipſis ſacræ Theologiæ ſtudioſis, tum in vniuerſum omnibus veræ & Catholicæ religionis amantibus, omni loco & tempore futurum ſit vtiliſſimum: Tum me illud etiam ſolatur plurimùm, quòd nulla hîc neque periodus, neque ſentẽtia, ſed & vix vlla ſit vocula, quæ non vel ex ſacris Biblijs, vel ſancti aut Catholici alicuius viri monumentis ſit deſumpta, & cui non modò authorum, ſed etiam locorum, ex quibus ſingula ſunt veluti mutuò accepta, vbiquè ferè ſit annexa demonſtratio. Quòd verò ad ipſos pertinet iſtarum partitionum fontes & authores, equidem verè ac (ſi ſit opùs) ſanctè poſſum affirmare, me in eis colligendis nullius omninò vſum fuiſſe conſilio, qui non cum fidei orthodoxæ, tum ſanctimoniæ perſpectæ inter eccleſiæ Catholicæ doctores integerrimum haberet teſtimonium: niſi quandoquè ſic hominis alicuius hæretici fiat mentio, vt eius indicentur errores, quò cautiùs ab eorum fermento pius ſibi Lector poſſit præcauere.

Cur paſſus fuerit author has partitiones prodire in publicum.

Epilogus. Atque hæc omnia eiuſmodi eſſe videntur, vt ijs diligenter expenſis, facilè æquus

æſtimet

æſtimet lector, quæ mea ab ineunte ætate de toto hoc ſtudio Theologico fuerit ſententia, quo, vt ità dicam, fato, quibúſve occaſionibus in hoc ſcriptionis genus inciderim, quorum ſtudijs & vigilijs in argumenti huius tractatione ſim adiutus, quid in toto opere ſit meum, quid alienum, & quæ me tandèm impulerint cauſæ, vt ſimpliciſſima hæc Theologiæ rudimenta in lucem venire ſim paſſus. Etſi verò iterùm atque iterùm eſſet optandum, quòd eximius aliquis Theologus hunc laborem ſuſcepiſſet, qui hanc ipſam Theologiæ Methodum ſuis numeris omnibus rectiùs abſoluere potuiſſet. Verùm quãdò celebriores illi Theologi, ſunt hoc ſeculo turbulentiſſimo ſtudijs magìs neceſſarijs occupati, quàm vt eiuſmodi Tyrocinijs cõmodè incumbere queant, non puto illos mihi iurè ſuccenſuros, quòd eos aut hoc tædio, quod mihi deuorandum fuit, ſubleuare, aut certè ſtimulum adhibere voluerim hæc fuſiùs aliquandò pertractandi.

Nam etſi hac diligentia mea quantulacunque aliud efficiam nihil, quàm vt doctior aliquis rerum ſacrarum interpres, hac mea ſimplici deſcriptione excitatus, tandèm perfectam nobis ſacræ ſcripturæ Summam atque Methodum efformet, operam hanc ſatis me feliciter poſuiſſe arbitrabor. Intereà verò Deum Opt. Max. id precor ſolùm, & ex animi viribus oro atque obſecro, vt hic labor, ſuo inprimis auſpicio & ſuſceptus, & confectus, ſic Eccleſiæ ſuæ gratus ſit ac vtilis, vt ego hinc laudem venor aliam profectò nullam, quàm ſolius Dei immortalis æternam gloriam, & verum ſacrorum ſtudiorum profectum. Qua in re ſi quid mihi in foro magìs, quàm in choro, vt dici ſolet, verſato imprudentiùs fortè exciderit, quod minùs videatur Catholicum, id non ſolùm pertinaciter tueri nolim, ſed potiùs & me, & hoc opus vniuerſum, atque adeò omnem animæ meæ ſalutem Catholicæ illi ſubijcio Eccleſiæ, cuius primarium in terris paſtorem, Romanum pontificem, ſacroſancta œcumenica Concilia & profitentur, & reuerenter agnoſcunt.

ARGVMENTVM OPERIS.

CORPVS vtriuſque teſtamenti totum his Partitionibus in iuſtos primùm tomos diſtribuitur: deindè tomi in certos libros: libri in ſua capita ſiue tractatus: capita verò in verſiculos, hoc eſt, præcipua rerũ Theologicarum genera, quæ vulgò Locos vocant Communes: ac ipſi deniquè verſiculi, non rarò in ſingula penè verba, quæ varias eorum generum continent ſpecies atque differentias, eo artificio ſecti, membráque ſingula tam breuiter, tamque dilucidè & connexa ſunt, & explicata, vt vel hinc protinus quiuis, non tantùm quid omninò ſit hæc ipſa, in qua vitæ & ſalutis noſtræ poſita eſt authoritas, ſacra videlicet ſcriptura: ſed etiam quæ certa ad eam ſit via, & quis tandèm verus eius in Eccleſia ſit vſus, abſque negocio quidem magno, ſed non ſine fructu maximo, & videre poſſit & cognoſcere.

PARTITIO EIVSDEM GENERALIS.

IN HVIus tam præclari, tamque latè patentis argumenti tractatione
- Habetur ratio
  - Prima / Secũda / Tertia — Eorum q̃ pertinent ad
    - Principia Theologiæ,
    - Methodum vniuerſæ ſcripturæ diuinæ,
    - Regulam fidei Catholicæ.
- Vel, vt poſteà dicetur explicatiùs, hoc opus totum verſatur circa
  - Neceſſariam præparationem, qua veluti claue tradita, rerum diuinarum ſtudioſis eo facilior pateat aditus ad altiora cœleſtis Philoſophiæ myſteria.
  - Explicationẽ
    - Ordinis & Artificij,
      - Quibus ſacra ſcriptura omnis
        - Primùm edita,
        - Deindè etiam à Maioribus noſtris propagata,
        - In perpetuum denique à nobis retinenda ſit atq; cuſtodienda.
  - Summã doctrinæ Chriſtianæ, quæ conſiſtit in
    - Recta in Deum fide,
    - Honeſta conuerſatione,
      - Siue in
        - Vero vnius veri Dei cultu,
        - Diſciplina morum.

CVR AVTHOR IN HIS IPSIS ARTIFICII
Theologici demonſtrationibus, tabulis vti maluerit, quàm oratione continua.

SI vlla in re pernicioſa eſt fucata battologia, in rebus proculdubiò ſacris eſt pernicioſiſſima. Veritatis enim, quæ totius ſacræ ſcripturæ & baſis eſt & ſcopus, ſimplex eſt oratio. Quàm autem dictionis temperantia ſiue moderata dicendi ratio, Deo ſit grata, ſatis apertè præclara illa Sapientis docet ſentẽtia, quæ in diuinis Prouerbijs recitatur: In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. Dum etiam Saluator noſter ipſe Chriſtianorum ſermonem non fucatum, neque ſeſquipedalibus verbis phaleratum, ſed ſyncerũ & rectum eſſe voluit: Sit ſermo, inquit, veſter, eſt eſt, non non: quod autem his abandantius eſt, à malo eſt. Hinc rectè D. Hieron. grãde dixit eſſe periculum in Eccleſia loqui, nè fortè interpretatione peruerſa de Euãgelio Chriſti, hominis fiat Euangeliũ: aut quod peius eſt, diaboli. Ac eam quidẽ ob cauſam Maiores noſtri, nè pios lectores rebus onerarent non neceſſarijs, excogitauerunt rationẽ, qua res latiſſimè patentes, in vnã cõtrahuntur quaſi tabulã: cuius ductu quodam naturali, quæ & quot rei cuiuſque non tantùm partes, ſed etiã quæ ſingularũ partiũ eſſent differẽtiæ, facilè quiuis vel vnico mox intuitu cognoſcere poſſet.

Prouer. 10.

Matth. 5.

Hieron. in cap. 1. ad Galat.

Tabularũ vſus.

MAXIMÈ verò illi tunc eiuſmodi tabulis vſi videntur, quotiès artium præcepta dilucidiùs paulo tradere, ac methodo quadam ad captum animorum magis rudium, quàm ad oſtentationem ingeniorum, explicare conati ſunt. Siue enim diſciplinã aliquam ex fundamentis conſtruere quis ſtudeat, quam Methodum vocant ſyntheticam: ſiue compoſitam in partes, quæ Methodus eſt analytica, reſoluere cupiat, accommodatiſſimæ ſemper ſunt tabulæ, quibus capita artis cuiuſque neceſſaria, à non neceſſarijs & inutilibus diſtinguuntur quæſtionibus. Ipſæ autem diſtinctiones, ſiue artificium illud, quo ſingula ſingulis connecti ſolent, ex oratione cõtinua aut ægrè admodùm, aut magno ſæpè diſcernitur cũ labore: quod alioqui à lectore non omninò ſegni aut ſtupido, etiam primo ſtatìm adſpectu depræhendi facilè, & perfectè poteſt dijudicari.

Methodus duplex.

Duo tabularũ genera

PORRÒ cùm duo ſint tabularum genera: vnum, quo præcipua tantùm indicantur rerum cauſarumque veluti capita: alterum, quo ſingulis capitibus accommodatæ

etiam

etiam adhibentur explicationes: nos hîc ſecundo genere ob id potiùs vti maluimus, quàm primo, quòd illo doctis tantùm videatur eſſe conſultum, vt quæ priùs habuerunt cognita, vel memoria teneant percepta, vel reuocent oblita: hoc verò inſtruantur etiam illi, qui rerum hîc compræhenſarum anteà fuerant omninò ignari. Continent itaq; hæ tabulæ non tantùm indicem generum, hoc eſt, locorum Theologiæ communium, ſed ſingulorum etiam generum complectuntur diſtributionem in ſuas ſpecies, ac ſingularum penè ſpecierum proprias explicant differentias. Quibus vbiquè ferè integræ adiectæ ſunt ſacræ ſcripturæ definitiones atque ſententiæ, eo quidem ordine, quo ſingula inter ſe connexa fuit: ac ità prorsùs, vt has perlegens tabulas, vnam quâdam & perpetuam narrationem legere videatur. In quam cogitationem ideò lubentiùs hîc intendimus, vt ſi quem tabulæ delectent minùs, is hæc omnia citra vllum propè negociũ ad continuam, ſi lubet, orationem queat reducere. Quibus omnibus diligenter expenſis, eadem opera lector ſtudioſus id etiam ſentiet, vt ſpero, facilimè, nihil ferè in his tabulis, neque vt neglectum aut obmiſſum deſiderari, neque vt ſuperfluũ aut ocioſum poſſe reijci. Id quod tum quiſque cognoſcet rectiùs, ſi & quæ totius Oeconomiæ huius intentio, & quis Partitionum in ea poſitarum verus ſit vſus, penitiùs intelligat.

Nihil ferè in hoc opere, quod ad Methodũ attinet, aut prætermiſſum aut ſuperfluũ eſſe.

DE OECONOMIAE HVIVS SCOPO & intentione.

E ARVM *rationum, quibus me ad Oeconomiæ huius & collectionem & editionem non tam voluntate ductum, quàm Eccleſiæ Catholicæ neceſſitate quadam impulſum fuiſſe ſentio, ſcopus fuit is ferè vnicus, vt Partitionum ſiue diſtinctionum in ea cõpræhenſarum commoditate non ipſos tantùm Theologiæ Tyrones, ſed aliarum quoquè diſciplinarum alumnoſq;, cùm ad diligentiorem & religioſam ſacræ ſcripturæ lectionẽ, tum ad magis ſeriam inuitarem rerum ad animæ ſalutem pertinentium tractationem, hoc eſt, ad eam excitarem doctrinam, quæ aliarum omnium facilè princeps eſt & caput. Nam quanto auguſtior eſt præ cunctis humanæ philoſophiæ partibus diuinæ ſcripturæ maieſtas, tanto equidem mirandum eſt magis, nullum diſciplinæ genus, hac quidem tempeſtate à pleriſq; excoli minùs, quàm id, quo vera diuinarum rerum aſſciſcitur notitia, & vitæ immortalis æterna paratur gloria. Sic enim non paucos videmus eſſe cõparatos, vt doctrinæ magìs ſtudeant, quàm pietati: atq; hinc docti potiùs, quàm vel pij, vel religioſi, & videri velint, & haberi. Vndè permulti illis per diſcendis artibus, quas Maiores noſtri ratione quadam dixerunt liberales, maximos impendunt labores, qui tamen quod liberalem deceat animum, ne extremis quidem digitis attingũt.*

Scopus huius operis eſt, allicere ſtudioſos ad ſacræ ſcripturæ religioſam lectionem.

Multi, docti magìs quàm pij videri volunt.

A LIQVI *tanquàm oracula diuina, rerum naturalium cauſas ſuſpiciũt, qui, quod omnium eſt turpiſſimum, totius naturæ ignorant authorem, ipſum videlicet Deum, qui in B. Apoſtoli & Euangeliſtæ Ioannis Apocalypſi rerum omnium & principium ſe dicit & finem. Pars maxima vocis non tantum humanæ, ſed rerum etiam inanimatarum delectatur harmonia, quorum tamen ſæpè mores improbi per omnem diſſonant vitam. Omnes autem vim Romanæ illius eloquentiæ, veluti dominam ac rectricem rerum publicarum admirantur: cùm ſint pauciſſimi, qui vbi aut pro religione, aut pietate diſſerendum eſſe ſumma Eccleſiæ afflictiſſimæ poſtulat neceſſitas, vel de rei veritate mutire auſint, vel etiam quod ſentiunt, liberè velint eloqui. Deniquè nulla in rebus humanis diſciplina momenti tam eſt exigui, quæ non ſuos in maxima copia et alumnos habeat, & exornatores.*

Peruerſa hominum ſtudia.

Apo. 1. 21. 22.

Paucos eſſe qui Theologię dĕt operam, & quibus id fiat ex cauſis.

SOLA verò ars artium illa, & ſcientiarum omnium præſtantiſſima, quæ Dei Opt. Max. voluntatem mortalibus patefacit, & diuinarum rerum cognitionem veram profitetur, ac ob id nomine conuenientiſſimo ſacra dicitur Theologia, eſt nūc ea, quam vix milleſimus quiſque iudicat dignam, cui vel minimam tribuat operam, niſi hoc vel obitèr fiat, vel horis tantùm ſubciſiuis: non quidem vt meliorem mentem aut ſanum intellectum ex ſacra ſcriptura capiat, ſed potiùs vt illius ſcripturæ interpretationem, per fas & nefas, & qua-id-cunque poſſit ratiōe, ad ſuum ſenſum detorqueat. De quibus omnibus rectè admodùm magnus ille gentium doctor D. Paulus conqueritur: (2. Tim. 3.) Semper diſcentes, & nunquàm ad ſcientiam veritatis peruenientes. Eius verò peſtis duæ mihi cauſæ inter cæteras videntur eſſe præcipuæ: præpoſtera ſtudiorum noſtrorum obſeruatio, & opinio de tota hac doctrina peruerſa. Nam ſi verum fateri liceat, quæ nunc, quæſo, apud pleroſque, licèt Chriſtianos, alia in hunc vſque diem ſtudendi ratio obſeruatur, quàm quæ olìm ab ethnicis vſurpata eſt hominibus?

Præpoſtera ſtudendi ratio.

PRIMVM ipſi Chriſtianorum infantuli, quos ad ſe ſtatìm duci iubet Chriſtus, & quorum gratia is quoquè factus eſt puer, ad Aeſopi aniles fabulas perducuntur, quibus totam malè conſumunt pueritiam. Deindè facti iam ephebi, linguas à prophanis diſcunt authoribus, mores ex obſcœnis poëtarum formant figmentis, reip. rectè adminiſtrandæ prudentiam ex ethnicorum monumentis petunt: In quibus vbi diù multumq́; fuerint verſati, tandèm etiam viri in ſpinoſis illis philoſophorum altercationibus plerunquè inutilibus ità conſeneſcunt, vt ſe illinc per omnem poſteà vitam extricare nequeant. De ipſa interìm Theologia tam altum ferè apud quoſdam eſt ſilentium, vt vel nulla eius omninò habeatur ratio, vel non niſi diebus feſtiuis aliqua tantùm Euangelij legatur particula: adeò vt ex multis vix reperiatur vnus, qui per annos vitæ ſuæ quantumuìs diuturnæ omnes, vel ſemèl & obitèr ſaltem ea qua decet animi pietate & religione, integra Biblia perlegerit: Cùm non iſta tantùm omnia, putà rerum ad benè beateq́ue viuendum vtilium cognitionem & præcepta morum, quæ foris plerunquè admodùm diſſolutè quæruntur, affatìm habeamus domì, hoc eſt, nuſquàm neque tractentur grauiùs & ſanctiùs, quàm in ſacro illo Bibliorum corpore, neque aliundè hauriri poſſint largiùs atque vberiùs, modò tamē adſit animus purus & ſyncerus, quàm ex his ipſis inexhauſtis diuinæ ſapientiæ fontibus. Quo nomine vel ſolo hac ipſa ſcriptura diuina, quæ in ſe Theſaurum continet tam virtutum quàm ſcientiarum incomparabilem, totus hic orbis Chriſtianus non habet ferè aut diuinius aut precioſius quicquam: ſine quo theſauro nemo neque verè doctus dici poteſt, neque beatus. (Ioan. 14. Matth. 16.) Quid enim ſcire is ſe iactare poterit, qui ipſum Chriſtum ignorat, qui ipſiſſima via eſt, & veritas, & vita? Aut quid, quæſo, homini proderit quantumlibèt Chriſtiano, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ patiatur detrimentum?

Pietatis fūdamēta ex fontibus potiùs, q̄ vel ex riuulis ethnicorum, vel ex lenocinijs verborū eſſe petenda.

QVAE cùm ità ſint, & vita vnius Chriſti vel ſola, exemplar omnis & Sapientiæ & pietatis proculdubiò ſit perfectiſſimum, quod qui hactenùs imitati, aut pro virili ſaltem exprimere conati ſunt, illi nunc vt ſancti & cohæredes Chriſti coluntur in cælis, optandum ſanè eſt vehementer, vt nos quoquè ſapiamus tandèm vel ſemèl, efficiamusq́ue vt pubes Chriſtiana veræ pietatis rationem & ſcopum ex ſacris poſthàc potiùs doceatur literis, pro ſuo tamen captu & modulo, quàm vel ex turbidis ethnicorum riuulis, vel ex fucatis verborum lenocinijs, quæ incautæ iuuentuti ſub ſpecioſo

eloquentiæ pallio ità nunc à quibuſdam ſolent obtrudi, vt mox velut abſurdum & indignum non ſine nauſea reijciant, quicquid non vel Demoſthenis, vel Ciceronis redoleat eloquentiam: ſicque ſermonis elegantiæ & puritati ſtudeant, vt morum vitæque puritati prorsùs nullam nauare velint operam.

Ex qua ſanè tam peruerſa & docendi & diſcendi ratione, de hac ipſa nunquàm ſatis prædicata rerum Theologicarum ſapientia, à quibuſdam abſurdiſſimæ conceptæ ſunt opiniones. Cùm enim quæ diuinis continentur ſcriptis, plerunquè verborum præ ſe ferant ſimplicitatem, plurima verò ſub ſimplicis literæ cortice, maxima habeant recondita myſteria: innocentiſſimæ huic ſacrarum rerum doctrinæ eam quaſi notam inurere non verentur, quòd eius cognitio non tãtùm difficilis ſit, ſed etiam obtineri vix poſſit. Cuius rei timore etſi vaniſſimo permultos à lectione ſacrarum literarũ vel in primo ſtatim limine deterritos, vel à medio ſæpè curſu conſtat eſſe reuocatos. Alij contrà humili ſimplicitate illa dictionis offenſi, priùs eam veluti rem leuiſſimam & per ſe abundè ſatis manifeſtam, negligere, atque adeò faſtidire incipiũt, quàm myſteriorum, ſub ea verborum facilitate compræhenſorum, vllum guſtum perceperint. Vtrique certè in grauiſſimo & pernicioſo ſunt errore. Quantùm enim illi animos ſtudioſorum in deteſtabilem deſperationem conijciunt, tantùm hi ſcripturam ipſam ſacroſanctam indigniſſimum pertrahunt in contemptum. Opiniones falſæ de ſacræ ſcripturæ lectione. Vtriuſque ſententię repræhenſio.

ATQVE *ſic mali huius, quantùm equidem intelligo, prima quidem fuit cauſa neglecta vera ſtudendi ratio, cui deindè ſucceſſit, nunc nimiæ difficultatis, nunc facilitatis opinio falſa, quæ tandèm omnia maximus & pernicioſiſſimus ille inſecutus eſt contemptus. A quibus calumnijs vt falſiſſimis, ità etiam improbiſſimis, quomodò ſanctiſſima hæc Theologia, quæ ad noſtram inprimis vtilitatem perſcripta eſt atque doctrinam, iuſtiſſimè vindicari & debeat, & poſſit, id planiſſimum faciet hæc ipſa totius Biblicæ ſcripturæ diſpoſitio & Oeconomia: in qua viuo veluti oſtenditur exẽplo, immò re ipſa demonſtratur, in tota ſcilicet ſcriptura ſancta nihil aut tam eſſe obſcurũ, quod non aliquo ſaltem modo explicari poſſit: aut adeò difficile, quin labore & induſtria reddatur facilius: aut ità humile ſiue depreſſum, ſub quo non diuina latitent myſteria: quæ ſine præceptoris manuductione fideli, rectè nunquàm poſſunt neq; tradi aut doceri, neque perfectè perſpici. Sic itaque huius Oeconomiæ Partitiones inſtitutæ ſunt, vt habeant diuinarum literarum ſtudioſi quaſi artem quandã ſeu viam atque compendium, quibus rebus & obſcura pleraque faciliùs intelligere, & difficilia commodiùs inueſtigare, atque etiam ex ijs, quæ prima fronte videtur minutiſſima, ingentem multiuariæ poſſint & ſapientiæ & pietatis colligere theſaurum.* Alius totius operis ſcopus & intentio.

DE OPERIS HVIVS FRVCTIBVS.

LONGVM *eſſet hìc operis huius vtilitates omnes enumerare. Sunt enim eæ cum diuinæ ſcripturæ fructibus omninò communes: cuius hæ tabulæ Summam quãdam atq; Methodũ complectũtur. Cùm enim pietas, vt piè admodùm à D. Paulo dictũ eſt, ad omnia ſit vtilis, ſacræ aũt ſcripturæ vis omnis ferè in pietatis maximè ſtudio verſetur, facilè pius quiuis per ſe intelligit, rerũ diuinarũ tractationẽ, quibus prima debetur pietatis cura, non tantùm ad vitam rectè inſtituendam, ſed etiam ad conſequendã immortalitatis gloriam magnas habere opportunitates. Quarè nobis hoc loco, cæteris omiſſis, id ſolum breuiſſimis perſtringere viſum eſt operæprecium, quid diligens Partitionum* 1. Tim. 4.

titionum in hoc opere compræhēſarum diſcuſsio, ſacræ Theologiæ ſtudioſis & publicè, in Eccleſia videlicet ac ſcholis, & priuatìm domi, pro Chriſtiana religione ſyncerè imbibenda, commodi ſint allaturæ.

QVIS HARVM PARTITIONVM VSVS eſſe poſſit in ſcholis.

AD *ſcholas hoc docendi genus, quo in his colligendis Partitionibus vſi ſumus, q̃ maximè pertinere, non inficior: quin illud etiam concedo facilè, me in hoc opere toto id ſpectâſſe primùm, vt quæ optima ſit ſcripturam ſanctam & docendi & diſcēdi ratio, aliqua certa à me formula traderetur. Perfectior autem doctrinæ Chriſtianæ forma tradi haud poteſt, quàm eſt illa, qua ipſi primùm Apoſtoli, ac deindè etiam viri Apoſtolici patresq́ ſancti & eruditi ad hæc noſtra vſque tempora, in diuinis interpretandis literis & ſemper & vbiquè vſi ſunt penè omnes. Ex quorum æternis & ſanctiſsimis monumentis nos huc ea tantùm tranſtulimus præcepta, quæ ad Summam atque Methodum diuinæ pertinent ſcripturæ, & quorum cognitio ad faciliorē Theologiæ notitiam plurimùm conducere videtur.*

I.

PRIMVM, *vt intelligant rerum ſacrarum ſtudioſi, quæ ſint ipſius ſcripturæ partes, quo ordine ſacri Bibliorum editi ſint libri, & quo artificio ſingula inter ſe cohæreāt, quæ ad humani generis ſalutem in illis, veluti Theſauro quodam ampliſsimo, ſunt recondita.*

II.

DEINDE, *vt ordinis ratione perſpecta, id porrò vel citra negociū aduertant, quæ propria ſit partis cuiuſque natura, quæ cauſæ, & qui effectus: ex quibus tandèm liceat earum rerum, quæ ad perfectionem Chriſtianam ſunt neceſſariæ, non exiguam aſſequi ſcientiam.*

III.

POSTREMO, *vt veram indè colligant diuini cultûs rationem, ſiue communem quandam formulam, qua Deus piè rectèq́ ſit colendus, & ad quam referri poſsint aliquo modo omnia, quæ de rebus diuinis humano generi ſunt reuelata.*

ATQVE *hæc talia ſunt ac tanta, ſine quorum obſeruatione ſingulari, neque ipſi ſacræ Theologiæ profeſſores munus ſuum pro dignitate tueri, neque literarū diuinarum ſtudioſi egregium aliquem fructum ex ſuis ſtudijs & laboribus, quantunuìs alioquì arduis ac improbis, vnquàm percipere poſsint.*

QVID ECCLESIAE CONFERAT HARVM Partitionum diſpoſitio.

PRAETEREA *non vulgaris erit harum Partitionum vſus, ad ſacras Conciones piè rectèq́ formandas. In quibus tria maximè ſunt ſpectanda, quæ in bono & idoneo requiruntur Concionatore.*

I.

QVORVM *principem locum illud ſibi meritò vendicat, vt quæ primo aut ſecundo,*

do, quæ vel illo aut alio loco tradenda diſcendaq́ ſunt, & ipſe intelligat eccleſiaſtes, & fidelis populus per manus veluti accipere atque tenere poßit.

II.

ALTERVM eſt, *vt quæ cùm ipſius ſcripturæ diuinæ, tum ſanctorum Patrum de ſingulis Chriſtianæ fidei articulis, qui extremis hiſce temporibus ab hominubus inquietis in controuerſiam rapiuntur ferè omnes, vera & Catholica ſit ſententia, breue quoddam habeamus veluti promptuarium, vndè firma Eccleſiæ dogmata, quotiès id ratio exegerit neceſſaria, non aliter quàm ex penu quodam vberrimo poßimus in medium producere.*

III.

TERTIVM eſt, *ſi quandò aut lectio prophetica, aut Apoſtoli diuini Epiſtola aliqua pro concione publicè ſit ediſſerenda, vt eius, quam ſancti patres in ijs rectè tradendis ſecuti ſunt, ſententiæ certam quandam habeamus regulam atq; compendiū.*

QVAE *quidem omnia in his tabulis, veluti quodam in ſpeculo, tam proponuntur luculenter atque diſertè, vt illis adiutus quaſi præceptis, immò viuis veræ & antiquæ pietatis exemplis, facilè quis magna cum dignitate ac omnium laude in Eccleſia Dei verſari queat.*

VT EARVNDEM PARTITIONVM PRAEſidio rectè quis ſtudio etiam priuato, non vulgarem poſſit rerum diuinarum adquirere cognitionem.

ETSI *verò hæc non contemnenda ſint iſtarum Partitionū commoda, maiora tamē exiſtimanda ſunt illa, quæ ex earum lectione frequenti, ad eos præcipuè redundare poſſunt emolumenta, qui extra ſcholas ſæpè, & abſque præceptoris idonei copia in his ſacris & arduis alioquì ſtudijs verſari coguntur. Nam ſi quis huius Oeconomiæ partes eo ordine & artificio, quo hîc diſtributæ ſunt & explicatæ, vel ſemèl tāta perlegerit diligentia, quantam ipſius rei dignitas, hoc eſt, rerum diuinarum requirit indagatio, vberrimos proculdubiò & ampliſſimos ſentiet harū lectione fructus, ex quibus haud aliter, quàm ex viua totius ſcripturæ diuinæ imagine, hæc quæ ſequuntur, omnia vnico veluti intuitu, ac per ſe quidē facilè deprehendere poterit atq; diſcernere:*

I.

Quæ totius ſcripturæ diuinæ ſit ſumma.

II.

Quæ habeat principia, quem oſtendat progreſſum, & in quem finem tendat ac ſcopū.

III.

Quot eius partes, & quæ ſingularum partium vis ſit atque differentia.

IIII.

Quot & quibus vniuerſa ſcriptura ſancta libris contineatur.

V.

Vt hi libri olìm ferè fuerint amiſſi.

VI.

Cuius opera iterùm ſint reſtituti.

VII.

Quo ordine primùm à Spirituſancto dictati ſeu reuelati, atque per prophetas & Apoſtolos perſcripti fuerint.

VIII.

Quam authoritatem veteris teſtamenti libri habuerint apud Hebræos, qui apud illos certi habiti fuerint ſemper, & quos illorum aliqui inter apocrypha ſcripta numerauerint.

IX.

Quos ex his Catholica in ſuum Canonem receperit Eccleſia.

X.

Quis noui teſtamenti ſit Canon, hoc eſt, qui libri ab omnibus ſemper pro vero habiti fuerint Euangelio, quóſve aliqui temerè oppugnârint, & quod Catholicæ Eccleſiæ de vtriuſque teſtamenti libris iam olim fuerit iudicium.

XI.

Quibus rationibus occurrendum illorum ſit calumnÿs, qui diuinos aliquot libros, quantùm in ſe fuit, ex ſacro canone & ab Eccleſia excludere improbè conati ſunt.

XII.

Certam & firmam eſſe ſacram ſcripturam, eiuſque authoritatem ſanctam & inuiolabilem.

XIII.

A quibus ſinguli ſacrorum Bibliorum libri vel ſcripti ſint, vel reſtituti.

XIIII.

Vbi, quandò, per quos, & qua occaſione ſinguli editi fuerint libri ſacri.

XV.

Quod & quale cuiuſque ſit Argumentum.

XVI.

Quomodò hi libri non temporum tantùm ſerie, ſed argumentorum quoquè ratione inter ſe cohæreant.

XVII.

Quæ libri vniuſcuiuſque ſumma ſit, & quæ non tam authoris, quàm ipſius Spiritûs ſancti, veluti totius ſcripturæ Magiſtri, ac eius interpretis Eccleſiæ Catholicæ præcipua fuerit intentio.

XVIII.

Quæ potiſſima ſint libri ſeu argumenti cuiuſque capita, ad quæ reliqua omnia plerũquè referri aut debeant, aut poſſint.

XIX.

Quid ſingula, cùm ad fidei regulam, tum ad morum diſciplinam ſint profutura.

XX.

Quæ vera ſemper eorum interpretatio, & quis Catholicus dogmatum fidei vbiquè fuerit

fuerit conſenſus. Quod tum rectè intelliget quiſque, ſi illorum Patrum adhibuerit ſcripta, quorum aperta hîc ſingulis ferè in tabulis adducuntur teſtimonia.

XXI.

Quibus, vt decet, diligenter expenſis, tum alia etiam multa intelliget impiger harum Partitionum lector præclara diuinarum literarum myſteria, quæ nunc vix dignè ſatis prædicari, aut verbis rectè concipi poßint.

XXII.

Vnum certè hoc ſpero certißimum fore, vt qui hos libros vel ſemèl tantùm aperuerit, ac vnicam perluſtrauerit tabulam, is eleganti, quæ hîc continetur, inuitatus harmonia, etiam plura legere & velit, & geſtiat.

XXIII.

Hic enim operis huius vſus erit non poſtremus, vt ſi quis librum aliquem ſacrorũ Bibliorum perlegere cupiat, is primùm perbreues has in eundem librũ editas peruideat tabulas, ex quarum diligenti inſpectione, non id tantùm conſequetur, vt abſque vllo ferè commentario alio, ſummam quandam illius percipiat: ſed tanta etiam afficietur voluptate, vt non priùs à cœpto deſiſtere velit opere, quàm totum librum perlegerit, vberiorem illius expoſitionem ex ſanctis deindè patribus petiturus.

XXIIII.

Neque verò hæc ideò minùs vera eſſe videri debent, quòd tam diligens artificij huius demonſtratio, non pari ratione, in omnibus ſacræ ſcripturæ libris obſeruata ſit. Nam in quibuſdam, vt in hiſtoricis, ſingula perſequi, operis erat penè infiniti, neque admodùm neceſſarij, cùm ipſa hiſtoria rectiùs diſponi haud queat, quàm vt in ipſis deſcripta eſt autographis, cuius nos hîc ſumma tantùm veluti digito demonſtrauimus capita, quæ in ſingulis ætatibus & imperiorum mutationibus celebriora, & notatu magis digna videbantur.

XXV.

In propheticis certè & Apoſtolicis ſcriptis, neceſſaria quæque doctrinæ Chriſtianæ fundamenta, tanto digeſta ſunt artificio, vt nihil ferè quod ad methodum à nobis inſtitutam pertinet, ſit prætermiſſum. Ac vt maximè quædam alicubi deſiderentur, ea tamen eiuſmodi plerunquè ſunt, quæ aßiduus lector, horum præceptorum ductu, etiam per ſe poßit inquirere.

XXVI.

Maximè verò tunc vnuſquiſque ſacræ Theologiæ ſtudioſus harum tabularum vſum intelliget eſſe amplißimum, ſi non contentus fuerit eas ſemèl tantùm perlegiſſe, ſed ſecundò etiam atque tertiò repetere non grauetur, ità vt omni die vnius libri examinet artificium atque diſpoſitionem.

XXVII.

Deindè id etiam operæprecium erit, vt qui haſce Partitiones iterùm atque iterùm diligentißimè perlegerit, ſtatim ipſum adgrediatur Bibliorum textum, eumq́ cum hiſce conferat tabulis, ac ſingula illo perlegat ordine, quo hîc ex ſanctorum Patrum ſententia ſunt perſcripta. Quòd ſi hoc modo primùm vnoquoquo triduo, deindè biduo, ac poſtremò ſingulis diebus integrum reuoluerit librum vnicum, intrà biennium tota Bi-

blia, paruo quidem labore, at fructu ferè incomparabili, poterit abſoluere.

XXVIII.

Atque hac ratione futurum eſt dubio procul, vt non artificium tantùm atque Methodum quandam rerum diuinarum percipiat, ſed illud etiam conſequatur commodum, vt quotiès aliqua de rebus in diuinis libris traditis incidat dubitatio, faciliùs poſſit dijudicare, vbi ijs de rebus in Biblicis agatur ſcriptis, quidve de illis ibidèm ſtatuatur.

XXIX.

Breuiter, ſi dimidiū facti, qui bene cœpit, habet: non parùm habebit is, qui hanc ſtudendi rationem ſecutus fuerit: aut ſi quæ ſibi ad perfectam diuinæ huius ſcientiæ Methodum deeſſe videbuntur, minori negocio ea poterit cognoſcere.

XXX.

Nec eſt ſanè, quòd me quiſpiam nimìs gloriosè aut arrogantiùs de hoc opere pronunciare ſuſpicetur, cùm & ſciam optimè, & fatear libenter, præcepta quæ hîc continentur omnia, nō à me inuēta vel excogitata, ſed ex optimis quibuſque ſanctorū patrum monumentis collecta eſſe atque congeſta, eorum maximè, quos ſpiritu diuino afflatos fuiſſe, & Catholicum conſenſum habuiſſe, dubitare nemo neque debeat, neque poſſit.

XXXI.

Breuiter quandò vix ardentiùs aliquid ab huius ſcientiæ ſtudioſis deſiderari videmus, quàm modum quendam ac rationem compendiò ad eius cognitionem perueniēdi, erit hæc non tam Bibliorum, quàm totius ferè Theologiæ Oeconomia, vel eo ſaltē nomine, vt ſpero, gratiſſima, quòd non tantùm modum quēdam de rectè formando Theologico ſtudio præſcribat: ſed eo etiam ipſo modo & ordine, qui huic doctrinæ ſit commodiſſimus, locis non paucis ſacram ediſſerat aperiatq́ ſcripturam.

ORDO GRADVVM, QVIBVS NON TANtùm ad perfectam aſſcendimus Theologiam, ſed etiam ad vitam & ſalutem pertingimus æternam.

VERBVM DEI EST SAPIentia & *intelligentia noſtra. Deuteron. 4. Porrò per*	*Verbum*	*Perueni-tur ad*	*Intellectum.*
	Intellectum		*Rem.*
	Rem		*Rationem.*
	Rationem		*Viam.*
	Viam		*Veritatem.*
	Veritatem		*Vitam.*

DE RE

DE REBVS AD COMPARANDAM DIVINARVM literarum ſcientiam neceſſarijs, ex Hugon. lib. 3. Didaſcal.

TRIA SVNT *S. Theologiæ ſtudioſis neceſſaria,*
- *Natura,*
- *Exercitatio,*
- *Diſciplina.*

Quibus efficitur, vt
- *Facilè audita percipiant, & percepta firmiter retineant.*
- *Labore & ſedulitate naturalem ſenſum excolāt.*
- *Laudabiliter viuentes, mores cum ſcientia componant.*

ITEM EX GALENO.

GALENVS IN STVDIOSO *homine ſeptem deſiderat neceſſaria ad omnium rerum inquiſitionem & cognitionem:*
- *Primùm ſcilicet, ingenium ſagax & docile.*
- *Deindè aſſuefactionē & exercitationem ab ineunte ætate in omni diſciplinarum genere.*
- *Tertiò aſsiduitatem.*
- *Quartò, vt præceptores audiat præſtantiſsimos & celeberrimos.*
- *Quintò, inexplebile deſiderium veritatis.*
- *Sextò, cognitionem eius Methodi & normæ, qua verum diſcernitur à falſo.*
- *Vltimò autem, exercitium & vſum eiuſmodi Methodi.*

CATALOGVS AVTHORVM, EX QVIBVS OECONOMIA Bibliorum collecta eſt.

A

Ambroſius Catharinus.
Ammonius Alexandrinus.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Ambroſius.
Anſelmus. Areta.
Alphonſus de Caſtro.
Albertus Nouicampian.
Antonius Fonſeca.

B

Beda.
Bernardus.
Bartholomæus Caranza.

C

Canones Apoſtolorum.
Concilium
- Nicenum.
- Carthaginenſe.
- Laodicenſe.
- Conſtantinopolitanum.
- Toletanum.
- Epheſinum.
- Chalcedonenſe.
- Florentinum.
- Tridentinum.

Catechiſmus Romanus.
Clemens.
Cyrillus.
Compendium Theologicæ veritatis.
Cornelius Ianſenius.
Claudius Guilliaudus.
Cælius Pannonius.
Chryſoſtomus Lauellus.

D

Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Rikel Carthuſianus.
Dominicus Soto Segobienſis.

E

Epiſtolæ Decretales.
Euthymius.
Epiphanius.
Euſebius Cæſareenſ.
Enchiridion Colonienſe.

F

Franciſcus Sonnius.
Franciſcus Ruitzius.

Felicianus Ninguarda.

G

Gregorius Nazianzenus.
Gloſſa Ordinaria.
Gratianus.
Gregorius Papa.
Gelaſius.
Gotfridus Viterbienſ.
Gilbertus Pictauien.
Gerardus Matthiſius Gelrienſ.

H

Hieronymus.
Hilarius.
Hippolytus.
Hugó de S. Victore.
Hadrianus Cardinalis.

I

Iuſtinus Martyr.
Iſidorus.
Ioſephus.
Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Hentenius.
Irenæus.
Iunilius.
Innocentius III.
Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes Ludouicus Viues.
Iacobus Faber Stápulenſis.
Iacobus Peres.
Ioachimus Perionius.
Ioannes Driedo.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Hofmeiſterus.
Ioannes Gropperus.
Ioannes Heſſelius.

L

Lactantius.
Leo I.
Ludouicus Carbaiala.
Laurentius à Villauicentio.

M

Marcus Marulus.
Melchior Canus.
Michael Medina.
Methodus Cõfeſſionis.

N

Nicephorus Calliſtus.
Nicolaus Lyranus.

O

Origenes.
Oecumenius.

P

Petrus Aureolus.
Petrus Lombardus.
Petrus Comeſtorius.
Petrus de Natalibus.
Petrus à Roſenhaim.
Petrus Caniſius.

R

Remigius.
Ruffinus.
Rabanus.
Rainerus Snoius.
Richardus à S. Victore.
Rupertus Abbas Tuitienſis.

S

Sanctes Pagninus.

T

Tertullianus.
Theophylactus.
Theodoretus Cyrenſ. Epiſcopus.
Ticonius Alexandrin.
Thomas Aquinas.
Thomas de Vio Caietanus.
Toring.

V

Victorinus.
Vincentius Lirinenſis.

W

Vuilhelmus Durandus.
Vuilhelmus Damaſi Lindanus.

Præ cæteris verò bonam huius operis partem D. Petro Aureolo acceptam referimus.

CHRI.

CHRISTIANO AC PIO LECTORI NECnon omnibus ſacrę Theologię Candidatis, hoc p̄ſens volumen reuoluturis, ſalutem precatur & optat frater Theodoricus Buſcoduceñ, inter ſacrę Theologię profeſſores minimus, ac Conuentûs fratrum Prędicatorij Ordinis in Colonia humilis Prior, ac Apoſtolicus Inquiſitor.

QVamuis vt in prouerbio eſt, vino vendibili ſuſpenſa hedera opus non ſit, cùm proba merx facilè reperiat emptorem: nihilominus humaniſsimus vir ac conſultiſsimus Iuriſprudentiæ Licentiatus D. Geruuinus Calenius, Typographus diligētiſsimus, inſtitit apud me ac rogauit, vt præſens volumen, iam recèns prælo commiſſum ac typis excuſum, & à viris quibuſdam inſigniter doctis ac pijs examinatum, & non paruis encomijs per ſcripta mihi commendatum, dignarer meo calculo ac cenſura appoſita approbare, & quid de eo ſentiam, omnibus facere teſtatiſsimum. Memor igitur mei officij, nec debui nec potui tam honeſtæ ac iuſtæ petitioni deeſſe aut refragari. Non enim oſcitāter legiſſe, ſed prudenter reſpexiſſe videtur ad decreta Oecumenici cōcilij Tridentini, in quo viſum fuit Spiritui ſancto & patribus ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, congregatis, & cautū, & ſub pœna anathematis omnibus librorum impreſſoribus ſerioſiſsimè prohibitum, nè quid in lucem edant ad res ſacras & religionis negocium pertinens, niſi examine præuio Theologorum approbetur, vt videre licet in quarta ſeſsione ante annos ferè duodecim habita ſub piæ recordatiōis Paulo III. anno videlicet 46. octaua die Aprilis. Quod decretum ſi opera & diligentia diœceſanorum ac magiſtratûs politici (quod ſummè optandum eſſet) executioni mandaretur, iam magna ex parte adhibitum eſſet Antidotum, ac præſentiſsimum remedium obiectum graſſanti ac latiùs indiès ſerpenti peſtiferæ hæreticorum doctrinæ: quæ nunquàm tam altas iecisſet radices, nec tam longè lateq; per vniuerſum orbem ſe diffudiſſet, niſi Typographorum quorundam auaritia fuiſſet adiuta & promota: Qui animas ſuas habentes venales, ſpe quæſtûs, nihil attento periculo ac diſpendio ſalutis animarum, eiſdem lætale venenū melle plerunque circunlitum propinārunt. A qua ſuſpicione alieniſsimus eſt Dominus Licentiatus præfatus, ex cuius officina nihil prodiiſſe memini vnquàm quod labe hæreſeos eſſet infectum, ſeu maculatum, aut ſuſpectum, ac doctrinæ ſanæ repugnans. Quid enim prodeſt homini, inquit ipſa Veritas, ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentū patiatur? Hanc ob rem vt in eodem contineatur officio, nec pertranſeat terminos, quos poſuerunt patres noſtri, libentiùs acquieui & annui petitioni eiuſdem. Vt ergò quod ſentio, ingenuè profitear, dum volumē iſtud aperio, ac penitiùs introſpicio, atq; à capite ad calcem vſq; diligenter perluſtro, ac ſucciſiuis horis quantùm breui temporis ſpatio fieri potuit, ac per occupationes licuit, voluo & reuoluo, Deum immortalē, quàm gratiſsimi & ſuauiſsimi odoris fragrantia nares animi mei oppleuit: & quo diutiùs oculos hincinde circūgyro, eo plus vndiquè percipio oblectamenti. Omnia ſiquidem reperio Catholicæ fidei ac ſanæ doctrinæ conformia, nihil verò eidem repugnans, quod hæreſim ſapiat, aut ſuſpectum, aut piarum aurium offenſiuū. Authoris enim etſi facies ſit mihi ignota, animum tamen candidiſsimum & erga auitam religionem tuendam & propagandam, ac iuuanda piorum ſtudia propenſiſsimum ac inſtructiſsimum facilè deprehendo. Vndè eundē veneror, ſuſpicio, & ſyncero affectu amplector, nec ſine animi ſtupore & applauſu in ſummam admirationē rapior, dum huius authoris (abſit verbo adulatio) in medijs turbis & forenſibus negocijs verſantis conſidero & mecum expendo nobile ac fœcundum ingenium, tenacē memoriam (eſt enim multæ lectionis) ac infatigabile ſtudium, quo tam artificioſè, ordinatè, ac methodicè ſiue compendiò ea tradit, quæ in ſacrarum literarum vtriuſq; teſtamenti myrothecijs, ac ſanctorum patrum, qui à temporibus apoſtolorum diuerſis ætatibus ac locis in hunc vſq; diem floruerunt, cōmentarijs ac monumentis, ſacrorū quoquè conciliorū ſanctionibus ſparſim cōfuſiùs habentur. Quēadmodum enim apes argumentoſa ex diuerſis floribus mel colligit, atq; collectum ad aluearia aduehere ſolet: ità & hic (ſaluo Iuriſprudentiæ ſtudio) è pratis ſcripturarum ſpiritualia mella collegit olim, quæ nunc hoc edito volumine pro catholicorum paſtu diffudit abūdè, ſciens ſe non ſibi natū, ſed patriæ, & inprimis Eccleſiæ Dei. Olim apud paganos, D. Hieronymo referente, vnus repertus eſt, qui vt toti mundo innoteſceret, ac nomen ſuū immortalitati conſecraret, audax aggreſſus eſt facinus. Incendit ſiquidē templum Dianæ, in toto orbe nominatiſsimum. In quo extruēdo, vt author eſt Plinius, pluſquàm ducentîs annis laboratum eſt. At hodiè proh dolor hoc corruptiſsimo ſeculo (in quo cum D. Polycarpo rectè exclamare poſſumus, O Deus, in quæ tēpora me reſeruâſti?) inter Chriſtianos non vnus, verùm (quod gemens ſcribo, & vtinàm mētiar) aliquot myriades reperiuntur, qui vt turrim Babel extruant, & in ea ſua idola, id eſt, vt Vincētius Lirinēſis exponit, ſuas opiniones, ſomnia, ſcholia, & adulterinas Scripturarum interpretationes adorent, templum Dei viui, Eccleſiam videlicet Chriſti ſanctam, Catholicā ac Apoſtolicam, viuis ex

lapidibus

lapidibus ante annos plùs mille quingentos cõſtructam, ac fundatam ſupra firmam petram, auſu temerario incendere, euertere, deuaſtare, fruſtrà licèt, non tamen impunè conantur. Et quid dico, inter Chriſtianos? cùm non tam Chriſtiani vocabulo appellandi ſint, quàm Antichriſti ſatellites, ac eiuſdem certiſſimi præcurſores: immò nec homines dicendi, qui viperarum more, matris Eccleſiæ, quæ ipſos genuit, pia viſcera diſcerpunt, lacerant ac dirumpunt: ac Iudæis peiores, qui tunicam Domini inconſutilem, quam illi integram ſeruârunt, hodiè in mille partes diſcindunt. Qui omnes tanquàm incendiarij milites, vtpotè Anabaptiſtæ, Sacramẽtarij, Iconoclaſtæ, Hugoniſtæ, Geuſij, ex vno Lutero veluti equo Troiano proſiliêrunt. Quorum flamma depopulata eſt non modò magnam Germaniæ partem, verùm etiam igniuomas ſcintillas ad florentiſſima Galliarum & Angliæ regna tranſmiſit: Vt interìm taceam de ditionibus inferioribus, ac mea miſerabili patria ciuitate Buſcoducẽſi, vbi ſacrilegi ac impij Iconoclaſtæ ac Sacramentarij ſuam rabiem ac pluſquàm beluinum furorem ac tyrannidem inhumaniter exercuerunt. Verùm bona nobis affulſit ſpes, Catholiciſſimum Hiſpaniarum regem Philippum, optimi Imperatoris Caroli V. (cuius memoria in benedictione eſt) filium, hæredem bonorum & fidei, Augiæ illud ſtabulum, Chriſti ope adiutũ, qui facilè diſſipat conſilium Achitophelis, propediem quod feliciter cœpit, repurgaturum. Et quia hoc incendium, à Luteri doctrina exortum, nondùm extinctum eſt, & furiam & faces huius incendij nondùm quieſcere experientia teſtatur, quin potiùs videmus ſuppoſitum dudùm ignem creſcere, & iam ad culmina ferè flammam eius perueniſſe, ipſoſque hæreticos noctes atque dies nouos errores tanquàm ignis materiam ſeminare, & graſſanti incẽdio oleũ infundere, ſintq́; multi etiam nobiles (hac tamen in re pluſquàm ignobiles, nè dicam infames) qui Neronis parricidæ exemplo non è turri Mecænatica, vt ille, ſed Babylonica hoc incendium proſpectant, pulchritudine flammæ vehementer delectati: & quemadmodùm Nero vrbem incendit, quo nouæ vrbis condendæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quæreret: deſtinauerat enim Romam Neropolim nuncupare: ità Sectarij omnes vniuerſum orbem conãtur ſuis prauis ac venenatis dogmatibus incendere ac funditùs perdere, vt vetere appellatione Chriſtianis detracta, nouam inducant ex ſuo nomine, & vel Luterani, vel Caluiniani, vel Geuſiani appellari gaudeant: Tantum valet ingenioſa perfidia, & inconſulta æternitatis perpetuæque famæ cupido. Cùm igitur tot ſint incendiarij, nemo pius ſiniſtrè interpretari debet, quòd ad hoc commune incendium reſtinguendum operis huius conſarcinator & collector pientiſſimus, etſi non ex profeſſo theologus, tamen Chriſtianus accurrerit, malè alioqui auditurus, ſi talentum ſibi concreditum, terræ infoſſum cum ſeruo pigro abſcondiſſet. Omnium ſiquidẽ cuiuſcunque ſint ſtatûs aut cõditionis, intereſt iſtuc manus adferre auxiliatrices, & aquas lachrymarum in deuotis precibus, quod ad ſimplicem popellum pertinet: aut aquas doctrinarum in publicis concionibus aut ſcholaſticis diſputationibus, quod doctorum eſt & paſtorum: aut deniq; in priuatis exhortationibus ſiue conferentijs aut ſcriptis, quod omnium eſt eorum, qui exercitatos habẽt ſenſus: quorum eſt reddere, iuxta diui Petri ſententiam, rationem de ea, quæ in eis eſt, fide & ſpe, ſubmittendo ſemper ſua dicta & ſcripta iudicio Romanæ Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo ſuo: tantum abeſt, vt quis qui alterum inſtruere poteſt, & ad viam veritatis, pacis & ſalutis errantes reducere, dicat cum perditiſſimo Cain, Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei? Immò B. Iacobi ſententia ad omnes pertinere dinoſcitur cap. vltimo, non ex ſtraminibus, quod Luterus mentitur, ſed afflatu diuini ſpiritûs prolata: Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. non ergò author operis temerè quicquam aut præſumptuosè egiſſe dici debet, qui nil aliud quærit, niſi gloriam Dei, fidei defenſionem & propagationem, & ſalutem & profectum proximorum. Quin potiùs ſua laude & commendatione fraudandus nõ eſt, ſed habendæ gratiæ, quòd in gratiam ſtudioſorum, qui aut carent iudicio, aut librorum copia deſtituti, aut temporis inopia prolixis commentarijs vacare non poſſunt, tantum ſubiêrit moleſtiarum. Propter quos exantlatos labores, & in poſterum perferendos ad eorum numerũ pertinebit, de quibus apud Danielem dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut firmamentum: & qui ad iuſtitiã erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Hæc in laudem authoris dicta in eum finẽ volui, vt opus reddatur cõmendatius: Quod non ex angulo, aut hæreticorum cryptis, ſed ex aula pientiſſimi ac auitæ religionis propugnatoris inuictiſſimi Imper. Maximiliani II. prodijt. Tu igitur, amice Lector, hiſce alienis laboribus fruere, & volumen hoc tãquàm ineſtimabilis precij precioſiſſimam margaritã vili pecuniario precio tibi compares, cum iudicio & non perfunctoriè legas, lecta pectoris ſiue memoriæ ſcrinio fideliter recondas. Fieri nequit, vt hæc feciſſe vnquàm pœniteat: quin potiùs breui temporis ſpatio magnum ſapientiæ ſalutaris fructum ſine difficultate magna conſequêris. quod omnibus largiri dignetur Deus benedictus in ſecula. Datum Coloniæ ex noſtro Muſæo, ipſo die diui Thomæ Aquinatis doctoris Angelici. 1568.

INDEX

INDEX CVM RERVM
TVM VERBORVM IN PARTITIONVM
Theologicarum libros quinque Doctiſſimi & clariſſimi viri Georgij Ederi, copioſiſſimus.

AAron officium quodnam fuerit 118. eius punitio 126.
aaron cum filijs vt in ſacerdotem conſecratus ſit 118.
aaron filiorum granis punitio ibid.
Abdiæ origo 263.
abiu filij Aaron punitio 118.
abraham antè Abram dictus, 100.
abrahæ filij qui & vndè dicantur 100.
abrahã cur pater multarum gẽtium dictus 100.
abraham vt imitandus 100.
abrahæ fidei daſcriptio 99.
Acediæ definitio, eiuſq́ filiæ 699.
acediæ remedium 350.
acta Apoſtolorum quid tractent 30.
acta Apoſtolorum qui reijciant 4.
actuum Apoſtolorum præſtantia & multiplex vtilitas 403.
actuum Apoſtolorum quis Author 399.
Adamarus Hieruſalem & Antiochiam recuperat 601. Adæ ſignificatio myſtica 97.
aduentum Domini ſolicitè præſtolandum 373.
adulteræ hiſtoria in dubium vertitor 31.
Aegyptiorum Reges 308.
ægyptum domuit Nabuchodonoſor 167.
ægyptiæ plagæ quæ & quot 110.
ænigma quid 186.
æquanimitatis proprium quid 513.
ætates mundi 310.
Affabilitas 201.
afflictorum preces cur non ſemper exaudiantur a 89. afflictionum variæ cauſæ 288.
Aggæi prophetia 273.
Alexander Magnus 308.
alexandri Magni Monarchia in quot partes diuiſa ſit 291.
alexius Orientis Imp. 598.
allegorica S. ſcripturæ interpretatio quæ dicatur 55. Alleluia quid ſit 181.
alleluia vndè profectum 274.
alogiani negabant filium Dei eſſe verbum 4.
Aman cur ſuſpenſus 169.
ambitio fugienda 367.
amicitia vera 201.
amicorum fides 202.
amor mulieris inexplebilis 186.
amor proximi 202.
amoris diuini conditiones 657.
amos quis fuerit 261.
amos cur ſe prophetam negârit ibid.
Anagogica S. Scripturæ interpretatio quæ 55.
andreæ Euangelium ſuſpectum 5.
anguſta via Regni cælorum 388.
animalia quæ prohibita in veteri lege 119.
animas purgatas non dormire vſque ad iudicium 708.
anni ſolaris diuiſio 667. & ſingularum partium ad Eccleſiæ vſum applicatio 668.
anthimus vt Eccleſiam cõturbârit 577.
antichriſti perſecutio 610.
antiquæ legis onera deponenda 267.
anuum inſtitutio 486.
Aphtbardocitarum hæreſis 576.
apocalypſis ſignificatio 547.
apocalypſin qui reijciant 4.
apocalypſis interpretes qui 353.
apocalypſis liber num Authenticus 550.
apocrypha quæ hodiè dicantur 37. 38.
apocrypha Noui Teſtamẽti q̃ dicantur, & cur 30.
apocrypha Euangelia 5.
apocrypha quæ ſint & dicantur 16. 19. 29. 163.
apocryphos quos & cur pro Autheoticis habeat Eccleſia 21. & 31.
apoſtaſiæ remedium 350.
apoſtoli cur conſtituti 398.
apoſtolorum quot genera 400.
apoſtoli inſtrumenta ſunt S. Spiritûs 10.
apoſtolorum varia nomina 399.
apoſtolorum vocatio 362.
apoſtolorum nomina, vbì prædicârint, & quo modo mortui 400.
appetitus triplex 686.
Aquilæ verſio qualis 65.
Ariſtoteles quid ſignet 281.
arithmeticę vtilitas 70.
arma Chriſtianorum 460.
arrius vt Eccleſiam turbârit 569.
arrianæ ſectæ diſtractio 570.
artaxerxes cui ſucceſſerit 273. 166.
artificum opera, eorumq́ vtilitas 203.
artium vſus quis 69. 70.
Aſtronomia an Theologo vtilis 71.
Athanaſij de Apocryphis cenſura 37.
athanaſij de S. Librorum interitu iudicium 29.
athanaſij ſententia da varijs Bibliorum verſionibus 65.
Auaritiæ deteſtatio 270. 368. quid ſit 202. eiuſq́ filiæ 699.
auaritiæ incommoda 517.
augurium ſomniorum prohibitum 202.
auguſt. de gradibus reuelatæ ſcripturæ cẽſora 9.
auguſtinus quot ponat veteris Teſtamẽti libros 23. 26.
auguſt. Sapientiæ librum à Ieſu Sirach ſcriptum aliquandò dixit 23.
auguſtini honor in libros Canonicos 39.
auguſtini catholica doctrina, quòd ſola fides nõ iuſtificet 644. 645. 646.
auguſt. partitio librorum veteris Teſtamenti 23.
auguſtini iudiciom de Orthodoxorũ ſcriptis 39.
auguſtinus ad Angliam conuertendam miſſus 579. miracula ibidèm patrat 580.
authentici libri qui dicantur 19.
anthores Sacri qui legendi 73.
BAal, dum eſſet augur, prophetauit 216
babylonicæ captiuitatis cauſa 273.
babylonica captiuitas quot annos durârit 306.

balduinus ſecundus Hieroſolymitar. Rex 605.
balduini Regis victoria contra Turcam 606. 607.
baptiſmi ſacramentum quæ habeat à quolibet Chriſtiano credenda 703.
baptiſmus quid 678.
baptiſmus triplex ibidèm.
baptiſmi efficacia 356.
baptiſmo omnia peccata tolli 703.
barbariſmus quandò viguerit 310.
bartholomæi Euangelium apocryphum 5.
baruch à Catholicis quibuſdam reijcitur 21.
baruch quis fuerit 545.
baruch quid ſignet ibid.
baruch liber num aothenticus 246.
baſilides epiſtolas ad Timoth. Titum & Hebræos non veneratur 4. Epiſtolam Iacobi reijcit ibidèm.
Beatitudines Euangelicæ 697. earundem gradus ibidèm.
Biblia quid 7.
bibliæ vniuerſæ partitio methodica 8.
bibliorum variæ verſiones 65.
bibliorum ſignificationes 84.
Bona opera nō ſuis tãtùm Authoribus proſunt, ſed alijs etiam 707.
bonorum præmis 708.
bonorum operum merita 707.
bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus 586.
Cæremoniæ quæ in Miſſa adhibentur 684.
caius quis fuerit 544.
calipba pontifex Saracenorum 586.
calixti Papæ & Henrici S. Imp. concordia 607.
caluinus vt fidem definierit 641.
canonis Eccleſiaſtici quot claſſes 17.
canon duplex 163.
canon Hebræorum in quot ordines diuidatur 16.
canonis Eccleſiæ in librorum ſacrorum ordine vetuſtas 36.
canon Eccleſiæ librorum veteris Teſta. 34.
canon Eccleſiæ librorum Noui Teſtamenti 35.
canon cur Scriptura ſacra dicatur 7.
canonica quæ dicantur 9. 38.
canonicæ epiſtolæ vndè dictæ 507. 398.
canon S. ſcripturæ quis & quotuplex 15.
canon veteris Teſtamenti duplex 15.
canonis vtriuſque diſtributio 18.
cantici Author quis 174.
canticum quid 173. 174. & 181.
cantica canticorum qua ætate legenda 191.
cantica canticorum cur ſic dicta 190.
cantica canticorum theoricæ reſpondent 185. & 190.
cantica quotuplicia 191.
cantus eccleſiaſticus qualis eſſe debeat 184.
captiuitatis Babylonicæ cauſa quæ 273.
carnis opera 455. 288.
carolus Magnus 592. 593. 594. 595. à Leone Papa coronatus Roma. Imp. 596.
carpocrates vniuerſum vetus Teſtamentum reijcit 4.
carthaginenſis Concilij quarti Diuiſio Veteris teſtamenti 23.
caſtitas 201.
caſtitas coniugio potior 441.
caſtitatis votum minimè diſrumpendum 707.
catholicus verus quis 713.
catholicæ religionis notæ 713.
cauſæ ob quas impij diuinitus puniuntur 602.
cauſæ quæ & quot S. Scripturæ 10.
Cerdon totum vetus teſtamentum explodit 4.
cerdon tantùm Lucæ Euangelium ſuſcipit 4.
cęremonialia præcepta quæ dicantur 113.
cerinthus tantùm Matthæi Euangelium recipit 4. Acta Apoſtolorum reijcit ibidèm, 353. 533.
certitudo gratiæ an eſſe poſsit 647.
Charitatis vis 659. effectus ibidèm.
charitatis laudes & fructus, ibidèm.
charitatis definitio, forma ibidèm.
charitatis præſtantia 638. 656.
charitas fidei & ſpei iungenda 656.
charitas in quo conſiſtat 536.
charitas cur fidei præferatur 657.
charitatis gradus 658. fructus 538.
charitatis erga Deum & proximum coniunctio 658.
charitatis in proximum conditiones 658.
charitas Chriſti 358.
charitatis erga Deum conditiones 657.
charitas quid præſtet omnibus virtutibus & donis Dei 658.
charitati contraria vitia 689.
chori principes & cantores in veteri lege qnot fuerint 174.
chori cantorum cur inſtituti 174.
chriſma in Confirmatione adhibendum 704.
chriſtus vt eſt ſacerdos inęternùm 500.
chriſtus filius Dei eſſe oſtenditur 354. & ſeq.
chriſtus cur nihil ſcripſerit 326.
chriſtus legem vt implèrit, non ſoluerit 314. & 315.
chriſti beneficia 467.
chriſtus verus Meſsias eſſe probatur 329. & ſeq. & 346.
chriſti conatus in ſeruandis animabus 349. doctrina, ibidèm.
chriſti patientia 360.
chriſti duplex generatio 361.
chriſti peregrinatio 395.
chriſtus declaratur eſſe Rex & dominus 339.
chriſtum 46. anno paſſum quia aſſerant 71.
chriſti & Ioſeph comparatio 106.
chriſti aduentus ſolicitè expectandus 374.
chriſtiani vndè dicti 408.
chriſtiani hominis officium 408.
chriſtiano quæ virtutes neceſſariæ 468.
chriſtianorum arma 460.
chriſtiani Saraceniſmum quandò labefactàrint 598.
chriſtianorum cōtra Turcam miraculoſa victoria 607.
chryſoſtomi iudicium de gradibus reuelatę S. ſcripturæ 9.
Cibi qui mundi & immundi fuerint 119.
cithara quid 174.
Claſſes Canonis Eccleſiaſtici 17.
clementis Itinerarium 5.
clericorum vita qualis eſſe debeat 479.
Cæcitas Spiritualis 341.
cælibatus cur matrimonio prælatus ſit à Chriſto 367.

commu-

communionem vtriuſque ſpeciei non eſſe præceptam 704.
comœdia quid 286.
concionatoris partes 481. 72.
concordia 201.
concubinatus ſacerdotibus interdictus 597.
concupiſcentiam non eſſe peccatum 703.
confeſſio quid 174. 678. 705.
confirmationem eſſe ſacramentum 703.
confirmatio quid 678.
confirmationis effectus ibid.
coniugum officia 284.
conſcientiæ integritas vt ſeruetur 217.
conſecrandi ritus veteris legis 118.
conſilia Euangelica 693.
conſiliarius probus quanti faciendus 203.
conſilium bonum 203.
conſolationes Iuſtorum afflictorum 374. & 287.
conſtantia in amicitia retinenda 201.
conſtantinus Papa 589.
conſtantini Magni in Chriſtianam fidem pietas 566.
conſuetudo duplex 672.
contritio quid 678. 705.
conuerſio ad pœnitentiam 201.
conuiuiorum apparandorum ratio 350. 369.
corinthij vndè dicti 438.
corinthiorum epiſtolæ argumentum 437. eiuſq; ſcribendæ occaſio 438.
coſdroæ perſecutio 581. 582.
Creſcentij Rom. patricij rebellio 596.
creſcentius impietatis ſuæ luit pœnas 597.
cretenſes qui fuerint 484.
crucem quot modis tollere dicamur 289.
crucem Dominicam Coſdroas ſuſtulit 581. recuperauit Heraclius 584.
Cultus Dei in quibus conſiſtat 116.

DAemonum Confeſſio de Chriſto 340.
danielis origo 248. mors 250.
daniel continentiæ exemplar 249.
danielis liber an authenticus 250.
danielis librum quis reijciat 250. & 252.
danielis varij interpretes ibidèm.
dauidis hiſtoria 146. 256.
dauidis origo 178. admirabile robur 179.
dauidis regnum cur diuiſum 148.
dauid num propheta 219.
Decalogi præcepta 691.
decimas perſoluit Abraham 99.
dei cultus, ſumma eſt Catholicæ religionis 172.
delectus ciborum veteris legis 119.
deuteronomij quis Author 131.
deuteronomium vndè appellatum 130.
deuteronomij liber quandò & vbì ſcriptus 131.
deuteronomium cur meditatorium legis dictum 132.
deuteronomij partes quæ 133.
deus inſpector cordis 356.
Dialecticæ vtilitas 70.
diapſalma quid ſit 174.
dierum feſtorum celebratio 120.
differentia librorum noui Teſtamenti 31. 32.
diluuij deſcriptio 98.
diſciplina filiorum 202.
diſcipulorum ambitio repræhenditur 367.
diſcipuli Chriſti 401. & 402. 364.
diuinationis & prophetiæ differentia 209.
diuiſio operis totius 2.
diuiſio terræ ſanctæ 139.
diuitias vix abſque peccato comparari 202.
Doctoris Chriſtiani officium 71.
doctorum hominum impietas 233.
doctorum improbitatem non officere ſanæ doctrinæ 373.
doctrina Chriſti 349.
doctrina falſa nihil pernicioſius 217.
doctrinarum genera quæ & quot 68.
dominica in albis cur dicatur 666.
D. Dominicus 610.
dominorum officium 460. 468.
dona Spiritus ſancti 696.
Duces Iudæorum 305. & 307.

EBionitarum ſceleſtus error 353. 532.
ebion Pauli epiſtolas repudiat 4.
ebion ſolum Matthæi Euangelium, alijs reiectis, amplectitur 4.
ebrietatis deteſtatio 270.
Eccleſiaſtica Iuriſdictio 480.
eccleſiæ conſtantia 417.
eccleſiæ præcepta retinenda 706. 710.
eccleſia quid 706. 710.
eccleſiæ præcepta quot ſint 693.
eccleſiæ ſtatus diſtributio 558.
eccleſiæ præcepta quanti facienda 693.
eccleſiæ prima perſecutio 582. ſecunda 563. plures 564. 565.
eccleſia cur Apocryphos quoſdam pro Authenticis habeat 21. 31.
eccleſiæ perſecutio ſub Anthimo facta 577.
eccleſiæ primitiuæ fuſa deſcriptio 404. & ſequent.
eccleſiæ veteris ſtatus quotuplex 94.
eccleſiæ ætates quot ſint 88.
eccleſiæ ſecundus ſtatus 567. & ſeq.
eccleſiæ ſtatus tertius 579. & ſeq.
eccleſiæ ſtatus ſub Carolo Magno 593. & ſequent.
eccleſiæ ſtatus quintus 599.
eccleſiæ ſtatus vltimus 612.
eccleſiæ Catholicæ dogmata de præcipuis fidei articulis 703.
eccleſiaſtes quid ſignet 189.
eccleſiaſtes naturali philoſophiæ reſpondet 187. & 189.
eccleſiaſtici Canonis quot claſſes 17.
eccleſiaſticus ordo anniuerſarius 664. & ſequent.
eccleſiaſtici quis Author, an Authenticus 198. 185. 193.
eccleſiaſticum cur non recipiant Iudæi 198.
eccleſiaſticum à Ieſu Sirach ſcriptum dixit aliquandò Auguſt. 23.
Educatio liberorum 202.
Efficientis cauſæ ſacræ ſcripturæ diſtinctio 11.

Elcheſaitæ omnes Pauli epiſtolas reijciunt 4
eleemoſynæ definitio 694. 201.
eleemoſyna quo modo eroganda 383.
Encæniorum inſtitutio 295.
enoch liber 545.
Epheſij qui 456.
epheſios quis primùm docuerit 457.
epiſcopi quales ordinandi 486.
epiſcopi munus in quo conſiſtat 477.
epiſcopi excisis linguis adhuc loquuotur 573.
epiſtola in S. literis quid ſignificet 423.
epiſtolæ quædam cur Canonicæ vocentur 398.
epiſtola ad Romanos cur omnibus alijs præponatur 429. vndè ſcripta 430.
Eſaiæ ſanctitas & mors 225.
eſaias quis fuerit 224.
eſau cur Edom dictus 264. 170.
eſau quo modo genitus 101.
eſdras quid ſignificet 159.
eſdras quis fuerit 158.
eſdras ſcripturæ ſacræ reparator 9. 87. 92.
eſdræ librorum quis Author 159. 160. 161.
eſdræ qui libri ab eccleſia reiecti 34.
Ethnicorum ſcriptis vſus Apoſtolus Paulus 545.
Euangelij dignitas 318.
euangelij appellationes 318.
euangelij definitio ibid.
euangeliſtarum ſcripta vndè fidem Euãgelij habeant 326.
euangeliſtarum diſſenſio 325.
euangeliſtas concordandi regula 326.
euangeliſtarum quatuor myſterium 322.
euangelia quot ſint, & quæ ibidèm 321.
euangelia vbì, quandò, & quibus literis edita ibidèm, & cur conſcripta 320.
euangeliũ quodq; quæ præcipuè ſpectanda proponat 320.
euangelij virtus in quo ibidèm.
euangelij finis & caput ibid.
euangeliſtarum conſenſus 325.
euangelij Matthæi inſcriptio 327. & quandò editum ibidèm, & 328.
euangelium quæ bona nunciet 319.
euangeliorum harmonia 361. & ſeq.
euangeliſtæ qui 321. eorundem typi 323.
euangelia ab Hæreticis corrupta 30.
euangelia Apocrypha 5.
euchariſtia quid 678.
euchariſtiæ inſtitutio 351.
de Euchariſtia quæ credenda ſint 704.
euchariſtiæ conſeruatio 704. adoratio & deportatio ibidèm.
eutychianæ hæreſis perturbatio 570. 571.
Excommunicatio 441.
excommunicationis grauitas 706. 710.
exbortationes ad S. ſcripturæ ſtudium 81.
exodus vndè dicta 108. 626.
exploratorum populi Iſraelitici numerus & ordo 125.
extrema Vnctio 679.
extremã Vnctionem Sacramentum eſſe 707.
Ezechiæ Regis amici pſalmos ſelegerunt 29.
ezechiæ vita quot annos prorogata 151.
ezechiel quis fuerit 247.
ezechielis interpretatio ibid. mors 248.
ezechielis prophetiæ difficultas 248.
ezechielis viſio de animalibus quatuor, quid denotet 324.
ezechielis ſcripta quæ interciderint 29.

FAmæ honeſtæ acquiſitio & conſeruatio 203.
familiam gubernandi prudentia 201.
Feliciana hæreſis 595.
felicitas regni Iſraelitici 240.
felicitas vera in quo ſita 383.
feſta veteris legis 120.
feſtum Purificationis B. virginis quandò inſtitutum 579.
Fides Catholica duobus potiſsimùm erroribus obſcuratur 644.
fidei Catholicæ regulæ aliquot 703.
fidei Catholicæ laudes 651.
fidei effectus 643.
fidei deſcriptio 640.
fidei definitionis explicatio 640. & 641.
fidei Chriſtianæ & antiquæ conuenientia ibidèm.
fidei partitio 642.
fidei noſtræ à Dæmonum diſtinctio ibidèm.
fides quid 689. eius partes & actus ibid.
fidei neceſsitas 639. etymologia & ſignificatio ibidèm. 41.
fidei propria opera ad ſalutem neceſſaria 604.
fidei alienæ vis & efficacia 363.
fidei nouitiæ conſutatio 647.
fidei datæ violatorum pœna 301.
fides ſpecialis 709.
fidei ſpecialis euerſio 641.
fidem ſine operibus non iuſtificare 644.
fides ſpecialis temeritas eſt 705.
fides perſeuerantiæ exploditur 648. 649.
fidem operibus probari 469.
fides ſine operibus mortua 642.
fides & ſpes iuſtificans 661.
fides nuda non requiritur in Chriſtiano 458.
fides ſola ad impij iuſtificationem non ſufficit 705.
fides vt iuſtificet 662.
fidem mortali peccato non tolli 707.
fiducia quid 640.
fiducia in Deum 201.
filiorum munus 460. 468.
finalis cauſa ſacræ Scripturæ quæ & quotuplex 12. 10.
finis Theologis qualis 75.
finis omnium cauſa 183.
Formalis cauſa ſacræ ſcripturæ in quibus ſita 10. 12.
fornicatio 202.
fortitudinis definitio 688. partes, ibidèm.
S. Franciſcus 610.
fructus multiplices S. ſcripturæ 14.

GAlatæ qui dicantur 451.
galli cur Galatæ aliquandò dicti 451.
gallorum rex religionem ingreditur 590. 591.

gallorum reges nũquàm à fide catholica diſceſſiſſe 574.
Geneſis vndè dicta, quandò ſcripta 94.
geneſis libri dignitas 107.
geneſis ſummaria explicatio 95.
gentilium ſcriptorum à S. ſcriptura differentia 13.
gentilium authorum contemptus 13.
gentilium ſcripta quatenùs admittenda 69.
gentes conuerſæ quid Iudæis exprobrârint 430.
geographiæ vſus 71.
geometriæ vtilitas 70.
Godefridus rex Hieroſolymitanorum 603.
gog & Magog quid ſignificent 610.
gothorum rex vt Chriſtianos afflixerit 578.
Gradus ad veram ſapientiam perueniendi qui ſint 61.
græciſmus quandò viguerit 310.
græcorum defectio 588.
grammaticæ officium quodnam 69.
gratiæ diuinæ ſigna 650.651.
gratitudo 202.
gregorij 7. papæ ſanctitas 597.
gregorius papa quot erexerit monaſteria 580.
Gulæ definitio eiuſq; filiæ 699.

HAgiographa quædam quò referenda 27.
hagiographa quæ Hebręis ſint 16.
hagiographa quę & cur ſic dicta 18.22.
hęreſis quæ ſint cauſæ 531.54.
hæretici qui dicuntur 706.
hæreſibus recentibus vt occurrendum ſit 713. 714.
hæreſum extirpandarum ratio optima 713.
hęretici vitandi 486.
hęretici quorum olìm ſcripta reiecta ſunt 38.
hæretici quibus rebus comparentur 546.
hæretici quinam dubitent an S. ſcriptura ſit 4.
hæretici qui partem noui teſtamenti ſolum recipiant 4.
hæreticorum libri non retinendi 39.
hæreticorum mores & vita 531.
hęreticis ne Aue quidem dicendum 542.
Hebręi qui ſint 490.
hebræis quot literæ, tot ſunt libri 16.
hebręa quædam verba cur non translata 71.
hebraicarum literarum interpretatio 237.
hebræis quæ Apocrypha vocentur 16.19.29.
hebręis qui Apocryphi, ex his nonnulli authentici eſſe probantur 20.
hebręi quid legis nomine compræhendant 16.
hebręi vndè dicti 311.
hebręorum canon quot & quos complectatur libros 16.
hebręorum epiſtolæ author 490.
heliodorꝰ quomodò & cur diuinitùs correptus 298.
heliſæus vbì ſepultus 263.
helkeſæus quis fuerit 268.
henrici Quinti Imp. renunciatio 607.
heraclius crucem Domini recuperat 581.
heraclius Coſdroam fugauit 582. occidit 584.
heraclius in hęreſim prolabitur 585.
heſter libri quis author 166.
Hieremię parentes, natiuitas 231. mors 238.
hieremię libri concremati 232.
hieremię epiſtola à Catholicis quibuſdam reijcitur 21.
hieronymi translatio qualis 65.
hieronymi querela in eos qui S. ſcripturę facilitatem prætendunt 51.
hieroſolymitanorũ regis ſecundi ſucceſſus 605.
hieroſolymitanus rex primus 603.
hieroſolymitani patriarchę vaticinium de Saracenorum ſtrage 606.
hieruſalem quandò Saracenis erepta 601.603.
hieruſalem capta à Saladino 608.
S. hiſtorię vtilitas, & quomodò legenda 134.
hiſtoria ſacra quot conſtet libris 135.
hiſtoriæ ſacrę ſumma 135.
hiſtoria adulterę in dubium vocatur 31.
hiſtoriæ cognitio quàm neceſſaria 71.
hiſtoriæ ſacrę partes 618.
hiſtorica Theologia quibus libris abſoluatur 8.
hiſtorica S. ſcripturę interpretatio quę 55.
Homo cur à Deo creatus 661.
holophernis hiſtoria 168.
hominis lapſus & mors 661.
hoſtia pacifica quæ olim fuerit 681.
hoſtia pro peccato quæ dicta 681. quid ſignet ibidèm.
holocauſtum quid ſit & quid ſignârit 681.
Hugonis deſcriptio S. ſcripturę 8.
humana lex quæ ſit 85.
humilitas 201.350.
humilitas Chriſti 333.
hunnorum perſecutio 572.573.
Hypocriſis remedium 350.
hymnus quid ſit 173. & 174.
IAcob quomodò genitus 101.
iacob hiſtoria 103.
iacob vndè dictus 104.
iacob quot filios habuerit & quos 304.
iacob appellatus Iſrael, & vt imitandus 104.
iacobi epiſtolæ author 508.
iacobi epiſtolam qui contemnant 4.
iacobi epiſtola Lutero ſtraminea fuit ibidèm.
iacobus apoſtolus quis fuerit 509.
Idumęi vndè dicti 264.170.
Ieiunium triplex 694.
ieiunâſſe filios Iſrael ſtato tempore 278.
ieiunium quo pacto inſtituendum 383. eius vis 388.
ieroboam impietas 153.
ieſu nomen quotiès à B. Paulo vſurpatum 506.
Imagines ſanctorum venerandas 708.710.
impedimenta vitæ ęternæ 362.
imprudentiæ ſpecies 687.
Indulgentiarum vſus 707.
iofantię Saluatoris liber apocryphus 5.
infernus inſatiabilis 186.
inferni deſcriptio 701.
infidelitatis ſpecies 689.
ingratitudo 202.
iniuſtitię partes 687.
inſpiratio diuina quot modis fiat 206.
inſtitutio Principis 139.
inſtitutio Chriſtiani hominis 671.
inſtrumentales cauſæ S. ſcripturæ quot ſint 10.
inſtrumentum cur dicatur S. lex 7.
inſtrumentum diſtinctius quàm teſtamentũ 7.
inſtrumentorum muſicorum nomina 175.

intemperantiæ ſpecies 688.
inuidiæ definitio,& filiæ 699.
Iob quid notet 171.
iob amici improbos ſolûm in hac vita affligi volebant 171.
iob libri quis author 170.
iob quis fuerit ibidèm.
iohannes antipapa 596.
ioannis epiſtolæ duæ poſteriores num authenticæ 540.
ioannis Baptiſtæ mors 36e.
ioannes Baptiſta vbì ſepultus ſit e63.
ioanoie Damaſceni diuiſio librorum veteris teſtamenti ſecundùm argumenta e2.
ioannis Damaſceni partitio veterie teſtamẽti e3.
ioannie Euãgeliſtæ cap.8.in dubium vertitur 31.
ioannis Euãgeliſtæ origo 352.vita, dignitas ibid. miracula,mors 353.
iohel quis fuerit e60.
ionę origo 264.
ionathę Machabęi geſta 296.
ioſeph hiſtoria 105. vt imitandus 106.
ioſeph & Chriſti comparatio 106.
ioſiæ regie laus 151.
ioſua quæ regna ſubuerterit 138.
ioſuæ liber cur ità dictue 136.
ioſue quis & qualis fuerit ibidèm.
ioſuę libri author quis ibid. eiue quæ ſint partes 137.
ionie Ammonie templum à quo dirutum 167.
Iræ remedium 351.
iræ definitio eiuſq; filiæ 699.
Iſaac vndè dictus 10e.
iſaac hiſtoria 101.
iſraelitici regni felicitas 240.
iſraelitici populi diſtributio 181.
iſraelitarum ingreſſus in terram ſanctam 137.
iſraelitici populi manſiones 1e8. præſidia 1e9.
iſraelitarum gubernãdi modus quotuplex 140.
iſraelitici regni exterminatio vndè facta 149.
iſidori iudicium de S.ſcripturæ vario fructu 67.
Italia maior Græcia aliquandò vocata 451.
itinerarium D.Petri 5.
Iudęi vndè dicti 311.
iudęi conuerſi quid gẽtibus cõuerſis obiecerint 430.
iudęi proſelyti 5e0.
iudaicę reipub. forma prima 141.619.ſecũda 143. 619.tertia 158.6e0,quarta 6e1.
iudaiſmus quãdò cœperit,eiuſdemq; diuiſio 310
iudę epiſtola an canonica 545.
iudęorum error de prophetis e14.
iudęorum erga libros ſuoe reuerentia 34.
iudęoe pręter omnes gẽtes veram fidem habuiſſe 310.
iudęorum inſignis laus 311.
iudęi quot annis ſub regibus gentium fuerint 30c.
iudę Machabęi geſta e95.& 300.
iudęorum obiectio contra librum Tobię 164.
iudæorum error de interitu vnctionis Regum ſuorum 301.
iudæorum cæcitas quibus parabolis ſignificetur 335.
iudęorum duces & iudices 305. Reges 306. Pontifices 307.
iudæi exorciſtæ lacerantur à dæmone 413.
iudæi quandò ad Chriſtum redituri 257.
iudęi nouum teſtamentum reijciunt 4.
iudęorum reges alienigenæ 308.
iudęi Chriſtum quo modo expectent 279.
iudicat filius Dei, non pater 357.
iudicee veteris Legis quo modo regnârint 618.
iudicij extremi forma 611.
iudicialia pręcepta quę 112.
iudices veteris legis cur in reges tranſlati ſint 145.
iudices Hebræorum 305.
iudicij diem ſolicitè expectandum 373.
iudicij extremi ſigna 474.
iudicium extremum 708.
iudicium Chriſti quale ſit 333.
iudicium triplex 701.
iudicium temerarium vitandum 383.
iudicum quis numerus,ordo & imperium 141.
iudicum liber vndè ſic dictus, quis eius author, quod argumentum 140.
iudicum veteris legie poteſtas quæ 141.
iudith libri quis author, & num authenticus ſit 166.
iudith commendatio 167.
iudith viduitatis obſeruans 168.
iunilij ſententia de vtriuſque teſtamenti dictionis ſpecie 33.
iunilij ſententia de vtriuſq; teſtamenti differentia 33.
iuſtinus Imp. Arrianę perfidię hoſtie 575.
iuſtinianue vt ex hac vita migrârit 576.
iuſtiniaoi opera Vandali in Aphrica extincti 573.
iuſtitia 201.
iuſtitiæ Chriſtianę pręcipua opera 694.
iuſtitię moralis definitio 687.
iuſto vt lex non ſit impoſita 478.
iuſti cur interdùm patiantur e89.
iuſti dum affliguntur,quid pio conſiderandum 289.
iuuenum officia 202.

LAmentationum Hieremiæ myſtica interpretatio 136.
laodicenſe concilium quos libros prætermiſerit 36.
latinorum partitio vtriuſque teſtamenti 25.
laodicenſis epiſtola 424.
Lectio ſacrę ſcripturæ fonti aſsimilatur 44.
legis antiquę pręſtaotia 500.
legis antiquæ onera deponenda 267.
legis diuiſio 85.
legum diuerſitas à tempore ſumpta 90.
legis nomine qui libri ab Hebræis cenſeantur 16.
legis nouæ ſucceſsio 315.
legis nouæ ſuauia conſilia 267.
legie ſcriptæ cauſa 4e.
leo papa III. à quibus in carcerem miſſus fuerit 595.
leuitarum conſecratio,officium,numerus,& victus 124.
leuiticus quid ſignet 115. quę complectatur 116.
leuticiue diſcipulue diaboli 37.
lex vetue cur infirma & clauſa 7.
lex quomodò data fuerit 91.
lex vt iuſto non eſt impoſita 478.

lex Pentateuchus appellatur 18.
Libatio quid propriè dicatur 117.
liberalitas 201.
liberalitas Chriſti 333.
liber Domini quis dicatur 7.
liberorum educatio 202.
libertas Euangelica vera quæ ſit 706.
libertatem peccantibus qui promittant 531.
libertatis ſpiritûs in carnis libertatem cõuerſio 435.
liberum arbitrium 709.705.
libri gentilium cauendi 13.
libri nonnulli S.ſcripturæ interiêrunt 15.
libri ſacri cur interierint 29.
libri ooni teſtamenti qui & cur vitiati 30.
libri noui Teſtamenti qui in dubium vocentur 31.
liber vitæ quis ſit & quotuplex 7.
libri Magorum exuſti 438.
librorum veteris teſtamenti in ordine varietas 27.
librorum veteris teſtamenti interitos 28.
librorum veteris teſtamenti in numero varietas 26.
librorum ooui teſtamenti diſtinctio 31.32.
librorum veteris teſtamenti partitio 19.
librorum noui teſtamenti ordo 30.
librorum ſacrorum quis vſus 35.
linguarum cognitio Theologo neceſſaria 71.
lingua curialis 201.
lingua coërcenda 515.
literarum vtilitas 70.
Longobardorum imperij finis 592.
longobardos quis fugârit 579.
loquacitatis remedium 515.
loiharius ab Innocentio coronatus 608.
louanienſis Academiæ confeſsio catholica 708.
Lucæ Euangelij quis author 344.
lucas quis & qualis fuerit 344. & quo tempore Euangelium ſcripſerit 345.
lucę Euangelium qui tantùm admittant 4.
S.luciani verſio 65.
luteri dictum de fide ſpeciali 648.
lutero Iacobi epiſtola ſtraminea habetur 4.
luterus Moiſen reijcit 4.
luterus cur Machabæorum libros neget canonicos 4.
luxuria quid,& quę eius filię 699.
MAcedoniana hęreſis 569. 570.
macedonici Regni diuiſio 600.
machabæorũ hiſtoriæ quis Author 290.
machabęorum libros cur exibilet Luterus 4.
machabæorum qui libri Apocryphi 34.
machabæorum hiſtoria quandò geſta 285.an authentica 286.
machabęorum fratrum nomina 286. eorũ corpora vbi ſeruentur ibid.
machabęorum myſtica interpretatio 286.
magorum libri cremati 438.
mahumetiſmus diſſectus 586.
mahumet nouę ſectę inueotor.585.
mahumetani vtrunque teſtamentum contaminârunt 4.
malachias quis fuerit 281.
malachiam angelum fuiſſe quis putârit ibidèm.
malachias prophetarum vltimus 17.
malachim volumen 147.
malorum pœnę 701.
malum omne vndè procedat 697.
manaſſę impietas 225.
manichęi totum vetus teſtamentũ eliminant 4.
manichęi quibus vtantur Euangelijs 37.
manſionum numerus & ordo 128.
marci Euangeliſtę caput 16.in dubium venit 31.
marcion ſolum Lucæ Euaogelium amplectitur 4.
marcion epiſtolas ad Timoth. Titum & Hebręos canonicas negat 4, iteoi Iacobi epiſtolam ibidèm.
marcionis hęreſis 533.316.
marcioniſtarum error de epiſtola ad Epheſios 456.
marcus quid interpreietur 337.
marci euangelium quo authore editom 337.
marcus quis fuerit, & vbi Euangelium ſcripſerit 338.
marci Euangelium cur tam paucos habeat enarratores 339.
martiorum officium 460.468.
martinus papa 588.
matathiæ geſta 294.
materia multiplex S.ſcripturæ 11.
materialis cauſa S.ſcripturæ 10.
matthęi Euangelium tantùm qui admittant 4.
matthęus cur Euangelium ſuum ſcripſerit 328.
matrimonij gemina conſideratio 679.
matrimonij indiſſolubilitas 389.
matrimonij vinculum indiſſolubile 707.710.
matrimonium quarè inſtitutum 706.
matrimonio cęlibatus præfertur 367.
Mena in Aothimi hæretici locum ſubſtituitur 577.
meſsiæ vèturi certa ſigna 329. ac ſingulorum declaratio 330.& ſequens.
Michęas quis fuerit 266.
miniſtrorum Eccleſiæ officia 32.
miraculorum quodnam potentiſsimum 43.
miraculorum ex Actis Apoſtolorũ ſumma 418.
miſericordia quid ſit 694.
miſericordiæ virtus 363.
miſericordiæ opera duplicia 694.
miſſa quid ſit 682.
miſſę diſtinctio à crucis hoſtia 682.
miſſę ſacrificium quibus conferat 682.
miſſę catholicæ partes 683.
miſſę cęremoniæ 684.ritus 685.
miſſam pro mortuis offerri Apoſtoli docuerunt 708.
miſſa pro quibus rebus celebranda 705.
miſſa priuata 705.
miſſę ſacrificium quibos proſit 704.
Modeſtia ſeruanda 202.
modus quis perdiſcendę ſacrę ſcripturæ 74.
monaſteriorum inſtitutio 580.
monaſticam vitam reges eligunt 590.
montani error 214.
moralia pręcepta quę dicantur 111.
mortale peccatum quod ſit 698.
mortem qualis pręparatio pręcedere debet 203.
mortis recordatio amara 203.
mors quadruplex,eiuſq; defioitio 701.
mortuos Miſſę ſacrificio,& viuorum pijs operibus

bus iuuari poſſe 708.
mortuorum tria genera 708.
mortuorum purgatas animas non dormire vſq; ad iudicij diem 708.
moiſis origo, mors, & laus 93.
moiſes quos reges debellârit 138.
moiſes vndè dictus, eiusq; varię appellationes 92.
moiſes inſtrumentum ſpiritûs ſancti 10.
moiſis Pentateuchus quibus deſignetur 92.
moiſen reijcit Luterus 4.
Mulier bona & mala 202.
mulieri docendi prouincia negata 478.
mulierum amor inexplebilis 186.
mnlierum officia 524.
muodi interitum quę ſigna pręcedent 373.
mundi vanitas in quo ſita 190.
muſicę vtilitas 70.
Myſtica S. ſcripturę explicatio quotuplex 55.
NAdab filij Aaron punitio 118.
Nahum quis ſuerit 268.
Narſes Patricius Roma. Totilam Regem Gothorum ſtrauit 579.
Nehemię ſignificatio 160.
nehemias quis fuerit ibidèm.
neſtorij ſomnium 571.
Nicodemi Euangelium apocryphum 5.
nicopolis vrbs 485.
niniuę ciuitatis comminationes 265. & 269.
Noę ſignificatio 98.
non omnia ſcriptis tradita 44.
ootarij vndè dicti 70.
nouę legis ſuauia conſilia 267.
noui teſtamenti diuiſio 547.
Numerorum liber vndè dictus 617.
oumerorum liber quid ſignificet, eiusq; diuiſio 121.
nomerus de oouo genitorum in deſerto 127.
numerus librorum veteris teſtamenti 34.
numerus librorum veteris teſtamẽti varius 26.
OBlatorum numerus & ordo in veteri lege 123.
oblatio quid ſit propriè 117.
Ocij remedium 350.
ocioſi verbi reddendam eſſe rationem 364.
Ode quid 174.
Oeconomiæ diſtributio 2.
œconomię methodus quę ſit 84.
œconomia S. ſcripturę quę ſit 2.
Oneſimus quis fuerit 487.
Opera propria fidei ad ſalutem neceſſaria 604.
opera ad ſalutem neceſſaria 646.
operis diuiſio 2.
operum bonorum triplex genns 694.
operum ſpiritualium fructus 695.
Orandi ritus 478.
oratio quid 174. 181. 694.
oratio vt efficax ſit quę requirat 371.
oratio quo modo fundẽda 383. eius vis 386. 388. 391. 392.
orationes afflictorum cur non ſemper exaudiãtur 289.
orationis Dominicæ partes 675.
ordinis librorum veteris Teſtamenti diuerſitas 27.
ordinum Eccleſiaſticorum diuiſio 705.
ordo legendę S. ſcripturæ quis 73.
ordo librorum noui Teſtamenti 30.
S. ordo quid 679. 705. eiusq; gradus 705.
orientales de Apocalypſi dubitaot 33.
origenis iudicium de librorum quorundam interitu 29.
origenis error de Malachia 281.
originale peccatum quodnam ſit 698.
Oſeę origo 256. mors 257.
PArabolæ Euangelicæ 364. 368. 369. 371. 372. 373.
parabolæ quid ſint 186.
paralipomenoo & Regum librorum differentia 155.
paralipomenoo quid ſignificet, quis author, q̃d argumentum ibidèm.
paralipomenon Hebręis vnus eſt liber 16. 18.
parentum officium 460. 468.
pariſienſis academia à quo inſtituta 594.
pariſienſis Academię confeſsio 711.
parœmia quid 186.
paſtoris officium 478.
paſtoris veri cooditiones 387.
paſtoribus obtemperaodum 443.
patientia 418. 201. 446.
patientia Chriſti 360.
S. patres inſtrumenta ſpiritûs ſancti 10.
patribus quatenùs habenda fides 38.
patriarchę Hieroſolymitani vaticinium de Saracenorum ſtrage 606.
patrumfamiliâs inſtitutio 202.
paulinarum epiſtolarum numerus 423. eiuſdem ratio 424. quandò editę 425. vtilitas 428.
pauli epiſtolam ad Timotheum, Titum & Hebræos qui reijciant 4.
pauli Apoſtoli tituli 420.
pauli nomen 420. origo 421.
paulum anteà pręfiguratum eſſe ibid.
pauli miracula ibid. mors 422. laus 421. 422. 427. 428.
pauli epiſtolas qui reijciant 4.
paulus quandò ſcribere inceperit 429.
paulus Ethnicorum ſcriptis vſus eſt 545.
Peccati definitio 698.
peccata omnia cauenda 208.
peccatorum alienorum exempla 700.
peccata in ſpiritum ſanctum quę ſint ibid.
peccata in cęlum clamantia ibid.
peccati deteſtatio 201.
peccatum triplex 698.
peccatorum alia partitio 698. 699.
peccatum omne vndè fluat 697.
peccatum adiaphorum quiddam eſſe, quidam dixêre 544.
pelagiana hęreſis 570.
pentateuchum quę res ſignificârint 92. quid tractet 94.
peregrinationes 710. 718.
perſarum Reges 308.
perſecutionum vtilitas 289. earum ad ſalutem neceſsitas ibid.
perſecutiooes quęnam proſint ibid.
perſecutionum quot genera 287. earundem cauſę 288.
perſecutiones Chriſtianorum 562. 563. 564. 565.
perſecutio piorum 287.

perſe-

perſeuerantiæ fides eliminatur 648.649.
perſonarum reſpectus cur pernicioſus 514.
petri Apoſtoli varia nomina 519.eiuſdem origo, vita,mors ibidèm.
petri miracola 520.
petri apocrypha quę ſint 520.
D.Petri itinerarium 5.
Phariſęorum notatur impietas 372.373.365.
philemonis epiſtolæ multiplex vtilitas 488.
philippenſes qui fuerint 461.laus eorum 462.
philippici Imp. impietas 589.
philoſophi infideles vt futura pręnũciârint 206.
philoſophię partes 622.
philoſophia quatenùs Catholicę fidei ſeruiat 69
phoca Gregorium Papam Mauricij metu liberat 580.
phyſicæ vtilitas 71.
Pietas erga parentes 201.
pietas doctrinę pręmittenda 183. & 186.
pigritiæ hoſtis ſtrenuitas 202.
pij ab impijs cur opprimuntur 270.
pipinus Gallorum rex 591.
Plato quid ſignificet 281.
Pœnę malorum 701.
pœnitentia 201.678.705.
pœnitentię partes quæ 516.
pœnitentię inſtituendæ admonitio 350.
poëticæ vtilitas 70.
pontificum Hebręorum numerus & ordo 307.
porphyrius Danielis librum reijcit 250 & 252.
Pręcepta decalogi 691.
pręceptorum diuiſio 111.114.
præcepta Eccleſiæ ſeruanda 706. 710.
pręcepta leuiora haud eſſe contemnenda 693.
pręceptorum diſtinctio 114.
prędeſtinationis vis immobilis 436.
prędeſtinationis argumenta 650. 651.
pręmia bonorum 702.
pręparatio ad mortem 203.
pręſidiorum populi Iſraelitici numerus & ordo 129.
præſtigiæ prohibita 202.
pręuaricantium in priſca lege numerus & ordo 126.
prophetę multiplices 213.
prophetę minores cur dicantur 253.eorum officia 255.
prophetę inſtrumenta ſpiritûs ſancti 10.
prophetę veri & falſi differentia 216.
prophetæ cuius inſtinctu locuti 214.cur pręmiſſi 215.
prophetarum ſcripta 157.
prophetarum ſcripta an omnia extent 219.
prophetarum oracula quo tẽpore & ordine edita 220.
prophetæ maiores & minores vndè dicti 223.
prophetę quo tempore vixerint 222.
prophetę maiores 623.minores 624.18.
prophetæ & vatis diſtinctio 214.
prophetæ priores quinam 18.
propheta quis & vndè dictus 211.
prophetę veri qui 212.eorum officia 215.
prophetarum lectio quę aduertenda iubeat 220.
prophetas poſt Chriſti aſcẽſionem extitiſſe 214.
prophetarum epilogus 284.
prophetia quid 206.
prophetiæ ſpiritus improbis ſubindè collatus 209.
prophetię finis 210.& 216.
prophetia quandò primùm cœperit 210.
prophetię gradus 210.
prophetię origo 206.eiusq́ varię diuiſiões 207. & 208.
prophetię à diuinatione diſtinctio 209.
prophetia linguarum dono melior 206.
propheticus ſpiritus in quo conſiſtat 209.
prophetiarum diuiſio 223.
prophetię poëticæ diuiſio 173.
principia ſubſtantialia S.ſcripturę 3.
proſelyti qui dicantur 520.
prouerbia morali philoſophię reſpondent 185.
prouerbiorum quis author 187.
prouerbiorum liber cur ſic dictus 186.
prouerbium quid 186.
prudentia Rempub.adminiſtrandi 201.
prudentia familiam gubernandi 201.
prudentię definitio 687.partes ibidèm.
prudentia propria non nitendum 203.
prudentię veræ & falſæ diſtinctio 202.
Pſalmus quid 173.174.& 181.
pſalmi quandò cœpti cantari 179.
pſalmi & cantici diſtinctio 190.
pſalmorum variæ inſcriptionis explicatio 183.
pſalmorum virtus & laus 184.
pſalmorum lectio quot & quæ habeat conſideranda 182.
pſalmodus quis 174.
pſalmorum numerus quatenùs imminutus 29.
pſalmorum liber theſaurus doctrinę Chriſtianę 179.
pſalmorum numerus,eiusq́ myſteria 180.
pſalmorum author quis 176. 177.178.
pſalmos qui ſelegerint 29.
pſallendi tempus & ordo à quo inſtitutus 178.
pſalterij varia nomina 175.
pſalterij figura 175.
pſalterium propriè quid 176.
pſalterij author 17.
pſalterij & citharæ differentia 174.
pſalterium cur ſoliloquiorum liber dictum 173.
pſaltes quis dicatur 174.
pſaltodus quis ſit 174.
pſeudoapoſtoli qui 403.
pſeudoapoſtoli cur ſæuire permittantur 403.
pſeudoprophetarum enumeratio 217.
pſeudoprophetas cur permittat Deus 217.
pſeudoprophetæ & veri prophetæ differẽtia 218.
pſeudoprophetarum notæ & pœnæ 218.
pſeudoprophetę qui,eorumq́ origo 216.
Ptolemęi varij 308.
Pugnantium in veteri lege numerus & ordo 122.
purgatorium agnouiſſe apoſtolos 708.711.
purificationis leges 119.
purificationis B.virginis feſtum quandò inſtitutum 579.

Echabitarum obedientia in non bibendo vino 134.
reges Hebræorum 306.
reges Iudęorum alienigenæ 308.
reges qui religionem ingreſſi ſunt 590.
regna quæ contra Eccleſiam dimicârunt 600.
regnum Dauid cur diuiſum 148.

regnum Chriſti quals ſit 334.
regum libri cur ita appellati, quis eorũ author, & quod argumentum 143.
regum Iſrael nomina 254.
regum epitome qui perpetuò Iudæos affixerũt 291.
regum librorum diſtinctio 144.
reipub. Iudaicæ forma prima 141. ſecunda 143. tertia 158.
religionem ingreſsi reges qui 590.
religionis mutatio quàm noxia 585.
religionis quę ſumma 613.
religionis mutatio periculoſa 450.
religionum varietas ante Chriſti ortum 310.
reliquias ſanctorum honorandas 708.
remedia contra mortis metum 203.
remedia contra 7. peccata capitalia 676.
rempub. adminiſtrandi prudentia 201.
repudij libellus reprobatur 342.
reſurrectionis Dominicę prophetiæ 336.
reſurrectionis probatio 443.
reſurrectio Chriſti 351.
reuelatio origo ſacræ ſcripturæ 6.
Rhetorica quatenùs vtilis 70.
Roboam author ſciſsi regni Iſraelitici 148. 150.
romę vrbis obſidio 578.
romani Cęſares cum quib⁹ Hebręis res fuit 309.
romanum imperium quandò ad fidem conuerſum 280.
Ruth liber cur ſic dictus 142.
ruth cuius typum geſſerit ibidèm.
ruth libri quis author, quod argumentum, quæ partes 142.
SAcra ſtudia capeſſenda eſſe 81.
ſacra ſcriptura cur homili ſtylo edita 13.
ſacrę ſcripturæ quis vſus 35.
ſacrę ſcripturę lectio Theſauro comparatur 44.
ſacrorum ſtudiorum quis finis 75.
S. ſcripturam interpretandi poteſtas penès quos 60.
S. ſcripturę certitudo quibus conſtet 43.
S. ſcripturę cur traditę 42.
S. ſcriptura quid ſonet 7.
S. ſcripturę iudicium quibus regulis contineatur 40.
S. ſcriptura an philoſophia ſit 45.
S. ſcripturæ duplex definitio 6.
S. ſcripturę definitio propria quotuplex 8.
S. ſcriptura explicita quę 8.
S. ſcriptura implicita 8.
S. ſcripturę variæ appellationes 6.
S. ſcripturę materialis cauſa quotuplex 10.
S. ſcripturæ principalis cauſa quæ 10.
S. ſcripturę cauſę inſtrumentales quæ 10.
S. ſcripturæ origo duplex 6.
S. ſcripturæ interpretatio num licita 53. & quarè 54.
S. ſcripturæ deſcriptio 8.
S. ſcripturæ verus vſus in quo lateat 14.
S. ſcripturæ authoritas quanta 46.
S. ſcripturę obſcuritas vndè profecta 47. & ſeq.
S. ſcripturæ reuelatæ gradus quot ſint 9.
S. ſcripturæ vis in quibus conſiſtat 14.
S. ſcripturę ſenſus quotuplex 55.
S. ſcripturę omnia compræhenduot 44.
S. ſcripturę materia varia 11.
S. ſcripturæ interpretationis variæ diuiſiones 56. 57. 58. & 59.
S. ſcripturæ poteſtas in quo ſita 14.
S. ſcripturę à gentilium prophanis literis diſtinctio 13.
S. ſcripturæ nomine quę propriè contineãtur 5.
S. ſcripturam qui prorſus reijciant 4.
S. ſcripturæ principia naturalia q̃ & quot ſint 3.
S. ſcripturæ generalis diſtributio 3.
S. ſcripturę laus vndè ſpectanda 77. 78. 79.
S. ſcripturę dignitas 77. authoritas 78. Eloquentia 80.
S. ſcriptura quas & quot habeat circunſtantias 3.
S. ſcriptura vndè facilior euadat 66. 52.
S. ſcripturæ quot ſint proprietates 5.
S. ſcriptura an ſit, hæretici quidam ambigunt 4.
S. ſcripturæ finis quotuplex 10.
S. ſcripturę legendæ modus 73.
S. ſcripturæ retinendę modus 74.
S. ſcripturę libri omnes quot modis differãt inter ſe 19.
S. ſcripturę vſus eccleſiaſticus 663.
S. ſcripturę varij effectus 14.
S. ſcripturę fructus multiplex 14. 76. 79. 67.
S. ſcripturas interpretandi quis modus 61. 62. 63. & 64. regulæ 62. 63. 64.
S. ſcripturę cauſę quotuplices 10.
ſacerdotibus antiquę legis vinum interdictum 118.
ſacerdotum poteſtas & authoritas 159.
ſacerdotum ſummorũ antiquæ legis ordo 192.
ſacerdotum improbitas haud nocet ſanę doctrinæ 373.
ſacramenta veteris legis quę dicebantur 677.
ſacramenta veteris legis quid à nouę legis differant ibidèm.
ſacramenta nouæ legis quę ſint ibidèm.
ſacramenta per quoſcunque miniſtros adminiſtrata, efficacia eſſe 703.
ſacramentorum numerus & ordo quam rationem habeat 680.
in ſacrificijs priſcę legis quę attendenda 117.
ſacrificia priſcę legis cur inſtituta 116.
ſacrificia veteris legis triplicia 681.
ſacrificia veteris legis quæ dicta 681.
ſaladini in Chriſtianos crudelitas 608.
ſalomon quid ſignet 185. & 188.
ſalomon prophetauit 185.
ſalomõ de omnibus rebus diſputauit 186. & 187.
ſalomonis hiſtoria 156. 185.
ſalomonis ſcripta quæ deſiderentur 29.
ſalomonis ſtatus deſcriptio 148.
ſamaritiſmus quandò ortus, eiuſq; diuiſio 310. 154.
ſamariæ regnum quandò finitum 154.
ſamaritanæ mulieris viri quid ſigneot 90.
ſamuelis voluminis quis author 144.
ſamius Pythagoras 221.
ſanitas corporalis vt tuenda 203.
ſapientia Chriſti 359.
ſapientia Salomonis propheticis libris non annumeratur 22.
ſapientia ſecularis Chriſti doctrina euacuatur 13.
ſapientię libri quis author 193. an authenticus 194.
ſapientiæ origo & præſtantia 197.
ſapientiæ ſtudioſo quę requirantur 197.
ſapientię fructus 197.

ſapientię

ſapientiæ laus 200.
ſapientiæ liber cur ita dictus 193.
ſapientiæ liber à nonnullis Philoni Iudęo aſſeribitur 18.
ſapientiæ libri quis author 185. & quandò ſcriptus 292.
ſapientiam à Ieſu Sirach ſcriptã aſſeruit aliquãdò Auguſt. 23.
ſapientiam veram aſſequendi quot gradus 61.
ſapientum exempla 203.
ſaraceni vtrunque teſtamentum reijciunt 4.
ſaracenicæ ſectę impietas 600. diuiſio 601.
ſaraceniſmus grauiter attritus 598.
ſaracenorum clades à Chriſtianis illata 609.
ſaracenorum pontifex ſummus quis 586. 598.
ſaracenorum tyrannis in Chriſtianos 586.
ſatisfactio quid 678. 705.
ſaulis improbitas, eiuſdemq́ punitio 145.
ſaxones opera Caroli Mag. fidem ſuſcipiunt 594
Scandala vitanda 389.
ſcenofactoria ars 412.
ſcientię præmittenda pietas 183. & 186.
ſcholaſtica theologia quæ appelletur 2.
ſcythiſmus quandò viguerit 310.
Securitatis nimiæ remedium 350.
ſecuritas ſalutis nulla nobis 707.
ſeruorum officium 523. 460. 468. 486.
ſenum inſtitutio 486. 202.
ſeptuaginta interpretes Ptolemæo quis trãſmiſerit 293.
ſeptuaginta interpretum verſio 659.
ſergius Neſtorianus 586.
ſeuerus totum vetus teſtamentum contemnit 4
ſeuerus acta Apoſtolorum reſpuit 4.
ſeuerus omnes D. Pauli epiſtolas reijcit 4.
Signa gratiæ diuinæ 650. 651.
ſigna venturi Meſsiæ 330.
ſimonis Machabæi acta 297.
Societas honeſta 201.
ſolenniorum leges 120.
ſolitarij multi ſine libris vllis viuunt 14.
ſomnijs non fidendum 203.
ſomniorum augurium prohibitum 202.
ſophiſtica ars vitanda 70.
ſophoniæ origo 271.
ſophonias Hieremiæ contemporaneus 232.
Speculatio in quo ſita 12.
ſpei Chriſtianę quę vitia obſint 655.
ſperare quis dicatur 652.
ſpes in quo ſita 537. 538. 539.
ſpei verę ſcopus 653. neceſsitas 652.
ſpei gradus 654. effectus 654.
ſpes quid 689. quotuplex ſit ibid. 652.
ſpes à fide quid differat ibidèm.
ſperandarum rerum conditiones 702.
ſpiritus verè Apoſtolicus quis 370.
ſpiritus ex Deo qui ſint 217.
ſpiritûs ſancti dona 696.
ſpiritûs ſancti fructus 696.
ſpiritus ſanctus S. ſcripturæ principalis cauſa 10.
ſpiritûs opera 455. fructus 288.
Stupri crimen 203.
Summa librorum vtriuſq; teſtamenti 35.
ſummus pontifex D. Petri ſucceſſor 706.
ſuperbia deteſtanda 516.
ſuperbiæ definitio, eiuſq; filię 699.
ſuperbię remedium 350.
ſuperbos verum Euangelij ſenſum capere non poſſe 364.
ſuperſtitioſorum genera quot 68.
ſupputatio temporum vſque ad Chriſtum 310.
ſuſpicio fugienda 502.
Symboli ſignificatio 674.
ſymbolum Apoſtolorum 673.
ſynderesis quid 686.
ſymmachus qualis fuerit 65.
ſyriæ reges 309.
TAbernaculi veteris legis partes 501.
tabulę Decalogi 691.
taciturnitas 201.
tatianus nullam Pauli epiſtolam admittit 4.
Temperantię definitio 688. 202.
templorum direptor vt diuinitùs corripiatur 298.
temporum partitio 663. & ſeq.
temporum ſupputatio vſque ad Chriſtum 310.
tentationes homini ad ſalutem neceſſarias eſſe 289.
tentationum authores qui 288.
terrę S. diuiſio 139.
teſtamenti vtriuſque libri dictionis ſpecie quomodò differant 33.
teſtamentum cur dicatur 7.
teſtamenti vtriuſq; diuiſio vulgaris 25.
teſtamenti vtriuſque certitudinem vt probent Catholici 4.
teſtamenti diuiſio 86. 89.
teſtamenti veteris librorum ordo prior 15.
teſtamenti veteris librorum partitio 19.
teſtamenti veteris partitio ex D. Aug. 23.
teſtamenti veteris libri vt argumento differant inter ſe 22.
teſtamenti veteris libri vt tractatione differant 24.
teſtamenti veteris libri quomodò authoritate differant 19.
teſtamenti veteris libri cur ab Eccleſia retenti 87.
teſtamenti veteris ſignificatio 87.
teſtamenti veteris cum nouo conuenientia & vtriuſque diſtinctio 316. & 317.
teſtamenti veteris defectus 28.
teſtamentum vetus quęnam contineat 15.
teſtamentum vtrunque qui reijciant 4.
teſtamentum vetus qui omninò repudient 4.
teſtamenti noui librorum differentia 31. 32.
teſtamenti noui variæ appellationes 315.
teſtamenti noui ordo 30.
teſtamenti noui ſcripta vitiata 30.
teſtamentum nouum quæ tradat 15.
teſtamentum nouum cur ità nuncupatum 614.
Theodotionis verſio qualis 65.
theologia quid 8.
theologia ſcholaſtica quæ ſit 2.
theologiæ finis quis 75.
theologiæ principia cognitu neceſſaria 2.
theologię ſtudioſo quis modus ſeruãdus 67. 72.
theologiam hiſtoricam qui libri abſoluant 2.
theologicarum quęſtionum ſolutiones vndè petendæ 40.
theſſalonicenſes qui fuerint 469.
Timor Dei 201.

timotheus quis fuerit 476.& cur à D.Paulo circunciſus ibid.
titus quis fuerit 484.
Thomæ Euangelium Apocryphum 5.
Tobiæ liber an & cur habendus authéticus 164.
tobiæ ſtudium in mortuos 165.
tobiæ libri quis autbor 163.
tobias vt imitandus 165.
Tiaditio origo ſacræ ſcripturæ 6.
traditio quid ſit 67e.
traditiones 404.239.44.
traditiones Apoſtolicæ retinendæ 706.710.
tragœdia quid 226.
tribulatorum preces cur non ſemper exaudiantur e89.
tribulationes huius vitę vt breues ſint 374.
tribulationum varię cauſæ 688.
tribus Iſraeliticæ quæ & quot 122.
tribuum decem regnum quandò finitum 256.
tribuum partitio 301.
tribuum Iſrael authores qui 304.
triſtitia huiue mundi vt breuis ſit 374.
tropologica S.ſcripturę interpretatio quæ 55.
troporum vſus quis 70.
VAndalorum perſecutio 572.573.
vandalorum regnum quando deletum 573.
vanitas mundi in quibus ſita 190.
vatis & prophetæ diſtinctio e14.
Veniale peccatum quod ſit 698.
verbi diuini obſeruatio omnibus anteponenda 363.
verbi diuini diuiſio 672.
verborum omnis contumelia prohibita 202.
verbum breuiatum quod ſit 637.
verbum Dei quid ſit 672.7.
veteris legis in nouam mutatio 315.
vetus teſtamentum cur ſic dictum 614.
verecundia decora & indecora 203.
verecundię rectæ & confuſionis differentia 203.
veritas eo1.
veritatis laus 159.
veritatis prędicatiò odium & perſecutiones gignit 134.
vertiones variæ Bibliorum 65.
verſus, librorum vtriuſque teſtamēti tam ordinem quàm argumentum continentes 633.
Via lata ducens ad interitum 698.
vincentij Lirinēſis cenſura de S. ſcripturę interpretatione 54.
vindicta prohibita 202.
viduitatis exemplum Iudith 168.
vinum qui non biberint 234.
viſionum genera quot 214. 548.
Vocatum eſſe non ſatis eſt 544.
votorum leges 120.
votum caſtitatis non ſoluendum 707.
virginitas matrimonio pręferenda 441.
viri & vxorie legitima coniunctio 203.
virorum officium 468.460.
virtutes Cardinales cur ſic dictę 687.
virtutes acquiſitę aliquādò infulæ dicūtur 686.
virtutes infuſę 686.
virtutis definitio 686.
virtutum pręcipuę differentię 690.
virtutum generalis partitio 686.
virtutum Theologicarum vinculum 638.
virtus perfecta quę 686.
virtus imperfecta quæ ſit ibidèm.
virtus moralis quę ſit 686.
virtutes Theologicę cur Chriſtianis neceſſariæ 660.
viuendi benè formula 685.
vitæ humanæ tempora 663.& ſeq.
vitæ humanę miſeria,eiuſq́ remedia 203.
vitia quæ ſpei Chriſtianę officiunt 655.
ZAcharias quis fuerit e75.
zacharias plures extitiſſe ibidèm.

INDICIS IN OECONOMIAM SIVE PARTItiones Theologicas D. Georgij Ederi, Cæſareę Maieſtatis Conſiliarij, FINIS.

INDEX ALIVS IN EPITOMEN SEV TABVLAS CATECHISMI

Catholici Tridentini, per eundem D. Ederum Oeconomiæ ſuæ adiectas.

ABbatibus pleriſque minores ordines cõferre permiſſum 63.
abrabam patientiæ exemplum 114.
Accidentia ſine ſubiecto in V. Sacramento cohęrent 48.
acolytorum munus 61.
accuſatores quid obſeruare oporteat 89.
Aduerſæ res quibus modis vincendæ 118.
aduentus Chriſti triplex 17.
aduocati partes 89.
adulterium quid ſit 82
Amen quid deſignet 119. eiusq; fructus ibid.
amentes à communione prohibendi 44.
Articuli fidei vndè dicti 4.
Aſſcenſionis Chriſti cauſæ & commoda 16.
aſſentatores qui ſint 88.
BAptiſmi cæremoniæ 36. 37.
baptiſmi proprij miniſtri 33.
baptiſmi natura & ſubſtantia quæ ſit 31.
baptiſmi materia & forma 32.
baptiſmi fructus 35. 36.
baptiſmi à Confirmatione differentia 38.
baptiſmo nõ omne pœnarum genus tolli 35.
baptiſmus non iterandus 36.
baptizandorum qualitas & differentia 34.
baptizandos vt affectos eſſe oporteat 35.
baptizati, ab vno vel duobus ſuſcipiendi de Baptiſmo ibid. 33.
Blaſphemia ſcelus maximè deteſtandum 74.
Beatæ animæ dotes 53.
beatitudo duplex 55.
beatitudo vera quibus in rebus conſiſtat 55.
beatorum gloria 24.
berengariorum hæreſis 48.
CAedes quæ vetitæ 80.
cæremoniarum in Sacramẽtorum adminiſtratione vſus 30.
Character quid ſit 29.
Cibus ſpiritualis duplex 108.
chriſmatis ſignificatio 39.
Confirmandorum ætas 39.
confirmationis effectus 40. tempus ibidèm.
chriſti nomen quale ſit, quibusq; competit 9.
chriſti paſsio 11. mors & ſepultura 15.
chriſti munera præcipua ad decorandam Eccleſiam 17.
chriſti aduentus duo ſunt 17.
chriſti ad inferos deſcẽſus & aliorũ differẽtia 14.
chriſtus cur ſurrexerit 15.
chriſtiani hominis militia 113. 118.
chriſtianorum & infideliũ preces vt differãt 116.
clerici vndè appellati 61.
communio vtriuſq; ſpeciei cur antiquata ſit 44.
ad communionem ſacram præparatio 43.
communicandi variæ rationes 44.
communicandi tempus & ritus 44.
communionis ſacræ fructus 45.
concupiſcentia in Baptizatis non eſt peccatũ 35.
cõcupiſcentia ſtirps ac ſemen malorũ oĩm 92. 93.
concupiſcentiæ definitio 92.
concupiſcentia triplex, ibid.
concupiſcentiæ vitia 93.
concupiſcentiarum noxiarum remedia 93.
concupiſcentiæ incommoda ibidèm.
confeſsio quid ſit 52.
confeſsionis conditiones, ibidèm.
circunſtantiæ peccatorum in confeſsione aperiendæ 53.
ad confeſsionem quæ pertineant 53.
confeſsionis inſtitutio & miniſter, ibidèm.
confeſſarium quibus rebus præditum eſſe oporteat ibid.
confeſsionis vtilitas & neceſsitas 54.
confitentis cæremoniæ & mores 55.
confirmatio vndè dicta 38.
confirmationis & Baptiſmi differentia ibidèm.
confirmationis origo ibid. effectus 40.
confirmatio nunquàm iteranda 40.
confirmationis partes 39. ritus 40.
confirmandorum ætas 39.
coniugum officia 67.
coniugij bona 67.
coniugium vndè dictum 66.
conſecrationis forma 43.
contritio quid ſit 51.
contritio vera quæ requirat, ibidèm.
contritionis fructus ibidèm.
ad contritionem vt ſe quiſq; exercere poſsit 51.
corona tonſuræ primæ quid ſignificet 61.
Credendi actus quas habeat regulas 5.
credere quis dicatur 5.
Cultus verus vnius Dei 69.
cupiditatis vitia 92.
DAemon cur dicatur malus 118.
dæmon quibus rebus vincatur 115.
dæmon cur tẽtator in S. Literis dicat͂ 114.
Debitorum nomine in oratione Dominica quid ſignificetur 111.
decalogus ſumma eſt legum omnium 68.
in decalogo quæ ſint ſpectanda ibid.
dei cultus verus 69.
detrahendi peſtifera libido 88.
detractor quis dicatur ibidèm.
detractio quæ capitalior ibid.
deum laudandi varij modi 72.
deus 6.
deus cur pater dicatur 7.
deus in cælis quomodò eſſe dicatur 102.
Diaconi officium 62.
diuites quo pacto quotidianum panẽ petãt 109.
diuitibus neceſſaria Regula 109.
Dotes animæ beatæ 53.
ECcleſia Catholica qui excludantur 21.
eccleſię ſignificatio 20.
eccleſiæ à ſynagoga & alijs rebus publicis differentia ibidèm.
eccleſiæ diuiſio ibidèm.
eccleſia militans duo hominum genera com-

plectitur ibidèm.
eccleſiæ veræ ſigna ibidèm.
ecclſiæ Catholicæ variæ appellationes 20.
Euchariſtia cur inſtituta 40.
euchariſtia vt eſt ſacrificium 48.
euchariſtia quàm aptè ſub panis & vini ſpecie adminiſtretur 43.
in Euchariſtia veritas corporis & ſanguinis Chriſti 46.
euchariſtiæ varia nomina 41.
euchariſtiæ effectus 45.
euchariſtiam Sacrameotum eſſe 42.
euchariſtię à reliquis Sacramẽtis diſtinctio ibid.
euchariſtia quæ oobis indicet ibidèm.
euchariſtiæ materia quę ſit 42.
Exorciſtarum officium 61.
extrema vnctio vndè dicta 58.
ad extremam voctionem quę reqoiraorur 58.
extremæ vnctionis cæremoniæ 59.
extremam vnctiooem iterari poſſe ibidèm.
extremæ vnctionis fructus 60.
FEſti dies quomodò celebrandi 77.
feſti dies ſuot deliciæ Domini 76.
fidei aſſeoſus quæ depoſcat 5.
Fratres omnes ſuot fideles 101.
Furti oomine quæ peccata contioeantur 84.
furti quinam participes ſint 86.
furtorum genera 85.
furtorum excuſationes 87.
GRatia quid ſit 104.
gratiæ diuinæ præſtantia 27.
HAeretici Dæmoois emiſſarij ſunt 114.
Homicidia quæ probibita 80.
homicidio contrariæ virtutes 81.
homines omnes eſſe peccatores 110.
hoies quioã ab Eccleſia catholica excludãtur 21.
honorare qoid ſit 79.
hoſtes Chriſtiaoi nomiois 113.
Hypocriſis prorsùs repudianda 88.
IEſus quid ſignificet 9.
Jmaginum cultus 71.
Incarnationis Chriſti myſterium quo ſtudio recolendũm 11.
inferni ſignificatio multiplex 14.
infideles quomodò à malo liberari petant 116.
iniuriarum remiſsio 81.
iouocatio Sanctorum 70.
inuocatio Sanctorum qua ratione fiat 97.
Judicandi temeritas 88.
iudicij generalis oeceſsitas & cauſæ 18.
iudicium extremum 17.
iudicum officia 89.
iuramentum licitum & illicitum 72.
iuriſiurandi formulæ varię 73. genera duo ibid.
iurameotum licitum quæ requirat 73.
iuraturo quæ cooſideranda ibidèm.
iuramentũ aliquod licitum eſſe probatur ibid.
iuriſiurandi origo & finis ibid.
ioratioois falſæ genera 74.
iurantium falsò pœna 75.
LAudaodi Deum varij modi 72.
Lectoris prouincia 62.
legis obſeruatio neceſſaria 68.
legis obſeruatæ fructus ibid.
Libidinis remedia 83.
Luxuriæ remedia 83.
Luxuriæ peccatum turpiſsimum ibid.
MAndatorũ Dei obſeruatio neceſſaria 68.
mala quæ ſint deprecanda 117.
matrimonij ſignificatio 66.
matrimonij vſus quis 67.
matrimonij booa 67.
matrimonij vinculũ indiſſolubile ibid. 66.
matrimonij inſtituti cauſæ ibidèm.
Mendacium omne fugiendum 88.
mendaciorum incommoda 90.
mendaciorum excuſationes vitandæ ibid.
mendaces quo modo ſior admoneodi ibid.
mentientium excuſationes ibidèm.
metropolitani vndè dicti 63.
Militia Chriſtiani hominis 113. 118.
miſſę communes 48.
miſſæ ab Euchariſtię Sacramento diſtinctio 48.
miſſa quo modo in Sanctorũ bonorem fiat ibid.
miſſæ ſacrificium eſt propitiatorium, ibidèm.
Mors Chriſti 12.
NOmen Dei vt ſanctificari petamus 103.
Nuptiæ vodè appellatæ 66.
OBedientia erga Dei voluntarem 106.
Ocium maximè fugiendum 83.
Olei io Sacrameotis ſignificatio 58.
Oratio nuncia deſiderij ooſtri 102.
oratio quorum noo exaudiatur 96.
orationis modus 94. vtilitas 119. 95.
orationi quæ adijcienda ſint 99.
orationis aſsiduæ vis ibidèm.
orationis partes & gradus 96.
oratioois diuiſio 99.
orationum viæ quædam 98.
orationum fructum quæ impediant ibidèm.
orandi ratio quæ ſit 99.
orandus quiſnam ſit 97.
orandum pro quibus 97.
orandi oeceſsitas 94.
oranti quid cauendum 99.
orantes cum Deo colloquuntur 119.
orantibus quæ petenda ſiot 96.
ordinis ſignificatio 60.
ordinem eſſe Sacramentum, ibidèm.
ordinis ſacri effectus 65.
ordinandorum qualitas 64.
ordioũ ſacrorũ gradus, officia, & miniſter 63.
ordinibus ſacris qui excludantur 64.
ordioes minores qui conferre poſsinr 63.
ordioum numerus & gradus 61.
ordioes minores qui, ibidèm.
ordines ſacri maiores, ibidèm.
Oſtiarij cura 61.
PAois duplex 108.
panis & vini ſpecies in Euchariſtia quid ſignent 42.
panis quotidiani petendi cauſa 109.
paraſiti qui dicantur 88.
parentibus mortuis quæ officia rribuenda ibid.
parentes vt ſint booorandi 79.
paſsio Chriſti 11. eiusq; commoda 13.
paſsio Chriſti q̃ maximè cõſiderãda ꝓponat 13.
patientiæ ſingulare exemplum 114.
patres qui vocentur 79.
patriarchæ quot olìm fueriot 63.
patris oomen qua ratione Deo tribuatur 100.
patri cæleſti quid debeamus ibidèm.

patri-

pattrini cur in Baptiſmo adhibeantur 33.
patrinorum officium, numerus 33.
patronis quæ ſeruanda ſint 89.
Peccata eſſe voluntaria 111.
peccata remittendi poteſtas quibus conceſſa 21.
peccata venialia nõ neceſſariò confitẽda ſunt 53.
peccatorum veniã petentẽ q̃ facere oporteat 110.
peccatum in omnes homines cadere 110.
peccatum cur extremè deteſtandum 51.
peccatum quænam ſemper conſequantur 55.
peculatus quid 84.
peierantium pœna 75.
petenda quæ ſint 96.
petitores quid ſeruare debeant 89.
Plagiatus quid 84.
Pœna damnatorum duplex 17.
pœnitentia cur non omnem pœnam tollat 55.
pœnitentiæ multiplex ſignificatio 49.
pœnitentiæ gradus ibid.
pœnitẽtiç materia, forma, ei⁹q; Itegræ partes 50.
pœnitens verè, quænam ſibi proponat, ibidèm.
Præcepta ſecundæ tabulæ quid à primæ tabulæ præceptis differant 78.
præcepta Dei haud ſeruatu impoſsibilia 68.
præcepti primi tranſgreſſores 70.
præcepti 9. & 10. neceſsitas 92. & vt à ſe diſcrepẽt ibidèm.
p̄cepti tertij à cæteris differẽtia 75. partes 76. 77.
pręceptis duobus vltimis quæ ſint interdicta 92.
præparatio ad ſacram Synaxim 43.
prædicatio Regni cęleſtis 104.
Pueri infantes à communione prohibendi 44.
RApinarum varietas 85.
Regni cæleſtis prædicatio 104.
regni cæleſtis præſtantia qua Parabola ſignificetur 105.
regnum Dei quid ſit 104.
reliquiarum pia veneratio 70.
remedia aduerſus noxias concupiſcentias 93.
remedia quibus vincuntur res aduerſæ 118.
remiſsio peccatorum 21.
remiſsionem peccatorum conſequi cupiẽti quæ ſiot neceſſaria 110.
reſurrectio quid ſit 23.
reſurrectionis fructus 24.
SAbbathum ſignum nuncupatum 76.
ſabbathi ſignificatio & ſanctificatio 76.
ſacerdotes quarè presbyteri nuncupẽtur 62.
ſacerdotes cur ità dicti 62.
ſacerdotem quibus inſtructum eſſe oporteat 64.
ſacerdotium duplex 62.
ſacerdotij externi officia, gradus, & miniſter 63.
ſacerdotij nobilitas 65.
ſacramenta cur inſtituta 28.
ſacramẽtorum numerum ſcire quid referat 26.
ſacramenta quot ſint ibidèm.
ſacramentorum duplex definitio ibid.
in ſacramentis quæ conſideranda ſint 28.
ſacramentorum cæremonię 30.
ſacramentorum differentiæ & effectus 29.
ſacramentorum veneratio 30.
ſacramẽto cuiq; triplicẽ ineſſe ſignificãdi vim 27
ſacrilegium quid ſit 84.
ſacrificij Miſſæ ab ipſo Euchariſtiæ Sacramento differentia 48.
ſanctificari nomen Dei qua ratione petimus 103.
ſanctorum veneratio 70.
ſanctorum inuocatio quomodò inſtituatur 97
ſatisfactionis ſignificatio 55.
ſatisfactionis neceſsitas 55.
in ſatisfactione quę inſpicienda ſint 56.
ſatisfactioni veræ quæ res ſint neceſſariæ 56.
ſatisfactionis partes ibidèm.
ſatisfactionis vtilitas 57.
ſatisfactionẽ noſtrã Chriſti non obſcurare ibid.
ſatisfacere vnus pro altero num poſsit, ibidèm.
ſatisfactio propria vtilior quàm aliena ibid.
Scripturæ diuinæ corruptio quò referẽda ſit 74.
Sedere ad dexteram quid ſignificet 16.
Signorum & rerum ſignatarum qualitas & differentia 27.
Simulatio vitanda 88.
Spiritualia nequitiæ quæ dicantur 113.
ſpiritualis eſca duplex 108.
ſpiritusſanctus tertia Trinitatis perſona 29.
Subdiaconi munus 62.
ſuſceptores in Baptiſmo cur neceſſarij 33. eorum officium ibidèm.
Symbolum quid ſit 4.
TEntationum duo genera 114.
tentationes vt ſint diſpellendæ 115.
in tentationẽ inducere vt De⁹ dicatur 114.
tentator cur Dæmon ſit dictus 114.
teſtium officia 89.
teſtimonium falſum 88.
Tonſura prima 61.
tondendi mos à quo profectus ibidèm.
Tranſſubſtantiatio quid ſit 47.
trinitas 6.
VEneratio Sanctorum 70.
venialia peccata non neceſſariò confitenda ſunt 53.
verbi Dei neglect⁹ aut deprauatio q̃ p̃tineat 74.
verbum Dei eſt cibus animæ 108.
veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia 46.
Vita æterna quibus rebus comparetur 25.
vitæ æternæ præmium 24.
vitia cupiditatis 93.
Voluntas Dei quæ ſit 106.

ORDO ALPHABETICVS OPERIS HVIVS.

*a, *b, *c, *d, *e, *f: a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, v, x, y, z: aa, bb, cc, dd, ee, ff, gg, hh, ii, kk, ll, mm, nn, oo, pp, qq, rr, ſſ, tt, vv, xx, yy, zz: aaa, bbb, ccc, ddd, eee, fff, ggg, hhh, iii, kkk, lll, mmm, nnn, ooo: A*, A, B, C, D, E, F, G, H, I, K. Omniaq; & ſingula ſunt trifolia ſeu terniones, exceptis bifolijs octo, videlicet, *a, *b, *c, *d, *e, *f, ooo, A.

PARTITIONVM

PARTITIONVM THEOLOGICARVM LIBER PRIMVS,

CONTINENS

ISAGOGEN DE SACRAE SCRIPTVRAE PARTIBVS IN GENERE, SIVE DE PRINCIPIIS THEOLOGIAE.

D. AMBROSIVS SVPER EPISTOLAM AD ROMANOS, IN PRINCIPIO.

PRINCIPIA RERVM QVAERENDA SVNT, VT NOTITIA EArum *poſſit haberi. Tunc demùm enim faciliùs poterit cauſæ ratio declarari, ſi eius origo diſcatur.*

ET D. CHRYSOSTOMVS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS, CAPIT. VI. HOMIL. IX.

VBIQVÈ ENIM DIFFICILIA, *inquit*, SVNT PRINCIPIA ET *exordia. Hæc ergò primùm conſtituamus, & omnia facilia erunt atque leuia.*

DE TOTIVS OPERIS DISTRIBVtione Generali. TABVLA PRIMA.

REBVS QVAE AD VEram pertinent *Methodum, in diſciplina quauis rectè conſtituẽdam, omnibus diligenter perpenſis, commodiùs nos totius ſacræ ſcripturæ corpus partiri vix poſſe arbitror, quàm ſi*

- PRIMÙM *operi ſuſcepto* ISAGOGEN, *hoc eſt, generalem præmittamus introductionem, & quandam quaſi præcognitionem, quæ nobis prima commonſtret ſacræ Theologiæ principia, ſinè quorum intellectu ad ſolidam diuinarum literarum cognitiõem nemo facilè vnquàm poſſit peruenire.*
- DEINDE *ipſam adgrediamur œconomiæ explicationem, id eſt, veram atq; perfectam ſacræ ſcripturæ artem atque ſcientiam. Quæ Methodicam continet totius Bibliæ diſtributionem. IN*
  - *Legem,*
  - *Euangelium, &*
  - *Doctrinam Apoſtolorum.*
- POSTREMÒ, *ex toto illo ſacræ ſcripturæ corpore, loco cuiuſdam veluti Epilogi, perbreuem colligamus librorum vtriuſque teſtamenti ſummã, atque totius Doctrinæ Chriſtianæ compendium.*

DE SVBDIVISIONE EIVSdem in ſpecie. TAB. 2.

EX HAC PARTITIOne *quinq; reſultant libri. Quorum*

- PRIMVS *eſt de ſacra ſcriptura in genere, quam haud abſurdè Theologiam dixeris Methodicam.*
- SECVNDVS, *De lege quæ in veteri continetur teſtamento.*
- TERTIVS, *De Euangelio, quæ prima noui teſtamenti pars eſt.*
- QVARTVS, *De doctrina Apoſtolorum, secũda ſcilicet noui teſtamẽti parte.*
  - (Secundus, Tertius, Quartus:) *Hi tres libri hiſtoricam abſoluunt Theologiam.*
- QVINTVS, *de prædictarum Partitionum vſu, & idonea ſacræ ſcripturæ adplicatione ad incidentes ſubindè in Eccleſia Dei controuerſias: quam vulgò ſcholaſticam vocant Theologiam.*

DE PARTITIONE SACRAE SCRIPTVRAE in genere. TABVLA 3.

- PRIMA HVIus operis pars præcipua, cõtinet ſacræ ſcripturæ quaſi elementa ſeu Principia, quæ pertinẽt ad explicationem aut
  - SVBTANTIAE, ſeu naturæ, De qua ſolent quæri Decem:
    - AN ſit.
    - QVAE ſit.
    - VNDE ſit.
    - QVID ſit.
    - QVIBVS conſtet gradibus.
    - QVAE eius ſint cauſæ.
    - QVAE differentiæ.
    - QVAE vis atque poteſtas.
    - QVIS verus ſit ſacræ ſcripturæ Canon.
    - QVOT hic canon habeat partes.
  - CIRCVNSTANtiarum, quarũ præcipuæ ſunt vndecim:
    - AN neceſſaria ſit de fide doctrina aliqua.
    - CVR eam literis mandari oportuerit.
    - AN certa ſit ſcriptura ſancta.
    - AN'ne ſcripta ſint, quæ oportuerit, omnia.
    - AD quam partem Philoſophiæ ſacra ſcriptura referri debeat, aut poſſit.
    - QVANTA diuinæ huius ſcripturæ ſit authoritas.
    - ITÁNE obſcurè tradita ſit doctrina Chriſtiana, vt intelligi omninò non poſſit.
    - AN verò ità difficilis verus eius ſit intellectus, vt à paucißimis tantùm poſſit aſſequi.
    - QVIBVS rebus ſacræ ſcripturæ cognitio, non facilis tantùm, ſed plana etiam fieri queat & iucunda.
    - QVID cuique conferat ſacrorum librorum lectio.
    - QVAE vera ſacræ ſcripturæ laus ſit atque commendatio.

QVIBVS tandèm omnibus in libri huius primi epilogo pro excitandis ad frequentiorem ſacrarum literarum lectionem, ſtudioſorum hominum animis piæ aliquot ſubijciuntur exhortationes.

PARS ISAGOGAE PRIMA, DE HIS QVAE AD SVBſtantiam ſacræ pertinent ſcripturæ,& primùm de quæſtione, An ſit. TAB. 4.

Duæ *ſunt hac de re opiniones, quarũ*

- VNA *falſa & hæretica, eſt eorũ, qui ſacram ſcripturã vel*
  - IN DVBIVM *vocant, De quorum improbitate conqueritur Chryſoſtomus ſuper epiſtolam Pauli ad Hebræos, Homil.8.*
  - OMNINÒ *reijciunt teſtamẽtũ, alij*
    - *Vetus*
      - TOTUM, *vt Carpocrates, Cerdon, Seuerus, Manichæi. Vt refert Auguſtinus duobus in locis,*
        - *De hæreſibus ad Quoduultdeum, Hæreſ.7.21.24.*
        - *Ad Honoratum, de vtilitate credendi, cap.2.*
      - *Partem, vt libros Machabæorum, quos Luterus eô, quòd doctrinæ ſuæ manifeſtè repugnare viderentur, à canone ſacro excludere conatus eſt, qui & Moſen alicubì reijcit, videlicet in ſermon. de Moſe & lege.*
    - NO*uum nũc*
      - *Totum, vt Iudæi.*
      - PRO *parte, vt*
        - *Euãgelia omnia, præter euangeliũ*
          - *Matthæi, quod ſolum admittebant* — *Cerinthus & Ebion.*
          - *Lucæ, quod vnicum recipiebant* — *Cerdon & Marcion.*
        - *Acta Apoſtolorum, vt Cerinthus & Seuerus.*
        - *Epiſtolas* PAULI
          - *Omnes, vt Ebion, Seuerus, Tatianus & Elcheſaitæ.*
          - *Ad Timoth. vtranque, Titum, Hebræos, vt Marcion & Baſilides, teſte* — HIERO. *in pf. epi. ad Tit. Auguſt. de ciui. Dei li. 16. ca. 22.*
        - *Iacobi item epiſtolam, quam idem Luterus ſtramineam vocare non erubuit.*
        - *Euangelium & Apocalypſim B. Ioannis Apoſtoli, vt Alogiani, qui negabant filium Dei eſſe verbũ. Auguſtin. De hæreſ. ad Quoduultdeum. Numer.30. Vide Alphonſ. à caſtro de hæreſibus.*
    - VTRVNQVE, *vt Saraceni: Quibus & Mahumetani innumeras immiſcuerunt ſpurcitias.*
- ALTERA *vera Catholicorum, qui vtriuſq; teſtamẽti ſcripturam, quæ & Dei cognitionem, & voluntatis diuinæ ſuggerit notitiam, firmam eſſe & indubiam, tribus probant argumentis:*
  - TESTIMONIO *Chriſti, Iohan.5. Scrutamini (inquit) ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam habere æternam. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.*
  - EVIDENTIA *rei, hoc eſt, ipſis quæ manibus noſtris terim° ſacræ ſcripturæ monumentis Quæ ſunt*
    - *Scripta iuſſu Dei,*
    - *Conſignata à S. Patribus,*
    - *Propagata ad nos temporis diuturnitate.*
    - *Confirmata miraculrõ virtute, teſte Ioan. Driedo. Lib.1. de eccleſiaſt. ſcriptur.*
  - TOTIVS *Eccleſiæ Catholicæ iudicio. Nam vt diuus ſentit Auguſt. Scripturam diuinam eſſe, per ſuccedentium ſibi inuicèm eccleſiarum & ſanctorum patrum demonſtramus teſtimonia. Lib.28. cõtra Fauſtum, cap.2. & 4. Item lib.13. cap.4. & 5.*

DE SE-

DE SECVNDA QVAESTIONE, QVAE vera ſit ſcriptura. TABVLA 5.

SACRAE *ſcripturæ nomine*

- **CONTINENTVR PROPRIÈ** *tantùm ea, quæ per ſpiritum Dei inſpirata, & per eos qui ſpiritu Dei ſunt locuti, adminiſtrata ſunt: qualia cenſeri debent, quæ in ſacro. canone, hoc eſt, in libris veteris & noui teſtamenti comprahenſa ſunt. Et huic ſcripturæ cõpetit ſoli, Quòd ſit*
  - **PVRA,** *hoc eſt, abſque vllius falſitatis cõmixtione edita.*
  - **STABILIS,** *Quia verum Dei verbum.*
  - **INTEGRA,** *id eſt, omnia ad ſalutem demonſtrans neceſſaria, aut Per*
    - *Seipſam plano ſermone.*
    - *Eccleſiam Catholicã ſana interpretatione. Driedo lib.1.ca.1. de eccleſiaſticis ſcripturis & dogmatibus.*
- **EXCLVDVNTVR** *ſub falſis aut ſuſpectis nominibus edita*
  - **EVANGE**-*lia quædã, vt*
    - *Andreæ,*
    - *Thomæ,*
    - *Bartholomæi,*
    - *Nicodemi, & ſimilia.*
  - **LIBELLVS** *de Saluatoris noſtri infantia.*
  - **ITINERARIVM** *Petri Apoſtoli, quod appellatur S. Clementis.*
  - **ET** *id genus alia, quæ paulò pòſt ſuo numerabimus loco. Diſt.15. Ca. Sancta Rom. Eccle.*

DE QVAESTIONE TERTIA, HOC EST, De ſacræ ſcripturæ origine. TAB. 6.

PERVENIT *ad nos ſacra ſcriptura*

- REVELATIONE *& inſpiratione diuina, quæ facta eſt in lege*
  - ANTIQVA *per Deũ patrem in veteri primùm teſtamento, vbi dictũ eſt*
    - *Moiſi: Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboq́ te quid loquaris. Exod. 4.*
    - *Hieremiæ: Eccè dedi verba mea in ore tuo, eccè cõſtitui te hodiè ſuper gentes & regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices. Hier. 1.*
    - *Ezechieli: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Ezechiel. 3.*
  - NOVA *Per Chriſtum omnibus hominibus. Nemo enim nouit Chriſtum Dei filium, niſi Pater: neque Patrẽ quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Matth. 11.*
- TRADITIONE *Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum, hoc eſt, Sanctorum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum monumẽtis, quos & ipſos ſpiritusſancti inſtinctu, ſua ferè ſcripſiſſe conſtat. Hinc D. Paulus ad Galatas 1. Euangelium, inquit, quod euangelizatum eſt à me, non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.*

DE QVARTA QVAESTIONE, QVID SIT Scriptura. TAB. 7.

QVARTA QVAESTIO *explicatur Definitione*

- REI, *per quam ſacra ſcriptura à reliquis literarum ſecernitur monumentis.*
- NOMINIS, *quæ diligentem inquirit rationem eorum, quæ ſacrarum literarum continentur appellatione.*

DE NO-

DE NOMINIS DEFINITIONE, SEV VARIIS ſacrę ſcripturæ appellationibus. TABVLA 8.

NOMINIS RAtio per ſe plana eſt. Nec enim aliud ferè ſonat S. Scripturæ vocabulum, quàm ſcriptum de Deo rebusq́ diuinis teſtimonium. Quod dicitur modò

- BIBLIA, *cùm totum illud ſignificatur opus, quo libri tam veteris, quàm noui teſtamenti continentur omnes.*
- LIBER
  - DOMINI, *in quo veteris tantùm inſtrumenti comprehenduntur volumina.*
  - VITAE, *ſcriptus*
    - *Intùs, quantùm ad intellectum myſticum & latentem:*
    - *Foris, quo ad ſenſum literæ hiſtoricum, planum & patentem. De quo Apocalyp. 5.*
- VERBVM *Dei vel Sermo & Doctrina, ab ipſo Deo humano generi de rebus diuinis promulgata. Quod aliâs etiam mandatum vel præceptum dicitur diuinum. Pſalm. 118.*
- TESTAMENTVM. *nam vt clauſum & infirmũ eſt teſtamẽtum, quàm diù vixit teſtator: ità Lactantio teſte, Lex etiam vetus fuit*
  - INFIRMA, *quia neminem ad perfectum duxit vnquàm. Hebr. 7.*
  - CLAVSA, *ob prophetias & figuras, quæ ante mortem Chriſti vix intelligebantur. Lucæ 24. Nonne cor noſtrum ardens erat &c.*
- INSTRVMENTVM *diſtinctiùs D. Auguſt. contra 2. epiſt. Pelag. lib. 3. ca. 4. dici putat, quàm teſtamentũ, Vel*
  - QVIA *ſacris ſcripturis inſtruitur quiſque ad ſalutem, quid credere, quid ſperare, quid agere debeat. Ioan. Driedo. lib. 1. cap. 1.*
  - QVÒD *ſcriptura Authentica probatiſſimis ſcriptoribus ac teſtibus ſic obſignata, nec vlla falſitate ſuſpecta.*
- LEX *diuina*
  - GENERALITER
    - *Mandatum,*
    - *Iuſtificationes,*
    - *Præcepta,*
    - *Teſtimonia,*
    - *Iudicia.*
    - *Quæ (vt pulchrè diſtinguit gloſſa Num. 18. ca. verſ. Hæc ergò accipies)*
      - *Conueniũt genere,*
      - *Differunt ſpecie.*
  - SPECIALITER *Pars aliqua eorum, quæ in lege ſcripta ſunt. d. Gloſſa Num. 18.*
- CANON *ſeu Regula, vel quia*
  - RECTÈ *ducat, nec vnquàm aliorſùm trahat.*
  - REGAT, *& quaſi normam viuendi præſcribat.*
  - DISTORTVM *prauumq́ ad modũ regulæ corrigat.* — *Driedo.*
  - AD *Sacram Scripturam tanquàm ad Lydium lapidem, fidei ac vitæ Chriſtianæ documenta probanda ſint. Carbaialus de reſtitut. Theologiæ, cap. 12.*

DE VERA ET SPECIFICA SACRAE ſcripturæ definitione. TABVLA 9.

DEFINITIO, *qua ſacræ ſcripturæ explicatur natura & ſubſtantia, alia eſt*

- PROPRIA, *ſiue ſtricta, q̃ eſt aut*
  - EXPLICITA, *quæ ſacræ ſcripturæ dicuntur eloquia diuini ſpiritûs, loquentis per Prophetas & Apoſtolos ſibi inuicèm ſuccedentes, quæ communi totius Eccleſiæ conſenſu, in numerum & ordinem ſacri Canonis recepta ſunt. Ioan. Driedo.*
  - IMPLICITA, *hoc eſt, in breuem quandam ſummam contracta. Atque ſic re vera nihil aliud ſacra eſt ſcriptura, quàm ratio & ſermo de DEO, quæ vno nomine dicitur Theologia.*
- LARGA *& ampla, ità vt rectiùs eam deſcriptionem dicas, quàm definitionem, quali antiquiſſimus olim Theologus Hugo in ſuo vſus eſt tractatu de Arca Noæ: Sacra, inquit, ſcriptura liber eſt vitæ, cuius*

	eſt	
ORIGO		*Aeterna,*
ESSENTIA		*Incorporea,*
SCRIPTVRA		*Indelebilis,*
ADSPECTVS		*Deſiderabilis,*
DOCTRINA		*Facilis,*
SCIENTIA		*Dulcis,*
PROFVNDITAS		*Inſcrutabilis,*
VERBA		*Innumerabilia.*

ET *vnum tantùm verbum, Omnia. Hugo de S. Victore, vbi ſuprà.*

DE RE-

DE REVELATIONIS DIVINAE GRADIBVS,
ſeu de varijs ſacræ ſcripturę authoribus, Quæſtione huius partis quinta. TABVLA 10.

D. CHRYSOSTOMVS *ſuper Epiſtolam ad Hebræ. Homil. 8. docet, ex réuelatione ſacrarum literarum inprimis DEI in nos cognoſcendam eſſe miſericordiam. Vbi diuinæ illius prouidentiæ, qua ſcriptura ſanEta ad nos vſque propagata eſt, hos facit veluti gradus. Nam*

PRIMVM *inſpirauit, inquit, Moiſi, & tabulas lapideas ſcripſit, detinuit eum xl. diebus in monte, & iterùm totidem vt daret illi legem.*

POST *hæc autē Prophetas miſit, qui innumera mala paſſi ſunt: irruit bellum, quoſuis ſuſtulit & trucidauit, incenſi ſunt libri.*

INSPIRAVIT *iterùm alium virum, vt mirabiles illas ſcripturas repararet: Eſdram dico, & ex reliquijs illarum componere fecit.*

POST *hæc diſpenſauit, vt interpretarētur eas Septuaginta: interpretati ſunt illi.*

VENIT *Chriſtus, & ſuſcepit eas.*

APOSTOLI *diſſeminauerunt eas per omnes.*

SIGNA *& miracula fecit Chriſtus.*

QVID *autem poſt tam negocioſam diligentiam? Scripſerunt etiam Apoſtoli, ſicut & Paulus dicit: Ad admonitionem noſtram ſcripta ſunt, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* 1. Cor. 10. Rom. 15.

APPENDIX EX AVGVSTINO
de ciuitate Dei lib. 11. capite 3.

HIC *priùs, inquit, per Prophetas, deindè per ſeipſum, poſteà per Apoſtolos, quantùm ſatis eſſe iudicauit, locutus, etiam ſcripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ authoritatis.*

DE QVÆSTI-

DE QVAESTIONE SEXTA, ID EST, DE quatuor Sacræ Scripturæ Cauſis. TABVLA II.

VT RERVM *ferè omnium, ità ſacræ etiam Scripturæ Quatuor ſunt cauſæ:*

- MATERIA*lis alia*
  - EX *qua, Reuelationes diuinæ.*
  - DE *qua,* DEVS.
  - IN *qua,* ANIMA.
  - CIRCA *quam*
    - RES, *quæ ipſæ p ſe intelliguntur. Aug. de doctrina Christiana lib. 2. cap. 1.*
    - SIGNA, *quæ ad quidpiam ſignificandum adhibentur. Ibidem.*
- EFFICIENS *Duplex:*
  - PRINCIPALIS, *omnis boni author DEVS Spiritusſanctus.*
  - INSTRV*mentalis,*
    - *Moiſes,*
    - *Prophetæ,*
    - *Apoſtoli,*
    - *Sancti Patres.*
- FORMA *cōſiſtit in*
  - LIBRORVM *collocatione,*
  - SENTENTIARVM *diſpoſitione,*
  - VERBORVM *contextu.*
- FINIS ALI*us eſt*
  - PROXIMVS, *Charitas. Nam vt (D. Paulo teſte) finis præcepti eſt charitas, (1. Timoth. 1.) ità etiam D. Auguſtino ſuffragante, nihil hæc ſcientia præcipit niſi charitatem, nihil culpat niſi cupiditatem. Quidquid ergò ad hoc, ait, pertinet, proprium eius eſt. Quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum eſſe cognoſcas. Auguſt. lib. 3. De Doctrina Christiana Cap. 10. & lib. 1. cap. 37. & vltimo.*
  - VLTIMVS, *Beatitudo æterna. Iohann. 20. Hæc ſcripta ſunt, inquit, vt credatis, quia IESVS eſt filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius. Et Paulus 2. Timoth. 3. Sacræ literę te poſſunt eruditum reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Christo IESV.*

DE VA-

DE VARIIS SACRAE SCRIPTVRAE DIFFEREN-tijs, à Cauſarum qualitate deſumptis, quæſtione huius partis ſeptima, & primùm de cauſa materiali. TABVLA 12.

A CAVSA *Materiali*
- EX *qua, ſcriptura ſacra conſtat*
  - *Spiritu, &*
  - *Litera. Paul. 2. Corinth. 3.*
- IN *qua, Impreſſa enim ſcriptura eſt vel in*
  - *Membranis,*
  - *Cordibus hominum. Paul. ibidem.*
- DE *qua, aliâs nanq; ſcriptura ſancta agit de DEO*
  - *Patre, vt creatore.*
  - *Filio, vt redemptore.*
  - *Spirituſancto, vt gubernatore.*
- CIRCA *quam, Nam ſcriptura S. verſatur*
  - PRIMÒ *circa*
    - *Creationem orbis,*
    - *Hominis lapſum,*
    - *Reparationem eiuſdem. Carbaial. de reſtituta Theologia.*
  - SECVNDÒ *circa*
    - *Legem &*
    - *Gratiam. Rom. 3. & 7.*

DE DIFFERENTIIS SCRIPTVRAE à cauſa efficiente. TABVLA 13.

CAVSAE EF*ficientis intuitu, Chriſtus in Euangelio ipſe meminit alibi partium*
- DVARVM *tantùm, vt Matth. 7. 11. & 22. Luc. 16. Habent, inq̃,*
  - MOISEN, *id eſt, legem: &*
  - PROPHETAS, *id eſt, ſermones & diſputationes de Deo & Meſsia.*
- TRIVM *verò, Lucæ vltimo, vbi ait: Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt de me in*
  - *Lege Moiſi, &*
  - *Prophetis, &*
  - *Pſalmis.*

DE SCRI-

DE SCRIPTVRARVM DIFFERENTIIS
à cauſa formali. TABVLA 14.

A CAVSA *formali tria notari poſſunt exempla.*

- SCRIPTVRA S. IN *vtroq; teſtamēto &c.*
  - *Monendo*
  - *Promittendo*
  - *Minando*
  - eſt
    - *Recta,*
    - *Alta,*
    - *Terribilis.*
  - *Gregor. Homil. 6. ſuper Ezech.*
- IN LIBRIS OMNI*bus ſanctis intueri oportet,*
  - *Quæ ibi æterna intimentur,*
  - *Quæ facta narrentur,*
  - *Quæ futura prænuncientur,*
  - *Quæ agenda præcipiantur.*
  - *Auguſtin. lib. 1. de Geneſi, cap. 1.*
- IN SACRA *ſcriptura*
  - *Prohibentur mala,*
  - *Præcipiuntur bona,*
  - *Conceduntur media,*
  - *Suadentur perfecta.*
  - *Hieronymus ad Demetriadem.*

DE DISCRIMINE SCRIPTVRARVM
à cauſa finali. TABVLA 15.

A FINALI *cauſa ſunt hæc tria ſacrarum literarum diſcrimina:*

- IN DIVINIS LI*teris conſtituuntur*
  - BONIS *præmia vitæ æternæ,*
  - MALIS *verò damnationis pœna perpetua. Iohan. 5.*
- SACRA SCRI*ptura cōſiſtit partim in*
  - SPECVLATIO*ne, qua inquiris Dei*
    - *Naturam,*
    - *Potentiam,*
    - *Proprietatem.*
  - PRAXI *ſiue actione earum rerum, quæ ſunt neceſſariæ ad*
    - *Mores,*
    - *Benè beateque viuendi rationem.*
- IN SCRIPTVRIS SAN*ctis, id eſt, legitimis, propheticis, euangelicis & apoſtolicis, authoritate canonica ꝑditis, Quædam ſic ſunt*
  - POSITA, *vt tantùm ſciantur & credantur, vt eſt, quòd in principio fecit Deus cœlum & terram, & quòd in principio erat verbum, & quæcunque facta vel diuina, vel humana, tantummodò cognoſcenda narrantur.*
  - IVSSA, *vt obſeruētur & fiant: vt, Honora patrem & matrem &c.*
  - PROHIBITA, *nè fiant: vt, Non mœchaberis &c. Auguſtinus in præfatione in ſpeculum.*

QVID SA-

QVID SACRA SCRIPTVRA A GENTILium prophanis differat literis.

AVGVSTINVS:

QVANTO minor eſt auri,argenti,veſtiſque copia, quam de Aegypto ſecũ ille abſtulit populus,in comparatione diuitiarum,quas poſteà Hieroſolymæ cõſecutus eſt,quæ maximè in Salomone rege oſtẽduntur:tanta fit cuncta ſcientia, quę quidem eſt vtilis collecta de libris gẽtium, ſi diuinarum ſcripturarum ſcientiæ comparetur.Nam quidquid homo extrà didicerit, ſi noxiũ eſt, ibi damnatur: ſi vtile eſt,ibi inuenitur.Et cùm ibi quiſq; inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit,multo abundantiùs inueniet ea ibi,quæ nuſquàm omninò alibi, ſed in tantummodò ſcripturarum mirabili altitudine,& mirabili humilitate diſcuntur.ca. vlt.lib.2.De doctrina Chriſtiana.

IDEM:

NON ergò illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena ſunt carmina poëtarum,vllo modo noſtrę conſonant libertati:Non Oratorum inflata & expolita mẽdacia, Non deniquè ipſorum Philoſophorum garrulę argutiæ, qui vel prorsùs Deum non cognouerunt,vel cùm cognouiſſent, nõ ſicut Deum glorificauerunt.Abſit omninò,vt iſtorum vanitates & inſaniæ mendaces,ventoſæ nugę ac ſuperbus error, rectè liberales literę nominentur, hominum ſcilicet infelicium,qui Dei gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola liberamur de morte corporis huius, non cognouerunt, nec in eis ipſis quæ vera ſunt,ſenſerunt.Ad Memorium Epiſtola 131.

ISIDORVS:

QVID prodeſt in mundanis proficere doctrinis,& inaneſcere in diuinis?caduca ſequi figmenta,& cęleſtia faſtidire myſteria?Cauendi igitur ſunt tales libri, & propter amorem ſanctarum ſcripturarum vitandi. Gentilium dicta exteriùs verborum eloquentia nitent,interiùs vacua virtutis ſapientia manent. Eloquia autem ſacra exteriùs incompta verbis appàrent,intrinſecùs autem myſteriorum ſapientia fulgent.Vndè & Apoſtolus: Habemus,inquit,theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.In lib.3.cap.13.de ſummo bono.

IDEM:

IDEO libri ſancti ſimplici ſermone conſcripti ſunt, vt non in ſapientia verbi,ſed in oſtenſione ſpiritus homines ad fidem perducerentur.Nam ſi Dialecticæ acuminis verſutia,aut Rhetoricæ artis eloquentia editi eſſent,nequaquàm putaretur fides Chriſti in Dei virtute, ſed in eloquentiæ humanæ argumentis conſiſtere: nec quenquam crederemus ad fidem diuino inſpiramine prouocari, ſed potiùs verborum calliditate ſeduci. Ibidèm.

IDEM:

OMNIS ſecularis doctrina ſpumantibus verbis reſonans, ac ſe per eloquentiæ tumorem attollens,per doctrinam ſimplicem & humilem Chriſti euacuata eſt,ſicut ſcriptum eſt:Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiã huius mundi?Ibidèm.

DE OCTAVA PRIMAE PARTIS QVAESTIONE, quæ Scripturę Sacrę vis ſit atque poteſtas. TABVLA 16.

QVAE DIuinæ hu⁹ ſcientiæ vis ſit & efficacia, cognoſci poteſt ex

- VERO ſacræ ſcripturæ vſu: Qui conſiſtit
  - NON tantùm in vero eius ſenſu & intellectu, qui medullam ac radicem exprimit rationis. Hieron. in cap. 1. epiſtolæ ad Galatas.
  - MVLTO minùs in
    - Verbis,
    - Superficie, aut
    - Folijs ſcripturarum.
  - SED potiùs in exercitio ſeu perfectione voluntatis, quæ his literis expreſſa eſt. Huc reſpiciens D. Paulus, non auditores legis iuſtos eſſe apud Deum, ſed factores legis iuſtificari docet. Rom. 2.
  - QVIN etiam vt D. teſtatur Auguſtinus, Homo fide, ſpe & charitate ſubnixus, eaque inconcuſsè retinens, non indiget ſcripturis niſi ad alios inſtruendos, adeò vt per hæc tria multi etiam in ſolitudine & ſine Codicibus viuant. lib. 1. De doctrina Chriſtian. cap. 39.
- EFFECTIBVS, qui tot ſunt, quot non tantùm libri, ſententiæ aut verba, ſed quot omninò ſyllabæ, literæ, & puncta. Vt tamen paucis complectamur multa, Sacra ſcriptura parit inprimis
  - NOTITIAM diuinæ voluntatis:
  - NOTITIA, TIMOR, REVERENTIA, AMOR, ODIVM peccati, CONTRITIO, POENITENTIA, PECCATORVM remiſſio, CONSOLATIO, CONSCIENTIAE tranquillitas autem parit
    - Timorem.
    - Reuerentiam.
    - Amorem.
    - Peccati odium.
    - Contritionem.
    - Pœnitentiam.
    - Remiſſionem peccatorum.
    - Conſolationem.
    - Tranquillitatem conſcientiæ.
    - Spem vitæ æternæ conſequendæ.
  - SPES denique credentium nunquàm cõfundit, ſed ſaluos facit omnes. Rom. 5.
- VTILITATIB⁹. D. enim Paulus 2. Tim. 3. Sacram ſcripturam vtilẽ eſſe dicit ad
  - DOCTRINAM, quæ verſatur circa dogmata, quæ de rebus diuinis aut aſſeruntur, aut comprobantur.
  - REDARGVTIONEM, quæ ad confutationem falſorum pertinet dogmatum.
  - CORRECTIONEM, qua repræhenduntur vitia, vt faſtus, ambitio, auaritia, deſidia, hæreſes &c.
  - INSTITVTIONEM, quæ eſt ad iuſtitiam. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. 2. Timoth. 3.

DE QVAESTIONE PRIMAE PARTIS NONA, quis verus Sacræ Scripturæ ſit Canon. TABVLA 17.

CANON OR. *do ſeu regula dicitur Doctrinæ Chriſtianæ. ordo autem librorũ, quibus ſacra continetur ſcriptura, eſt duplex:*

- PRIOR *veteris teſtamẽti, quo cõtinentur libri De* SAPIENTIA, BONITATE, & IVSTITIA — *DEI.*
- ALTER *libros noui continens teſtamentĩ, De ſtatu populi Chriſtiani, collecti in* FIDE, SPE, CHARITATE. — *Driedo. lib. 1. cap. 1. De ſcripturis Eccleſiaſticis.*
- VTRVNQVE *deſignauit*
  - HIEREMIAS 31. *Conſummabo ſuper domum Iſrael teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci cum patribus eorum in die, qua eduxi eos de terra Aegypti.*
  - SAPIENS, *Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Sapientiæ 1.*
  - AVGVSTINVS *lib. 1. De Geneſi cap. 1. Omnis ſcriptura, inquit, bipartita eſt, ſecundum id quod Dominus Matth. 13 ſignificat, dicens ſcribam eruditum in regno Dei, ſimilem eſſe Patrifamiliâs proferenti de theſauro ſuo noua & vetera: quæ duo etiam dicuntur teſtamenta.*

DE PRIMO SACRAE SCRIPTVRAE ORDINE, qui libri veteris ſint teſtamenti. TABVLA 18.

LIBRORVM *veteris teſtamẽti alij*

- EXTANT, *quorum duplex eſt Canon* — HEBRAEORVM *vnus,* ALTER ECCLESIAE.
- DESIDERANTVR, *qui Iudæorum interiẽrunt partim* INCVRIA, PERFIDIA.

DE HEBRAEORVM CANONE, EX PROLOGO D.Hieronymi Galeato. TABVLA 19.

HEBRAEI *vt in Prologo Galeato D. refert Hieronymus, triplicem faciunt Sacrorum librorum ordinem:*

- PRIMO *ordine continentur 5. lib. Moiſis, quos Hebræi propriè Thoram, id eſt, legem appellant, vt ſunt*
  - *Geneſis,*
  - *Exodus,*
  - *Leuiticus,*
  - *Numeri,*
  - *Deuteronomium.*
- SECVNDVM *ordinem faciunt Prophetarum, cui aſcribunt libros octo:*
  - IESVM *Naue, qui apud eos Ioſue dicitur.*
  - IVDICVM, *cui compingũt librũ Ruth, eò quòd hiſtoria eius, Iudicum factis fuerit tempore.*
  - SAMVELEM, *quem nos primum & ſecundum dicimus Regum.*
  - MALACHIM, *q tertio & quarto Regum continetur volumine.*
  - ESAIAM.
  - HIEREMIAM, *cum Threnis.*
  - EZECHIELEM.
  - LIBRVM 12. *Prophetarum.*
- TERTIVS *Hagiographa poſſidet: Et*
  - PRIMVS *incipit à Iob.*
  - SECVNDVS *à Dauid, quẽ quinq; inciſionibus & vno Pſalmorum volumine comprehendunt.*
  - TERTIVS *eſt Salomonis, tres libros habens: Prouerbia, quæ illi Parabolas appellant:*
  - QVARTVS, *Eccleſiaſtes:*
  - QVINTVS *Canticum Canticorũ:*
  - SEXTVS *eſt, Daniel.*
  - SEPTIMVS, *Verba dierum, ſiue ſignificantius Chronicon totius diuinæ hiſtoriæ. Qui liber apud nos* PARALIPOMENON *inſcribitur. Et apud Hebræos vnus eſt liber.*
  - OCTAVVS, ESDRAS: *q & ipſe ſimiliter apud Græcos & Latinos in duos libros diuiſus eſt.*
  - NONVS *Heſter.*

Atq; ſic,

- *Si vt poſiti ſunt, numeres: fiunt pariter veteris legis libri 22. iuxta totidem Hebræorum literas:*
- *Sin, quod aliq fieri debere putãt, librũ Ruth (adiectum aliâs libris Iudicum) & Threnorum librũ (inter Hieremiæ ſcripta comprehenſum) ſuo loco, hoc eſt, inter Hagiographa collocemus, 24. habebimus libros, qui ſignãtur per 24. ſeniores, adorantes agnũ in Apocalypſi, cap. 5.*

QVIDQVID *præter hos eſt, id Hebræi extra Canonem eſſe ſtatuebant, & vno nomine dicebãt Apocrypha, id eſt, incerta ſcripta, inter quæ illi numerant*

- SAPIENTIAM, *Quæ Salomonis inſcribitur.*
- LIBRVM *IESV filij Sirach.*
- IVDITH.
- TOBIAM.
- QVIBVS *addunt*
  - *Eſdræ poſteriores duos,*
  - *Librum Enoch,*
  - *Libros Machabæorum.*

DE ECCLE-

DE ECCLESIASTICO VETERIS TESTAMENTI Canone, ex commentarijs D. Michaëlis de Medina. TABVLA 20.

PARTIVNTVR *Eccleſiaſtici Authores ſanctos & diuinos libros in quatuor claſſes: Quarum*

PRIMA *eorum eſt, qui ad leges & ſtatûs Moſaici præcepta pertinent: qui numerantur quinque, 1. Geneſis eſt, 2. Exodus, 3. Leuiticus, 4. Numeri, 5. Deuteronomium.*

SECVNDA *acies, totius illius Moſaici ſeculi hiſtoriam ſeptendecim libris complectitur. In his primus numeratur, Ioſue: ſecundus, Iudices: tertius, Ruth: quartus, Regum primus: quintus, Regum ſecundus: ſextus, Regum tertius: ſeptimus, Regum quartus: octauus & nonus, Paralipomenon primus & ſecundus: decimus, Eſdræ primus: vndecimus, Eſdræ ſecundus, qui Nehemias inſcribitur: duodecimus, Tobias: decimustertius, Iudith: decimusquartus, Eſther: decimusquintus, Iob: decimusſextus, Machabæorũ primus: decimusſeptimus, Machabæorum ſecundus.*

POST *has tertius ordo & acies eorum librorum conſtituitur, quibus humanæ vitæ ſiue diuinitùs, ſiue iuxta rectæ rationis libramen agendæ, quod apud gentes maximè curârunt philoſophi, præcepta clauduntur: Hos, quòd vitã humanam prudenter inſtruere, ſit vera ſapientia, Sapiẽtiales vocamus. Sunt verò quinque numero, inter quos, inueterato iam ordine priorem locum Prouerbia Salomonis obtinent, ſecundum Eccleſiaſtes, tertium Cantica Canticorum, quartum Salomonis ſapientia, quintum Ieſu filij Sirach monitorius, quẽ Eccleſiaſticum vocant.*

QVARTA *deniquè ac poſtrema, non authoritate, ſed ordine, acies Canonicorum librorum veteris teſtamẽti, prophetica eius ſeculi vaticinia, quæ pro eius gentis Charitate Deus, quotiès opus erat, eidem populo indulgebat, amplectitur. Hos à re contenta Prophetales vocamus, quos Hebræis quidem diſsimiliter, decem & octo hoc ordine numeramus: Primum, quòd vel à Dauid compoſitos, vt quibuſdam Græcis ac Latinis placuit, aut à diuerſis authoribus, vt cum Hebræis ſapientibus plerique omnes credunt, pſalmos in vnum aceruum congeſtos complectatur, Pſalterium vocârunt: Secundo loco reponuntur prophetiæ ſiue ſermones Iſaiæ, tertio Hieremias ponitur, quarto Baruch, quinto Ezechiel, ſexto Daniel, ſeptimo Oſeas, octauo Amos, nono Michæas, decimo Ioel, vndecimo numeratur Abdias, duodecimo Ionas, decimotertio Nahum, decimoquarto Abacuk: Decimumquintum locum obtinet Sophonias: Decimumſextum Aggæus, Decimumſeptimum Zacharias: Tandèm Malachias, in quo eius veteris ſeculi propheticus ſpiritus videtur extinctus, memoratur poſtremus. D. Michael de Medina, lib. 6. De recta in Deum fide, Cap. 3.*

DE VTROQVE SIMVL, TAM HEBRAEO ſcilicet, quàm Eccleſiaſtico, Canone.

TABVLA 21.

SVNT QVI *veteris teſtamenti libros, tum Iudæis tum Chriſtianis ſacros, diuidant in*

- LEGEM, *quæ à numero librorum & Pentateuchus, id eſt, Quinarius dicitur, & complectitur*
  - *Geneſin,*
  - *Exodum,*
  - *Leuiticum,*
  - *Numeros,*
  - *Deuteronomium.*
- PROPHETAS
  - PRIORES, *inter quos continentur*
    - *Ioſue,*
    - *Liber Iudicum,*
    - *Samuel, qui primus & ſecundus eſt Regum.*
    - *Malachim, qui tertius & quartus eſt Regum.*
  - POSTERIORES, *per quos intelliguntur Prophetas*
    - *Maiores, hi numerantur,*
      - *Eſaias,*
      - *Hieremias,*
      - *Ezechiel.*
    - *Minores, qui à numero duodecim vocãtur, hi ſunt:*
      - *Hoſeas,*
      - *Iobel,*
      - *Amos,*
      - *Abdias,*
      - *Ionas,*
      - *Michæas,*
      - *Nahum,*
      - *Habacuc,*
      - *Sophonias,*
      - *Haggæus,*
      - *Zacharias,*
      - *Malachias,*
- HAGIOGRAPHA, *quòd veluti de ſanctis rebus à ſanctis viris prodita ſint, & ſequentes cõplectūtur vndecim libros. Quorum*
  - PRIMVS *eſt Paralipomenon, id eſt, Prætermiſſorum, qui ab Hebræis Verba dierum dicitur. Et hunc Latini in duos diſtinxerunt libros, qui apud Hebræos eſt vnus.*
  - SECVNDVS *eſt Hymnorum ſeu Pſalmorum:*
  - TERTIVS, *Prouerbia:*
  - QVARTVS, *Iob:*
  - QVINTVS, *Ruth:*
  - SEXTVS, *Eccleſiaſtes:*
  - SEPTIMVS, *Threni:*
  - OCTAVVS, *Cantica Canticorum:*
  - NONVS, *Eſther:*
  - DECIMVS, *Daniel:*
  - VNDECIMVS, *Eſdras.*
- LIBROS *eccleſiaſticos, qui recepti ſunt ab* ECCLESIA, *vt ſunt*
  - SAPIENTIAE *liber, (quem quidam ſuſpicantur eſſe Philonis Iudæi) Concil. Carth. 3. Florent. Trident. Aug.*
  - ECCLESIASTICVS, *(quē putant eſſe Ieſu filij Sirach) Aug. in ſpeculo, & lib. 2. de Doct. Chriſt. Concil. Carth. &c.*
  - LIBER *Tobiæ, Iſido. 6. etym. cap. 1. Aug. de doct. Gelaſ. cõc. ſup.*
  - IVDITH.
  - MACHABAEORVM *duo. Auguſt. lib. 18. de ciuitate, c. 36. item in ſpeculo & de doctri. Chriſt. concil. eadem. Innocent. Gela.*
  - DVAE *Hiſtoriæ, quæ Danieli annexæ ſunt*
    - *Vna de Suſanna*
    - *Altera de*
      - *Belo*
      - *&*
      - *Dracone.*
  - CANTICVM *3. puerorum. Baruch cum epiſt. Hieremiæ. & Mardochai ſomnium. Concil. Florens. & Trident ſeſſ. 4.*

DELI-

DE LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI Partitione. TAB. 22.

ETSI *Gloſs. Eccleſiaſtici 11. ex ſententia D. Auguſtini, Omnes diuinæ ſcripturæ libros, propter perpetuum, qui in illis eſt, conſenſum, vnum dicat eſſe librum, differunt tamen inter ſe*

- *Authoritate,*
- *Argumento,*
- *Tractatione, ſiue ratione docẽdi.*

QVOMODO AVTHORITATE SACRI INTER ſe differant libri. TAB. 23.

IVXTA HEbræorũ, *vt dictum eſt, Canonem, Librorum ſacræ ſcripturæ dicuntur alij*

- CANONICI *ſiue authentici, de quibus conſtat, quòd ſpiritu ſancto dictante à ſacris authoribus editi ſint, vt ſunt, quos ſuprà memorauimus, penè omnes, exceptis tantùm paucis non Canonicis.*
- NON *canonici ſeu non authentici: quos idcircò apocryphos nominabant, quòd non ſolùm de eorum authoribus, ſed fide etiàm dubitabatur. Cuiuſmodi ſunt*
  - HISTORIAE
    - *Tobiæ, &*
    - *Iudith.*
  - SALOMONIS
    - *Sapientia*
    - *&*
    - *Oratio eiuſdem.*
  - LIBER *Eccleſiaſticus* IESV *filij Sirach.*
  - PROPHETA *Baruch.*
  - EPISTOLA *Hieremiæ.*
  - CANTICVM *trium puerorum.*
  - HISTORIA *item*
    - *Suſannæ*
    - *&*
    - *Belis.*
  - SOMNIVM *Mardochei.*
  - EZRAE *lib.*
    - *Tertius*
    - *&*
    - *Quartus.*
  - MACHABAEORVM *Quatuor, quorum duos priores Latinos, alterum ex Hebræo, alterum ex Græco, Græcos verò omnes 4. habemus, ait Medina libro 6. capite 2.*

HODIE NONNVLLOS ETIAM LIBROS, QVI ab Hebræis numerātur inter Apocryphos, eſſe Canonicos & Authenticos, ex Eccleſiaſtico probatur vſu. ex Medina.

VALET apud integros Chriſtianos, ſemperque valuit multùm Eccleſiaſticus vſus, præſertim ſanctorum Patrū authoritate probatus, quo ex his libris, quemadmodùm & ex alijs ſanctæ ſcripturæ voluminibus, in diuinis officijs, ad inſtructionem fidelium lectiones aſſumuntur. Cur enim ſanctos Pontifices, qui huius ſancti miniſterij inſtitutores creduntur, Ambroſium dico, Gelaſium, Gregoriū, Leonem &c. incertas & Apocryphas doctrinas, quibus nihil magìs formidârunt & oderunt, inſtituendis populis propoſuiſſe credamus, præſertim cùm multa eſſent in ſancta ſcriptura volumina, quæ illorum loco legi potuiſſent? Sunt autem in hoc genere tot teſtimonia, tum in totius anni liturgijs, tum in Canonicarum Horarum lectionibus, capitulis, antiphonis, reſponſorijs &c. vt huc nō niſì cum maximo lectoris tædio deducantur.

SEQVVNTVR in martyrum, cōfeſſorum, virginum & viduarum Miſſis, ſub titulo libri Sapientiæ, tum ex ipſo Sapientiæ libro, tum ex Eccleſiaſtico, penè omnes lectiones. Ex Machabæorum libris, factum illud Iudæ memorabile, quo pro his, qui ceciderant in prçlio, oblationes Hieroſolymas miſerat, quemadmodùm & Epiſtola Paulina recitatur in defunctorum liturgia: Tobiam, Iudith, & Heſter per menſis Septembris Dominicos dies, quemadmodùm librum Sapientiæ per eos, qui celebrantur in Auguſto, & Libros Machabæorum per menſem Octobrem, Epiſtolam Pauli ad Hebræos per tres ferias maioris hebdomadæ, ex vetuſta eccleſiaſtica conſuetudine, legi, cum multorum Epiſcoporum concilio docet Gelaſius C. Sancta Rom. Eccleſia, diſtinct. 15.

APOCALYPSIS Ioannis, tres epiſtolæ ſub nomine & titulo Ioannis Apoſtoli, Iacobi, Petri prima ac ſecunda, necnon & epiſtola Iudæ Apoſtoli, ſub horū titulis, per quinque illas hebdomadas, quç Pentecoſten & feſtum reſurrectionis interiacent, quaſi diuinæ ſcripturæ, ad inſtructiōem fidelium, ab Eccleſia leguntur. Librum Baruch Sabbatho ſancto, & Suſannæ hiſtoriam ſabbatho poſt Dominicam tertiam Quadrageſimç, adulteræ hiſtoriam eodem ſabbatho, Vltimum Marci capitulum ipſo ſancto Dominicæ reſurrectionis die, quaſi ſanctæ ſcripturæ portiones, quibus tanta myſteria confirmari oportebat, proponit Eccleſia. Atque hæc quidem, quæ pro iſtorum voluminum diuinitate aſſerenda tum ex Concilijs & Patribus, tum ex vſu Eccleſiaſtico protulimus, tanta ſunt argumenta, vt neminem, quanuìs hæreticum, & Eccleſiaſticæ doctrinæ infenſiſſimum hoſtem, eis niſì cum manifeſto leuitatis indicio, reſiſtere poſſe appareat. D. Michael de Medina, lib. 6. De recta in Deum fide, cap. 10. per totum.

QVAE RA-

QVAE RATIONES ECCLESIAM PERMOVE- *rint, vt hos libros veteris Teſtamenti, Catalogo diuinorum librorum aſſcriberet. ex eodem.*

SED iam quæ rationes Eccleſiam impulerint, vt eos libros de quibus in tabula vigeſimaptima, quaſi Canonicos coleret, paucis accipies. Inuenit in libro Sapientiæ, IESV Saluatoris noſtri mortis & paſſionis non tam Prophetiam, quàm expreſſam hiſtoriam, Sap. 2. Inuenit in Eccleſiaſtico libro præter auguſtiſſima illa præcepta viuendi, quæ Deum authorem non obſcurè prætendunt, nomine diuinæ ſapientiæ, diuini verbi proceſſum, & humanæ carnis, quam aſſumptura erat, manifeſtum oraculum, aliaque multa, quæ vniuerſis Eccleſiaſticæ reipublicæ partibus, Martyribus, Virginibus, Confeſſoribus, & ante hos ordines, Apoſtolis ipſis conuenire probantur, Eccle. 24. Inuenit in Tobia clariùs, quàm alibì ſcripturarum, alterius vitæ fieri rationẽ. Vitam, inquit, illam expectamus, quam Deus daturus eſt ijs, qui fidem ſuam nunquàm mutant ab eo. Tob. 2. Inuenit in eodem præter admirandum illum prouidentiæ ordinem, quo quorsùm iuſti nõnunquàm affligantur, inſtruimur, non modò angelicos Spiritus eſſe, contra Sàducæorum inſaniam, ſed etiam in miniſterium noſtrum cęlitùs ſupremos quoſq; deſcendere, quod Paulus ſcribit Heb. 1. Inuenit demùm in eo, non modò nuptias Deo acceptas, quod hæretici negãt, ſed & eaſdem angelico miniſterio honoratas. Inuenit in Machabæorum libris, non tantùm futurę reſurrectionis fidem, ſanctiſſimi Ducis teſtimouio cõnfirmari, ſed & Purgatorias pœnas, & defunctorum parentationes ſtatui. Inuenit in Iudith hiſtoria, ſanctiſſimæ virginis quæ iuxta diuinum oraculum caput ſerpentis contriuit, expreſſiſſimum typum. Geneſ. 3. Inuenit in Baruch Prophetia, quemadmodùm in Eccleſiaſtico, ſapientiæ figura, irrefragabile diuinæ incarnationis oraculum. Hic eſt, inquit, Deus noſter, & non reputabitur alius ad eum. Baruch. 3. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quo magìs miror, librum hunc, cum Epiſtola Hieremiæ, inter Apocrypha reijci à quodam ex noſtris, leuiſſimo argumento, quòd ſcilicet non ſit in Hebraico Canone, quaſi verò eccleſiaſticas ſcripturas Hebraico Canone aut lingua metiri liceat. Medina lib. 6. De recta in Deum fide, cap. 16. Ludouic. Carbaial.

VT AR-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VT ARGVMENTO BIBLICI DIFFERANT LIBRI,

& primùm de Partitione veteris Teſtamenti, ex Damaſceno. TAB. 24.

- IOANNES *Damaſcenus catalogum librorum veteris teſtamenti diuiſit*
  - IN QVAtuor *Pẽtateuchos, (id eſt, in 4. quinarios voluminum) quarum*
    - PRIMA *continet libros legales,*
      - *Geneſin,*
      - *Exodum,*
      - *Leuiticum,*
      - *Numeros,*
      - *Deuteronomium.*
    - SECVNDA, *quæ & Hagiographa, id eſt, Sanctorum ſcripta dicuntur. quæ ſunt hoc modo,*
      - *Ieſus Naue,*
      - *Iudices cum Ruth,*
      - *Regnorum primus cum ſecundo,*
      - *Regnorum tertius & quartus,*
      - *Paralipomenon duo.*
    - TERTIA *eorum, qui verſu facti ſunt libri:*
      - *Iob,*
      - *Pſalterium,*
      - *Prouerbia Salomonis,*
      - *Eccleſiaſtes,*
      - *Cantica Canticorum.*
    - QVARTA *Pentateuchus eſt Prophetica, vt ſunt*
      - *Liber vnus xij. Prophetarum,*
      - *Iſaias,*
      - *Hieremias,*
      - *Ezechiel,*
      - *Daniel.*
  - ET *duos libros,*
    - *Eſdræ primum & ſecundum,*
    - *Heſter.*
  - QVI *autem omnium virtutum doctrina referti ſunt, inter hos eſt Sapientia Salomonis & Sapientia Ieſu, quam Pater Sirach compoſuit Hebraicè, interpretatus eſt autem Græcè nepos Ieſu & filius Sirach. Studioſi quidem hi libri, pulchrique & honeſti, ſed non numerantur in Propheticis libris, neq; ponebantur in Arca. verba ſunt ipſius Damaſceni, lib. Orthodoxæ fidei 4. cap. 18.*

ALIA

ALIA PARTITIO LIBRORVM VETERIS teſtamenti, ex doctrina D. Auguſtini & IIII. Concilij Carthag. TAB. 25.

AVGVſtinus lib. 2. De Doctrina Chriſtiana cap. 8. veteris teſtamēti libros ponit 44. quos partitur in

- HISTOriam
  - CONTINVAM, *Perpetua temporum ſerie cohærentem, vt ſunt*
    - *Quinque libri Moſis,*
    - *Ieſus Naue,*
    - *Iudicum,*
    - *Ruth, qui magìs ad Regnorum principia videtur pertinere:*
    - *Regnorum Quatuor,*
    - *Paralipomenon duo.*
  - DISCRETAM, *ſeu promiſcuam tanquàm ex diuerſo ordine, quæ inter ſe non ità connectitur, neque annexa eſt. Quales ſunt*
    - *Iob,*
    - *Tobias,*
    - *Heſter,*
    - *Iudith,*
    - *Machabæorum duo, Eſdræ duo, qui magìs ſubſequi videntur ordinatam illam hiſtoriam vſque ad Regnorum vel Paralipomenō terminatam.*
- PROphetas ſic dictos
  - IMPROpriè, & *ſub quadam ſimilitudine, vt*
    - *Liber Pſalmorū,*
    - *Prouerbiorum,*
    - *Cantica Canticorū,*
    - *Eccleſiaſtes,*
    - *Sapientia,*
    - *Eccleſiaſticus.*
    - *Hos duos quidē Auguſtinus ſimilitudine quadā Salomonis eſſe, ſed à Ieſu filio Sirach ſcriptos, & eſſe, cōſtanter aſſeruit. Quam ſententiam tamen, quo ad librum* SAPIENTIAE, *libro retractat onū ſuorū 2. cap 4. iterùm reuocauit. Vtrunque verò ſimilitudine quadam eſſe Salomonis, id nunquàm negauit.*
  - PROPRIE
    - *Minores, id eſt, minus principales, 12.*
      - *Oſee,*
      - *Iohel,*
      - *Amos,*
      - *Abdias,*
      - *Ionas,*
      - *Michæas,*
      - *Nahum,*
      - *Abacuc,*
      - *Sophonias,*
      - *Aggæus,*
      - *Zacharias,*
      - *Malachias.*
      - *Hi quoniam nunquàm ſeiuncti, ſed perpetuò connexi ſunt, pro vno tantùm habentur.*
    - *Maiores ſiue principales 4.*
      - *Eſaias,*
      - *Hieremias,*
      - *Ezechiel,*
      - *Daniel.*

His xliiij. libris, vt idem ait Auguſtinus, totius veteris teſtamenti terminatur authoritas. In quibus omnibus, timētes Deum & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei: & in quibus inueniuntur omnia, quæ continent fidem moresque viuendi, ſpem ſcilicet atque charitatem. ibidem. cap. 9.

QVOMODO

QVOMODO TRACTATIONE VETERIS LEGIS differant libri. Ex compendio Petri Aureoli. TAB. 26.

VETERIS *teſtamenti explicatio pro diuerſa docendi ratione varia eſt, & in ſex diuiditur partes: Quarum alia eſt*

- POLITICA, *quæ legis Moſaicæ continet quaſi ſummam, vt in Pentateucho: cuius veluti partes ſunt,*
  - *Geneſis,*
  - *Exodus,*
  - *Leuiticus,*
  - *Numeri,*
  - *Deuteronomium.*
- CHRONICA, *quæ ſacram deſcribit hiſtoriam, & decem abſoluitur libris: videlicet*
  - *Ioſue,*
  - *Iudicum,*
  - *Ruth,*
  - *Regum IIII.*
  - *Paralipomenon II.*
  - *Eſdræ IIII.*
  - *Tobiæ,*
  - *Iudith,*
  - *Eſther,*
  - *Machabæorum.*
- POETICA *ſiue hymnidica, & quaſi decantatiua: cuius partis libri ſunt III.*
  - *Pſalmorum,*
  - *Threnorum,*
  - *Canticorum.*
- DIALECTICA, *& diſputatiua: quo in genere verſantur libri duo:*
  - *Iob, &*
  - *Eccleſiaſtes.*
- ORATORIA, *quæ prophetica dicitur, ſeu quaſi declamatoria, & diuiditur in homilias ſiue ſermones*
  - *Eſaiæ,*
  - *Hieremiæ,*
  - *Baruch,*
  - *Ezechielis,*
  - *Danielis,*
  - *Et in libros XII. prophetarum,*
    - *Oſee,*
    - *Iohelis.*
    - *Amos,*
    - *Abdiæ,*
    - *Ionæ,*
    - *Michææ,*
    - *Nahum,*
    - *Abacuc,*
    - *Sophoniæ,*
    - *Aggæi,*
    - *Zachariæ,*
    - *Malachiæ.*
- ETHICA, *ſiue moralis, de qua in tribus agitur libris, ſcilicet*
  - *Prouerbiorum,*
  - *Sapientiæ,*
  - *Eccleſiaſtici.*

SEQVL

SEQVITVR ADHVC ALIA LIBRORVM VETERIS Teſtamenti Partitio vulgaris, ex ſententia Latinorum Theologorum, eodem ferè modo & ordine, quomodò ſuprà eccleſiaſticus partitus eſt Canon. TAB. 27.

LATINI Theologi cōmuniter corp⁹ vtriuſq; teſtamēti, quadrifariam diuidere ſolent, in libros ſcilicet

- LEGALES, *quorū nomine appellant 5. libros Moſis,*
  - GENESIN,
  - EXODVM,
  - LEVITICVM,
  - NVMEROS,
  - DEVTERONOMIVM.
  - *Quibus in nouo teſtamento correſpondent 4. Euangelia,*
    - *Matthæi,*
    - *Marci,*
    - *Lucæ,*
    - *Ioannis.*
- HISTORIALES, *ſub quorum appellatione comprææhendunt libros decem & ſeptem:*
  - IOSVE,
  - IVDICVM,
  - RVTH,
  - REGVM *IIII.*
  - PARALIPOMENON *II.*
  - ESDRAE *cum Nehemia,*
  - TOBIAE,
  - IVDITH,
  - HESTER,
  - IOB,
  - MACHABAEORVM *lib. 2.*
  - *Quibus correſpondent Acta Apoſtolorum.*
- SAPIENTIALES, *quales ſunt vj.*
  - PSALTERIVM,
  - PROVERBIA *Salomonis,*
  - CANTICA *Canticorum,*
  - ECCLESIASTES,
  - SAPIENTIA,
  - ECCLESIASTICVS.
  - *Quibus reſpondēt epiſtolæ*
    - *Pauli quatuordecim,*
    - *Canonicæ ſeptem.*
- PROPHETALES, *faciunt xvj.*
  - ESAIAM,
  - HIEREMIAM, *cum Baruch*
  - EZECHIELEM,
  - DANIELEM,
  - DVODECIM *Prophetas minores.*
  - *Quibus reſpondet Apocalypſis.*

DE CONCILIATIONE DVBIORVM, QVAE ex varietate prædictarum differentiarum ſuboriri poſſe videntur. TAB. 28.

EX TOT *tamq; varijs librorum veteris Teſtamenti differentijs duæ naſcuntur difficultates, Quarum eſt*

- VNA *de numero,*
- ALTERA *de collocatione.*

} LIBRORVM.

DE PRIMA DIFFICVLTATE, QVAE ORITVR ex varietate Numeri. TAB. 29.

VETEris *teſtamenti libros Alij*

- SEORSIM *ponunt, atque ſingulatim diſiungunt in vniuerſum omnes, cõnumeratis etiam particularibus, qui alioquì ſub alijs veluti generalioribus contineri videntur: & horum aliqui numerant*
  - XLV. *Idque iuxta communem ſupputationem, quæ in Eccleſiaſtico habetur Canone, vt Concil. Florent. & Trident. ſeſſ. 4.*
  - XLVI. *Qui Threnos ſiue Lamentationes Hieremiæ, ab ipſius ſeiungunt Prophetia, atque ſic priorem numerum vno augent libro.*
- LIBROS *particulares aliquos ſub generalibus comprehendũt capitibus: Et libros faciunt modò*
  - XLIIII. *Iuxta Partitionem Auguſtini, eô quòd is libri Baruch prorsùs nullam ibi fecerit mentionem. In cæteris autem conuenit cum Florentini & Tridentini concilij ſententia.*
  - XXII. – XXIIII. *vt ſecundùm Hebræos Hieronymus. Qui*
    - *Duodecim Prophetas in vnũ contraxit volumen.*
    - *Pro Regum autem Quatuor, ponit tantum duos.*
    - *Obmiſſis penitùs ijs, quæ dicuntur Iudæis Apocrypha.*
    - *Atq; ſic,*
      - *Si hiſtoria Ruth, Iudicum libro, & Threnorum liber, prophetiæ illigatur Hieremiæ, xxij.*
      - *Sin verò ſinguli pro ſingulis accipiantur tractatibus, 24. ſiũt libri.*

DE SE-

DE SECVNDA DIFFICVLTATE, QVAE EX diuerſitate ordinis ſiue collocationis oritur. TAB. 30.

DE LI*brorũ veteris teſtamenti collocatione*

- MOVEN*tur tria:*
  - CVR *Auguſtinus Pentateuchum, hoc eſt, quinque libros Moiſis quos alij omnes inter legales numerant, Chronicis aſſcribere maluerit.*
  - QVID *rurſus mouerit Hieronymum, quòd libros hiſtoricos retulerit in ordinem Prophetarum.*
  - ET *quæ deniquè fuerit cauſa, ob quam inter hagiographa ſeorſim ponantur aliqua, quæ rectius multò ad iſtorum ordinem aliquem, ad hiſtoriam videlicet vel Prophetas, pertinere videntur.*
- SOLVVN*tur partim*
  - EX VI *nominum*
    - L*egis, quæ accipitur interdum*
      - *Generaliter* — *Pro* — T*oto veteri teſtamẽto, vt apud Diuũ Paulũ Ro. 3. ad Gal. 4. & 5. & in alijs multis locis.*
      - *Specialiter* — *Pro* — *Quinque libris Moiſis, vt Matthæi 22. 11. 7.*
    - *Hiſtoriæ, quæ duas habet ſignificationes:*
      - *Strictam, vt in libris Iudicũ, Ruth, Regum, Paralipomenen &c.*
      - *Largam, & ſic etiam quinque libri Moiſis, non abſurdè referri poſſunt ad hiſtorica. Gloſs. in Prolog. ad Lib. Regum.*
    - *Prophetiæ, qua vtimur pro libro aut*
      - *Ab aliquo prophetarum edito. Qua ſignificatione libri Ioſuæ, Iudicũ, Samuel, Malachim &c. dici poſſunt prophetici.*
      - *Stylo & oratione Prophetica ſcripto, vt Eſaiæ, Hieremiæ, & reliquorum eius ordinis monumenta. Gloſs. vbi ſuprà.*
  - PARTIM *verò, & ſi de quibuſdam inter hagiographa poſitis dubitari aliquo modo poſsit, ad hiſtoricáne, an prophetica, aut alium proprium locum & ordinem ſint referenda, facilè tamen has & ſimiles difficultates ſuperabit is, qui prædictæ primùm diſtinctionis, deindè verò illius diligẽter meminiſſe voluerit, quod ex ſeptimo & vndecimo cap. Matthæi ſuprà repetitum fuit, Nullam ſcilicet eſſe ſcripturam, quæ non vel ad legem, vel ad Prophetas, vel ad Pſalmos pertinere videatur: ac ob id adeò abſurdum non eſſe, quòd vna eademq́ ſcriptura, diuerſo habito reſpectu, ad plures & diuerſos referatur fontes.*

QVI LIBRI VETERIS TESTAMENTI NVNC deſiderentur. TAB. 31.

SVNT PRAEter iam numerata legis diuinæ volumina, quæ modò manibus terimus, & alia multa, quæ vel eius gentis frequẽtibus excidijs, vel temporũ iniuria, vel demùm (quod magis eſt credibile) ꝙ ad eccleſiaſtici regni gubernationem, & ciuium ſalutem neceſſaria non eſſent, prorſus interciderũt. Quæ ſunt, Partim

- HISTORICA, vt liber
  - BELLORVM *Domini,*
  - IVSTORVM,
  - VERBORVM *dierũ Salomonis, id eſt, rerum ſub regno illius geſtarum,*
  - VERBORVM *Regum Iſrael,*
  - REGVM *Iuda & Iſrael.*
  - *Q(ui) citantur*
    - *Numerorum* 21.
    - *Ioſue* 10. &
    - 2. *Regum* 1.
    - 3. *Regum* 11.
    - 3. *Regum* 14.
    - 3. *Regum*. 15.
- PROPHETICA, *qualia ſunt*
  - ASARIAE *filij Obed,*
  - ANANI,
  - MICHAEAE *filij Zemla,*
  - IAZIELIS *filij Zachariæ,*
  - ELIEZER *filij Dodan.*
  - OBED,
  - SEMEIAE,
  - VRIAE.
  - *Ad*
    - *Regem Aſa & omnem Iudam & Beniamin, 2. Paralip.* 15.
    - *Eundem, 2. Paralip.* 16.
    - *Achab regem Iſrael, & Ioſaphat regem Iuda, 3. Reg.* 28.
    - *Ioſaphat & omnem Iſrael, 2. Paralip.* 20.
    - *Eundem Ioſaphat, 2. Paralip.* 28.
    - *Vniuerſum Iſrael, 3. Regum* 12.
    - *Roboam regem Iuda, 4. Reg.* 14.
    - *Contra Hieruſalem & terram Iuda, Hiere.* 26.
- PROMISSA, *hoc eſt, tam hiſtorica quàm ꝓphetica, ex quibus ſunt libri*
  - SAMVELIS *Videntis, id eſt, Prophetæ.*
  - NATHAN *Prophetæ.*
  - GAD *Videntis.*
    - (1. *Paralipomenõ vltimo.*)
  - NATHAN *Propheta,*
  - ACHIAS *Silonites,*
  - ADDO.
    - (*Qui ſcripſerũt Hiſtoriã Salomonis, 1. Paralip. 29. 2. Paralip.* 9.)
  - OZAI *Prophetia, 2. Paralip.* 33.
  - IONADAB *Rechabitæ ſtatuta, Hieremiæ 35. & 4. Reg.* 8.
  - IEHV *filij Anani, Ioſaphat hiſtoria, 2. Paral.* 20.
  - OZIAE *Regis Iudæ hiſtoria, ab Iſaia filio Amos ſcripta, 2. Paralip.* 26.
  - DESCRIPTIONES *Hieremiæ Prophetæ, 2. Machab.* 2.
  - IOANNIS *Hyrcani liber dierum, 1. Mach. vlt. D. Mich. Medina lib. De recta in Deum fide 6. cap.* 5.

DE EIS-

DE EISDEM SCRIPTIS, QVAE IN SACRO- *rum Bibliorum Scriptura commemorantur quidem, ſed nuſquàm inueniuntur, Sententia diui Athanaſij.*

QVI Nathan, Addô, Achiæ Silonitæ, Semei & Iehu, in libr. Regum, libri eſſe ſcribuntur, non habentur. Prophetæ verò, qui quæ prophetârunt, ſcriptis quidē mandârunt, ſed non inueniuntur, hi ſunt: Pſalmorum Dauidis trium milliū numerus fuiſſe, in Paralipomenis ſcribitur: è quibus tamen CL. tantùm, ab amicis Ezechiæ regis ſelecti, reliqui verò abſconditi ſunt. Quinque millia parœmiarum à Salomone edita eſſe, ſcriptura in Paralipomenis tradit: nunc verò non ſunt niſi Eccleſiaſticæ illæ, & Cantica Canticorum. Ex pluribus, quæ myſticæ ſunt, ſelectas eſſe ſcriptum eſt, cùm & quinque millia Canticorum Salomonis fuerunt. Et loquutus eſt de arboribus à Cedro quæ in Libano eſt, ad Hyſopum vſque quæ è muro naſcitur. Locutus eſt etiam de iumentis, de volucribus, de reptilibus, & de piſcibus. Et hæc tamen nuſquàm in Hebraicis literis reperiuntur. Ioſephus Prophetam Ezechielē duos Prophetiæ libros ſcripſiſſe narrat. Nos verò iam vnum duntaxàt inueniri ſcimus. Itaque hæc omnia per impiorum Iudęorum amētiam & incuriam interijſſe manifeſtum eſt. Athanaſius in fine Synopſis.

QVID DE HIS LIBRIS CVIQVE SENTIEN- *dum ſit atque tenendum, iudicium Origenis.*

DE his libris, qui in vetere illo ſtatu Eccleſiæ citantur, nec in noſtris Biblijs inueniuntur, ſic inquit Origenes: Operoſum eſt, ſi velimus nunc inquirere, quàm multorum librorum commemoratio fiat in ſcripturis diuinis, quorū lectio nulla nobis omninò eſt tradita: ſed neque apud Iudęos quidem vſum huiuſmodi reperimus lectionum, quæ ſiue propterea quòd aliqua ſupra humanam intelligentiam cōtinebant, placuit Spirituiſancto ferre de medio: ſiue quòd eſſent de ſcripturis, quæ vocantur Apocryphæ, pro eo quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad authoritatem. Supra nos eſt, pronunciare de talibus. Illud tamen palàm eſt, multa vel ab Apoſtolis, vel ab Euangeliſtis exempla eſſe prolata, & nouo teſtamento inſerta, quæ in his ſcripturis, quas Canonicas habemus, nunquàm legimus: in Apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipſis oſtendūtur aſſumpta. Origenes Homil. 1. in Cantic.

HACTENVS de veteris Teſtamenti Canone, poſthàc de ordine illorum agendum erit voluminum, quæ nouum conſtituunt Teſtamentum.

DE SECVNDO SACRAE SCRIPTVRAE ORDINE, Qui libri noui ſint Teſtamenti. TAB. 32.

LIBRORUM *Noui teſtamenti alij*

- **SANCTORVM** *Patrum cura & diligentia aſſeruati, ac nobis per manus velut integri ſunt traditi, vt ſunt*
  - **EVANGELIA** *quatuor*
    - *Matthæi,*
    - *Marci,*
    - *Lucæ,*
    - *Ioannis.*
  - **EPISTOLAE** *ſiue Catecheſes aut*
    - *Vniuerſales, id eſt, vniuerſis ſcriptæ eccleſijs, 7.*
      - *Iacobi Apoſtoli vna,*
      - *Petri Apoſtolor. principis 2.*
      - *Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ III.*
      - *Iudæ vna.*
    - *Particulares Paulinæ 14. quæ ſcriptæ ſũt ad certos aut*
      - *Populos, ad*
        - *Romanos vna,*
        - *Corinthios duæ,*
        - *Galatas vna,*
        - *Epheſios vna,*
        - *Philippenſes vna,*
        - *Coloſſenſes vna,*
        - *Theſſalonicenſes 2.*
        - *Hebræos vna.*
      - *Perſonas, ad*
        - *Timotheum II.*
        - *Titum I.*
        - *Philemonem I.*
  - **ACTA** *Apoſtolorum, quæ primitiuæ eccleſiæ continent*
    - *Praxim,*
    - *Vſum,*
    - *Executionem.*
  - **APOCALYPSIS,** *id eſt, Reuelatio B. Ioannis, in quo libro deſcribitur futurus Eccleſiæ ſtatus.*
- **HAERETICORVM** *prauitate vitiati & corrupti ſunt, Vt*
  - **EVANGELIA**
    - *Andreæ,*
    - *Thomæ,*
    - *Bartholomæi,*
    - *Thadæi,*
    - *Barnabæ,*
    - *Nicodemi, &*
    - *Nazaræorũ.*
  - **ACTVS DIVINORVM**
    - *Petri,*
    - *Andreæ,*
    - *Philippi, &*
    - *Thomæ geſta.*
  - **ET** *alia id generis ſcripta plurima, quæ numerantur à Gelaſio in c. Sancta Romana Eccleſia, Diſtinct. 15.*
  - *Quæ ſi vocentur apocrypha, credendum eſt id fieri,*
    - *Non quòd omninò ab Apoſtolicis viris non fuerint cõpoſita:*
    - *Sed quòd hæretica verſutia, Deo (quòd illa, quæ modò habemꝰ, ſufficerent) permittente, eadem mendacijs infecerit.*

DE LI.

DE LIBRORVM NOVI TESTAMENTI PARTIBVS atque differentijs. TABVLA 33.

VT VETERIS, *ſic noui etiam Teſtamenti libri differunt.*
- AVTHORITATIS *præiudicio,*
- RATIONE *argumenti,*
- GENERE *Doctrinæ.*

DE PARTITIONE LIBRORVM NOVI TESTAmenti Ab Authoritate. TABVLA 34.

EX HOC *fonte noui Teſtamenti libros dictũ eſſe alios*
- CERTOS, *& indubios ſiue Canonicos, quibus à nemine contradicitur, quales ſunt iam numerati omnes, exceptis tantùm aliquibus controuerſis.*
- INCERTOS *atque dubios, de quibus à nonnullis dubitatum eſt, & inter Apocrypha ſcripta numerabant, Vt*
  - *Apocalypſis Ioannis,*
  - *Epiſtola Pauli ad Hebræos,*
  - *Iacobi Canonica,*
  - *Petri poſterior,*
  - *Ioannis duæ poſtremæ,*
  - *Epiſtola item* IVDAE,
  - *Et quædam aliæ ſcripturæ partes, quarũ & Authoritas & Authores vocãtur in q̃ſtionem, vt ſunt*
    - *Marci Euangeliſtæ cap.* 16.
    - *Hiſtoria adulteræ Ioan.*8. *Medina d. lib.*6.*cap.*7.

QVAS OB CAVSAS PER ECCLESIAM ILLI etiam libri, quibus ab aliquibus fuit contradictum, in Canonem ſint recepti. TABVLA 35.

HODIE SVprà *nominati libri, tam Veteris quàm noui Teſtamenti omnes Canonici ſunt, & authentici: idq́; tam propter*
- SANCTIMONIAM *myſteriorum in illis contentam. Lex enim Domini immaculata eſt. Pſal.*18. *& eloquia eius caſta, Pſalm.*11.
- DOCTRINAE *Chriſtianæ*
  - *Veritatem,*
  - *Vnitatem,*
  - *Certitudinem:*
  - *Vtpotè in qua nihil eſt*
    - *Neq; contrarium, Epipha. contra Audianos. Et Aug. de ciuitate Dei. lib.*18.*cap.*41.
    - *Neq; ſuperfluũ.* Matth.5. *Iota vnũ aut vnus apex non præteribit.*
- AVTHORITATEM *Eccleſiæ inconuulſam, quæ tanta eſt, vt D. Auguſtinus ei, qui præter eas, quas Catholica receperit Eccleſia, aliquas ſcripturas vel authenticas habendas eſſe crediderit, vel ſaltem vt authenticas veneratus fuerit, anathema dicere nõ ſit veritus. Sermone* 129. *De tẽpore. &* 1. *Concil. Tolet. ca.*21.

VT DIVERSITATE ARGVMENTI, NOVI Teſtamenti differant libri. TABVLA 36.

NOVI QVOQVE *Teſtamenti libri ſunt alij*

- LEGALES, *vt quatuor Euangelia:*
- HISTORIALES, *qualia ſunt Acta Apoſtolorum.*
- SAPIENTIALES, *ſiue catechiſtici, vt ſunt Epiſtolæ tam*
  - *Paulinæ, quàm*
  - *Canonicæ.*
- PROPHETICI, *qualis eſt Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli.*

A GENERE DOCTRINAE, QVAE OBſeruanda ſit differentia. TABVLA 37.

IN LIBRIS *Noui Teſtamenti agitur de Chriſtianæ & Catholicæ Eccleſiæ*

- CAPITE & *fundamento, hoc eſt, De*
  - *Chriſto &*
  - *Recta in Deum fide:*
  - *Quorũ*
    - *Cognitio*
    - *&*
    - *Authoritas*
    - *In quatuor explicatur Euangelijs.*
- &
- STATV, *in quo conſiderantur*
  - *Initia,*
  - *Progreſſus,*
  - *Finis.*
  - *Vt in*
    - *Actis Apoſtolorum,*
    - *Epiſt. Apoſt.*
      - *Pauli*
      - *Et aliorum.*
    - *Apocalypſi.*

DICTIO-

DICTIONIS QVOQVE SPECIE, NON NOVI tantùm, ſed vtriuſque omninò teſtamenti libros inter ſe differre, ex ſententia Iunilij antiquiſſimi rerum Sacrarum ſcriptoris oſtenditur. TABVLA 38.

SPECIes dictionis, qua Sacra cõcepta eſt ſcriptura, ſunt Quatuor:

- HISTOrica, quæ continetur in libris 17.
  - GENESIS 1.
  - EXODI 1. *Leuitici* 1.
  - NVMER. 1. *Deuterono.* 1.
  - IESV *Naue* 1. *Iudicum* 1.
  - RVTH 1.
  - *Reg. ſecũdum*
    - *Hebr.* II.
    - *Nos,* IIII.
  - EVANGELIORVM 4.
  - ACTVVM *Apoſtolorum* 1.
  - *Quibus adiungunt*
    - *Paralipomenon* 2.
    - *Iob* 1.
    - *Ezræ* 1.
    - *Iudith* 1.
    - *Heſter* 1.
    - *Machabæorum* 2.
- PROPHETICA, *quæ ſuſcipitur in libris decem quoquè & ſeptem:*
  - PSALMORVM CL. *lib.* 1.
  - ISAIAE 1. *Oſeæ* 1.
  - IOHEL 1. *Amos* 1.
  - ABDIAE 1. *Ionæ* 1.
  - MICHAEAE 1. *Nahum* 1.
  - SOPHONIAE 1. *Abacuk* 1.
  - HIEREMIAE 1. *Ezechielis* 1.
  - DANIELIS 1. *Aggæi* 1.
  - ZACHARIAE 1. *Malach.* 1.
  - *Cæterùm de Ioannis Apocalypſi apud Orientales aliquandò dubitatũ fuit.*
- PROVERBIALIS, *qualis accipitur in duobus libris*
  - SALOMONIS *Prouerb. lib.* 1.
  - ECCLESIASTIS *lib.* 1.
  - IESV *filij Sirach. lib.* 1.
  - *Adiungunt*
    - *Librum qui vocatur Sapientiæ,*
    - *Cantica Canticorum.*
- SIMPLICIS *Doctrinæ, ad quã pertinent libri Canonici* XVII. *id eſt,*
  - EX *epiſtolis Pauli Ad*
    - *Romanos* 1.
    - *Corinthios* 2.
    - *Galatas* 1.
    - *Epheſios* 1.
    - *Philippenſes* 1.
    - *Coloſſenſes* 1.
    - *Theſſaloniceñ.* 2.
    - *Timotheum* 2.
    - *Titum* 1.
    - *Philemonem* 1.
    - *Hebræos* 1.
    - *Adiungunt alias apoſtolorũ Epiſtolas Canonicas, id eſt,*
      - *Iacobi vnam,*
      - *Petri ſecundam,*
      - *Ioannis duas reliquas,*
      - *Iudæ vnam.*
  - *B. Petri prima,*
  - *B. Ioannis prima,*

QVIS TAN-

QVIS TANDEM EX HIS OMNIBVS CERTVS SAcrę ſcripturę colligendus ſit Canon, & primùm de veteris Teſtamenti Canone. TABVLA 39.

NVMERVS *librorum veteris Teſtamenti, ſecundum Eccleſiaſticum Canonem hic eſt:*

- GENESIS,
- EXODVS,
- LEVITICVS,
- NVMERI,
- DEVTERONOMIVM,
- IOSVE,
- LIBER *Iudicum,*
- RVTH,
- REGVM *vnus,*
- 10. REGVM *ſecundus,*
- REGVM *tertius,*
- REGVM *quartus,*
- PARALIPOMENON *primus,*
- PARALIPOMENON *ſecundus,*
- ESDRAE *primus,*
- NEHEMIAS, *qui & Eſdræ ſecundus,*
- TOBIAS,
- IVDITH,
- ESTHER,
- 20. IOB,
- LIBER *Pſalmorum,*
- PROVERBIA *Salomonis,*
- ECCLESIASTES,
- CANTICA *Canticorum,*
- LIBER *Sapientiæ,*
- ECCLESIASTICVS,
- *Eſaiæ Prophetia,*
- *Hieremiæ,*
- *Baruch,*
- 30. *Ezechielis,*
- *Danielis,*
- *Oſeæ,*
- *Ioëlis,*
- *Amos,*
- *Abdiæ,*
- *Ionæ,*
- *Michææ,*
- *Nahum,*
- *Abacuk,*
- 40. *Sophoniæ,*
- *Aggæi,*
- *Zachariæ,*
- *Malachiæ,*
- *Machabæorum primus,*
- 45. *Machabæorum ſecundus.*

Libros *Extra* (*Tertium & Quartum*) & *Machabæorum* (*Tertiũ item & quartũ*): *Eccleſia, ꝗ in his nulla appareant diuinitatis veſtigia, tanq̃ apocryphos ac nothos ſeu ſpurios abiecit. Medina.*

QVIBVS *libris ſacris apud Iudæos olim tanta habita eſt reuerentia, vt iuxta illos nullo modo ſederent, ſed in altum ſupra ſe ponerent, nè à quouis indignius tractarentur: ſecuti in hoc præceptum Moiſis, qui Deuteronomij 31. ſic ait: Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri. Nicolaus de Lyra, in Lucæ cap. 4.*

DE CANONE NOVI TESTAMENTI Eccleſiaſtico. TABVLA 40.

LIBRI CAnonici noui Teſtamenti ſunt hi:

- EVANGELIVM *ſecundum Matthæum.*
- EVANGELIVM *ſecundum Marcum.*
- EVANGELIVM *ſecundum Lucam.*
- EVANGELIVM *ſecundum Ioannem.*
- ACTA *Apoſtolorum.*
- *EPISTOLÆ*
- PAVLI *ad Romanos:*
- AD *Corinthios prima:*
- AD *Corinthios ſecunda:*
- AD *Galatas:*
- 10. AD *Epheſios:*
- AD *Philippenſes:*
- AD *Coloſſenſes:*
- AD *Theſſalonicenſes prima:*
- AD *Theſſalonicenſes ſecunda:*
- *Ad Timotheum vna:*
- *Ad Timotheum ſecunda:*
- *Ad Titum:*
- *Ad Philemonem:*
- *Ad Hebræos.*
- *Catholicæ.*
- 20. *Iacobi vna:*
- *Petri prima:*
- *Petri ſecunda:*
- *Ioannis vna:*
- *Ioannis ſecunda:*
- *Ioannis tertia:*
- *Iudæ vna:*
- 27. *Apocalypſis.*

DE SVMMA LIBRORVM VTRIVSQVE Teſtamenti. TABVLA 41.

LIBRORVM *vtriuſque Teſtamenti, iuxta opinionem*

- GLOSSAE 1. *Paral. ca. 23. & 25. ſunt*
  - VETERIS *Teſtamenti* XLV.
  - NOVI XXVII.
  - *Summa* LXXII.
- QVORVNDAM, *Teſtamẽti quidem*
  - VETERIS XLVII.
  - NOVI XXVII.
  - *Summa* XXIIII.

Sed recepta magìs eſt, imò ab Eccleſia approbata, gloſſæ opinio,

- *Cùm propter ſacra ibi huius numeri 72. explicata myſteria,*
- *Tum quia Eſdræ 3. & 4. non ſint Canonici.*

QVID EX HIS LIBRIS TAM VETERIS quàm noui teſtamenti omnibus, Chriſtiano lectori ſit quærendum. Ex Auguſtino.

IN his omnibus libris timentes Deum & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei. Cuius operis & laboris prima obſeruatio eſt, nôſſe iſtos libros, etſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omninò incognitos non habere. Deindè illa quæ in eis apertè poſita ſunt vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, ſolertiùs diligentiuſque inueſtiganda ſunt. Quæ quanto quiſque plura inuenit, tanto eſt intelligentia capacior: In ijs enim quæ apertè in ſcriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moreſque viuendi, ſpem ſcilicet atque charitatem, de quibus libro ſuperiore tractauimus. Tum verò, facta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarum, in ea quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendũ eſt, vt ad obſcuriores locutiones illuſtrandas, de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia, dubitationem de incertis auferant. In qua re memoria valet plurimùm: quæ ſi defuerit, non poteſt his præceptis dari. Auguſt. De doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 9.

DE PRÆ-

DE PRAEFATAE COLLOCATIONIS LIBRORVM vtriuſque teſtamenti, authoribus. TABVLA 42.

PRAENOMINATI *ſacræ ſcripturæ libri ante annos mille, non dico primùm recepti, (cùm longè antiquior illorũ ſit Authoritas) ſed in eum ordinem, quo in hodiernum vſque diem in Catholica retinentur Eccleſia, Sunt*

- DIGESTI *per*
  - CANONES *Apoſtolorum. Canone* 84.
  - CONCILIA QUATUOR
    - LAODICENSE *ca.*59. *In quo licèt de libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum & Apocalypſi nulla fiat mentio, vel quia dubiũ adhuc aliquod de illis fuerit, vel quia ſancti patres iudicium de re tam graui, in alìud tempus differre voluĕrint, non tamẽ oportet ſemper dubitare, nec ab vnius Concilij authoritate negatiuè argumentari licebit, cùm ſufficiat hos libros à ſequentibus Concilijs, & paulò pòſt totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu approbatos eſſe.*
    - CARTHAGINENSE *tertium, quod ſub Aurelio celebratum eſt, ca.*47. *In quo ſupradicti libri, vnà cum illis qui in Laodicẽſi fuerant obmiſſi, omnes inter Canonicos libros numerati fuerunt.*
    - FLORENTINVM *ſub Eugenio, in quo illi ipſi libri oẽs confirmantur vt Canonici.*
    - TRIDENTINVM *Catalogum texuit eorum librorũ, quos præcedẽtia adprobârunt Concilia, eodem planè ordine & numero quo hîc ſunt poſiti. Quam ob rem poſt tot ſacra ſanctorum Conciliorum decreta, de authoritate illorum librorum ampliùs dubitare, ſaluo pudore, nemini licebit.*
- REPETITI, & *ſemper inter Canonica ſcripta poſiti, Ab*
  - INNOCENTIO *Primo, in epiſtola ad Exuperiũ Toloſanum epiſcopum, ſub finem.*
  - GELASIO *Papa Romæ cum* LXX. *Epiſcopis, diſt.*15.
  - B. DAMASCENO, *in* 4. *De orthodoxa fide libro. c.* 18.
  - ORIGENE, *In expoſitione Pſalmi primi, & in libr. commentarior. ſuper Matthæum, teſte Euſeb. lib.* 6. *hiſt. Eccleſiaſt.*
  - AVGVSTINO, *lib.*2. *De doct. Chriſtiana c.*8.
  - HIERONYMO, *in Prolog. ſuper librum Regum.*
  - RVFFINO, *in Expoſitione Symboli.*
  - EVSEBIO, *lib.*3. *cap.*25. *lib.*4. *cap.*26. *lib.*5. *cap.*8. *lib.*6. *cap.*18. *vel* 25.
  - ISIDORO *Hiſpalẽ, lib.*6. *Etymologiar. & lib. de Eccleſiaſticis officijs.* 1. *cap.*12.
  - NICEPHORO *Calliſto, lib.*5. *cap.*16.
  - NICOLAO *Lyrano, in Biblia de libris Canonicis.*
  - IOANNE *Driedone, de Eccleſiaſticis ſcripturis lib.* 1.
  - MICHAELE *Medina, lib.*6. *De recta in Deum fide.*
  - MELCHIORE *Cano, lib.*2. *De locis Theologicis.*
  - ET *alijs rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus quàm plurimis.*
- APPROBATI, *non modò longiſſima temporis præſcriptione, & vſu ſanctorum Patrum communi, ſed penſato totius Eccleſiæ Catholicæ iudicio. Cui quĩ reſiſtit, & Dei ordinationi, & Spiritûs ſancti Cenſuræ reſiſtere videtur.*

QVÆNAM

QVAENAM SCRIPTVRAE ETIAM HODIE dicantur Apocryphæ. TABVLA 43.

LIBRI qui etiam hodiè habētur Apocryphi, ſiũt Teſtamenti Aut

- VETERIS, *Vt*
  - ENOCH *Patriarchæ, oratio Ioſeph, Teſtamentum Moiſis, Aſſumptio Moiſis, Abraham, Eldad & Modad, Elæ Prophetæ, Sophoniæ Prophetæ, Zachariæ patris Ioannis, Baruch, Ambacum, Ezechiel & Daniel falsò inſcripti. Athanaſius in ſynopſi de diuinis ſcripturis, circa finem.*
- NOVI, *q numerātur partim*
  - AB *eodem Athanaſio in hæc verba: Noui inſtrumenti quibus contradicitur, ſunt hi: Circuitus Petri, circuitus Ioannis, circuitus Thomæ, Euangeliũ Thomæ, Doctrina Apoſtolorum, Clementina. Athanaſius in Synopſi circa finem.*
  - PER *Gelaſi. Papam inc. ſancta Romana Eccleſia, diſtin. 15. vt ſunt,*
    - *Itinerariũ nomine Petri, quod appellatur Sancti Clementis, lib. 8.*
    - *Actus nomine Apoſtolorum Andreæ, Philippi, Petri & Thomæ.*
    - *Euangelia Thaddæi, Thomæ apoſtoli, (quibus vtuntur Manichæi) Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, & quæ falſauerunt Lucianus & Hircius.*
    - *Liber de infantia Saluatoris, De natiuitate Saluatoris, & de ſancta Maria, & de obſtetrice Saluatoris. Liber qui vocatur Paſtoris, & libri omnes quos fecit Leuticus diſcipulus diaboli.*
    - *Item libri qui appellantur fundamentum, theſaurus, de filiabus Adæ vel Geneſis. Pentametrum de Chriſto, Actus Teclæ & Pauli, Leporius, & liber Prouerbiorũ ab hæreticis tranſcriptus, & S. Sixti nomine ſignatus.*
    - *Reuelationes quoquè quæ appellantur, Pauli, Thomæ, Stephani: & libri qui appellãtur, Tranſitus S. Mariæ, Pœnitentia Adæ, & alius liber Diogenis, nomine gigantis, qui poſt diluuiũ cum Dracone ab hæreticis pugnâſſe perhibetur.*
    - *Teſtamẽtum Iob, (aliâs Iacob) De pœnitentia Origenis, De pœnitentia Cypriani. Libri item qui appellantur Iannæ & Mambræ, ſors Apoſtolorum, Luſanæ, Canonum Apoſtolorum, & liber Phyſiologus ab hæreticis cõſcriptus, ſed B. Ambroſij nomine pſignatus.*
    - *Hiſtoria Euſebij Pamphili, & opuſcula Tertulliani ſiue Africani, &c. Quæ omnia ſunt Apocrypha.*

CENSVRA D. ATHANASII DE APOCRYPHIS.

EX his veriora quædam, & Spiritûs Dei inſtinctum reſipientia, tranſumpta, & vt legantur ſelecta ſunt. Hi omnes cognitionis gratia expoſiti ſunt, peruersè verò ſcripti, nothi ac reprobi. Et nullus iſtorum, maximè Apocryphorum, approbatur aut vtilis eſt, præſertim noui inſtrumenti, ſed omnes ab illis, qui ſuprà digeſti, & à vetuſtis ſapientibus ac Patribus approbati ſunt, diuerſi quiddam habent, digni qui abſcondantur magìs, quàm qui legantur, etiam alij, & qui inter illos Euangelia quoquè vocantur, extra quatuor illa, quæ tradita nobis ſunt. Sæpè allegat. cap. ſancta Romana Eccleſia, Diſtinct. 15.

EPILOGVS PRIMAE HVIVS ISAGOGAE PARTIS.

DE QVIBVSDAM ALIIS SACRAE SCRIPTVRAE PARTItionibus, quæ prędictis & pleniores, & vſui quotidiano magis ſunt accommodatę: quarum prima hęc eſt: TABVLA 44.

QVAEcunque de rebus diuinis vnquàm literis ſunt prodita, ſunt vel

- CANONICA, *id eſt, authentica, de quorum authoritate nemini vnquàm licet vel tantillùm dubitare, & quibus in omnibus religionis ac fidei controuerſijs plena ſemper & vbiquè adhibenda eſt fides. Quo in numero & ordine habendi ſunt dubio procul libri, tam veteris, quàm noui teſtamenti omnes, vt ſuprà in eccleſiaſtico nominati ſunt Canone.*
- HAGIOgrapha, *id eſt, ſanctis de rebus à ſanctis vel collegijs vel eccleſiarũ gubernatoribus edita: Quorũ alia*
  - PLENAM *quoquè & indubiam merentur fidem, vt*
    - *4. ſynodi: Nicena, Conſtãtinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſis, Contra hæreſim Arrianam, macedonianã, Neſtorianam, Eutychianam.*
    - *Et in vniuerſum omnia Concilia ſacra, quæ hactenus à Patribus ſanctis inſtituta, & in Spirituſancto legitimè celebrata ſunt. c. Sancta Romana. Diſt. 15.*
    - *Epiſtolæ Decretales, quas beatiſsimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Romana, pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt. ibidèm.*
  - MINORIS *ſunt fidei, quàm Scripturæ ſanctæ & Concilia generalia, vt ſunt opuſcula Cypriani, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni, Ioannis Chryſoſtomi, Baſilij, Hilarij, Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Proſperi, Leonis, & in ſumma omnium orthodoxorum Patrum, qui in nullo à S. Romanæ Eccleſiæ conſortio deuiârunt, nec ab eius fideli prædicatione ſeiuncti ſunt, ſed communionis ipſius gratia, Dei vſq; ad vltimum vitæ ſuæ participes fuerunt. De quorum ſententijs, ſalua religione, licet interdum dubitare, nec eis aliter adhibenda eſt fides, quàm ſi cum Sacra ſcriptura, & Oecumenicis conueniunt Concilijs. d. c. Sancta Ro. & D. Aug. ad Hieron.*
- APOCRYpha, *id eſt dubia, nõ Canonica neq; Authentica: Quæ ſunt duplicia, Aut enim*
  - DVBItatur *De Veritate ſcriptorum, & de Authore nõnunquàm. Cuius claſſis ſunt illa, quæ etiam hodiè diximus pro Apocryphis haberi. Vt Enoch Patriarchæ, oratio Ioſeph: Euangelia item Thomæ, Andreæ, Nicodemi: Liber de infantia Saluatoris, & itinerarium Petri. Quibus adde epiſtolam Ieſu ad Abagarum, paſsionem Georgij, Quirici & Iulitæ, &c.*
  - CONSTAT *& de authore, & falſitate ſcriptorũ, vt ſunt opuſcula hæreticorum*
    - *Iouiniani & Galli, Montani & Priſcillæ & Maximillæ, Fauſti Manichæi, Phylacteria omnia, quæ non ab angelo, vt illi confingunt, ſed magìs à dæmone, conſcripta ſunt.*
    - *Hæc & his ſimilia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Baſilides, Ebion, Paulus etiã Samoſatenus, & Bonoſus, qui ſimili errore defecerunt: Montanus quoq; cum ſuis obſcœniſsimis ſequacibus: Apollinaris, Valentinus ſiue Manichæus, Fauſtus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sebatius, Calixtus, Donatus, & Euſtachius, Iubianus, Pelagius, Iulianus & Latien. Cæleſtinus & Maximianus, Priſcillianus ab Hiſpania, Lampedius, Dioſcorus, Eutychius, Petrus, & alius Petrus, ex quibus vnus Alexandriã, alius Antiochiã maculauit, Acacius Conſtantinopolit. cum conſortibus ſuis, necnon & omnes hæreſes, quas ipſi, eorumq́; diſcipuli ſchiſmatici, docuerunt vel conſcripſerunt, quorum nomina minimè retinemus, nõ ſolùm repudiata, verùm etiam ab omni eccleſia Rom. eliminata, atq; cum ſuis authoribus authorumq́; ſequacibus ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata. d. c. Sancta Rom. diſt. 15.*

Ioan. Viguerius inſtitut. Theologiæ, De Doctrinis & dogmatibus.

DE ALIA

DE ALIA SCRIPTVRAE PARTITIONE,

quę prioris eſt ſumma quędam aut compendium. TABVLA 45.

VT IVS *Romanum, ſic Doctrina Chriſtiana aut*

- SCRIPTIONE *conſtat, & diuiditur in*
  - LEGEM,
  - *Senatuſconſulta,*
  - *Principum placita,*
  - *Magiſtratuum edicta,*
  - *Reſponſa prudentum.*
  - *Id eſt, in*
    - *Vtriuſq; teſtamenti diuinā ſcripturam.*
    - *Sanctorum Conciliorum definitiones.*
    - *Summorum Pontificū Conſtitutiones.*
    - *Epiſcoporum, quos nobis Deus præfecit Paſtores, Decreta.*
    - *Sanctorum Authorum interpretumq́; communem* CONSENSVM. *Medina de rect. in Deum fid. lib. 5. capit. vltimo.*
- SINE *Scriptura ſeruantur, quam Partem mores dicunt eccleſiaſticos, ſiue traditiones Eccleſiæ. Multa enim, vt diuus ait Auguſtinus, non inueniuntur in Apoſtolorum literis, neque in concilijs poſteriorum: & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & mandata creduntur. Auguſt. de Bapt. contra Donatiſt. lib. 2. cap. 7.*

DE SENTENTIARVM SIVE ARGVMENTOrum,

quæ ex præfatis colliguntur Scripturis, Differentia. TABVLA 46.

ARGVmentorū *quæ ex prædictis petuntur ſcripturis, ſunt alia*

- NECESSARIA: *Qualia ſunt, quæ ſumuntur ex*
  - BIBLIA,
  - *Concilijs Oecumenicis,*
  - *Conſtitutionibus Pontificum, per eccleſiam approbatis.*
  - *De quorum veritate, cùm à Spiritu-ſancto ſint dictata, non licet dubitare.*
- PROBABILIA, *quæ ex ſanctorum Patrum ducūtur opuſculis, De quibus Auguſtin⁹ duas tradit regulas:*
  - 1. EGO, *inquit, ſolis eis ſcripturis & libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq́; referre, vt nullum eorū ſcribēdo erràſſe audeam credere, aut ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrariū veritati, nihil aliud exiſtimem, quàm mendoſum eſſe Codicem, vel non eſſe aſſecutum interpretē quod ſcriptum eſt, vel minimè intellexiſſe, non ambigam.*
  - 2. ALIOS *autem ità lego, vt quantalibet ſanctitate, quantáve doctrina polleant, nō ideò verum putem, quia ipſi ità ſenſerunt: ſed quia mihi per alios authores, aut Canonicas ſcripturas, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreant, perſuadere potuerint. Auguſtinus in epiſtola ad D. Hieron. quæ recitatur in c. Ego. 9. diſtinct.*
- FALSA, *q̄ hęreticorū aut dictis cōtinētur, aut ſcriptis: De quibus agitur*
  - IN *c. Quidam autem hæretici. 24. q. 3.*
  - IN *c. Sancta Rom. Eccl. 15. diſt.*
  - IN *c. Damnamus, extr. de ſumma Trinitat. & fide Cathol.*
  - IN *c. vnico. eod. tit. in 6.*
  - IN *Clem. 1. etiam. eodem tit.*
  - ITEM *in Clem. ad noſtrum. de hæret. in qua damnantur errores Begardorum.*
  - ET *in alijs locis & Concilijs generalibus.*
  - *Tales doctrinas publicè vel priuatìm aſſerere non licet, nec etiam legere aut tenere libros, eas continentes, propter periculum, quod qui amat, peribit in illo, Ecc. 3.*

DE PRAEMISSARVM PARTITIONVM VSV & adplicatione, ad communem eccleſiæ vtilitatem. TABVLA 47.

PARTITIONŨ *præmiſſarũatq; adeò totius primæ huius Iſagogæ partis vſus conſiſtit in*

- ADPLICATIO*ne, ad ſolutiones quæſtionum Theologicarum. Nam in cauſis eccleſiaſticis definiendis, aut*
  - RECVR*rendũ eſt*
    - *Primò ad ſcripta noui vel veteris Teſtamenti.*
    - *Secundò, ad Canones Apoſtolorum & Conciliorum.*
    - *Tertiò, ad Decreta & Decretales epiſtolas Romanorũ pontificum.*
    - *Quartò, ad dicta Sanctorum Patrum.*
    - *Quintò, ad exempla Sanctorum.*
  - SI AVTEM *nec hoc modo veritas inuenitur, congregandi ſunt Sapientes, & inuocandum diuinum auxiliũ: tunc enim quid agẽdum ſit, Dominus reuelabit, iuxta illud: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio illorum ſum. Matthæi 18. Viguer. vt ſuprà.*
- SANO *de ſcripturis diuinis iudicio, quod cõtinetur his ferè qnq; veluti regulis:*

  1\.

  NON *ſinè cauſa tam ſalubri vigilantia, Canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarũ & Apoſtolorum libri pertinẽt, quos omninò iudicare non audemus, & ſecũdùm quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus. Auguſt. lib. 2. Contra Creſcon. c. 31.*

  2\.

  NOVVM *& vetus teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ tradit authoritas. Auguſt. Serm. 191. De tempore.*

  3\.

  POTVIT *enim fieri, vt Apoſtoli vel Euangeliſtæ, SpirituS. repleti, ſciuerint quid aſſumendum ex illis eſſet ſcripturis, quid've refutandum: nobis autem non eſt abſque periculo, aliquid tale præſumere, quibus non eſt tanta Spiritûs abundantia. Orig. in Prolog. ſuper Cantica Canticorum circa fin. cum de apocryphorum citationib. loquitur.*

  4\.

  VNDE *Euangelium apud nos eſſe, docet eccleſia, non hominum eorum ſolùm qui nunc ſunt Chriſtiani, ſed eccleſia illa, quæ Matthæi temporibus, ad hoc vſque tempus certa ſucceſſionum ſerie declaratur. Etiamſi haberemus apud nos verorum Euangeliſtarum Codices deſcriptos ſuis ipſorum manibus, illos non alio argumento cognoſceremus tales eſſe, quàm ex eccleſiarum ſibi inuicem ſuccedentium teſtimonio. Quod ſanè teſtimonium eſt ſpiritusſancti loquentis in Dei eccleſijs & Prophetis. Sic ferè Aug. 28. contra Fauſtum Manich. cap. 2. & 4.*

  5\.

  TENEBIT *igitur vnuſquiſque hunc modum in Scripturis Canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur eccleſijs Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresq; accipiunt, eis, quas pauciores minorisq; authoritatis eccleſiæ tenent: Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquàm hoc inuenire non poſſit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8.*

ATQVE *hæc quidem de prima Iſagogæ Parte, hoc eſt, De Sacræ Scripturæ natura & ſubſtantia, ſaltem ad guſtum aliquem diuinæ huius ſcientiæ præparandum indicâſſe ſufficiat. Supereſt nunc vt de grauioribus paulò ipſius ſcripturæ circunſtantijs, dicamus ea, quæ nos ad vberiorem ducant Doctrinæ Chriſtianæ cognitionem.*

DE ALTE-

DE ALTERA ISAGOGAE

PARTE, QVAE AD EXPLICATIONEM PERTInet circunſtantiarum ipſius Scripturę diuinæ. & primùm de ea quęſtione, num humano generi neceſſaria fuerit de fide Doctrina aliqua. TABVLA 48.

CIRCA *hanc primā quæſtionem*

- DVBITA. *tur rationibus tribus:*
  - 1. FRVSTRA *inueſtigātur ea, quorum ratio captum excedit humanū. A qua curioſitate nos ſcriptura ipſa dehortari videtur, dum nè altiùs ſapiamus quàm oportet, tam fideliter nos D. monet Paulus Rom. 11.*
  - 2. PERFECTA *Dei ſunt opera, Deuteron. 32. ac ea naturæ bonitate p̄diti ſunt, non ipſi tātùm homines, ſed alia etiam animalia omnia, vt quæ ſibi ſint neceſſaria, ex innata quadam vi, ipſa per ſe poſſint efficere. Qui autem, quantùm ex ſe poteſt, facit, is ſecūdùm gloſſam Matth. 4. ſuper illud, ſi filius Dei es &c. ſatisfeciſſe videtur.*
  - 3. AC *vt maximè aliqd deſit naturæ, Chriſtus tamen ſe Apoſtolis ſuis, quid dicto aut facto opus eſſet, daturum promiſit: Dum ſteteritis, inquit, ante Reges & præſides, nolite cogitare quid loquamini &c. Matth. 10.*
- DICITVR, *neceſſariam eſſe Doctrinam fidei, vtpotè ſine qua*
  - *Deo placere poſſit nemo, Ad Heb. 11.*
  - *Sed perpetuò condemnatus ſit omnis infidelis. Marc. vlt.*
- RESPONdetur *ad dubitandi rationes tribus modis:*
  - ETSI *homo ex ſua natura, quæ ſupra eum ſunt, peruestigare nequeat: Spiritûs ſancti tamen gratia prælucēte, doctrinæ quibuſdam velutì præceptis, ad veram Dei notitiam rectè perduci poteſt.*
  - SIC *licèt perfecti ſint homines, quo ad ſtatum naturæ, multa tamen deſunt eis ad eam, quæ ſurſum eſt, perfectionem ex hac vita conſequendā. Quæ in hac cæleſti doctrina omnia vberrimè docentur.*
  - DAT *quidem Spiritusſanctus non ipſam tantùm eloquentiam, ſed omnes omninò virtutes, non tamen ob id inutilis, ſed potiùs eô magis neceſſaria eſt Doctrina, quæ gratiæ illius & modum explicat, & quandam demōſtrat quaſi viam.*

APPENDIX EX SENTENTIA D. AVGVST.

HINC *Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 16. ſuper eadem controuerſia huiuſmodi tulit ſententiam: Quiſquis autem dicit, hominibus non eſſe præcipiendum, quid vel quemadmodùm doceant, ſi Doctores ſanctus efficit ſpiritus: poteſt etiam dicere, nec orandum nobis eſſe, qa Dominus ait: Scit Pater veſter, quid vobis neceſſarium ſit, antequàm petatis ab eo. Et tamen orandum eſſe monet Matthæi 6.*

DE QVAESTIONE SECVNDA, QVAE SIT CAVſa, cur Deus doctrinam fidei literis mandari voluerit. TABVLA 49.

- **HVIVS** *dubitationis*
  - CAVSAE *ſunt tres:*
    - PRIMA, *quòd ex D. Pauli ſententia, lex ipſa diuina omnibus hominibus ex vi quadam naturali ſit indita. Cum enim gentes, inquit, quæ legem nõ habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habẽtes, ipſi ſibi ſunt lex: quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſorum. Rom. 2. Quod tamẽ de præceptis tantummodò morum, & non fidei Regulis, quæ ſupra naturam ſunt, intelligendum eſſe, ſancti aſſerunt Doctores.*
    - SECVNDA, *qua homines, præſertim Chriſtianos, à Deo doceri conſtat ex cap. 31. Hieremiæ, vbi Deus ipſe per os Prophetæ populo ſuo loquitur in hæc verba: Et pangam, ait, vobiſcum fœdus nouum, dando leges meas in mente eorum, & in corde eorum perſcribam eas, & erunt omnes à Deo docti.*
    - TERTIA, *Quòd Deus ante editas legis tabulas nec veteris teſtamenti Patribus, neque in nouo teſtamento ipſis Apoſtolis in ſcriptis aliquid tradiderit vnquàm, ſed primùm illis, Noe, Abrahæ, eiusq; poſteris: Iob item & Moiſi ipſe coràm proprio ferè ſemper locutus eſt ore. Deindè Apoſtolis ſe pro literis Spiritusſancti gratiam daturum eſſe promiſerit.*
  - SOLVTIO *ferè vna, ſcripturam videlicet in defectum naturæ corruptæ ſubrogatam, vt patet ex communi ſententia patrũ:*
    - AVGVſtini
      - *In lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 39. Homo itaq; ait, fide, ſpe & charitate ſubnixus, eaq; inconcuſsè retinens, non indiget ſcripturis niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſinè Codicibus viuunt.*
      - *De ciuitate Dei lib. 11. cap. 3. Scripturæ, inquit, fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ſcire idonei ſumus.*
    - ORIGENIS, *qui ſuper illud Exodi: Proiecit de manu tabulas, vbi ſacras literas, ſecundas vocauit tabulas. Lib. 1. contr. Celſ.*
    - CHRYſoſtomi
      - *Super illud Matthæi, Eccè Centurio &c. cap. 8. Scripturæ, inquit, ad præiudicium peccatorum factæ ſunt, non ad neceſsitatem ſanctorum: Quia rectis & fidelibus ſcripturæ neceſſariæ non ſunt, ſed iniuſtis. Magiſtra enim omnis iuſtitiæ, ipſa natura eſt hominum.*
      - *In principio operis imperf. Commentarior. in Euangelium Matthæi, quæ ità exorſus eſt: Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam mundam habere vitam, vt librorum vice gratia Spiritusſancti ſuppeteret noſtris animabus, & ſicut atramento illi, ità corda noſtra inſcripta eſſent à ſpiritu. Quia verò hanc à nobis excuſsimus gratiam, agè vel ſecundam nauigationem amplexemur.*

DE TERTIA QVAESTIONE,

An certa ſit ſcriptura ſancta. TAB. 50.

NON *ipſam tantùm ſcripturam Canonicam eſſe certam, ſed ea etiam, quæ diuinis literis ſunt expreſſa, vera eſſe atque firma, probatur*

A

DIGNITATE

AVTHORIS, *qui proculdubiò Spiritus eſt ſanctus, eo potiſsimùm nomine in hunc mundum demiſſus, vt nos omnem veritatem doceret.*

ANTIQVITATE:

NVLLA *enim ſcriptura vel doctrina in toto mundo antiquior eſt, quàm ea quæ in monumẽtis veteris Teſtamenti compræhenſa eſt.*

PRAENVNCIATIONE Prophetica:

SOLVS *enim ſpiritus diuinus futura præuidere nouit. Ioannis 16. Et quæ ventura ſunt, annunciabit vobis.*

EVENTV infallibili

EORVM, *quæ per totam ſcripturam vnquàm prædicta fuêre. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 12. cap. 10.*

CONSENSV

NON *tantùm ſcriptorum, ſed doctrinæ etiam conſtanti & perpetuo. Qui licèt loco & tempore eſſent disiuncti atque diſsiti, re ipſa tamen ità conueniunt, vt ex vno eodemque ſpiritu, illos omnes omnia ſcripſiſſe, animaduertere liceat. Idem Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 41.*

INTEGRITATE Scribentium.

AVG. *de ciuitate Dei lib. 11. cap. 3. Et Richard. De Trinitate cap. 2. A ſummæ ſanctitatis viris, inquit, hæc nobis ſunt tradita.*

CONVENIENTIA & æqualitate,

SEV, VT *Scholaſtici dicunt Theologi, à rationabilitate. Quid enim rationi conuenit magis, quàm Deũ tanquàm ſummum omnium diligere bonum, & proximum ſicut ſeipſum? In quibus duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Matthæi 22.*

INCONVENIENTIA errorum,

QVOS *ſinguli ſibi hæretici ſomniârunt, & contra ſcripturam ex proprio commenti ſunt figmento. Quid enim turpius eſt, quàm ſecta Mahumetica, quæ ſuis aſſeclis felicitatem promittit porcinam, γαστριμαργίας ſcilicet & fætidum coitum? Et ſic de ſimilibus.*

MARTYRIO & perſecutionibus

EORVM, *qui pro hac fide, quæ in ſacris continetur Biblijs, mortem oppetere non dubitârunt. Quanto enim Religio Chriſtiana, cùm à Iudæis & hæreticis, tum à tyrannis acriùs fuit oppugnata, tanto vberiùs creuit, & in immenſum aucta eſt numerum, Iudæis interìm in ſua pertinacia per totum orbem miſerè disiectis.*

MIRACVLORVM virtute & potentia:

QVIBVS *doctrina Chriſtiana multifariàm, multisq́ modis confirmata eſt. Etſi verò miraculũ aliud prorſùs haberemus nullum, hoc tamen vnum, ſtupendum & potentiſsimum eſſet miraculum, quòd totius orbis amplitudo, ad religionem carni & ſanguini repugnantem, abſq́ vllis miraculis fuiſſet ſubiugata. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 22. cap. 5.*

INCONVVLSA Eccleſiæ Catholicæ authoritate:

CVIVS *tanta vis eſt, vt D. Auguſtinus ſe nec Euangelio crediturum fuiſſe teſtetur, niſi illum Eccleſiæ moueret authoritas. Auguſt. contra Epiſtolam Manichæi, cap. 5.*

TESTIMONIIS aduerſariorum:

HOC EST, *eorũ qui extra catholicæ Eccleſiæ ſunt gremium. Sic enim Ioſephus, etſi Iudæus, de Chriſto tamen in 18. Antiquitatum ſuarum libro ampliſsimum protulit teſtimoniũ: Fuit, inquit, iiſdem temporibus Ieſus ſapientiſsimus vir. Et paulò poſt: Chriſtus, ait, hic erat. Vbi etiam doctrinã eius narrat, & reſurrectionem confitetur apertè.*

PERSEVERANTIA:

DVRABIT *enim in perpetuum ſacra ſcriptura, nec vnum Iota, aut vnicus ſaltem de lege Domini peribit apex, donèc omnia fiant. Matthæi 5.*

DE QVARTA QVAESTIONE AN SCRIPTA ſint quæ oportuerit omnia. TAB. 51.

ETSI D. *Auguſtinus in Epiſtola ad Madaurēſes dicas, ſcripturam ſanctā cōtinere omnia quæ ad veram ſalutē pertinēt: ſolet tamē hac de re interdùm*

- DVBITARI, *propter ea q̃ habent*
  - IOANNES *apoſtolus &*
    - *Capite xvj. in hæc verba: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cùm autē venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*
    - *In fine Euangelij ſui his verbis: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*
  - D. AVGVSTINVS *in quæſtione ſuper Leuiticum, cap. 31. Non omnia, inquit, ſunt ſcripta, quæ Deus locutus eſt eis, per quos nobis ſancta ſcriptura eius adminiſtrata eſt.*
- DISTINGUI *duobus modis:*
  - PRIMO *loquimur vel de ijs, quæ*
    - *Remota ſunt à ſenſibus noſtris, & ab intellectu infirmitatis humanæ. Auguſtinus ad Oroſium contra Priſcillianiſtas ca. 11. De qbus Eccleſiaſticus in 3. capite dicit: Altiora te nè quæſiêris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris.*
    - *Inipſis ſcripturis ità ſunt poſita, vt eorum nobis mandata ſit cognitio. De quibus talis traditur regula: Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper. d. cap. 3. Eccl. Et Auguſtin. ad verbum in citato priùs loco.*
  - SECVNDO, *Quorundam cognitio ad ſalutem*
    - *Non eſt neceſſaria, & ea conſultò ſunt obmiſſa.*
    - *Eſt neceſſaria, & ea proculdubiò perſcripta ſunt oĩa.*
- RESPONDERI *ex ſententia*
  - SALOMONIS, *omnia in menſura & numero & pōdere eſſe cōſtituta, Sap. 11.*
  - DOCTORŪ *ſcholaſticorum:*
    - *Primùm, Apoſtolis Ioan. 16. Non nouam doctrinā, ſed prioris explicationem fuiſſe promiſſā. Vndè eſt, quod dici ſolet, Legem*
      - *In veteri teſtamento proponi,*
      - *In Euangelio impleri,*
      - *Per Apoſtolicas traditiones declarari,*
      - *Ab apoſtolis imperfecta expoliri,*
      - *Quædam etiā relicta eſſe diſcutienda.*
    - *Deindè, & ſi mundus libros, qui de rebus à Chriſto geſtis ſcribi poterant, capere poſſet, diuinitatis tamen myſteria omnia intelligere nō potuiſſet, ità vt vnicum illud dictum, Verbum caro factum eſt, in hodiernum vſque diem multi perfectè adhuc capere nō potuerint. Gloſ. Ord. in fine Euangelij Ioannis.*
  - ORIGENIS *in homilia de arca Noæ, qui dicit: In nulla ſcientia omnia eſſe explicata, ſed illa tantū, ex qbus reliqua oĩa ſufficienter poſſint elici.*
  - AVGVSTINI *De Geneſi ad literam libro 5. cap. 8. Quia enim non omnia, inquit, ſcripta ſunt, quemadmodùm poſt primam illam rerum cōditionem tempora cucurrerint, ſeq; ſecutæ ſint adminiſtrationes creaturarum, quæ primitùs factæ, ſextoq; illo die conſummatæ ſunt: ſed quantum ſatis iudicauit ſpiritus, qui inerat ſcribenti ea, quæ non ſolùm ad rerum factarū notitiam, ſed etiam ad futurarum præfigurationem valerent.*
  - CHRYSOSTOMI *in Geneſim homil. 3. Meritò, inquit, theſauro cuipiam confertur diuinarū ſcripturarū lectio. Nam ſicut ex illo quiſquis vel paruam micā capere poteſt, multas ſibi parat diuitias: ità & in ſacra ſcriptura, etiam in breui dictione variarum ſententiarum vim, & incredibiles diuitias inuenire licet. Et nō ſolùm theſauro ſimilia ſunt diuina eloquia: ſed fonti quoquè largis perennibusq; ſcaturienti fluentis &c.*

DE QVÆ-

DE QVAESTIONE QVINTA, NVM AD ALIquam Philoſophiæ partem referri debeat aut poſſit ſacra ſcriptura. TAB. 52.

- **SVNT** *hui⁹ diſputatiõis duo, quæ ſimul coincidunt, capita:*
  - VNVM, *an S. ſcriptura, hoc eſt, ipſa Theologia, ſit ſcientia. Et ex communi SS. patrum calculo conſtat eam eſſe*
    - NON *tantùm ſcientiam, cùm quia*
      - *Stabilis eſt earum rerum perceptio & compræhenſio, quæ ex certis conſtantibuſque principijs manifeſta cõnexione iunguntur.*
      - *Origo eius eſt diuina, Principia certa, ratio firma, authoritas inſuperabilis, cognitio perfecta, finis optimus & perfectio ſumma: quæ eſt vita æterna. Lud. Carbaial. De reſtituta Theolog.*
    - SAPIENTIAM, *eô quòd earum rerum ſuppeditat notitiam, quæ diuinæ ſunt & certæ. Sic enim poſt Platonem D. Auguſtinus in lib. 14. De Trinitate capite 1. veram definiuit ſapientiam, rerũ ſcilicet diuinarum cognitionem. Et Apoſtolus Paulus 1. Cor. 2. Theologiam diſertis verbis vocat ſapientiam. Loquimur, inquit, ſapientiam quæ in myſterio eſt abſcondita, quam nemo Principum huius ſeculi nouit.*
    - ATQVE *ſic eo ipſo, quòd ſapientia eſt doctrina hæc cæleſtis, etiam ſcientia dici debet: cùm ſapientia, vt in 6. Ethicorum habet Ariſtoteles, ſcientiam in ſe includat. Licèt econtrà ſcientia, quæ rerum propriè eſt humanarum, ſapientia dici non poſſit. Ludouicus Carbaial. De reſtituta Theologia cap. 4. & 5.*
  - ALTERVM, *quo id quæritur, ad quam Philoſophiæ partem diuina pertineant eloquia: Qua de re ſemper tenenda eſt communis hæc Doctorum Scholaſticorum ſententia, Theologiam ſcilicet nulli ſcientiæ ſubalternari, id eſt, nulli Philoſophiæ parti ſubiectam, ſed ſupra omnem mundanã ſcientiam eſſe poſitam; cùm ſit*
    - DONVM *Dei perfectum,*
    - VIRTVS *Spiritûs S. æterna,*
    - LVMEN *rationis & intellectûs cæleſte,*
    - REGVLA *veritatis firma, & infallibilis fidei ratio,*
    - VIA *ſalutis æternæ certiſſima. Doctores Scholaſt. in Proœm. Sententiarum.*

DE SEXTA

DE SEXTA QVAESTIONE, QVAE ET QVANta ſit S. ſcripturæ Authoritas. TAB. 53.

S. SCRIpturæ authoritas, quã Auguſtinus lib. de ciuitate DEI 11. cap. 3. dicit eſſe eminentiſſimam, eſt

- POSITA in eo, vt firma fide teneantur omnia, quæ in ſacro continentur Canone, vndè Auguſtin. lib. 2. contra Donatiſtas De baptiſmo cap. 3. Quis neſciat, inquit, ſanctam ſcripturam Canonicam tam veteris quàm noui Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus epiſcoporum literis ità præponi, vt de illa omninò dubitari & diſceptari non poßit: vtrùm verum, vel vtrùm rectũ ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Et D. Chryſoſt. in Epiſtola Pauli ad Galatas, ſuper illud: Sed etiamſi ego, aut angelus de cælo &c. Scripturis plus fidei adhibendum ait eſſe, quàm angelis vel mortuis reuiuiſcentibus.
- ADQVISITA
  - PRIMVM, ex eiſdem penè locis & cauſis, ex quibus certitudo eius probata fuit.
  - DEINDE per ſummã, quæ in ea eſt,
    - Prudentiam,
    - Caſtitatem,
    - Religionem,
    - Veritatem.
  - QVAE omnia Auguſtinus in lib. De vtilitate credendi cap. 6. ſcribens ad Honoratum, his complexus eſt verbis: Teſtor Honorate conſcientiam meam, & puris animis inhabitantem Deũ, nihil me exiſtimare prudentius, caſtius, religioſius, quàm illæ ſunt ſcripturæ omnes, quas teſtamenti veteris nomine Catholica Eccleſia retinet. Quidquid enim eſt in ſcripturis illis, altum & diuinum eſt. Ineſt omninò veritas, & reficiendis reſtaurandisq́; animis, crede mihi, accommodatiſsima diſciplina, & planè ità modificata, vt nemo non indè haurire poßit, quod ſibi ſatìs eſt: ſi modò ad hauriendum deuotè & piè, vt vera religio poſcit, accedat.
- NECESSARIÒ hactenùs cuſtodita, atq; adeò in poſterum etiã tuenda, tum
  - PROPTER virtutem & ſapientiam in diuinis literis compræhenſam. Si enim iuxta Apoſtolum Paulum, Chriſtus Dei virtus eſt & Dei ſapientia, Roma. 1. & 1. Cor. 1. Qui neſcit ſcripturas, neſcit Dei virtutem, (D. ait Hieron.) eiusq́; ſapientiam. Breuiter, ignorantia ſcripturarum, Chriſti eſt ignorantia.
  - AD conſequendam fidei integritatem: Titubabit enim fides, ſi diuinarum ſcripturarũ vacillet authoritas. Porrò fide titubante, etiam ipſa langueſcit charitas. Verba ſunt Auguſtini in lib. 1. De Doctrina Chriſtiana, cap. 37.

DE QVAESTIONE SEPTIMA.

Itáne obſcurè tradita ſit Sacrarum literarum Doctrina, vt præcepta eius intelligi omninò non poſſint. TABVLA 54.

OBSCVRAM ESSE SA. *cram ſcripturam*

- IN TOTVM *negari non poteſt, Nam & D. Petrus in ſua Epiſtola teſtatur: Non ſicut voluit homo, locutum eſſe ſpiritum: ſed ſicut voluit ſpiritus, locutum eſſe hominem. Et Auguſt. ad Voluſian. Epiſtola 3. ità quædam obſcurè dicit eſſe poſita, vt acutiſſimis maximum negocium faceſſant, &c. Vndè ſcripturam ſanctam in aliquibus eſſe obſcuram, ad longum probat Medina lib. 7. De recta in Deum fide, per multa capita.*
- SED *omninò eam dicere eſſe clauſam, hoc eſt, ità obſcurè traditam, vt nullo pacto intelligi poſſit: id verò non tantùm falſum, ſed impium etiam eſſet & blaſphemum. Quæ enim blaſphemia poſſit eſſe maior, quàm tantæ obſcuritatis accuſare eum, quem tota Eccleſia veritatis agnoſcit eſſe magiſtrum, Spiritum ſcilicet ſanctum? A quo, non vt nobis eſſet incognita, diuina promulgata ſunt eloquia, ſed potiùs vt eorum myſteria intelligeremus, & vitam in eis haberemus æternam.*

DE CAVSIS, CVR OBSCVRE QVAEDAM

ſint ſcripta. TAB. 55.

QVOD IN SACRIS LIteris *aliqua videntur obſcurè tradita, id ratione fit*

- INPRIMÌS *naturali, vt ſcilicet ordo ſeruetur in Eccleſia inter profeſſores & diſcipulos, inter Doctores item vel Magiſtros, & auditores.*
- INTERDVM *etiam ſingulari Dei prouiſum eſt conſilio.*
- PLERVNQVÈ *autem hominum id accidit vitio.*

QVAE IL-

QVAE ILLA RATIO SIT NATVRALIS.

TAB. 56.

EXPLI-*catur duobus in locis*

- A DIVO *Paulo ad Hebræos quinto, vbi alios dicit paſcendos eſſe lacte, alios verò cibo aſſerit opus habere ſolidiore. Quaſi diceret: Spiritumſanctum, dum ſacras dictaret literas, omnis & ætatis & conditionis hominum ſingularem habuiſſe rationem, atque eo dictante, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſic perſcripta eſſe omnia, vt tantum quiſque ex earum lectione fructûs & vtilitatis haurire poſſet, quantum impiger & induſtrius lector ipſe vellet.*
- PER CHRYſoſtomũ ſuper Matth. cap. 23. Homil. 44. *Vbi ponit duas rationes:*
  - PRIMAM, *Quia Deus alios voluit eſſe*
    - *Doctores,*
    - *Diſcipulos:*
    - *Ad quos dixit,*
      - *Loquimini ſacerdotes in cordibus populi, Iſaiæ 40.*
      - *Interroga Patrem tuum, & dicet tibi: Presbyteros tuos, & annunciabunt tibi. Deut. 32.*
  - SECVNDAM, *nè*
    - *Non tam vtilis inueniatur,*
    - *Quàm contemptibilis: Quod futurum eſt, ſi ab illis intelligatur, à quibus nec cuſtoditur.*

QVOD IPSIVS DEI IN TRADENDA ſcriptura fuerit conſilium.

TAB. 57.

ET PIA, ET VERO AD-*modum ſimilis eſt ſanctiſs. Patrum coniectura, qua diuinam prouidentiam ſcribi quædam obſcuriùs voluiſſe autumant, ob cauſas Quatuor:*

- AD *excitandam legentium induſtriam.*
- NÈ *facilitate nimia vileſceret.*
- VT *tam prudentum quàm ſimpliciorum habeatur ratio.*
- QVÒ *ad ſe trahat in vniuerſum omnes.*

DE PRIMA CAVSA,

Sententia Auguſtini,quæ habetur in ſuo de vera religione opuſculo, cap.17.

SI in Scriptura,inquit,ſacra tantùm eſſent quę facilimè intelligerentur,nec ſtudioſè quęreretur,nec ſuauiter inueniretur veritas. Quæ,vt alio in loco idem aſſerit Auguſtinus,in Sacrę ſcripturę libris certa ſemper eſt,nec vſquàm deeſſe poteſt: etſi non facilè,propter magnitudinem rei,intellectus quærētibus occurrat. De prædeſtinat. & gratia cap.1.

DE SECVNDA CAVSA, SENTENTIA EIVSDEM. ex lib. 2.de Doctr. Chriſt. cap.6.

ITA obſcurè quædam dicta ſunt,vt denſiſſimam caliginem obducant. Quod totum diuinitùs prouiſum eſſe,non dubito,ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum,cui facilè inueſtigata, plerunquè vileſcūt. Magnificè igitur & ſalubriter Spirituſſanctus ità ſcripturas ſanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret,obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de obſcuritatibus illis eruitur,quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.

DE TERTIA CAVSA, D. GREGORIVS Papa ad Leandrum ſic ait:

SACRA ſcriptura ſicut myſterijs ſapientes exercet, ſic ſuperficie ſimplices refouet. Habet enim in publico,vndè paruulos nutriat:& ſeruat in ſecreto, vndè mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat: quaſi quidam quippe eſt fluuius, vt ità dixerim,planus & altus:in quo & agnus ambulet, & elephas natet. In Epiſt. ante libros moral. cap. 4.

IDEM IN MORALIBVS, Lib.20.cap.1.

OMNEM ſcientiam atque doctrinam ſacra ſcriptura ipſo etiam locutionis ſuæ more tranſcendit:vt taceam quòd vera prędicat,quòd ad cæleſtem patriam vocat,quòd à terrenis deſiderijs cor legentis reuocat,quòd dictis obſcurioribus exercet fortes,& paruulis humili ſermone blanditur.

DE QVARTA CAVSA, ALIA AVGVSTINI SENtentia,qua prę miſſa concluduntur omnia.

MODVS autem ipſe dicendi,quo ſcriptura ſancta cōtexitur,quanuìs omnibus acceſſibilis,paucis tamen penetrabilis. Nam quæ apertè continet,quaſi amicus familiaris ſinè fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: Ea verò quæ in myſterijs occultat,nec ipſa eloquio erigit ſuperbo:quò non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita,quaſi pauper ad diuitem : ſed inuitat omnes humili ſermone,quos non ſolùm manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate,hoc in promptis,quod in reconditis habens. Sed nè aperta faſtidirentur,eadem rurſùs operta deſiderantur:deſiderata,quodammodò renouantur:renouata,ſuauiter intimantur. His ſalubriter & praua corriguntur,& parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Auguſtinus in Epiſtola tertia ad Voluſianum.

VT HOMINVM ACCIDAT VITIO, QVOD OBſcura interdùm ſacra ſit ſcriptura.

TAB. 58.

EX PARTE *legentium ſanctas ſcripturas, duobus modis accidit obſcuritas:*

OMNI quidem vitiorum genere. Nam ſi cor, quo creditur ad iuſtitiã, ipſum vel vitijs diffluat, vel ſecularibus curis nubilum, vel carnis implicatum fuerit ſordibus, quid (quæſo) mirum eſt, ſi quæ ſunt ſpiritûs, non intelligat homo carnalis? Caſſian. lib. 5. De inſtitut. cænobior. cap. 34. Pulchritudo enim diuinæ veritatis, vt in præfatione theſauri ſui pulchrè dixit beatus Cyrillus, ſic latet, vt ſolis integro animo & ſyncerè inquirentibus pateat.

INPRIMIS verò faſtu & vana propriæ prudentiæ perſuaſione. Inter omnia enim vitia, quibus animus humanus plerunquè obfuſcari, & à vero abſtrahi ſolet, non eſt ferè vllum, quod in Theologiæ ſtudioſo æquè ſit graue, aut perniciosum, quàm turpiſſima illa elatio animi & ſuperbia, non Deo tantùm inimica, ſed hominibus etiam odioſa. Nihil enim prorsùs habet ſpiritus diuinus cum ea, quæ inflat, ſapiẽtia commune. Nec vnquàm ſe Chriſtus hominibus patefecit elatis, niſi vel ad terrorem, vel ad confuſionem: humilibus autem ad gratiam & conſolationem perſæpè. DEVS nanque ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Atque hinc ſanè illud eſt, quòd Saluator noſter ipſe Patri ſuo cæleſti tanto triumpho tantas aliquandò egit gratias, quòd diuini verbi ſui myſteria à ſeculi huius abſcondiſſet ſapientibus, & ea ſuis tam benignè reuelâſſet paruulis. Matthæi 11.

EPILOGVS.

De obſcuritate ſcripturarum, ex Gregorio.

NEC igitur clauſa eſt, vt pauesci debeat: nec ſic patet, vt vileſcat: Sed vſu faſtidium tollit, vt tanto plùs diligatur, quanto ampliùs meditatur. Gregorius in Moralib. lib. 20. capite 1.

DE OCTA-

DE OCTAVA QVAESTIONE, AN ITA difficilis Sacræ Scripturæ ſit cognitio, vt à paucis poſſit aſſequi. TAB. 59.

NON MINVS NECESSA-*ria eſt huius quàm prioris quæſtionis diſcuſſio. Nam etſi clauſa non eſt ſacra ſcriptura, ſi tamẽ ità difficilis eius ſit cognitio, vt à paucis poſſit aſſequi, idem penè erit àc ſi omninò eſſet clauſa. Variæ autẽ ſunt hac de re ſententiæ:*

NONNVLLI *enim ea, de qua diximus, obſcuritate deterriti, de Sacrarum literarum difficultate priùs conqueri, ac ſæpè etiam animum deſpondere incipiunt, quàm vllum fecerint periculum.*

ALII *contrà tam facilem ſibi ſomniant Sacræ ſcripturæ cognitionem, vt priſtina eius explicandæ perdiſcẽdæque ratione penitùs exploſa, vi quadam temeraria, & illotis (quod aiunt) manibus, in hæc Sacra prorumpentes, liberam omnibus velint eſſe interpretationem eorũ, quæ hîc diuinitùs ſunt tradita, ac circulatorum more alios, quod ignorant ipſi, docere priùs, quàm diſcere, præſumant.*

QVERELA D. HIERONYMI CONTRA eos, qui vano facilitatis prætextu, nimiùm Sacris abutuntur literis.

AGRICOLAE, *inquit, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumq́; cæſores, lanarij quoquè & fullones, & cæteri qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt. Quod medicorum eſt, Promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de Sacris literis philoſophantur. Alij diſcunt, proh pudor, à fœminis, quod viros doceant. Et nè parùm hoc ſit, quadam facilitate verborum, immò audacia, ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt. Taceo de meî ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec ſcire dignantur, quid prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia. Quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſentẽtias, & ad voluntatem ſuam, Scripturam trahere repugnantem. Hieron. in Prologo Bibliæ, cap. 6. ad Paulinum.*

QVAE VERA SIT HAC DE RE THEOLOgorum ſententia. TAB. 60.

MEDIA AVTEM INTER *iſta duo veluti extrema ſententia, D. eſt Auguſtini, in Epiſtola ad Voluſian. Vbi literas ſacras*

- NON *quidem vſqueadeò difficiles eſſe, quin ex ijs ſtudio & diligentia tantum quiſque poſſit aſſequi, quantum ei ad ſalutem vtile ſit atque neceſſarium:*
- ITA *tamen eſſe, vt re vera ſunt, ſublimes cenſuit, quòd homini etiam ſolerti, ad eas probè perdiſcendas, vix integram ætatem ſufficere exiſtimârit.*

VERBA IPSIVS AVGVSTINI, EX QVIbus diſtinctio iſta deſumpta eſt.

TANTA eſt, inquit profunditas Chriſtianarum literarum, vt in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineũte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tãta in eis perueniatur difficultate: ſed quòd cùm quis ibì fidem tenuerit, ſinè qua piè recteque non creditur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantaque nõ ſolùm in verbis quibus iſta dicta ſunt, ſed etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet: CVM CONSVMMAVERIT HOMO, TVNC INCIPIET, Eccl 18.

QVIBVS REBVS SACRAE SCRIPTVRAE cognitio, non facilis tantùm, ſed plana etiam fieri queat & iucunda. TABVLA 61.

FACILIS FIT *Sacræ ſcripturæ cognitio tribus ferè modis:*

- IVSTA *& idonea interpretatione*
  - *Rerum*
  - *&*
  - *Verborum.*
- STVDIO *atque diligentia, quæ conſiſtit in*
  - *Lectione,*
  - *Meditatione,*
  - *Oratione,*
  - *Exercitatione.*
- ORDINE *doctrinæ, ſeu via docendi diſcendique ratione quadam atque Methodo.*

DE INTERPRETATIONE SCRIPTVRArum. TAB. 62.

QVAE DE INTERPRETATIONE *ſcripturæ ſanctæ quæri plerunque ſolent, referri poſſunt ferè omnia, ad hæc potiſsimùm capita quinque,*

- AN SIT *licita.*
- EX QVIBVS *cauſis fuerit introducta.*
- QVOTVPLEX *ſit eius ratio atque differentia.*
- QVIS *harum differentiarum vſus.*
- AD QVOS *interpretandæ ſcripturæ ſanctæ ius pertineat & authoritas.*
- ECQVIS *in Sacris ſcripturis rectè interpretandis ſeruandus ſit mos.*

AN SIT LICITA SCRIPTVRAE interpretatio. TAB. 63.

LICITA EST: QVIA *ſcriptum legimus*

- ISAIAE 57. *Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, & auferte offendicula de via populi mei.*
- ECCLESIASTICI 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*
- LVCAE 3. *Parate viã Domini, rectas facite ſemitas eius.*
- EPHES. 4. *Ob id enim Dominus, præter Apoſtolos, Prophetas & Euangeliſtas, quoſdam dedit etiam Doctores, vt hi ſacros illorum libros interpretarentur.*
- 1. COR. 12. *Alij per ſpiritum datur prophetia, alij interpretatio ſermonum.*
- 1. COR. 14. *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent, &c. Interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

EX QVIBVS CAVSIS ORTA SIT, SCRIPTVRAS interpretandi neceſſitas. TAB. 64.

NON tantũ licita, ſed etiã neceſſaria eſt ſcripturarũ interpretatio, tũ propter

- MVLTIPLICEM ſcripturæ ſenſum: Nam vt D. Paulus in 1. ad Hebræ. teſtatur cap. Multifariàm multiſq; modis locutus eſt Deus
  - PATRIBVS olim in Prophetis,
  - NOBIS in nouiſſimis diebus in filio.
    - Per
      - Parabolas,
      - Figuras,
      - Aenigmata,
      - Tropos.
        - Quibus plena eſt Sacra ſcriptura. Epiphã. cont. Orig. hær. 64.

- HAERESES VITANDAS: quam cauſam introducendæ interpretationis, præcipuam fuiſſe, teſtantur antiquiſſimi authores.
  - AVGVSTINVS in tractatu ſuper Ioannem 18. Neque enim, inquit, natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audactèr aſſeritur.
  - VINCENTIVS Lirinenſis aduersùs hæreſes in princip. vbì tali vtitur præoccupatione: Sed forſitan, inquit, requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opis eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſuî altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt: ſed eiuſdem eloquia alitèr atque alitèr alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ ẽrui poſſe videantur. Alitèr nanque illam Nouatianus, alitèr Sabellius, alitèr Donatus exponit: alitèr Arrius, Eunomius, Macedonius: alitèr Photinus, Apollinaris, Priſcillianus: alitèr Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius: alitèr poſtremò Neſtorius: Atque idcircò multùm neceſſè eſt propter tãtos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſûs normam dirigatur. Ibidèm.

QVOTV-

QVOTVPLEX SIT SCRIPTVRAE SENSVS.

TABVLA 65.

DVPLEX *eſt Scripturarum ſignificatio:*

- VNA *verborum*
  - PROPRIA, *quandò ſic accipiuntur verba, vt ſonant, veluti ſi dictio fermentũ accipiatur pro temperamento, quo miſcetur panis, vt eo fiat ſapidior.*
  - TRANSLATA, *quandò in alium transferuntur ſenſum, vt cùm vox eadẽ, ſcilicet fermentum, accipitur pro doctrina aut ſana, Matth. 13. aut falſa, vt Matth. 16. Cauete à fermento phariſæorum &c.*
- ALTERA *rerum. Habet enim hoc Sacra ſcriptura præ cæteris humanæ philoſophiæ ſcriptis peculiare, quòd non, vt in alijs diſciplinis, verba tantùm ſuas habeant tam proprias, quàm figuratas ſignificationes, ſed ipſæ etiam res, per voces indicatæ, adhuc aliud & maius quidpiam ſignificent. Vt in eo quod Saluator noſter de ſua dixit perſona Ioan. 15. Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt, vos palmites &c. Vbi dictiones, vitis, agricola, palmites: Perſonam Chriſti, Dei Patris, & Apoſtolorum, atque adeò fidelis cuiuſuis ſtatum ſignificant.*

DE VARIIS INTERPRETATIONVM SPECIEBVS.

TABVLA 66.

INTERPRETATIONIS *ſpecies ponunt alij*

- DVAS, *iuxta communem interpretationis Diuiſionem.*
- TRES, *vt*
  - D. HIERON. *ad Hedibiam quæſt. 12.*
  - S. HVGO *Victori. in lib. 3. de clauſtro animæ cap. 8.*
- QVATVOR, *vt D. Auguſt. duobus in locis.*

DE PRIMA INTERPRETATIONIS DIVISIONE.

TABVLA 67.

VT SCRI- *pturæ ſenſus alius verborum eſt, & alius rerũ, ità etiã interpretatio eiuſdem alia*

- HISTORICA *eſt verborum, qua primariæ vocum inueſtigantur ſignificationes, & ob id communiter literalis dicitur ſeu Grammatica, vt exempli gratia, vox illa Hieruſalem, iuxta grammaticam interpretationem, ciuitatẽ ſignificat, olim in Iudæa Metropolitanam.*
- MYSTICA *rerũ, hoc eſt, Spiritualis, qua ſingularũ non tãtùm vocum, ſed rerum etiam ſignatarum, inquiritur ſignificatio: nes: & eſt triplex.*
  - ALLEGORICA, *cùm facta vel ſententiæ alijs rebus ſimilitudinem habentibus accommodantur: & ſic Hieruſalem Eccleſiam ſignificat militantem, vt in Apocalyp. cap. 21. Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem.*
  - TROPOLOGICA, *ſiue moralis, quandò ex verbis colliguntur actiones ſeu officia hominis Chriſtiani, quid vnumquemque agere vel non agere deceat. Qua ratione Hieruſalem ponitur pro anima fideli. Vndè Eſa. 52. dicitur: Conſurge &c. induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem.*
  - ANAGOGICA, *qua præter verborum ſignificationem elicitur aliquid, quod ad cæleſtem pertinet conuerſationẽ, & hoc pacto Hieruſalẽ accipitur pro Eccleſia triumphante, vt Galat. 4. Illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Lyra prol. 1. in bibl.*

DE SECVNDA INTERPRETATIONIS Diuiſione. TABVLA 68.

SECVNDO modo interpretatio diuiditur ſecũdum

- D. HIERONYMũ ad Hedibiã, in hæc verba: Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt,
  - PRIMA, vt intelligamus eas iuxta hiſtoriã, in qua eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur.
  - SECVNDA, iuxta tropologiam, in qua de litera ad maiora conſurgimus, & quidquid in priori paulò carnaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumentum conuertimus.
  - TERTIA, iuxta intelligentiam Spiritualem, in qua Spirituali theoria ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cæleſtibus diſputamus, vt præſentis vitæ meditatio, vmbra futuræ ſit beatitudinis.
- S. HVGONEM De S. Victore in d. lib. 3. De clauſtro animæ, vbi ait, In refectorio Sacræ Scripturæ tres ſunt menſæ:
  - Hiſtorialis,
  - Myſtica,
  - Moralis.

QVIBVS REBVS HAE TRES INTER SE conueniant aut diſcrepent menſæ. TABVLA 69.

MENSÆ p̃dictæ ſiue interpretationes ſcripturarũ, partim

- CONVENIVNT ſcopo. Nam vt ſuper Pſal. dicit Caſſiodor. Quidquid in tota ſcriptura vel
  - Docetur,
  - Præcipitur,
  - Promittitur,
  - eſt
    - Veritas,
    - Bonitas,
    - Felicitas.
    - Nam Deus eſt
      - Veritas
      - Bonitas
      - Felicitas
      - ſine
        - Fallacia.
        - Malitia.
        - Miſeria.
- DIFFERVNT ſecundùm eundem Hugonem in d. lib. de clauſtro animę, quatuor modis:
  - PRIMO Menſa
    - Prima
    - Secunda
    - Tertia
    - Competit
      - Simplicibus,
      - Doctoribus.
      - Vtriſque.
  - SECVNDO in menſa
    - Prima
    - Secunda
    - Tertia
    - Cibus eſt
      - Groſſior.
      - Subtilior.
      - Dulcior.
  - TERTIO menſa
    - Prima
    - Secunda
    - Tertia.
    - Continet ſaporem
      - Exemplorum.
      - Myſteriorum.
      - Morum.
  - QVARTO menſa
    - Prima
    - Secunda
    - Tertia
    - Paſcit
      - Miraculis.
      - Figuris.
      - Verbis.

DE TERTIA INTERPRETATIONIS PARTITIONE

TABVLA 70.

QVADRVplicem S. ſcripturæ interpretandæ rationē ponit Auguſtinus duobus in locis:

- AD LONgum in libro de vtilitate credendi, ca. 3.
  - PRIMA eſt ſecundùm hiſtoriam, cùm videlicet docetur, quid ſcriptum aut quid geſtum ſit, quid non geſtum, ſed tantummodò ſcriptum, quaſi geſtum ſit: Veluti cùm Chriſtus Matth. 12. citat ex 1. Samuel. 21. quòd Dauid comederit panes propoſitionis.
  - SECVNDA eſt, ſecundùm αἰτιολογίαν, cùm oſtenditur, qua de cauſa aliquid dictum, vel factum ſit. Exemplum Matth. 19. Chriſtus prohibens repudium vxoris, niſi interueniente fornicatione, prudenter etiam exponit cauſam, ob quam libellus repudij Iudæis anteà conceſſus fuerat: Moiſes, inquit, permiſit eum vobis propter duritiam cordis veſtri.
  - TERTIAM vocat ſecundùm ἀναλογίαν, qua vtriuſque teſtamenti congruentia oſtenditur.
  - QVARTAM ſecundùm Allegoriam, cùm docetur nō ad literam accipienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda: Quomodò 1. Cor. 10. Apoſtolus hiſtoriam Exodi notat Allegoriā fuiſſe populi Chriſtiani, & patribus omnia contigiſſe in figuris.
- BREVIVS in lib. De Geneſi ad literam, imperfect. c. 2 ſecundùm
  - HISTORIAM, cùm ſiue diuinitùs, ſiue humanitùs res geſta commemoratur.
  - ALLEGORIAM, cùm figuratè dicta intelliguntur.
  - ANAGOGIAM, cùm veteris & noui Teſtamentorum congruentia oſtenditur.
  - αἰτιολογίαν, cùm dictorum factorumque redduntur cauſæ.

APPENDIX.

HAEC omnia in Sacrarum ſcripturarum lectione inprimìs annotari & obſeruari debere, diligenter is idem monet Auguſt. in lib. De vera religione cap. 50. in hæc verba: Diſtinguamus, inquit, quam fidem debeamus hiſtoriæ, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum eſſe neſcientes, ſed credentes tamen. Et vbì ſit verum, quod non venit & tranſit, ſed ſemper eodem modo manet. Quis ſit modus interpretandæ Allegoriæ, quæ per Sapientiam dicta creditur in Spiritu ſancto: verùm à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recentiora eam perducere ſufficiat, An vſque ad animæ affectiones atque naturam, an vſque ad incommutabilem æternitatem: An aliæ ſignificet geſta viſibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis: an aliqua inueniantur, in quibus hæc omnia inueſtigāda ſint. Et quæ ſit ſtabilis fides, ſiue hiſtorica & temporalis, ſiue ſpiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio authoritatis dirigenda ſit. Et quid proſit ad intelligenda & obtinenda æterna, vbì finis eſt omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid interſit inter Allegoriam hiſtoriæ, allegoriam facti, & allegoriam Sermonis, & allegoriam Sacramenti. Et quomodò ipſa locutio diuinarū ſcripturarum, ſecundùm cuiuſque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cùm in aliam linguam transferuntur, abſurda videntur.

QVAE CVIVSQVE SPECIEI SINT PROPRIA.

TABVLA 71.

QVAE PRO*pria differentiæ cuiuſque ſit natura, bifariàm conſiderari poteſt:*

- PRIMÒ *ipſa*
  - HISTORIA
  - ALLEGORIA
  - TROPOLOGIA
  - ANAGOGIA
  - *Docet*
    - *Quid geſtum ſit.*
    - *Quid credas.*
    - *Quid agas.*
    - *Quò tendas.*
- SECVNDÒ *interpretatio*
  - HISTORICA
  - ALLEGORICA
  - TROPOLOGICA
  - ANAGOGICA
  - *Pertinet ad*
    - *Cognitionem.*
    - *Fidem.*
    - *Spem.*
    - *Charitatem.*

QVIS PROPRIVS ISTARVM DIFFERENtiarum ſit vſus. TABVLA 72.

VERVS PRAEDI*ctarum ſpecierum, in quas omnis interpretandi ratio diſtributa est, vſus, conſiſtit in eo, vt meminerim' non omnibus omnem, ſed alijs aliam conuenire interpretandi formam, vt colligitur ex ſententia trium Doctorum,*

- EPIPHANII *contra Apoſtolicos, vbi ſic ait: Omnia verba non allegoria opùs habent, ſed prout ſe habent, accipiēda ſunt: Speculatione autem indigent & ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſque propoſiti argumenti vim & facultatem.*
- D. THOMAE, *in 7. Quodlib. qui quatuor eum explicari dicit modis, aliâs*
  - *Vno,*
  - *Duobus,*
  - *Tribus,*
  - *Quatuor:*
  - *Qui inſequēti continentur tabula.*
- AVGVSTINI *aſſerentis*
  - NEC *illis conſentiendum eſſe, qui ſolùm hiſtoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione.*
  - NEC *illis, qui ſolas figuras defendūt, repudiata hiſtorica veritate. lib. 15. De Ciuitate Dei, cap. 27.*
  - SED *tripartita reperiri prophetarū eloquia, quorū ſpectent aliqua ad* HIERUſalē
    - *Terrenam,*
    - *Cæleſtem,*
    - *Vtranque. lib. 17. de Ciuitat. Dei, cap. 3.*

QVAE CVIQVE MAXIME CONVENIAT interpretatio. TABVLA 73.

ID TAM EX *rerum quàm verborum interpretandorum qualitate æſtimari debet: Nam q̃ ſacris mandantur literis, omnia pertinent vel ad*

- RES *geſtas*
  - VETERIS *teſtamenti,*
  - CHRISTI *in nouo teſtamento.*
  - *Et hæc admittunt oẽs interpretationis ſpecies, ſcilicet*
    - *Hiſtoricam, quo ad nudam facti ſeriem.*
    - *Allegoricam, referendo ea ad corpus myſticum.*
    - *Tropologicam, ſi illa ad actus noſtros referamus, quæ ſecundùm Chriſtum debent regulari.*
    - *Anagogicã, inquantùm in ipſo Chriſto eſt nobis iter gloriæ demonſtratum.*
- ECCLESIAM *militantem, quæ tribus poſſunt explicari modis, Per interpretationem ſcilicet*
  - *Hiſtoricam,*
  - *Ethicam ſeu tropologicã,*
  - *Anagogicã.*
- TRIVMPHANTEM *Eccleſiam, quæ duplicẽ tantùm habent ſenſum,*
  - *Hiſtoricum*
  - *&*
  - *Anagogicum.*
  - *Et ſic*
    - *Senſus literalis ſiue hiſtoricus conuenit omnibus.*
    - *Myſticus verò, paucis tantùm Scripturæ locis.*
- PRAECEPTA *Charitatis & conſilia Euangelica, quæ vnica tantùm interpretandi forma, literali videlicet ſiue hiſtorica, contenta eſſe & poſſunt & debent. Alioquì enim ſi ſingula ſingulis modis explicare quis conetur, veriùs ſe intricâſſe, quàm explicâſſe depræhendet. De his omnibus & vero allegoriarum vſu, vide tractatum pulcherrimum doctiſſimi viri D. Laurentij à Villauicentio, De formãdis Sacris Concionibus, lib. 3. cap. 1. & de ratione ſtudij Theologici lib. 2. cap. 20.*

AD QVOS

AD QVOS SACRAS INTERPRETANDI LITERAS Ius pertineat atque poteſtas. TABVLA 74.

- **HOC** *Ius pertinere ad*
  - **DOCTORES** *Eccleſ. Catholicæ, conſtat*
    - **AVTHORITATE**
      - *Sapientis Eccleſ. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*
      - *D. Auguſt. lib. 1. de moribus eccleſiæ Catholicæ, c. 1. Quis enim mediocriter ſanus, inquit, non facilè intelligat, ſcripturarum expoſitionem ab his petendam eſſe, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur: fieriq́ poſſe, immò id ſemper accidere, vt multa indoctis videantur abſurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur elatiùs, quo abiectiùs aſpernanda videbantur: & eo accipiantur aperta dulciùs, quo clauſa difficiliùs aperiebantur?*
    - **RATIONE**
      - *Primùm, Quia nulla patet via conuincendi hæreticũ, ſi cuique liceat ſacram ſcripturam pro ſuo arbitrio interpretari.*
      - *Deindè, antiquos ſapientes fuiſſe nemo negat: eccleſiæ fuiſſe magiſtros, certò conſtat: à Deo fuiſſe eccleſiæ datos, Chriſti erga eccleſiam prouidentia manifeſtat: datos eſſe, vt Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarumq́ oracula exponerent, Paulus innuit Ephe. 4. Ab vno Paſtore tam multos, atq; diuerſis & locis & temporibus fuiſſe deſtinatos, ſententiæ vnitas & concordia monſtrat. Canus lib. 7. de locis Theolog. cap. 3.*
      - *Iam, vt rectè is infert ibidèm, ſi ſancti omnes, dum illas interpretarentur, errârunt: Deo authore errat eccleſia, cùm Doctores ſibi à Chriſto datos ſequeretur, & in ſacrorum Codicum intelligentia, eorum veſtigijs inſiſteret.*
  - **ECCLESIAM** *ipſam Catholicam, probatur*
    - *Teſtimonio Chriſti, quo ipſe nobis Doctorum ſententijs inter ſe diſcrepantibus, (quod Alphonſus de Caſtro lib. 1. aduerſùs hær. cap. 4. etiam ſanctis poſſe contingere affirmat) atque in omnibus adeò motis De ſcriptura ſancta controuerſijs, ad Eccleſiæ iudicium recurrendum eſſe, tam ſedulò monet atque præcipit.*
    - *Ratione euidentiſſima: qua enim lege credimus eccleſiæ dicenti, hãc vel illam ſcripturam eſſe diuinam: eadem lege nos credere conuenit, eidem dicenti, hunc aut illum eſſe ſenſum Sacræ ſcripturæ verum. Vide Auguſtinum contra Epiſtolam Manichæi, quam Fundamenti vocãt, cap. 5.*
    - **AVTHORITATE** *Patrum, quorum hîc duos tãtùm teſtes, vt omni exceptione maiores, ità etiam validiſſimos adduxiſſe ſufficiat, Videlicet*
      - *Origenem in Proœm. lib. 1. Peri Archon: Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.*
      - *Auguſtinum*
        - *Ad Emeritum contra Donatiſt. epiſt. 164. Hoc, inquit, obſeruandũ eſt, quod obſeruat Eccleſia Dei.*
        - *Epiſtola 59, ad quæſt. Paulin. In ſcripturis ſanctis interpretandis, etſi multa dici poſſint, quæ improbanda non ſunt, tamen in his eligendũ, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia. quæſt. 5.*

QVIS OPTIMVS SIT SACRAS SCRIPTVRAS INterpretandi modus. TABVLA 75.

SACRAS *Scripturas rectè interpretandi regulas tradiderunt*

- TYCONIVS *quidã, q ſcripſit olim cõtra Donatiſtas, integrũ fecit lib. quem vocauit Regularũ, & in 7. diuiſit regulas:*
  - PRIMAM
  - SECVNDAM
  - TERTIAM
  - QVARTAM
  - QVINTAM
  - SEXTAM
  - SEPTIMAM

  De
  - *Dño noſtro Ieſu Chriſto & eius corpore.*
  - *Corpore Domini bipartito.*
  - *Promiſſis & lege.*
  - *Specie & genere.*
  - *Temporibus.*
  - *Recapitulatione.*
  - *Diabolo & eius corpore.*

  Explicationem iſtarũ Regularũ, nè coties eadem repetere neceſſè ſit, ſtudioſus lector ipſe videre poterit apud
  - *Gloſſam in Prologo Bibliæ.*
  - *Pagninum in ſua Iſagoge ad S. literas.*
  - *Ioann. Driedonem De Scriptura eccleſiaſt. lib. 3. cap. 3.*
  - *Auguſtin. lib. 3. De doctrina Chriſtiana cap. 30. Vbi eas nec quidem inutiles, non tamen per omnia ſatisfacere putat.*

- AVGVSTINVS *in libr. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 7. ponit 7. gradus, quibus ad veram quiſq; ſapientiam peruenire queat: Quorum*
  - PRIMVS *eſt, timore Dei conuerti ad cognoſcendam eius voluntatem.*
  - SECVNDVS, *miteſcere pietate, neque contradicere diuinæ ſcripturæ.*
  - TERTIVS, *diligere Deum propter Deum, & proximum propter Deũ: & illum quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligere, proximum verò ſicut ſeipſum.*
  - QVARTVS, *per fortitudinem eſurire & ſitire iuſtitiam.*
  - QVINTVS, *conſilio miſericordiæ animam purgare tumultuantem.*
  - SEXTVS, *diligere inimicos: qua re ipſe purgatur oculus, quo Deus videri poteſt.*
  - SEPTIMVS, *ipſa eſt ſapientia, ad quam cùm pertigerit homo, pacatus ea tranquillusque perfruitur.*

- EXTANT *prætereà cùm in ipſo Bibliæ Corpore, tum in antiquorum Patrum monumentis, De vera Sacras Scripturas interpretandi ratione varia hincindè præcepta, quæ ſtudioſus quiſq; facilè animaduertere & colligere poterit.*

- EX *recentioribus quoquè non multò antè vir dum viueret doctiſſimus, & non abſq; ſumma honoris præfatione nominandus, Pater Reuerendus D. Ioannes Hoffmeiſterus, poſt Franciſcum Ruitzium Valliſoletanum, vnum in libellum complures collegit ſacras ſcripturas interpretandi veluti Canones: ex quibus exempli tantùm gratia, has generales & perbreues aſſcripſimus Regulas, ex quibus quidem, quàm vſus eiuſmodi regularum, ad ſacras ſcripturas rectè intelligendas & vtilis ſit & neceſſarius, facilè quiuis intelligat.*

REGVLA PRIMA.

SCRIPTVRA diuina nihil temerè vel fortuitò loquitur, ſed & ſyllaba & apiculus vnicus reconditum habet theſaurum. Chryſoſt. hom. 10. in Geneſim.

REGVLA II.

HVIVS theſauri myſteria non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtunt. Hieron. in Epiſtola aduersùs Luciferian. circa finem.

REGVLA III.

NEQVE opùs habet diuina ſcriptura, vt intelligatur humana ſapientia, ſed reuelatione Spiritûs. Chryſoſt. in hom. 21. in Geneſim.

REGVLA IIII.

VERBA eius ſic proculdubiò ſunt intelligenda, quomodò ea ſancti intellexerũt. Auguſt. De verb. Domini, Sermo. 18.

REGVLA V.

HINC nobis non niſi ad certam regulam loqui fas eſt, nè verborum licẽtia etiam de rebus, quæ hîc ſignificantur, impiam gignat opinionẽ. Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. 10. cap. 23.

REGVLA VI.

TERMINI enim nobis ſunt poſiti, & fundamẽta & ędificatio fidei, & Apoſtolorũ traditionẽs, & ſcripturę ſanctæ, & ſucceſſiones doctrinę, & vndiquaquè veritas Dei munita eſt. Epiphanius contra Melchiſedechianos, hęreſi 55.

REGVLA VII.

QVISQVIS autem voluerit tranſgredi terminos ſanctę Dei Eccleſiæ, & ſpem traditionis Propheticę & Apoſtolicę fidei ac doctrinæ, ab vno argumento exigui ac breuis ſermonis, vel exiguo temporis momento in Sapientię tranſgreſſione conſtitutus, eo decęterò ad multa vaniloquia & perículoſas opiniones, & ad inconuenientes ac peregrinas quęſtiones, & nunquàm finiẽdas genealogias, iuxta Apoſtoli dicta, ratiocinatio conuertetur. Epiphan. contra Dimœritas, hęreſi 77.

REGVLA VIII.

SANCTAE enim ſcripturę non temerarios & ſuperbos accuſatores, ſed diligentes & pios deſiderant lectores. Auguſtinus contra Adimantum, cap. 3.

REGVLA IX.

LICET verò pauca ſint Domini verba, magna tamen, & nõ numero, ſed pondere ſunt ęſtimanda: nec ideò contẽnenda, quia pauca: ſed ideò quęrenda, quia magna. Auguſtinus Tractat. 37. in Euangelium Ioannis.

REGVLA X.

IN ipſa porrò lectione, Dei nõ tantũ verba, ſed diuina etiã facta cõſiderari debẽt.

REGVLA XI.

DOMINI enim noſtri Ieſu Chriſti facta, non ſunt tantummodò facta, ſed ſigna. Si ergò ſunt ſigna, præter id quòd mira ſunt, aliquid profectò ſignificant. Auguſtinus Tracta. 49. in Euangelium Ioannis.

REGVLA XII.

AD dicta quòd attinet, Quęcunq; Deus in diuina ſcriptura dicit, ea credere oportet quòd ſunt: quomodò verò ſunt, ipſi ſoli cognitum eſt. Epiphan. contra Audianorum hęreſim 70.

REGVLA XIII.

IN vtriſque, hoc eſt, in ipſis Chriſti & dictis & factis, diuina quędam ſunt myſteria, quæ nec verbis exprimere, nec mente concipere poſſumus: Superat enim diuina res & verba & ingenium noſtrum. Vndè fit, vt multa, non vt dicuntur, ſed vt rebus conuenit, intelligantur. Cyrill. in Euangelium Ioannis, lib. 1. cap. 4.

REGVLA XIIII.

SVNT etiam aliqua, quę Deus occulta eſſe voluit, & ea non ſunt ſcrutanda. Quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda, nè & in illis illicitè curioſi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. Ambroſius de vocatione Gentium, lib. 1. cap. 7.

REGV-

REGVLA XV.

ATQVE ſic quæ humanam excedunt rationẽ, fide tantùm indigent. Ioãnes Chryſoſto. in 1. Cor. homil. 4.

REGVLA XVI.

VBICVNQVE autẽ Sacra ſcriptura ſparsìm per diuinos libros, motus in Deo animæ, ſeu humana mẽbra deſcribit, id eſt, caput, capillos, oculos, palpebram, nares, os, labia, &c. hæc & alia his ſimilia, non carnaliter iuxta hiſtoriam, à rectè intelligentibus ſentienda ſunt: vt à Iudęis, & à pleriſque hęreticis carnaliter ſapiẽtibus, q Deum corporeum atq; localem opinãtur: ſed ſpiritualiter omnia de eo intelligenda & confitẽda ſunt. Auguſtinus de eſſentia diuinitatis, non longè ab initio.

REGVLA XVII.

TVM itaque, qui vult intellectum eorum, q̃ in ſcripturis Propheticis ſcripta ſunt, capere, diligenter oportet attendere vel dicentium perſonas, vel ad quos, vel de quibus ſermo fit perſonis. Orig. in cap. Rom. 2.

REGVLA XVIII.

EX cauſis item dictorum aſſumenda eſt intelligentia dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus. Hilar. lib. 4. De Trinitate.

REGVLA XIX.

POST hæc cauendum eſt, nè figuratam locutionem, id eſt, tranſlatam, quaſi propriam ſequamur, aut propriam quaſi figuratam accipiamus. Auguſt. lib. 3. De doctrina Chriſtiana, cap. 5. & 10.

REGVLA XX.

QVIDQVID in ſermone diuino neque ad morum honeſtatem, id eſt, ad diligendũ Deum & proximum, neq; ad fidei veritatem, id eſt, agnoſcendũ Deum & proximum propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Auguſtinus ibidèm, ca. 10.

REGVLA XXI.

SI quę porrò ſunt dubia, per ea quæ certa ſunt, interpretari debent. Lyran. in Iudic. 2. In verbo, Igitur non ego pecco.

REGVLA XXII.

FACILIVS nanque in ſcripturis quod quęritur, agnoſcitur, ſi ex pluribus locis, q̃ de eadem re ſcripta ſunt, proferantur. Origenes in Numer. Homil. 19.

REGVLA XXIII.

VNDE rectè monet Auguſtinus, inhęrendum eſſe his quę in ſcripturis ſunt aperiſſima, vt ex his reuelentur obſcura, aut ſi mens nondùm eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inueſtigare, ſine vlla hęſitatione credantur. Auguſtinus De peccator. merit. lib. 3. cap. 4.

REGVLA XXIIII.

SIC etiam ſecundùm ea quę ſcripta ſunt, tractare debemus & ea quæ non ſcripta ſunt. Origenes in Matthæi cap. 22. tractatu 23.

REGVLA XXV.

NAM & Apoſtoli etſi omnia intelligerent, pauca tamen expoſuerunt, vt ad eaſdẽ regulas, cętera poſteris intelligenda relinquerent. Aug. contra Adimantũ, ca. 12.

REGVLA XXVI.

QVA in re nos quidem nõ verborum ſeriem, ſed rerum pondus examinare debemus. Ambroſ. lib. 8. in Luc. cap. 18.

REGVLA XXVII.

QVOTIES ergò ſcripturę diuinę vtendũ fuerit teſtimonijs, ſenſum magìs ex ea capiemus, q̃ verba. Quod in Euangelijs frequẽter factũ inuenitur. Origen. Rom. 3.

REGVLA XXVIII.

QVANDO enim de re cõſtat, non opùs eſt certare de nomine. Auguſtinus De origine animæ, Ad Hieronymum epiſt. 28.

REGVLA XXIX.

AD vtrunq;, hoc eſt, tam ad rerum, q̃ verborum cognitionẽ pertinet, quãdò locũ

QVAE VERA SIT HAC DE RE THEOLO-gorum ſententia. TAB. 60.

MEDIA AVTEM INTER *iſta duo veluti extrema ſententia, D. eſt Auguſtin, in Epiſtola ad Voluſian. Vbi literas ſacras*

- NON *quidem vſqueadeò difficiles eſſe, quin ex ijs ſtudio & diligentia tantum quiſque poßit aſſequi, quantum ei ad ſalutem vtile ſit atque neceſſarium:*
- ITA *tamen eſſe, vt re vera ſunt, ſublimes cenſuit, quòd homini etiam ſolerti, ad eas probè perdiſcendas, vix integram ætatem ſufficere exiſtimârit.*

VERBA IPSIVS AVGVSTINI, EX QVIbus diſtinctio iſta deſumpta eſt.

TANTA eſt, inquit profunditas Chriſtianarum literarum, vt in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineũte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tãta in eis perueniatur difficultate: ſed quòd cùm quis ibì fidem tenuerit, ſinè qua piè recteque non creditur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantaque nõ ſolùm in verbis quibus iſta dicta ſunt, ſed etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet: CVM CONSVMMAVERIT HOMO, TVNC INCIPIET, Ecci 18.

QVIBVS REBVS SACRAE SCRIPTVRAE cognitio, non facilis tantùm, ſed plana etiam fieri queat & iucunda. TABVLA 61.

FACILIS FIT *Sacræ ſcripturæ cognitio tribus ferè modis:*

- IVSTA *& idonea interpretatione*
  - *Rerum*
  - *&*
  - *Verborum.*
- STVDIO *atque diligentia, quæ conſiſtit in*
  - *Lectione,*
  - *Meditatione,*
  - *Oratione,*
  - *Exercitatione.*
- ORDINE *doctrinæ, ſeu via docendi diſcendique ratione quadam atque Methodo.*

DE INTERPRETATIONE SCRIPTVRArum. TAB. 62.

QVAE DE INTERPRE. *tatione ſcripturæ ſanctæ quæri plerunquè ſolent, referri poſſunt ferè omnia, ad hæc potiſſimùm capita quinque,*

- AN SIT *licita.*
- EX QVIBVS *cauſis fuerit introducta.*
- QVOTVPLEX *ſit eius ratio atque differentia.*
- QVIS *harum differentiarum vſus.*
- AD QVOS *interpretandæ ſcripturæ ſanctæ ius pertineat & authoritas.*
- ECQVIS *in Sacris ſcripturis rectè interpretandis ſeruãdus ſit mos.*

AN SIT LICITA SCRIPTVRAE interpretatio. TAB. 63.

LICITA EST: QVIA *ſcriptum legimus*

- ISAIAE 57. *Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, & auferte offendicula de via populi mei.*
- ECCLESIASTICI 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*
- LVCAE 3. *Parate viã Domini, rectas facite ſemitas eius.*
- EPHES. 4. *Ob id enim Dominus, præter Apoſtolos, Prophetas & Euangeliſtas, quoſdam dedit etiam Doctores, vt hi ſacros illorum libros interpretarentur.*
- I. COR. 12. *Alij per ſpiritum datur prophetia, alij interpretatio ſermonum.*
- I. COR. 14. *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent, &c. Interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

EX QVIBVS CAVSIS ORTA SIT, SCRIPTVRAS interpretandi neceſſitas. TAB. 64.

NON *tantũ licita, ſed etiã neceſſaria eſt ſcripturarũ interpretatio, tũ propter*

- MVLTIPLICEM *ſcripturæ ſenſum: Nam vt D. Paulus in 1. ad Hebræ. teſtatur cap. Multifariàm multiſq́ modis locutus eſt Deus*
  - PATRIBVS *olim in Prophetis,*
  - NOBIS *in nouiſſimis diebus in filio.*
  - *Per*
    - *Parabolas,*
    - *Figuras,*
    - *Aenigmata,*
    - *Tropos.*
  - *Quibus plena eſt Sacra ſcriptura. Epiphã. cont. Orig. hær. 64.*

- HAERESES VITANDAS: *quam cauſam introducendæ interpretationis, præcipuam fuiſſe, teſtantur antiquiſſimi authores.*
  - AVGVSTINVS *in tractatu ſuper Ioannem 18. Neque enim, inquit, natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audactèr aſſeritur.*
  - VINCENTIVS *Lirinenſis aduersùs hæreſes in princip. vbi tali vtitur præoccupatione: Sed forſitan, inquit, requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opùs eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſuî altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt: ſed eiuſdem eloquia alitèr atque alitèr alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Alitèr nanque illam Nouatianus, alitèr Sabellius, alitèr Donatus exponit: alitèr Arrius, Eunomius, Macedonius: alitèr Photinus, Apollinaris, Priſcillianus: alitèr Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius: alitèr poſtremò Neſtorius: Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tãtos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſûs normam dirigatur. Ibidèm.*

QVOTV-

QVOTVPLEX SIT SCRIPTVRAE SENSVS.

TABVLA 65.

DVPLEX *eſt Scripturarum ſignificatio:*

- VNA *verborum*
  - PROPRIA, *quandò ſic accipiuntur verba, vt ſonant, veluti ſi dictio fermentũ accipiatur pro temperamento, quo miſcetur panis, vt eo fiat ſapidior.*
  - TRANSLATA, *quandò in alium transferuntur ſenſum, vt cùm vox eadẽ, ſcilicet fermentum, accipitur pro doctrina aut ſana, Matth. 13. aut falſa, vt Matth. 16. Cauete à fermento phariſæorum &c.*
- ALTERA *rerum. Habet enim hoc Sacra ſcriptura præ cæteris humanæ philoſophiæ ſcriptis peculiare, quòd non, vt in alijs diſciplinis, verba tantùm ſuas habeant tam ꝓprias, quàm figuratas ſignificationes, ſed ipſæ etiam res, per voces indicatæ, adhuc aliud & maius quidpiam ſignificent. Vt in eo quod Saluator noſter de ſua dixit perſona Ioan. 15, Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt, vos palmites &c. Vbi dictiones, vitis, agricola, palmites: Perſonam Chriſti, Dei Patris, & Apoſtolorum, atque adeò fidelis cuiuſuis ſtatum ſignificant.*

DE VARIIS INTERPRETATIONVM SPECIEBVS.

TABVLA 66.

INTERPRE-*tationis ſpecies ponunt alij*

- DVAS, *iuxta communem interpretationis Diuiſionem.*
- TRES, *vt*
  - D. HIERON. *ad Hedibiam quæſt. 12.*
  - S. HVGO *Victori. in lib. 3. de clauſtro animæ cap. 8.*
- QVATVOR, *vt D. Auguſt. duobus in locis.*

DE PRIMA INTERPRETATIONIS DIVISIONE.

TABVLA 67.

VT SCRI-*pturæ ſenſus alius verborum eſt, & alius rerũ, ità etiã interpretatio eiuſdem alia*

- HISTORICA *eſt verborum, qua primariæ vocum inueſtigantur ſignificationes, & ob id communiter literalis dicitur ſeu Grammatica, vt exempli gratia, vox illa Hieruſalem, iuxta grammaticam interpretationem, ciuitatẽ ſignificat, olim in Iudæa Metropolitanam.*
- MYSTICA *rerũ, hoc eſt, Spiritualis, qua ſingularũ non tãtùm vocum, ſed rerum etiam ſignatarum, inquirũtur ſignificationes: & eſt triplex.*
  - ALLEGORICA, *cùm facta vel ſententiæ alijs rebus ſimilitudinem habentibus accommodantur: & ſic Hieruſalem Eccleſiam ſignificat militantem, vt in Apocalyp. cap. 21. Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem.*
  - TROPOLOGICA, *ſiue moralis, quandò ex verbis colliguntur actiones ſeu officia hominis Chriſtiani, quid vnumquemque agere vel non agere deceat. Qua ratione Hieruſalem ponitur pro anima fideli. Vndè Eſa. 52. dicitur: Conſurge &c. induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem.*
  - ANAGOGICA, *qua præter verborum ſignificationem elicitur aliquid, quod ad cæleſtem pertinet conuerſationẽ, & hoc pacto Hieruſalẽ accipitur pro Eccleſia triumphante, vt Galat. 4. Illa quæ ſurſùm eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Lyra prol. 1. in bibl.*

DE SECVNDA INTERPRETATIONIS Diuiſione. TABVLA 68.

SECVNDO modo interpretatio diuiditur ſecũdum

- D. HIERONYMŨ ad Hedibiã, in hæc verba: *Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt,*
  - PRIMA, *vt intelligamus eas iuxta hiſtoriã, in qua eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur.*
  - SECVNDA, *iuxta tropologiam, in qua de litera ad maiora conſurgimus, & quidquid in priori paulò carnaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumentum conuertimus.*
  - TERTIA, *iuxta intelligentiam Spiritualem, in qua Spirituali theoria ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cæleſtibus diſputamus, vt præſentis vitæ meditatio, vmbra futuræ ſit beatitudinis.*
- S. HVGONEM *De S. Victore in d. lib. 3. De clauſtro animæ, vbi ait, In refectorio Sacræ Scripturæ tres ſunt menſæ:*
  - *Hiſtorialis,*
  - *Myſtica,*
  - *Moralis.*

QVIBVS REBVS HAE TRES INTER SE conueniant aut diſcrepent menſæ. TABVLA 69.

MENſæ prædictæ ſiue interpretationes ſcripturarũ, partim

- CONVENIVNT *ſcopo. Nam vt ſuper Pſal. dicit Caſſiodor. Quidquid in tota ſcriptura vel*
  - *Docetur, Præcipitur, Promittitur,* — *eſt* — *Veritas, Bonitas, Felicitas.* — *Nam Deus eſt* — *Veritas, Bonitas, Felicitas* — *ſine* — *Fallacia. Malitia. Miſeria.*
- DIFFERVNT *ſecundum eundem Hugonem in d. lib. de clauſtro animę, quatuor modis:*
  - PRIMO *Menſa* — *Prima, Secunda, Tertia* — *Competit* — *Simplicibus, Doctoribus. Vtriſque.*
  - SECVNDO *in menſa* — *Prima, Secunda, Tertia* — *Cibus eſt* — *Groſſior. Subtilior. Dulcior.*
  - TERTIO *menſa* — *Prima, Secunda, Tertia.* — *Continet ſaporem* — *Exemplorum. Myſteriorum. Morum.*
  - QVARTO *menſa* — *Prima, Secunda, Tertia* — *Paſcit* — *Miraculis. Figuris. Verbis.*

DE TER-

DE TERTIA INTERPRETATIONIS PARTITIONE

TABVLA 70.

QVADRVplicem S. ſcripturæ interpretandæ rationẽ ponit Auguſtinus duobus in locis:

- AD LONgum in libro de vtilitate credendi, ca. 3.
  - PRIMA eſt ſecundùm hiſtoriam, cùm videlicet docetur, quid ſcriptum aut quid geſtum ſit, quid non geſtum, ſed tantummodò ſcriptum, quaſi geſtum ſit: Veluti cùm Chriſtus Matth. 12. citat ex 1. Samuel. 21. quòd Dauid comederit panes propoſitionis.
  - SECVNDA eſt, ſecundùm ἀιτιολογίαν, cùm oſtenditur, qua de cauſa aliquid dictum, vel factum ſit. Exemplum Matth. 19. Chriſtus prohibens repudium vxoris, niſi interueniente fornicatione, prudenter etiam exponit cauſam, ob quam libellus repudij Iudæis anteà conceſſus fuerat: Moiſes, inquit, permiſit eum vobis propter duritiam cordis veſtri.
  - TERTIAM vocat ſecundùm ἀναλογίαν, qua vtriuſque teſtamenti congruentia oſtenditur.
  - QVARTAM ſecundùm Allegoriam, cùm docetur nõ ad literam accipienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda: Quomodò 1. Cor. 10. Apoſtolus hiſtoriam Exodi notat Allegoriã fuiſſe populi Chriſtiani, & patribus omnia contigiſſe in figuris.
- BREVIVS in lib. De Geneſi ad literam, imperfect. c. 2 ſecundum
  - HISTORIAM, cùm ſiue diuinitùs, ſiue humanitùs res geſta commemoratur.
  - ALLEGORIAM, cùm figuratè dicta intelliguntur.
  - ANAGOGIAM, cùm veteris & noui Teſtamentorum congruentia oſtenditur.
  - ἀιτιολογίαν, cùm dictorum factorumque redduntur cauſæ.

APPENDIX.

HAEC omnia in Sacrarum ſcripturarum lectione inprimis annotari & obſeruari debere, diligenter is idem monet Auguſt. in lib. De vera religione cap. 50. in hæc verba: Diſtinguamus, inquit, quam fidem debeamus hiſtoriæ, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum eſſe neſcientes, ſed credentes tamen. Et vbi ſit verum, quod non venit & tranſit, ſed ſemper eodem modo manet. Quis ſit modus interpretandæ Allegoriæ, quæ per Sapientiam dicta creditur in Spirituſancto: vtrùm à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recentiora eam perducere ſufficiat, An vſque ad animæ affectiones atque naturam, an vſque ad incommutabilem æternitatem: An aliæ ſignificet geſta viſibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis: an aliqua inueniantur, in quibus hæc omnia inueſtigãda ſint. Et quæ ſit ſtabilis fides, ſiue hiſtorica & temporalis, ſiue ſpiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio authoritatis dirigenda ſit. Et quid proſit ad intelligenda & obtinenda æterna, vbi finis eſt omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid interſit inter Allegoriam hiſtoriæ, allegoriam facti, & allegoriam Sermonis, & allegoriam Sacramenti. Et quomodò ipſa locutio diuinarũ ſcripturarum, ſecundùm cuiuſque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cùm in aliam linguam transferuntur, abſurda videntur.

QVÆ CVIVS-

QVAE CVIVSQVE SPECIEI SINT PROPRIA.

TABVLA 71.

- QVAE PROpria differentiæ cuiuſque ſit natura, bifariàm conſiderari poteſt:
  - PRIMÒ ipſa
    - HISTORIA
    - ALLEGORIA
    - TROPOLOGIA
    - ANAGOGIA
    - } Docet
      - Quid geſtum ſit.
      - Quid credas.
      - Quid agas.
      - Quò tendas.
  - SECVNDÒ interpretatio
    - HISTORICA
    - ALLEGORICA
    - TROPOLOGICA
    - ANAGOGICA
    - } Pertinet ad
      - Cognitionem.
      - Fidem.
      - Spem.
      - Charitatem.

QVIS PROPRIVS ISTARVM DIFFERENtiarum ſit vſus.

TABVLA 72.

- VERVS PRAEDIctarum ſpecierum, in quas omnis interpretandi ratio diſtributa eſt, vſus, conſiſtit in eo, vt meminerimus non omnibus omnem, ſed alijs aliam conuenire interpretandi formam, vt colligitur ex ſententia trium Doctorum,
  - EPIPHANII contra Apoſtolicos, vbi ſic ait: Omnia verba non allegoria opùs habent; ſed prout ſe habent, accipiēda ſunt: Speculatione autem indigent & ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſque propoſiti argumenti vim & facultatem.
  - D. THOMAE, in 7. Quodlib. qui quatuor eum explicari dicit modis, aliâs
    - Vno,
    - Duobus,
    - Tribus,
    - Quatuor:
    - } Qui inſequēti continentur tabula.
  - AVGVSTINI aſſerentis
    - NEC illis conſentiendum eſſe, qui ſolùm hiſtoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione.
    - NEC illis, qui ſolas figuras defendũt, repudiata hiſtorica veritate. lib. 15. De Ciuitate Dei, cap. 27.
    - SED tripartita reperiri prophetarũ eloquia, quorũ ſpectent aliqua ad HIERUſalē
      - Terrenam,
      - Cæleſtem,
      - Vtranque. lib. 17. de Ciuitat. Dei, cap. 3.

QVAE CVIQVE MAXIME CONVENIAT interpretatio. TABVLA 73.

ID TAM EX *rerum quàm verborum interpretandorum qualitate æſtimari debet: Nam q̃ ſacris mandantur literis, omnia pertinent vel ad*

- RES *geſtas*
  - VETERIS *teſtamenti,*
  - CHRISTI *in nouo teſtamento.*
  - *Et hæc admittunt oẽs interpretationis ſpecies, ſcilicet*
    - *Hiſtoricam, quo ad nudam facti ſeriem.*
    - *Allegoricam, referendo ea ad corpus myſticum.*
    - *Tropologicam, ſi illa ad actus noſtros referamus, quæ ſecundùm Chriſtum debent regulari.*
    - *Anagogicã, inquantùm in ipſo Chriſto eſt nobis iter gloriæ demonſtratum.*
- ECCLESIAM *militantem, quæ tribus poſſunt explicari modis, Per interpretationem ſcilicet*
  - *Hiſtoricam,*
  - *Ethicam ſeu tropologicã,*
  - *Anagogicã.*
- TRIVMPHANTEM *Eccleſiam, quæ duplicẽ tantùm habent ſenſum,*
  - *Hiſtoricum*
  - *&*
  - *Anagogicum.*
  - *Et ſic*
    - *Senſus literalis ſiue hiſtoricus conuenit omnibus.*
    - *Myſticus verò, paucis tantùm Scripturæ locis.*
- PRAECEPTA *Charitatis & conſilia Euangelica, quæ vnica tantùm interpretandi forma, literali videlicet ſiue hiſtorica, contenta eſſe & poſſunt & debent. Alioquì enim ſi ſingula ſingulis modis explicare quis conetur, veriùs ſe intricâſſe, quàm explicâſſe deprehendet. De his omnibus & vero allegoriarum vſu, vide tractatum pulcherrimum doctiſſimi viri D. Laurentij à Villauicentio, De formãdis Sacris Concionibus, lib. 3. cap. 1. & de ratione ſtudij Theologici lib. 2. cap. 20.*

AD QVOS

AD QVOS SACRAS INTERPRETANDI LITERAS Ius pertineat atque poteſtas.

TABVLA 74.

HOC *Ius pertinere ad*

- DOCTORES *Eccleſ. Catholicæ, conſtat*
  - AVTHORITATE
    - *Sapientis Ecclеſ. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceßitatis dare reſponſum,*
    - *D. Auguſt. lib. 1. de moribus eccleſiæ Catholicæ, c. 1. Quis enim mediocriter ſanus, inquit, non facilè intelligat, ſcripturarum expoſitionem ab his petendam eſſe, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur: fieriq́ poſſe, immò id ſemper accidere, vt multa indoctis videantur abſurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur elatiùs, quo abiectiùs aſpernanda videbantur: & eo accipiantur aperta dulciùs, quo clauſa difficiliùs aperiebantur?*
  - RATIONE
    - *Primùm, Quia nulla patet via conuincendi hæreticũ, ſi cuique liceat ſacram ſcripturam pro ſuo arbitrio interpretari.*
    - *Deindè, antiquos ſapientes fuiſſe nemo negat: eccleſiæ fuiſſe magiſtros, certò conſtat: à Deo fuiſſe eccleſiæ datos, Chriſti erga eccleſiam prouidentia manifeſtat: datos eſſe, vt Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarumq́ oracula exponerent, Paulus innuit Ephe. 4. Ab vno Paſtore tam multos, atq; diuerſis & locis & temporibus fuiſſe deſtinatos, ſententiæ vnitas & concordia monſtrat. Canus lib. 7. de locis Theolog. cap. 3.*
    - *Iam, vt rectè is infert ibidèm, ſi ſancti omnes, dum illas interpretarentur, errârunt: Deo authore errat eccleſia, cùm Doctores ſibi à Chriſto datos ſequeretur, & in ſacrorum Codicum intelligentia, eorum veſtigijs inſiſteret.*
- ECCLESIAM *ipſam Catholicam, probatur*
  - *Teſtimonio Chriſti, quo ipſe nobis Doctorum ſententijs inter ſe diſcrepantibus, (quod Alphonſus de Caſtro lib. 1. aduerſùs hær. cap. 4. etiam ſanctis poſſe contingere affirmat) atque in omnibus adeò motis De ſcriptura ſancta controuerſijs, ad Eccleſiæ iudicium recurrendum eſſe, tam ſedulò monet atque præcipit.*
  - *Ratione euidentiſſima: qua enim lege credimus eccleſiæ dicenti, hãc vel illam ſcripturam eſſe diuinam: eadem lege nos credere conuenit, eidem dicenti, hunc aut illum eſſe ſenſum Sacræ ſcripturæ verum. Vide Auguſtinum contra Epiſtolam Manichæi, quam Fundamenti vocãt, cap. 5.*
  - AVTHORITATE *Patrum, quorum hîc duos tãtùm teſtes, vt omni exceptione maiores, ità etiam validiſſimos adduxiſſe ſufficiat, Videlicet*
    - *Origenem in Proœm. lib. 1. Peri Archon: Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.*
    - *Auguſtinum*
      - *Ad Emeritum contra Donatiſt. epiſt. 164. Hoc, inquit, obſeruandũ eſt, quod obſeruat Eccleſia Dei.*
      - *Epiſtola 59, ad quæſt. Paulin. In ſcripturis ſanctis interpretandis, etſi multa dici poſſint, quæ improbanda non ſunt, tamen in his eligendũ, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia. quæſt. 5.*

QVIS OPTI-

QVIS OPTIMVS SIT SACRAS SCRIPTVRAS INterpretandi modus. TABVLA 75.

SACRAS *Scripturas rectè interpretandi regulas tradiderunt*

- TYCONIVS *quidã, q ſcripſit olim cõtra Donatiſtas, integrũ fecit lib. quem vocauit Regularũ, & in 7. diuiſit regulas:*
  - PRIMAM
  - SECVNDAM
  - TERTIAM
  - QVARTAM
  - QVINTAM
  - SEXTAM
  - SEPTIMAM

  De
  - *Dño noſtro Ieſu Chriſto & eius corpore.*
  - *Corpore Domini bipartito.*
  - *Promiſsis & lege.*
  - *Specie & genere.*
  - *Temporibus.*
  - *Recapitulatione.*
  - *Diabolo & eius corpore.*

  Explicationem iſtarũ Regularũ, nè totiès eadem repetere neceſſè ſit, ſtudioſus lector ipſe videre poteris apud
  - *Gloſſam in Prologo Bibliæ.*
  - *Pagninum in ſua Iſagoge ad S. literas.*
  - *Ioann. Driedonem De Scriptura ecclesiaſt. lib. 3. cap. 3.*
  - *Auguſtin. lib. 3. De doctrina Chriſtiana cap. 30. Vbi eas nec quidem inutiles, non tamen per omnia ſatisfacere putat.*

- AVGVSTINVS *in libr. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 7. ponit 7. gradus, quibus ad veram quiſq; ſapientiam peruenire queat: Quorum*
  - PRIMVS *eſt, timore Dei conuerti ad cognoſcendam eius voluntatem.*
  - SECVNDVS, *miteſcere pietate, neque contradicere diuinæ ſcripturæ.*
  - TERTIVS, *diligere Deum propter Deum, & proximum propter Deũ: & illum quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligere, proximum verò ſicut ſeipſum.*
  - QVARTVS, *per fortitudinem eſurire & ſitire iuſtitiam.*
  - QVINTVS, *conſilio miſericordiæ animam purgare tumultuantem.*
  - SEXTVS, *diligere inimicos: qua re ipſe purgatur oculus, quo Deus videri poteſt.*
  - SEPTIMVS, *ipſa eſt ſapientia, ad quam cùm pertigeris homo, pacatus ea tranquillusque perfruitur.*

- EXTANT *prætereà cùm in ipſo Bibliæ Corpore, tum in antiquorum Patrum monumentis, De vera Sacras Scripturas interpretandi ratione varia hincindè præcepta, quæ ſtudioſus quiſq; facilè animaduertere & colligere poterit.*

- EX *recentioribus quoquè non multò antè vir dum viueret doctiſſimus, & non abſq; ſumma honoris præfatione nominandus, Pater Reuerendus D. Ioannes Hoffmeiſterus, poſt Franciſcum Ruitzium Valliſoletanum, vnum in libellum complures collegit ſacras ſcripturas interpretandi veluti Canones: ex quibus exempli tantùm gratia, has generales & perbreues aſſcripſimus Regulas, ex quibus quidem, quàm vſus eiuſmodi regularum, ad ſacras ſcripturas rectè intelligendas & vtilis ſit & neceſſarius, facilè quiuis intelligat.*

REGVLA PRIMA.

SCRIPTVRA diuina nihil temerè vel fortuitò loquitur, ſed & ſyllaba & apiculus vnicus reconditum habet theſaurum. Chryſoſt. hom. 10. in Geneſim.

REGVLA II.

HVIVS theſauri myſteria non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtunt. Hieron. in Epiſtola aduersùs Luciferian. circa finem.

REGVLA III.

NEQVE opùs habet diuina ſcriptura, vt intelligatur humana ſapientia, ſed reuelatione Spiritûs. Chryſoſt. in hom. 21. in Geneſim.

REGVLA IIII.

VERBA eius ſic proculdubiò ſunt intelligenda, quomodò ea ſancti intellexerũt. Auguſt. De verb. Domini, Sermo. 18.

REGVLA V.

HINC nobis non niſi ad certam regulam loqui fas eſt, nè verborum licẽtia etiam de rebus, quæ hîc ſignificantur, impiam gignat opinionẽ. Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. 10. cap. 23.

REGVLA VI.

TERMINI enim nobis ſunt poſiti, & fundamẽta & ędificatio fidei, & Apoſtolorũ traditiones, & ſcripturę ſanctæ, & ſucceſſiones doctrinę, & vndiquaquè veritas Dei munita eſt. Epiphanius contra Melchiſedechianos, hęreſi 55.

REGVLA VII.

QVISQVIS autem voluerit transgredi terminos ſanctę Dei Eccleſiæ, & ſpem traditionis Propheticę & Apoſtolicę fidei ac doctrinæ, ab vno argumento exigui ac breuis ſermonis, vel exiguo temporis momento in Sapientię tranſgreſſione conſtitutus, eo decętero ad multa vaniloquia & periculoſas opiniones, & ad inconuenientes ac peregrinas quęſtiones, & nunquàm finiẽdas genealogias, iuxta Apoſtoli dicta, ratiocinatio conuertetur. Epiphan. contra Dimœtitas, hęreſi 77.

REGVLA VIII.

SANCTAE enim ſcripturę non temerarios & ſuperbos accuſatores, ſed diligentes & pios deſiderant lectores. Auguſtinus contra Adimantum, cap. 3.

REGVLA IX.

LICET verò pauca ſint Domini verba, magna tamen, & nõ numero, ſed pondere ſunt ęſtimanda: nec ideò contẽnenda, quia pauca: ſed ideò quęrenda, quia magna. Auguſtinus Tractat. 37. in Euangelium Ioannis.

REGVLA X.

IN ipſa porrò lectione, Dei nõ tantũ verba, ſed diuina etiã facta cõſiderari debẽt.

REGVLA XI.

DOMINI enim noſtri Ieſu Chriſti facta, non ſunt tantummodò facta, ſed ſigna. Si ergò ſunt ſigna, præter id quòd mira ſunt, aliquid profectò ſignificant. Auguſtinus Tracta. 49. in Euangelium Ioannis.

REGVLA XII.

AD dicta quòd attinet, Quęcunq; Deus in diuina ſcriptura dicit, ea credere oportet quòd ſunt: quomodò verò ſunt, ipſi ſoli cognitum eſt. Epiphan. contra Audianorum hęreſim 70.

REGVLA XIII.

IN vtriſque, hoc eſt, in ipſis Chriſti & dictis & factis, diuina quędam ſunt myſteria, quæ nec verbis exprimere, nec mente concipere poſſumus: Superat enim diuina res & verba & ingenium noſtrum. Vndè fit, vt multa, non vt dicuntur, ſed vt rebus conuenit, intelligantur. Cyrill. in Euangelium Ioannis, lib. 1. cap. 4.

REGVLA XIIII.

SVNT etiam aliqua, quę Deus occulta eſſe voluit, & ea non ſunt ſerutanda. Quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda, nè & in illis illicitè curioſi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. Ambroſius de vocatione Gentium, lib. 1. cap. 7.

REGV.

REGVLA XV.

ATQVE ſic quæ humanam excedunt rationē,fide tantùm indigent. Ioãnes Chryſoſto. in 1. Cor. homil. 4.

REGVLA XVI.

VBICVNQVE autē Sacra ſcriptura ſparsim per diuinos libros, motus in Deo animæ,ſeu humana mēbra deſcribit,id eſt,caput,capillos,oculos,palpebram, nares, os,labia,&c. hæc & alia his ſimilia,non carnaliter iuxta hiſtoriam, à rectè intelligentibus ſentienda ſunt:vt à Iudęis,& à pleriſque hęreticis carnaliter ſapiētibus, q Deum corporeum atq; localem opinātur:ſed ſpiritualiter omnia de eo intelligenda & confitēda ſunt. Auguſtinus de eſſentia diuinitatis,non longè ab initio.

REGVLA XVII.

TVM itaque,qui vult intellectum eorum,q̃ in ſcripturis Propheticis ſcripta ſunt, capere,diligenter oportet attendere vel dicentium perſonas, vel ad quos,vel de quibus ſermo ſit perſonis. Orig. in cap. Rom. 2.

REGVLA XVIII.

EX cauſis item dictorum aſſumenda eſt intelligentia dicendi: quia non ſermoni res,ſed rei eſt ſermo ſubiectus. Hilar. lib. 4. De Trinitate.

REGVLA XIX.

POST hæc cauendum eſt,nè figuratam locutionem,id eſt, tranſlatam, quaſi propriam ſequamur,aut propriam quaſi figuratam accipiamus. Auguſt. lib. 3. De doctrina Chriſtiana, cap. 5. & 10.

REGVLA XX.

QVIDQVID in ſermone diuino neque ad morum honeſtatem,id eſt, ad diligendū Deum & proximum,neq; ad fidei veritatem, id eſt, agnoſcendū Deum & proximum propriè referri poteſt,figuratum eſſe cognoſcas. Auguſtinus ibidèm,ca. 10.

REGVLA XXI.

SI quę porrò ſunt dubia,per ea quæ certa ſunt,interpretari debent. Lyran. in Iudic. 2. In verbo, Igitur non ego pecco.

REGVLA XXII.

FACILIVS nanque in ſcripturis quod quęritur,agnoſcitur,ſi ex pluribus locis, q̃ de eadem re ſcripta ſunt,proferantur. Origenes in Numer. Homil. 19.

REGVLA XXIII.

VNDE rectè monet Auguſtinus,inhęrendum eſſe his quę in ſcripturis ſunt apertiſſima,vt ex his reuelentur obſcura,aut ſi mens nondùm eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere,vel abſtruſa inueſtigare,ſine vlla hęſitatione credantur. Auguſtinus De peccator. merit. lib. 3. cap. 4.

REGVLA XXIIII.

SIC etiam ſecundùm ea quę ſcripta ſunt,tractare debemus & ea quæ non ſcripta ſunt. Origenes in Matthæi cap. 22. tractatu 23.

REGVLA XXV.

NAM & Apoſtoli etſi omnia intelligerent,pauca tamen expoſuerunt, vt ad eaſdē regulas,cętera poſteris intelligenda relinquerent. Aug. contra Adimantū,ca. 12.

REGVLA XXVI.

QVA in re nos quidem nō verborum ſeriem,ſed rerum pondus examinare debemus. Ambroſ. lib. 8. in Luc. cap. 18.

REGVLA XXVII.

QVOTIES ergò ſcripturę diuinę vtendū fuerit teſtimonijs,ſenſum magìs ex ea capiemus,q̃ verba. Quod in Euangelijs frequēter factū inuenitur. Origen. Rom. 3.

REGVLA XXVIII.

QVANDO enim de re cōſtat,non opùs eſt certare de nomine. Auguſtinus De origine animæ, Ad Hieronymum epiſt. 28.

REGVLA XXIX.

AD vtrunq;,hoc eſt,tam ad rerum,q̃ verborum cognitionē pertinet, quãdò locū

QVAE VERA SIT HAC DE RE THEOLO- gorum ſententia. TAB. 60.

MEDIA AVTEM INTER *iſta duo veluti extrema ſententia, D. eſt Auguſtini, in Epiſtola ad Voluſian. Vbi literas ſacras*

- NON *quidem vſqueadeò difficiles eſſe, quin ex ijs ſtudio & diligentia tantum quiſque poſſit aſſequi, quantum ei ad ſalutem vtile ſit atque neceſſarium:*
- ITA *tamen eſſe, vt re vera ſunt, ſublimes cenſuit, quòd homini etiam ſolerti, ad eas probè perdiſcendas, vix integram ætatem ſufficere exiſtimârit.*

VERBA IPSIVS AVGVSTINI, EX QVI- bus diſtinctio iſta deſumpta eſt.

TANTA eſt, inquit profunditas Chriſtianarum literarum, vt in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineũte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tãta in eis perueniatur difficultate: ſed quòd cùm quis ibì fidem tenuerit, ſinè qua piè recteque non creditur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantaque nõ ſolùm in verbis quibus iſta dicta ſunt, ſed etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet: CVM CONSVMMAVERIT HOMO, TVNC INCIPIET, Eccl̃ 18.

QVIBVS REBVS SACRAE SCRIPTVRAE cognitio, non facilis tantùm, ſed plana etiam fieri queat & iucunda. TABVLA 61.

FACILIS FIT *Sacræ ſcripturæ cognitio tribus ferè modis:*

- IVSTA *& idonea interpretatione*
  - *Rerum*
  - *&*
  - *Verborum.*
- STVDIO *atque diligentia, quæ conſiſtit in*
  - *Lectione,*
  - *Meditatione,*
  - *Oratione,*
  - *Exercitatione.*
- ORDINE *doctrinæ, ſeu via docendi diſcendique ratione quadam atque Methodo.*

DE IN-

DE INTERPRETATIONE SCRIPTVRArum. TAB. 62.

QVAE DE INTERPRETAtione ſcripturæ ſanctæ quæri plerunquè ſolent, referri poſſunt ferè omnia, ad hæc potiſſimùm capita quinque,

- AN SIT licita.
- EX QVIBVS cauſis fuerit introducta.
- QVOTVPLEX ſit eius ratio atque differentia.
- QVIS harum differentiarum vſus.
- AD QVOS interpretandæ ſcripturæ ſanctæ ius pertineat & authoritas.
- ECQVIS in Sacris ſcripturis rectè interpretandis ſeruãdus ſit mos.

AN SIT LICITA SCRIPTVRAE interpretatio. TAB. 63.

LICITA EST: QVIA ſcriptum legimus

- ISAIAE 57. Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, & auferte offendicula de via populi mei.
- ECCLESIASTICI 24. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.
- LVCAE 3. Parate viã Domini, rectas facite ſemitas eius.
- EPHES. 4. Ob id enim Dominus, præter Apoſtolos, Prophetas & Euangeliſtas, quoſdam dedit etiam Doctores, vt bi ſacros illorum libros interpretarentur.
- I. COR. 12. Alij per ſpiritum datur prophetia, alij interpretatio ſermonum.
- I. COR. 14. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent, &c. Interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

EX QVIBVS CAVSIS ORTA SIT, SCRIPTVRAS interpretandi neceſſitas. TAB. 64.

NON tantū licita, ſed etiā neceſſaria eſt ſcripturarū interpretatio, tū propter

- MVLTIPLICEM ſcripturæ ſenſum: Nam vt D. Paulus in 1. ad Hebræ. teſtatur cap. Multifariàm multisq; modis locutus eſt Deus
  - PATRIBVS olim in Prophetis,
  - NOBIS in nouiſſimis diebus in filio.
  - Per
    - Parabolas,
    - Figuras,
    - Aenigmata,
    - Tropos.
      - Quibus plena eſt Sacra ſcriptura. Epiphā. cont. Orig. hær. 64.
- HAERESES VITANDAS: quam cauſam introducendæ interpretationis, præcipuam fuiſſe, teſtantur antiquiſſimi authores.
  - AVGVSTINVS in tractatu ſuper Ioannem 18. Neque enim, inquit, natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audactèr aſſeritur.
  - VINCENTIVS Lirinenſis aduersùs hæreſes in princip. vbi tali vtitur præoccupatione: Sed forſitan, inquit, requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſuî altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt: ſed eiuſdem eloquia alitèr atque alitèr alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ ērui poſſe videantur. Alitèr nanque illam Nouatianus, alitèr Sabellius, alitèr Donatus exponit: alitèr Arrius, Eunomius, Macedonius: alitèr Photinus, Apollinaris, Priſcillianus: alitèr Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius: alitèr poſtremò Neſtorius: Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tãtos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſensûs normam dirigatur. Ibidèm.

QVOTV-

QVOTVPLEX SIT SCRIPTVRAE SENSVS.

TABVLA 65.

DVPLEX *eſt Scripturarum ſignificatio:*

- **VNA** *verborum*
  - **PROPRIA**, *quandò ſic accipiuntur verba, vt ſonant, veluti ſi dictio fermentũ accipiatur pro temperamento, quo miſcetur panis, vt eo fiat ſapidior.*
  - **TRANSLATA**, *quandò in alium transferuntur ſenſum, vt cùm vox eadẽ, ſcilicet fermentum, accipitur pro doctrina aut ſana, Matth. 13. aut falſa, vt Matth. 16. Cauete à fermento phariſæorum &c.*
- **ALTERA** *rerum. Habet enim hoc Sacra ſcriptura præ cæteris humanæ philoſophiæ ſcriptis peculiare, quòd non, vt in alijs diſciplinis, verba tantùm ſuas habeant tam ꝑprias, quàm figuratas ſignificationes, ſed ipſæ etiam res, per voces indicatæ, adhuc aliud & maius quidpiam ſignificent. Vt in eo quod Saluator noſter de ſua dixit perſona Ioan. 15, Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt, vos palmites &c. Vbi dictiones, vitis, agricola, palmites: Perſonam Chriſti, Dei Patris, & Apoſtolorum, atque adeò fidelis cuiuſuis ſtatum ſignificant.*

DE VARIIS INTERPRETATIONVM SPECIEBVS.

TABVLA 66.

INTERPRETATIONIS *ſpecies ponunt alij*

- **DVAS**, *iuxta communem interpretationis Diuiſionem.*
- **TRES**, *vt*
  - **D. HIERON.** *ad Hedibiam quæſt. 12.*
  - **S. HVGO** *Victori. in lib. 3. de clauſtro animæ cap. 8.*
- **QVATVOR**, *vt D. Auguſt. duobus in locis.*

DE PRIMA INTERPRETATIONIS DIVISIONE.

TABVLA 67.

VT SCRI. *pturæ ſenſus alius verborum eſt, & alius rerũ, ità etiã interpretatio eiuſdem alia*

- **HISTORICA** *eſt verborum, qua primariæ vocum inueſtigantur ſignificationes, & ob id communiter literalis dicitur ſeu Grammatica, vt exempli gratia, vox illa Hieruſalem, iuxta grammaticam interpretationem, ciuitatẽ ſignificat, olim in Iudæa Metropolitanam.*
- **MYSTICA** *rerũ, hoc eſt, Spiritualis, qua ſingularũ non tãtùm vocum, ſed rerum etiam ſignatarum, inquirũtur ſignificationes: & eſt triplex.*
  - **ALLEGORICA**, *cùm facta vel ſententiæ alijs rebus ſimilitudinem habentibus accommodantur: & ſic Hieruſalem Eccleſiam ſignificat militantem, vt in Apocalyp. cap. 21. Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem.*
  - **TROPOLOGICA**, *ſiue moralis, quandò ex verbis colliguntur actiones ſeu officia hominis Chriſtiani, quid vnumquemque agere vel non agere deceat. Qua ratione Hieruſalem ponitur pro anima fideli. Vndè Eſa. 52. dicitur: Conſurge &c. induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem.*
  - **ANAGOGICA**, *qua præter verborum ſignificationem elicitur aliquid, quod ad cæleſtem pertinet conuerſationẽ, & hoc pacto Hieruſalẽ accipitur pro Eccleſia triumphante, vt Galat. 4. Illa quæ ſursùm eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Lyra prol. 1. in bibl.*

DE SECVNDA INTERPRETATIONIS Diuiſione. TABVLA 68.

SECVNDO modo interpretatio diuiditur ſecũdum

- **D. HIERONYMŨ ad Hedibiã**, in hæc verba: *Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt,*
  - **PRIMA,** *vt intelligamus eas iuxta hiſtoriã, in qua eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur.*
  - **SECVNDA,** *iuxta tropologiam, in qua de litera ad maiora conſurgimus, & quidquid in priori paulò carnaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumentum conuertimus.*
  - **TERTIA,** *iuxta intelligentiam Spiritualem, in qua Spirituali theoria ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cæleſtibus diſputamus, vt præſentis vitæ meditatio, vmbra futuræ ſit beatitudinis.*
- **S. HVGONEM** *De S. Victore in d. lib. 3. De clauſtro animæ, vbi ait, In refectorio Sacræ Scripturæ tres ſunt menſæ:*
  - *Hiſtorialis,*
  - *Myſtica,*
  - *Moralis.*

QVIBVS REBVS HAE TRES INTER SE conueniant aut diſcrepent menſæ. TABVLA 69.

MENSÆ prædictæ ſiue interpretationes ſcripturarũ, partim

- **CONVENIVNT** *ſcopo. Nam vt ſuper Pſal. dicit Caſſiodor. Quidquid in tota ſcriptura vel*
  - *Docetur, / Præcipitur, / Promittitur,* — *eſt* — *Veritas, / Bonitas, / Felicitas.* — *Nam Deus eſt* — *Veritas / Bonitas / Felicitas* — *ſine* — *Fallacia. / Malitia. / Miſeria.*
- **DIFFERVNT** *ſecundum eundem Hugonem in d. lib. de clauſtro animę, quatuor modis:*
  - **PRIMO** *Menſa* — *Prima / Secunda / Tertia* — *Competit* — *Simplicibus, / Doctoribus. / Vtriſque.*
  - **SECVNDO** *in menſa* — *Prima / Secunda / Tertia* — *Cibus eſt* — *Groſſior. / Subtilior. / Dulcior.*
  - **TERTIO** *menſa* — *Prima / Secunda / Tertia.* — *Continet ſaporem* — *Exemplorum. / Myſteriorum. / Morum.*
  - **QVARTO** *menſa* — *Prima / Secunda / Tertia* — *Paſcit* — *Miraculis. / Figuris. / Verbis.*

DE TERTIA INTERPRETATIONIS PARTITIONE

TABVLA 70.

QVADRVplicem S. ſcripturæ interpretandæ rationẽ ponit Auguſtinus duobus in locis:

- AD LONgum *in libro de vtilitate credendi, ca. 3.*
  - PRIMA *eſt ſecundùm hiſtoriam, cùm videlicet docetur, quid ſcriptum aut quid geſtum ſit, quid non geſtum, ſed tantummodò ſcriptum, quaſi geſtum ſit: Veluti cùm Chriſtus Matth. 12. citat ex 1. Samuel. 21. quòd Dauid comederit panes propoſitionis.*
  - SECVNDA *eſt, ſecundùm* αἰτιολογίαν, *cùm oſtenditur, qua de cauſa aliquid dictum, vel factum ſit. Exemplum Matth. 19. Chriſtus prohibens repudium vxoris, niſi interueniente fornicatione, prudenter etiam exponit cauſam, ob quam libellus repudij Iudæis anteà conceſſus fuerat: Moiſes, inquit, permiſit eum vobis propter duritiam cordis veſtri.*
  - TERTIAM *vocat ſecundùm* ἀναλογίαν, *qua vtriuſque teſtamenti congruentia oſtenditur.*
  - QVARTAM *ſecundùm Allegoriam, cùm docetur nō ad literam accipienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda: Quomodò 1. Cor. 10. Apoſtolus hiſtoriam Exodi notat Allegoriã fuiſſe populi Chriſtiani, & patribus omnia contigiſſe in figuris.*
- BREVIVS *in lib. De Geneſi ad literam, imperfect. c. 2. ſecundùm*
  - HISTORIAM, *cùm ſiue diuinitùs, ſiue humanitùs res geſta commemoratur.*
  - ALLEGORIAM, *cùm figuratè dicta intelliguntur.*
  - ANAGOGIAM, *cùm veteris & noui Teſtamentorum congruentia oſtenditur.*
  - αἰτιολογίαν, *cùm dictorum factorumq́ue redduntur cauſæ.*

APPENDIX.

HAEC *omnia in Sacrarum ſcripturarum lectione inprimìs annotari & obſeruari debere, diligenter is idem monet Auguſt. in lib. De vera religione cap. 50. in hæc verba: Diſtinguamus, inquit, quam fidem debeamus hiſtoriæ, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum eſſe neſcientes, ſed credentes tamen. Et vbi ſit verum, quod non venit & tranſit, ſed ſemper eodem modo manet. Quis ſit modus interpretandæ Allegoriæ, quæ per Sapientiam dicta creditur in Spiritu ſancto: verùm à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recentiora eam perducere ſufficiat, An vſque ad animæ affectiones atque naturam, an vſque ad incommutabilem æternitatem: An aliæ ſignificent geſta viſibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis: an aliqua inueniantur, in quibus hæc omnia inueſtigãda ſint. Et quæ ſit ſtabilis fides, ſiue hiſtorica & temporalis, ſiue ſpiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio authoritatis dirigenda ſit. Et quid proſit ad intelligenda & obtinenda æterna, vbi finis eſt omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid interſit inter Allegoriam hiſtoriæ, allegoriam facti, & allegoriam Sermonis, & allegoriam Sacramenti. Et quomodò ipſa locutio diuinarũ ſcripturarum, ſecundùm cuiuſque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cùm in aliam linguam transferuntur, abſurda videntur.*

QVÆ CVIVS-

QVAE CVIVSQVE SPECIEI SINT PROPRIA.

TABVLA 71.

QVAE PROpria differentiæ cuiuſque ſit natura, bifariàm conſiderari poteſt:

- PRIMÒ *ipſa*
  - HISTORIA
  - ALLEGORIA
  - TROPOLOGIA
  - ANAGOGIA
  - *Docet*
    - *Quid geſtum ſit.*
    - *Quid credas.*
    - *Quid agas.*
    - *Quò tendas.*
- SECVNDÒ *interpretatio*
  - HISTORICA
  - ALLEGORICA
  - TROPOLOGICA
  - ANAGOGICA
  - *Pertinet ad*
    - *Cognitionem.*
    - *Fidem.*
    - *Spem.*
    - *Charitatem.*

QVIS PROPRIVS ISTARVM DIFFERENtiarum ſit vſus.

TABVLA 72.

VERVS PRAEDI*ctarum ſpecierum, in quas omnis interpretandi ratio diſtributa eſt, vſus, conſiſtit in eo, vt meminerim° non omnibus omnem, ſed alijs aliam conuenire interpretandi formam, vt colligitur ex ſententia trium Doctorum,*

- EPIPHANII *contra Apoſtolicos, vbi ſic ait: Omnia verba non allegoria opus habent, ſed prout ſe habent, accipiēda ſunt: Speculatione autem indigent & ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſque propoſiti argumenti vim & facultatem.*
- D. THOMAE, *in 7. Quodlib. qui quatuor eum explicari dicit modis, aliâs*
  - *Vno,*
  - *Duobus,*
  - *Tribus,*
  - *Quatuor:*
  - *Qui in ſequēti continentur tabula.*
- AVGVSTINI *aſſerentis*
  - NEC *illis conſentiendum eſſe, qui ſolùm hiſtoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione.*
  - NEC *illis, qui ſolas figuras defendūt, repudiata hiſtorica veritate. lib. 15. De Ciuitate Dei, cap. 27.*
  - SED *tripartita reperiri prophetarū eloquia, quorū ſpectent aliqua ad* HIERUſalē
    - *Terrenam,*
    - *Cæleſtem,*
    - *Vtranque. lib. 17. de Ciuitat. Dei, cap. 3.*

QVÆ CVI-

QVAE CVIQVE MAXIME CONVENIAT interpretatio. TABVLA 73.

ID TAM EX *rerum quàm verborum interpretandorum qualitate æſtimari debet: Nam q̃ ſacris mandantur literis, omnia pertinent vel ad*

- RES *geſtas*
  - VETERIS *teſtamenti,*
  - CHRISTI *in nouo teſtamento.*
  - *Et hæc admittunt oẽs interpretationis ſpecies, ſcilicet*
    - *Hiſtoricam, quo ad nudam facti ſeriem.*
    - *Allegoricam, referendo ea ad corpus myſticum.*
    - *Tropologicam, ſi illa ad actus noſtros referamus, quæ ſecundùm Chriſtum debent regulari.*
    - *Anagogicã, inquantùm in ipſo Chriſto eſt nobis iter gloriæ demonſtratum.*
- ECCLESIAM *militantem, quæ tribus poſſunt explicari modis, Per interpretationem ſcilicet*
  - *Hiſtoricam,*
  - *Ethicam ſeu tropologicã,*
  - *Anagogicã.*
- TRIVMPHANTEM *Eccleſiam, quæ duplicẽ tantùm habent ſenſum,*
  - *Hiſtoricum*
  - *&*
  - *Anagogicum.*
  - *Et ſic* (for both of the above)
    - *Senſus literalis ſiue hiſtoricus conuenit omnibus.*
    - *Myſticus verò, paucis tantùm Scripturæ locis.*
- PRAECEPTA *Charitatis & conſilia Euangelica, quæ vnica tantùm interpretandi forma, literali videlicet ſiue hiſtorica, contenta eſſe & poſſunt & debent. Alioquì enim ſi ſingula ſingulis modis explicare quis conetur, veriùs ſe intricâſſe, quàm explicâſſe depræhendet. De his omnibus & vero allegoriarum vſu, vide tractatum pulcherrimum doctiſſimi viri D. Laurentij à Villauicentio, De formãdis Sacris Concionibus, lib. 3. cap. 1. & de ratione ſtudij Theologici lib. 2. cap. 20.*

AD QVOS

AD QVOS SACRAS INTERPRETANDI LITERAS Ius pertineat atque poteſtas. TABVLA 74.

HOC *Ius pertinere ad*

- DOCTORES *Eccleſ. Catholicæ, conſtat*
  - AVTHORITATE
    - *Sapientis Eccleſ. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*
    - *D. Auguſt. lib. 1. de moribus eccleſiæ Catholicæ, c. 1. Quis enim mediocriter ſanus, inquit, non facilè intelligat, ſcripturarum expoſitionem ab his petendam eſſe, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur: fieriq̃ poſſe, immò id ſemper accidere, vt multa indoctis videantur abſurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur elatiùs, quo abiectiùs aſpernanda videbantur: & eo accipiantur aperta dulciùs, quo clauſa difficiliùs aperiebantur?*
  - RATIONE
    - *Primùm, Quia nulla patet via conuincendi hæreticũ, ſi cuique liceat ſacram ſcripturam pro ſuo arbitrio interpretari.*
    - *Deindè, antiquos ſapientes fuiſſe nemo negat: eccleſiæ fuiſſe magiſtros, certò conſtat: à Deo fuiſſe eccleſiæ datos, Chriſti erga eccleſiam prouidentia manifeſtat: datos eſſe, vt Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarumq̃ oracula exponerent, Paulus innuit Ephe. 4. Ab vno Paſtore tam multos, atq̃ diuerſis & locis & temporibus fuiſſe deſtinatos, ſententiæ vnitas & concordia monſtrat. Canus lib. 7. de locis Theolog. cap. 3.*
    - *Iam, vt rectè is infert ibidèm, ſi ſancti omnes, dum illas interpretarentur, errârunt: Deo authore errat eccleſia, cùm Doctores ſibi à Chriſto datos ſequerẽtur, & in ſacrorum Codicum intelligentia, eorum veſtigijs inſiſteret.*
- ECCLESIAM *ipſam Catholicam, probatur*
  - *Teſtimonio Chriſti, quo ipſe nobis Doctorum ſententijs inter ſe diſcrepantibus, (quod Alphonſus de Caſtro lib. 1. aduerſùs hær. cap. 4. etiam ſanctis poſſe contingere affirmat) atque in omnibus adeò motis De ſcriptura ſancta controuerſijs, ad Eccleſiæ iudicium recurrendum eſſe, tam ſedulò monet atque præcipit.*
  - *Ratione euidentiſſima: qua enim lege credimus eccleſiæ dicenti, hãc vel illam ſcripturam eſſe diuinam: eadem lege nos credere conuenit, eidem dicenti, hunc aut illum eſſe ſenſum Sacræ ſcripturæ verum. Vide Auguſtinum contra Epiſtolam Manichæi, quam Fundamenti vocãt, cap. 5.*
  - AVTHORITATE *Patrum, quorum hîc duos tãtùm teſtes, vt omni exceptione maiores, ità etiam validiſſimos adduxiſſe ſufficiat, Videlicet*
    - *Origenem in Proœm. lib. 1. Peri Archon: Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.*
    - *Auguſtinum*
      - *Ad Emeritum contra Donatiſt. epiſt. 164. Hoc, inquit, obſeruandũ eſt, quod obſeruat Eccleſia Dei.*
      - *Epiſtola 59, ad quæſt. Paulin. In ſcripturis ſanctis interpretandis, etſi multa dici poſſint, quæ improbanda non ſint, tamen in his eligendũ, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia. quæſt. 5.*

QVIS OPTI-

QVIS OPTIMVS SIT SACRAS SCRIPTVRAS INterpretandi modus.

TABVLA 75.

SACRAS Scripturas rectè interpretandi regulas tradiderunt

- TYCONIus quidā, q́ ſcripſit olim cōtra Donatiſtas, integrū fecit lib. quem vocauit Regularū, & in 7. diuiſit regulas:
  - PRIMAM — De Dn̄o noſtro Ieſu Chriſto & eius corpore.
  - SECVNDAM — De Corpore Domini bipartito.
  - TERTIAM — De Promiſſis & lege.
  - QVARTAM — De Specie & genere.
  - QVINTAM — De Temporibus.
  - SEXTAM — De Recapitulatione.
  - SEPTIMAM — De diabolo & eius corpore.

  Explicationem iſtarū Regularū, nè totiès eadem repetere neceſſè ſit, ſtudioſus lector ipſe videre poterit apud
  - Gloſſam in Prologo Bibliæ.
  - Pagninum in ſua Iſagoge ad S. literas.
  - Ioann. Driedonem De Scriptura eccleſiaſt. lib. 3. cap. 3.
  - Auguſtin. lib. 3. De doctrina Chriſtiana cap. 30. Vbi eas nec quidem inutiles, non tamen per omnia ſatiſfacere putat.

- AVGVSTINVS in libr. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 7. ponit 7. gradus, quibus ad veram quiſq́, ſapientiam peruenire queat: Quorum
  - PRIMVS eſt, timore Dei conuerti ad cognoſcendam eius voluntatem.
  - SECVNDVS, miteſcere pietate, neque contradicere diuinæ ſcripturæ.
  - TERTIVS, diligere Deum propter Deum, & proximum propter Deū: & illum quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligere, proximum verò ſicut ſeipſum.
  - QVARTVS, per fortitudinem eſurire & ſitire iuſtitiam.
  - QVINTVS, conſilio miſericordiæ animam purgare tumultuantem.
  - SEXTVS, diligere inimicos: qua re ipſe purgatur oculus, quo Deus videri poteſt.
  - SEPTIMVS, ipſa eſt ſapientia, ad quam cùm pertigerit homo, pacatus ea tranquillusque perfruitur.

- EXTANT præterea cùm in ipſo Bibliæ Corpore, tum in antiquorum Patrum monumentis, De vera Sacras Scripturas interpretandi ratione varia hincindè præcepta, quæ ſtudioſus quiſq́ facilè animaduertere & colligere poterit.

- EX recentioribus quoquè non multò antè vir dum viueret doctiſſimus, & non abſq́ ſumma honoris præfatione nominandus, Pater Reuerendus D. Ioannes Hoffmeiſterus, poſt Franciſcum Rustzium Valliſoletanum, vnum in libellum complures collegit ſacras ſcripturas interpretandi veluti Canones: ex quibus exempli tantùm gratia, has generales & perbreues aſſcripſimus Regulas, ex quibus quidem, quàm vſus eiuſmodi regularum, ad ſacras ſcripturas rectè intelligendas & vtilis ſit & neceſſarius, facilè quiuis intelligat.

REGVLA XV.

ATQVE ſic quæ humanam excedunt rationē, fide tantùm indigent. Ioãnes Chryſoſto. in 1. Cor. homil. 4.

REGVLA XVI.

VBICVNQVE autē Sacra ſcriptura ſparſim per diuinos libros, motus in Deo animæ, ſeu humana mēbra deſcribit, id eſt, caput, capillos, oculos, palpebram, nares, os, labia, &c. hæc & alia his ſimilia, non carnaliter iuxta hiſtoriam, à rectè intelligentibus ſentienda ſunt: vt à Iudęis, & à pleriſque hęreticis carnaliter ſapiētibus, q Deum corporeum atq; localem opinātur: ſed ſpiritualiter omnia de eo intelligenda & confirēda ſunt. Auguſtinus de eſſentia diuinitatis, non longè ab initio.

REGVLA XVII.

TVM itaque, qui vult intellectum eorum, q̃ in ſcripturis Propheticis ſcripta ſunt, capere, diligenter oportet attendere vel dicentium perſonas, vel ad quos, vel de quibus ſermo fit perſonis. Orig. in cap. Rom. 2.

REGVLA XVIII.

EX cauſis item dictorum aſſumenda eſt intelligentia dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus. Hilar. lib. 4. De Trinitate.

REGVLA XIX.

POST hæc cauendum eſt, nè figuratam locutionem, id eſt, tranſlatam, quaſi propriam ſequamur, aut propriam quaſi figuratam accipiamus. Auguſt. lib. 3. De doctrina Chriſtiana, cap. 5. & 10.

REGVLA XX.

QVIDQVID in ſermone diuino neque ad morum honeſtatem, id eſt, ad diligendū Deum & proximum, neq; ad fidei veritatem, id eſt, agnoſcendū Deum & proximum propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſceas. Auguſtinus ibidèm, ca. 10.

REGVLA XXI.

SI quę porrò ſunt dubia, per ea quæ certa ſunt, interpretari debent. Lyran. in Iudic. 2. In verbo, Igitur non ego pecco.

REGVLA XXII.

FACILIVS nanque in ſcripturis quod quęritur, agnoſcitur, ſi ex pluribus locis, q̃ de eadem re ſcripta ſunt, proferantur. Origenes in Numer. Homil. 19.

REGVLA XXIII.

VNDE rectè monet Auguſtinus, inhęrendum eſſe his quę in ſcripturis ſunt aperriſſima, vt ex his reuelentur obſcura, aut ſi mens nondùm eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inueſtigare, ſine vlla hęſitatione credantur. Auguſtinus De peccator. merit. lib. 3. cap. 4.

REGVLA XXIIII.

SIC etiam ſecundùm ea quę ſcripta ſunt, tractare debemus & ea quæ non ſcripta ſunt. Origenes in Matthæi cap. 22. tractatu 23.

REGVLA XXV.

NAM & Apoſtoli etſi omnia intelligerent, pauca tamen expoſuerunt, vt ad eaſdē regulas, cętera poſteris intelligenda relinquerent. Aug. contra Adimantū, ca. 12.

REGVLA XXVI.

QVA in re nos quidem nō verborum ſeriem, ſed rerum pondus examinare debemus. Ambroſ. lib. 8. in Luc. cap. 18.

REGVLA XXVII.

QVOTIES ergò ſcripturę diuinę vtendū fuerit teſtimonijs, ſenſum magìs ex ea capiemus, q̃ verba. Quod in Euangelijs frequēter factū inuenitur. Origen. Rom. 3.

REGVLA XXVIII.

QVANDO enim de re cōſtat, non opùs eſt certare de nomine. Auguſtinus De origine animæ, Ad Hieronymum epiſt. 28.

REGVLA XXIX.

AD vtrunq;, hoc eſt, tam ad rerum, q̃ verborum cognitionē pertinet, quādò locū

ſcripturæ aliquē rectè intelligere volumus, tria diligēter conſiderāda ſunt: Tempus, quandò ſcriptum ſit, quod ſcriptum eſt: Perſona, quę dicit, vel per quam, aut de qua dicitur: Et res, propter quam aut de qua ſcribitur. Sic enim abſque errore ſenſum poterimus inueſtigare. Cyrillus in Theſauro, lib. 8. cap. 2. & lib. 9. cap. 4.

REGVLA XXX.

QVIBVS diligēter perpēſis, proxima cura hęc erit, vt in tanta multitudine verorū intellectuū, qui de paucis verbis eruuntur, & ſanitate Catholicę fidei muniūtur, id potiſſimùm deligam, quod certū apparuerit eum ſenſiſſe, quē legimus. Si autē hoc latet, id certè, quod circuſtātia ſcripturę nō impedit, & cum ſana fide cōcordat. Si aūt & ſcripturę circunſtātia pertractari & diſcuti nō poteſt, ſaltē id ſolum, quod fides ſana pſcribit. Aliud eſt enim, quod potiſſimū ſcriptor ſenſerit, non dinoſcere: aliud aūt, à pietatis regula errare. Si vtrunq; vitetur, pfectè ſe habet fructus legentis: ſi verò vtrunq; vitari nō poteſt, etiā ſi volūtas ſcriptoris incerta ſit, ſanę fidei congruā nō inutile eſt tenuiſſe ſententiā. Aug. de Geneſi ad literā, lib. 1. cap. 21.

REGVLA XXXI.

AT VERO ſi vltra hanc diligentiā adhuc occurrerit aliqd, quod abſurdū videatur, nō licet tñ dicere, Author huius libri nō tenuit veritatē: Sed, aut Codex mēdoſus eſt, aut interpres errauit, aut tu nō intelligis &c. Aug. cōtra Fauſtū li. 11. ca. 5. & 6.

REGVLA XXXII.

PRAETEREA pius lector id etiam vel inprimìs aduertere & perpendere debet, veram ſacrę ſcripturæ elucidationem conſiſtere non tantùm in propria ipſius expoſitione, ſed etiam in ſancta operatione. Gloſſ. in procem. Biblię.

REGVLA XXXIII.

HINC diuinę ſcripturę non ſolùm pcepta Dei continent, ſed etiam vitā moresq; iuſtorum, vt ſi fortè occultum eſt, quēadmodùm accipiendum ſit quod pcipitur, in factis iuſtorum intelligatur. Auguſt. De mendacio ad Conſentium, cap. 15.

REGVLA XXXIIII.

PORRO etſi multa verba ſint in ſcripturis diuinis, quę poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſpontè pręſumpſit, non tamen id fieri oportet: non enim ſenſum quem extrinſecùs adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquomodò ipſum ex ſcripturarū authoritate confirmare, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis. Clemens epiſtola 5. de communi vita.

REGVLA XXXV.

OPTIMVS enim lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm imponat: & retulerit magìs, ꝗ attulerit, neq; cogat id videri dictis cōtineri, quod ante lectionem pręſumpſerit intelligendum. Hilarius de Trinitate lib. 1.

REGVLA XXXVI.

AD hęc pius lector illud etiam obſeruare debet, in S. ſcilicet ſcripturis interpretandis. etſi multa dici poſſunt, quæ improbanda non ſint, tamen in his eligendū, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia Auguſt. in Epiſtola 59.

REGVLA XXXVII.

SI AVTEM ſemel aut bìs lecta nōdùm intellexerim, nō improbem, non detrahamus, ſed pſeueremus, excitem, interrogem. Ioā. Damaſ. li. 4. ca. 18. Orthod. fidei.

REGVLA XXXVIII.

OMNIVM verò conſultiſſimum eſt, non plùs ſapere, quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuiq; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Rom. 12.

REGVLA XXXIX.

DENIQVE, nemo ad cognitionem veritatis magis appropinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiam ſi multùm proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam ſi ſe ad id in quod tendit, perueniſſe pręſumit, non quęſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. Leo in Sermone 9. de natiuitat. Chriſti.

REGVLA XL.

CONSIDEREMVS itaq; nō quātùm ſciamus, ſed quātùm ignoremus. Victorin. li. 3.

Didaſc.

Didaſc. Et Diuum imitemur Auguſtinum, qui ſe in ſcripturis ſanctis plura ignorare, quàm ſcire fatetur. In epiſtola ad Ianuarium 119. circa finem &c.

REGVLA XLI.

SAPIENTER autem dicit homo tanto magìs vel minùs, quanto in ſcripturis ſanctis magìs minúsve profecit. Non dico in eis multùm legendis, memorięq; mandandis, ſed benè intelligendis, & diligenter earum ſenſibus indagãdis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legũnt, vt teneant: negligunt, nè intelligant. Quibus longè ſine dubio præferendi ſunt; qui verba earum minùs tenent, & cor earum ſui cordis oculis vident. Sed vtriſq; ille melior, qui & cùm volet, eas dicit, & ſicut oportet, intelligit. Auguſt. lib. 4. De Doctrina Chriſtiana, cap. 5.

APPENDIX DE VERSIONIBVS BIBLIORVM

S. ſcripturę, quę illę & quot ſint, ex HEBRAEO in Gręcum factæ, & qui fuerint interpretes, ac quandò ſacram ſcripturam interpretati ſint, ex Athanaſio. TABVLA 76.

PRIMA *verſio eſt 72. interpretum. Hi, cùm Hebræi eſſent, ſeni electi ex vnaquaque tribu, diuinam ſcripturam ſub Ptolemæo Philadelpho interpretati ſunt, ducentis triginta annis ante incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

ALTERA *eſt Aquilæ, qui cùm Sinopæ Ponti ortus, & Græcus eſſet, Hieroſolymis baptizatus eſt. Poſteà verò reprobato Chriſtianiſmo, Iudæis ſeſe coniunxit, & diuinam ſcripturam peruerſa ratione vertit, ſub Hadriano Rege, trecentis triginta poſt* LXX. *verſionem annis.*

TERTIA *eſt Symmachi. Hic cùm Samaritanus eſſet, nec populo ſuo acceptus propter ambitionis morbum haberetur, ad Iudæos ſeſe recepit, ac ſecundò circunciſus eſt. Et vt Samaritanos ſubuerteret, vertit & ipſe diuinas literas, ſub Seuero Rege annis poſt verſionem Aquilæ* LVI.

QVARTA *Theodotionis Epheſij eſt. Hic cùm primùm hæreſi Marcionis Pontici fauiſſet, poſte à aſſectatoribus hæreſis illius ſuccenſus, & ipſe ſacram ſcripturam, ſub Commodo Rege, eo ipſo tempore, quo Symmachus, ad ſubuerſionem prædictæ hæreſis, interpretatus eſt.*

QVINTA *interpretatio cùm abſcondita fuiſſet, Pithis inuenta eſt, & ſub Antonio Rege Caracalla dicto, in Iericho à quodam ex illis, qui Hieroſolymis pietati vacauerant, conflata.*

SEXTA *& ipſa Pithis inuenta eſt, anteà ſub Alexandro Mammeæ filio, Nicopoli ſeptentrionali à quodam Origenis familiari compoſita.*

SEPTIMA *& Poſtrema S. Luciani magni religioſi & martyris eſt, qui & ipſe, cùm in prædictas verſiones, & Hebraicos libros incidiſſet, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel ſuperflua aderant, inſpexiſſet, ac ſuis quoquè locis correxiſſet, verſionem hanc Chriſtianis fratribus edidit, quæ ſanè poſt ipſius certamen & martyrium, quod ſub Diocletiano & Maximiano Tyrannis ſuſtinuit, libro videlicet propria ipſius manu ſcripto compræhenſa, Nicomediæ ſub Conſtantino Rege magno, apud Iudæos in pariete armarij calce circunlito, quo cuſtodiæ gratia poſita fuerat, inuenta eſt. Athanaſius in Synopſi diuinæ ſcripturæ circa finem. De his tranſlationibus Vide Euthymium in præfatione ad Pſal. & Gloſſam in præfat. Bibliæ.*

DE TRANSLATIONE D. HIERONYMI.

NOVISSIMÈ ſuperueniẽs B. Hieronymus peritus in tribus linguis, Hebraica, Gręca & Latina, primò correxit tranſlationẽ 72. interpretũ in Latino cum aſteriſcis

 &obe-

& obelis. Poſteà verò tranſtulit immediatè Bibliam de Hebræo in Latinum ſine aſteriſcis & obelis. Et hac tranſlatione nūc vbiquè vtitur tota Romana Eccleſia, licèt non in omnibus libris. Et ipſius tranſlatio meritò cęteris antefertur, quia eſt verborum tenacior, & perſpicuitate ſententię clarior. In præfatione Bibliæ De Canonicis & non Canonicis libris. Iſidor. de off. Eccleſ. lib. 1.

APPROBATIO EIVSDEM PER CONcilium Tridentinum.

INSVPER eadem Sacroſancta Synodus conſiderans non parùm vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex multis Latinis editionibus, quę circunferuntur, ſacrorum librorum, quęnam pro Authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quę longo tot ſeculorum vſu in Eccleſia ipſa probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prędicationibus, aut expoſitionibus, pro Authentica habeatur, & quòd eam nemo reijcere quouis prętextu audeat vel pręſumat. Decretum ſecundum ſeſſionis quartę.

CONCLVSIO LOCI HVIVS COMMVNIS DE SACRAE ſcripturę interpretatione, ex eodem Concilio Tridentino.

PRAETEREA ad coërcenda petulantia ingenia decreuit, vt nemo ſuæ prudentię innixus, in rebus fidei & morum, ad ędificationem doctrinę Chriſtianę pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut cōtra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſanctarum ſcripturarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquàm tempore in lucē edendę forent. Qui contrauenerint, per ordinarios declarētur, & pœnis iure ſtatutis puniātur. In d. decret. 2. ſeſſiō. 4.

QVOMODO STVDIO AC DILIGENTIA FACILior ſacra fiat ſcriptura. TABVLA 77.

VT NIHIL EST *tam difficile, quod non inueſtigãdo fiat facile, ità piè ſuper Eccleſiaſticum monet Hieron. Scripturarum notitiam non ocioſis dari aut votæ facientibus, ſed laborantibus. Eum autem laborem, qui ſacris impenditur literis, ſtudium dicere ſolemus, quod conſiſtit in*

- LECTIONE, *in qua illa debet obſeruari ratio, quam Lucæ 1. D. præſcripſit Ambroſius: Legimus (inquit) aliqua,*
  - *Nè negligantur,*
  - *Nè ignoremus,*
  - *Vt teneamus,*
  - *Vt euitemus.*
- MEDITATIONE, *quæ frequens eſt cogitatio, inueſtigans rei vniuſcuiuſque*
  - *Modum,*
  - *Cauſam,*
  - *Rationem.*
- ORATIONE, *Nam Sacræ ſcripturæ intellectum vt haberent, multi magis profeciſſe legūtur per orationem, quàm per ſtudij ſimplicis exercitationem. Hieron. ad Paulinum, & poſt eum Gloſſa Apocal. 5.*
- EXERCITIO *pietatis, quo proficimus, & eorum ſæpè conſequimur cognitionem, quæ abdita alioqui videri poſſunt & abſtruſa. Auguſt. lib. 1. De moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 1. De vera item innocentia cap. 3. & cap. 37.*

S. ISIDORI IVNIORIS EPISCOPI HISPALENSIS aureæ de ſingulis, quæ ad ſacrum pertinent ſtudium, ſententiæ: & primùm

DE LECTIONE.

I.

Geminvm confert donum lectio ſanctarum ſcripturarum: ſiue quia intellectũ mentis erudit, ſeu quòd à mũdi vanitatibus abſtractum hominem ad amorẽ Dei perducit. Excitati enim illius ſermone, ſubtrahimur à deſiderio vitæ mundanæ, atque accenſi in amore ſapientiæ, tanto vana ſpes mortalitatis huius nobis vileſcit, quanto ampliùs legendo ſpes æterna claruerit. Iſidorus lib. 3. ſententiarum de ſummo bono, cap. 8.

II.

Nemo poteſt ſenſum ſcripturæ ſacræ cognoſcere, niſi legendi familiaritate, ſicut eſt ſcriptum: Ama illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus. Idem d. lib. 3. cap. 9. Pro. 4.

III.

Qvanto quiſq; magis in ſacris eloquijs aſſiduus fuerit, tanto ex eis vberiorẽ intelligentiam capit: ſicut terra quæ quanto ampliùs excolitur, tanto vberiùs fructificat, Ibid.

IIII.

Qvanto ampliùs ad quamlibet artem homo conſcendit, tanto magis ad hominem ars ipſa deſcendit, ſicut in lege ſcribitur: Moiſes aſcẽdit in montem, & Dominus deſcendit. ibidem. Exo. 19.

DE MEDITATIONE.

I.

Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. Quæ enim neſcimus, lectione diſcimus: quæ autem didicimus, meditationibus conſeruamus. Iſidorus libro tertio ſententiarum, capite octauo.

II.

Meditatio autem legis eſt, non ſolùm in legendis ſcripturis, ſed in his etiam quæ ſcripta ſunt, faciendis. Hieron. ſuper Pſal. 1.

DE ORATIONE.

I.

Orationibvs mundamur, lectionibus inſtruimur: vtrunq; bonum eſt, ſi liceat: ſi non liceat, melius eſt orare, quàm legere. Iſidorus d. lib. 3. ſententiarum, cap. 8.

II.

Qvi vult cũ Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, frequenter & legere. Nam cùm oramus, cum Deo loquimur: cũ verò legimus, Deus nobiſcũ loquitur. Ibid.

DE EXERCITIO PIETATIS.

Lector ſtrenuus potiùs ad agendum quæ legit, quàm ad ſciendum erit promptiſſimus. Minor enim pœna eſt, neſcire quid appetas: quàm ea quæ noueris, nõ implere. Sicut enim legendo ſcire concupiſcimus, ſic ſciendo recta quæ didicimus, implere debemus. Iſidorus ibid.

DE ORDINE DOCTRINAE, SIVE DE RATIONE atque methodo compendiò perueniendi ad veram ſacrarum literarum cognitionem. Tabvla 78.

STVDENDI RAtio in Theologia omnis atq; Methodus, conſiſtit in

- Cognitione *earum ſcientiarum, quæ futuro Theologo ſunt neceſſaria.*
- Observatione *ordinis, quo ſacri legendi ſunt libri.*
- Stvdio *& cura retinendi, atque in vſum publicum vertendi ea, quæ ex ſacris quiſque hauſerit fontibus.*
- Specvlatione *finis, ad quem hæc ſtudia omnia ſunt referenda.*

DE DOCTRINARVM PARTITIONE IN GENERE,

ex lib. 2. Auguſtini de doctrina Chriſtiana. TAB. 79.

DVO ſunt genera doctrinarum:

- **VNVM** earum rerũ, quas inſtituerunt hões: Quæ ſunt partim
  - **SVPERSTITIOSÆ**, nempe quidqd inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda & colenda idola, vel ad colẽdam ſicut Deum creaturam, vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificatiõum cum dæmonibus placita atque fœderata. Ex quo genere ſunt
    - *Haruſpicum & Augurum libri.*
    - *Omnes ligaturæ atq; remedia, quæ fiunt vel in*
      - *Præcantationibus,*
      - *Quibuſdam notis, quas characteres vocant.*
      - *Rebus ſuſpendendis atque alligandis.*
      - *Hæc mitiori nomine vocãt Phyſicam.*
    - *Inanes obſeruatiões, vt ſi membrum aliquod ſaliẽrit: ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis, aut puer medius interuenerit, & id genus penè innumera.*
    - *Genethliaci ſiue natalium dierũ conſideratores, qui vulgò Mathematici vocari volunt. Nam quiſque liber cùm ad huiuſmodi Mathematicum ingreſſus fuerit, dat pecuniã, vt ſeruus indè exeat aut Martis, aut Veneris, aut potiùs omnium ſiderum.*
    - *Prædictiones euentuum ex conſtellatione, id eſt, ex notatione ſiderum.*
  - **NON** ſuperſtitioſæ, id eſt, non cũ dæmonibus, ſed cum ipſis hominib⁹ inſtitutæ, ſunt omnia: q̃ ideò valent inter homines, quia placuit inter eos vt valeãt. Eorum quædam ſunt
    - *Superflua & luxurioſa, cuius generis ſunt*
      - *Illa ſigna, quæ ſaltando faciunt hiſtriones.*
      - *Picturæ atque ſtatuæ, cæteraq; huiuſmodi opera ſimulata: niſi cùm intereſt, quid eorum qua de cauſa, & vbi, & quandò, & cuius authoritate fiat.*
      - *Millia deniquè fictarum fabularum & falſitatum, quarum mendacijs homines delectantur, humana inſtituta ſunt. Et nulla magis hominum propria, quæ à ſeipſis habent, exiſtimanda ſunt, quàm quæque falſa & mendacia.*
    - *Commoda & neceſſaria qualia ſunt*
      - *Omnes penè philoſophiæ partes: præſertim*
        - *Politica hominũ inſtituta.*
          - *Leges*
          - *Mores*
          - *Diſtinctio*
          - *Pacta.*
          - *Significationũ genera innumerabilia,*
        - *Phyſica.*
          - *Pondera*
          - *Menſuræ*
          - *Numeri.*
        - (*Rerum* … *Perſonarũ.*)
      - *ARTES*
        - *Liberales*
          - *Grammatica*
          - *Dialectica*
          - *Rhetorica*
          - *Arithmetica*
          - *Geometria*
          - *Muſica*
          - *Aſtronomia.*
        - *Mechanicæ, quibus aliquid fabricatur, vel*
          - *Quod remaneat poſt operationẽ artificis ab illo effectũ, vt Domus, ſcamnũ, aut vas aliquod.*
          - *Qua miniſterium quoddam exhibẽt operanti Deo, ſicut medicina & agricultura.*
          - *Quarum omnis effectus eſt actio, ſicut ſaltationum, curſuum, & luctaminum.*
- **ALTERVM** earũ quas animaduerterunt iam peractas aut diuinitus inſtitutas: vt ſunt
  - **VERITAS** connexionum & **ORDO** Rerum.
    - *Quæ non inſtituta ſunt ab hominibus, ſed notata.*
    - *Aug. à ca. 19. vſq; in fin. lib. 2. De doctrina Chriſtiana.*

DE AR-

DE ARTIBVS ATQVE SCIENTIIS AD THEOLOgiæ ſtudium vel neceſſarijs, vel conducentibus; Sententia D. Auguſtini ex eiſdem libris, De Doctrina ſcilicet Chriſtiana, & primùm

DE PHILOSOPHIA Gentilium in genere.

PHILOSOPHI autem qui vocentur, ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda nō ſunt, ſed ab eis etiam tanquàm iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vendicanda. Sicut enim Aegyptij non ſolùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa atq; ornamenta de auro & argento & veſtem, quæ ille populus exiens de Aegypto, ſibi potiùs tanquàm ad vſum meliorem clāculò vendicauit, non authoritate propria, ſed præcepto Dei; ipſis Aegyptijs neſcienter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur: ſic doctrinæ omnes Gentiliū, non ſolùm ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauesq; ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quę vnuſquiſq; noſtrûm, duce Chriſto, de ſocietate gentilium exiens, debet abominari atq; deuitare, ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quędam morum præcepta vtiliſſima cōtinent, deq; ipſo vno Deo colendo, nonnulla vera inueniūtur apud eos. Quod eorum tanquàm aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinę prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, ëruerunt, & quo peruersè atq; iniuriosè ad obſequia dæmonum abutūtur, cùm ab eorum miſera ſocietate, ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi euangelij.

VESTEM quoquè illorum, id eſt, hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere atque habere licuerit, in vſum conuertenda Chriſtianum: nam quid aliud fecerūt multi boni fideles noſtri? Nonne adſpicimus, quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exiërit de Aegypto Cyprianus Doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſim⁹? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam; quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moiſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni ſapiētia Aegyptiorum. Auguſtinus lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 40. Acto. 7.

DE ARTIBVS HVMANIS IN GENERE.

QVAMOBREM videtur mihi, ſtudioſis & ingenioſis adoleſcētibus & timentibus Deum, beatamq; vitam quærentibus, ſalubriter præcipi, vt nullas doctrinas quæ præter eccleſiam Chriſti exercentur, tanquàm ad beatam vitam capeſſendam ſecurè ſequi audeant, ſed eas ſobriè diligenterq; dijudicent. Et ſi quas inuenerint ab hominibus inſtitutas vanas, propter diuerſas voluntates inſtituentiū, & ignotas propter ſuſpiciones errantiū, maximè ſi habeant etiam cum dęmonibus initam ſocietatem, per quarūdam ſignificationum quaſi quædam pacta atque conuenta, repudient penitùs & deteſtentur: alienent etiam ſtudia à ſuperfluis & luxurioſis hominum inſtitutis.

ILLA verò inſtituta hominum, quæ ad ſocietatem conuenientium valent, pro ipſa huius vitæ neceſſitate non negligant. In cæteris autem doctrinis, quæ apud gentes inueniūntur, præter hiſtoriam rerum vel præteriti temporis, vel præſentis, ad ſenſus corpóris pertinentium, quibus etiam vtilium artium corporalium experimenta & coniecturæ annumerantur, & præter rationem diſputationis & numeri, nihil vtile eſſe arbitror. In quibus omnibus tenendum eſt, NE QVID NIMIS; & maximè in ijs quæ ad corporis ſenſus pertinētia voluūtur tēporibus, & continentur locis. Auguſt. de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 39.

DE GRAMMATICA.

IPSA quidem arte Grammatica, quà diſcitur locutionis integritas, non indigerēt pueri, ſi eis inter homines, qui integrè loquerentur, creſcere daretur & viuere. Neſcientes quippe vlla nomina vitiorum, quidquid vitiorū cuiuſq; ore loquētis audirent, ſana ſua cōſuetudine reprehenderent & cauerent, ſicut ruſticos vrbani

reprę-

repræhendunt,etiam qui literas neſciunt. Auguſt.de doct. Chriſtiana lib.4. ca.3.

DE LITERIS ET NOTIS.

MAXIMÈ aſſumendæ ſunt literarum figuræ,ſine quibus legere non poſſumus: linguarumque varietas,quantùm ſatìs eſt. Ex eo genere ſunt etiam notæ, quas qui didicerunt,propriè iam notarij appellantur. Vtilia ſunt iſta,nec diſcuntur illicitè,nec ſuperſtitione implicant: nec luxu eneruant, ſi tantũ occupent, vt maioribus rebus,ad quas adipiſcendas ſeruire debent,non ſint impedimento. Auguſt.lib.2. De Doctrina Chriſtiana,cap.26.

DE TROPIS.

SCIANT autem literati,modis omnibus locutionis, quos Grammatici Græco nomine Tropos vocant,authores noſtros vſos fuiſſe & multipliciùs atque copioſiùs,quàm poſſunt exiſtimare vel credere,qui neſciunt eos,& in alijs iſta didicerunt. Quos quidem tropos qui nouerunt,agnoſcunt eos in literis ſanctis,eorũq; ſcientia ad eas intelligendas aliquantùm adiuuantur. Auguſt. lib.3. De doctrina Chriſtiana, cap.29.

DE DIALECTICA.

IN IIS quæ ad rationem animi pertinent,regnat diſciplina diſputationis & numeri. Diſputationis diſciplina plurimùm valet ad omnia genera quæſtionũ,quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda. Auguſt. lib.2. De doctrina Chriſtiana,cap.31.

SOPHISTICE.

TANTVM ibì cauenda eſt libido rixandi,& puerilis quædam oſtentatio decipiẽdi aduerſarium. Sunt enim multa quæ appellantur Sophiſmata,falſæ concluſiones rationum,& plerunquè ità veras imitantes, vt non ſolùm tardos,ſed ingenioſos etiam minùs diligenter attentos decipiant. ibidèm.

DE VTRAQVE.

VERITAS ſententiarum in ſanctis libris eccleſiaſticis inueſtiganda eſt. Regula connexionum,quid conſequens,aut non conſequens, aut repugnans ſit, etiam extra Eccleſiam diſci poteſt. Quanquàm natura ipſa homines inſtruxit, vt ingenioſus citiùs videat concluſionem non eſſe ratam,quàm præcepta eius capiat. Vtiliſſima tamen eſt hæc notitia,tum alijs nominibus,tum ad ſoluenda & explicanda ambigua ſigna. Siquidem veris certiſque ſententijs cùm incertæ connexione iunguntur,etiam ipſæ certæ fiant neceſſè eſt.

QVVMque ingenia his reddantur exercitatiora,cauendum,nè reddãt etiam maligniora,& inflatiora: hoc eſt,vt qui didicerũt iſta,ament decipere veriſimili ſermone atque interrogationibus: aut aliquid magnum,quo ſe bonis atque innocentibus anteponant,aſſecutos putent. Ibidèm iuncto cap.32.33.34.35.& 37.

DE RHETORICA ET ELOQVENTIA.

QVOD etiam de Rhetorica tenendũ,nè ipſa ſpectacula veritatis magìs delectẽt, quàm veritas in iudicando & diſputando. Sunt etiam quædam præcepta vberioris diſputationis,quæ iam eloquentia nominatur. Quæ nihilominùs vera ſunt, quãuis poſſint eis etiam falſa perſuaderi. Sed quia & vera eſſe poſſunt, nõ eſt facultas ipſa culpabilis, ſed ea malè vtentium peruerſitas. dict. lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap.36.

DE ARITHMETICA, GEOMETRIA, Muſica,& Poëtica.

NVMERORVM etiam imperitia,multa facit nõ intelligi,tranſlatè ac myſticè poſita in ſcripturis. Ac numerum & Muſicam pleriſquè locis in ſanctis ſcripturis poſita honorabiliter inuenimus. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 16. Siue autem in ſeipſis conſiderentur numeri,ſiue ad figurarum aut ſonorum, aliarùmve motionum leges adhibeantur,incommutabiles regulas habent,neq; vllo modo ab hominibus inſtitutas,ſed ingenioſorum ſagacitate compertas. Idẽ d. lib.2.cap.38.

DE ASTRO-

DE ASTRONOMIA.

SIDERVM autem cognoſcendorum nō narratio,ſed demonſtratio eſt:quorum perpauca ſcriptura commemorat. Et quanquàm ſiderum cognitio per ſeipſam ſuperſtitione quoſdam non alliget, non multùm tamen ac propè nihil adiuuat tractationem diuinarum ſcripturarum,& infructuoſa intentione plùs impedit. Et quia familiaris eſt pernicioſiſſimo errori fatua fata cantantium, commodiùs honeſtiusque contemnitur. Auguſtinus lib. 2. De doctrina Chriſtiana,cap.29.

DE LINGVARVM COGNITIONE.

LATINAE quidem linguæ homines,etiam duabus alijs ad ſcripturarū diuinarū cognitionem habent opùs,Hebræa ſcilicet & Græca:vt ad exemplaria præcedētia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.

QVANQVÀM & Hebręa verba non interpretata ſæpè inuenimus in libris, vel ꝗa propter ſanctiorem authoritatem ſeruata eſt antiquitas,vt in Amen & Halleluia:vel quia transferri in aliam linguam non potuiſſe dicuntur,vt Racha & Oſanna. Auguſtinus De doctrina Chriſtiana 2.cap.11.

QVONIAM verò aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio,ſi ea veniant ex alienis linguis,aut quærēda ſunt ab earum linguarum hominibus,aut linguæ eædem,ſi & otium eſt,& ingenium,ediſcendæ, aut plurium interpretum conſulenda collatio eſt.

SI autem ipſius linguæ noſtræ aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi conſuetudine audiendique innoteſcunt. Nec vlla ſunt genera verborum locutionumque magìs mandanda memoriæ,quàm quæ ignoramus: vt cùm peritior occurrerit homo,aut talis lectio,quæ vel ex præcedentibus, vel cōſequentibus, vel vtriſque oſtendat,quam vim habeat,adiuuante memoria facilè poſſimus diſcere. Idem in d.lib. 2. cap.14.

DE PHYSICA ET GEOGRAPHIA.

EST etiam narratio demonſtrationi ſimilis,qua non præterita,ſed præſentia indicantur ignaris. In quo genere ſunt, quæcunque de ſitu locorum, naturisque animalium, lignorum, lapidum,herbarum, aliorúmve corporum ſcripta ſunt. Nanque rerum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium,vel lapidum,vel herbarum naturas,aliarúmve rerum,quæ plerunquè in ſcripturis ſimilitudinis alicuius gratia ponuntur. Exod. lib.2. cap. 29.

DE HISTORIA.

QVIDQVID de ordine temporum tranſactorum indicat hiſtoria, plurimùm nos adiuuat ad ſanctos libros intelligendos,etiamſi præter eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olympiadas, & per Cōſulum nomina ſæpè multa quęruntur à nobis,& ignorantia conſulatûs,quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt,nonnullos coēgit errare,vt putarent,quadragintaſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum: Quia per tot annos ædificatum eſſe templum,dictū eſt à Iudęis, quod imaginem Dominici corporis habebat. d.libro 2. capite 28.

DE OFFICIO DOCTORIS CHRISTIANI, ex eodem Auguſtino.

DEBET igitur diuinarum ſcripturarum tractator & Doctor,defenſor rectæ fidei ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere ſermo.

ſermonis conciliare auerſos,remiſſos erigere,neſcientibus quid agatur,quid expectare debeant,intimare. Vbi autem beneuolos, intentos, dociles aut inuenerit,aut ipſe fecerit,cætera peragenda ſunt,ſicut cauſa poſtulat. Si docendi ſunt qui audiunt,narratione faciendum eſt: Si tamen indigeat res, de qua agitur, vt innoteſcat. Vt autem quæ dubia ſunt,certa fiant, documentis adhibitis, ratiocinandum eſt.

S I verò qui audiunt,monendi ſunt potiùs quàm docendi,vt in eo quod iam ſciunt,agendo non torpeant,& rebus aſſenſum accommodent, quas veras eſſe fatentur,maioribus dicendi viribus opùs eſt. Ibi obſecrationes & increpationes, concitationes & coercitiones,& quæcunque alia valent ad commouendos animos,ſunt neceſſaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi,omnes ferè homines in ijs, quę lòquendo agunt,facere non quieſcunt.

S E D cùm alij faciant obtuſè,deformiter,frigidè:alij acutè, ornatè,vehemēter: illum ad hoc opus vndè agimus,iam oportet accedere, qui poteſt diſputare vel dicere ſapienter, etiam ſi non poteſt eloquenter, vt proſit audientibus: etiamſi minùs prodeſſet,quàm ſi & eloquenter poſſet dicere. Qui verò affluit inſipienti eloquentia,tanto magìs cauendus eſt,quanto magìs ab eo in ijs quę audire inutile eſt,delectatur auditor: & cum,quoniam diſertè dicere audit,etiam verè dicere exiſtimat. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib.4.capite quarto & quinto.

QVO ANIMO THEOLOGIAE STVDIOSVM, præditum eſſe conueniat.

S E D hoc modo inſtructus diuinarum ſcripturarum ſtudioſus, cùm ad eas perſcrutandas accedere cœperit,illud Apoſtolicum cogitare nō ceſſet: Scientia inflat,Charitas ædificat. 1.Cor.8. Auguſtinus libro ſecundo de doctina Chriſtiana capite 41. Et contra Adimantum capite tertio: Sancta ſcriptura,inquit,non temerarios & ſuperbos accuſatores,ſed diligentes & pios lectores deſiderat. Omnia enim quæ leguntur in ſcripturis ſanctis,ad inſtructionem & ſalutem noſtram intentè oportet audire: Maximè tamen memorię commendanda ſunt,quæ aduerſus hęreticos valent plurimùm. Auguſtinus ſuper Epiſtolam Ioannis tractatu 2.

EADEM DE RE EIVSDEM AVGVSTINI ſententia.

A D cognitionem diuinarum ſcripturarum talis homo accedat,qui de ſanctis libris tam ſanctè & veraciter exiſtimet,vt nolit aliqua eorum parte delectari per officioſa mendacia,potiusq́ue id quod non intelligit,tranſeat, quàm cor ſuum præferat illi veritati. Epiſtola octaua ad Hieronymum.

QVO OR.

QVO ORDINE SACRA LEGENDA SINT volumina. TAB. 80.

OPTIMVS *diſciplinarum omnium magiſter eſt ordo: Quo ſine nemo vnquàm perfectam Theologiæ aſſequi poterit artem. Quarè ni & oleum perdere velint & operam, hoc ordine ſacrarum literarum legendi ſunt authores:*

- PRINCIPIO *libri canonici, non ſemèl nec oſcitanter, ſed vehementi attentione ſunt euoluendi, atque illo perlegendi ſunt ordine, quo in canone Eccleſiaſtico ſunt collocati: vtpotè ex quibus hauriendum fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, & dogmata Catholicæ perdiſcenda ſint fidei.*
- DEINDE *illi legendi ſunt libri, in quibus præcipua capita ſiue loci communes vniuerſæ Theologiæ, ex ipſis ſacræ ſcripturæ fontib⁹ dilucida ac certa Methodo explicantur. Quales ſunt*
  - CLEMENS,
  - DIONYSIVS,
  - ORIGENES,
  - CYPRIANVS,
  - AVGVSTINI *opuſcula,*
    - *De vera religione.*
    - *Enchiridion ad Laurẽtium.*
    - DE *eccleſiaſticis dogma.*
    - DE *fide ad Petrũ Diacõ.*
    - DE *doctrina Chriſtiana.*
    - *De ſpiritu & litera.*
    - *De natura & gratia.*
    - *De peccatorum meritis & remiſſione.*
    - *De fide & operibus.*
    - *De perfecta iuſtitia.*
  - LIBELLVS *ſententiarum Proſperi ex operib⁹ D. Auguſt.*
  - IOANNES *Damaſcenus,*
  - PETRVS *Lombardus,*
  - IOANNES *Roffenſis,*
  - CARDINALIS *Hoſius,*
  - IOAN. *Viguerius, & ſimiles.*
- POST *hæc ad eos libros legẽdos conuertat animũ, quibus Eccleſiarũ praxis continetur, quiq́ ad gubernatiõem Eccleſiaſticam informant. Cuius generis ſunt*
  - INPRIMÌS *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.*
  - VITAE *ſanctorum martyrum, Pontificum & illuſtrium confeſſorum.*
  - DEHINC *Canones in Concilijs & ſynodis diuerſis euulgati.*
  - SIMVLque *Pontificum atque eximiorum Theologorum de varijs quæſtionibus reſponſa.*
  - QVIBVS *addas licet ex his congeſtos libros decretorum.*
  - PRAETEREA *qui inſcribuntur De officio Epiſcoporũ, presbyterorum, diaconorum: Necnon de ordinatione ſeu reformatione Eccleſiarum.*
  - POSTREMO, *in quibus ratio diſpenſandi ſacramenta, & quidquid ad ritus cæremoniasq́ue ſtatas ac ſolennes pertinet, explicatur.*
- DENIQVE *tam nouos quàm veteres legat in ſacrã ſcripturam editos cõmentarios. Nõ quod hi poſtremo loco ſint habendi, ſed quòd ex præcedentium cognitione, facilior ad eos pateretur aditus. Nã & hi aut ſacras enarrant literas, aut explanãt locos communes, aut aliqua ſcribunt ad inſtitutionẽ & ædificationem Eccleſiarum. Quo loco habẽdi ſunt*
  - QVATVOR *Doctores Eccleſiæ Latinæ,*
    - *Hieronymus,*
    - *Auguſtinus,*
    - *Ambroſius,*
    - *Gregorius Magnus.*
  - ALII *ſacrarum literarũ interpretes, &*
    - *Græci*
      - *Baſilius Magnus,*
      - *Origenes,*
      - *Chryſoſtomus,*
      - *Gregorius Nazanzenus,*
      - *Cyrillus.*
    - LATINI *ex*
      - *Vetuſtioribus*
        - *Cyprianus,*
        - *Hilarius,*
        - *Beda presbyter,*
        - *Bernardus.*
      - *Neotericis*
        - *Rupertus Tuitiẽ,*
        - *Dionyſius Riccelius,*
        - *Thomas Caietanus,*
        - *Ioannes Eccius.*

QVIBVS REBVS FACILIME RETINERI ET publicum ad vſum accommodari poſſint ea, quæ ex ſacra quiſque perceperit lectione. TAB. 81.

VERVM SAcræ ſcripturæ vſum tũ rectè vnuſquiſq; aſſequetur, ſi

- PRIMVM *locos ex ſacra ſcriptura colligat communes, qui tanquàm elementa & communia quædam ſunt Principia Theologiæ: quibus diligenter aſſcribat, quidquid vſquàm vel legerit, vel audiuerit memoria dignum, vt cùm vſus poſcat, ex ijs veluti promptuario quodam vberrimo iterùm poſſit repetere. Sunt autem loci huiuſmodi: Sacra ſcriptura, Deus, Trinitas, creatura, Angelus bonus, angelus malus, Homo, Eccleſia, lapſus hominis, Peccatum originale, Arbitrium, voluntas hominis, Lex, Peccatum, Mors, Damnatio æterna, Euangelium, Chriſti incarnatio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Pœnitentia, Fides, Iuſtificatio, Charitas, Bona opera, Spes, Sacramẽta, Sacrificia, Circunciſio, Agnus Paſchalis, Baptiſmus, Euchariſtia, Cæremoniæ, Traditiones diuinæ, Leges Eccleſiaſticæ, Functiones Eccleſiaſticæ, Magiſtratus, Reſurrectio vniuerſalis, Iudicium extremum, vita æterna: & alij eius generis loci complures, ſine quibus ægrè quis ad altiora progredi, immò ſine quorum aliquãta cognitione, nihil vnquàm certi de quæſtionibus in Theologia propoſitis conſtituere poterit.*
- DEINDE *vtiliſſima illa amplectatur ſcholaſticæ diſciplinæ exercitia ſiue progymnaſmata: Quorũ alia*
  - PVBLICA, *vt ſunt*
    - *Diſputationes,*
    - *Declamationes.*
  - PRIVATA, *in q̃bus ſe etiã intrà parietes qs poteſt exercere: inter q̃ præcipua ferè hæc ſunt:*
    - *Epiſtolæ,*
    - *Tractatio thematum per cauſas & quæſtiones,*
      - *An ſit,*
      - *Quid ſit,*
      - *Qualis ſit.*
    - *Inueſtigatio artificij*
      - *Dialectici*
      - *Rhetorici*
      - *In bonis authoribus.*
    - *Paraphraſis, Epitome, Dialogus, Commentatio, & Sermo extemporalis.*
      - *De quibus omnibus vide librum tertium de rectè formando Theologiæ ſtudio, reſtitutum per D. Laurentium à Villauincentio.*

DE DV-

D DVPLICI STVDIORVM SACRAE lectionis fine. TAB. 82.

DVO SVNT SACRORVM *ſtudiorum fines, omnibus his, qui Theologiæ nauant operam, propoſiti:*

- VNVS, *vt ipſi yera pietate proficiant, & meliores quotidiè euadant & ſanctiores, ac ità veram immortalemque beatitudinem, apud immortalem tandèm adipiſcantur Deum. De quo diuus Paulus 2. Timoth. 3. Paſtores eccleſiæ ſub Timothei perſona his monet verbis: Permane in ijs quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & quòd ab infantia ſacras literas nôſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*
- ALTER, *docere aliôs, ſalubria dare cõſilia, atque ex verbo Dei viam monſtrare, qua hi quoquè ad ſalutem perueniant. Nam qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Daniel 12. cap.*
- VTRVNQVE *ſimul idem quoquè Paulus in priori ad Timotheum epiſtola, vnica complexus eſt ſententia: Attende lectioni, inquit, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende enim tibi & doctrinæ, inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. 1. Timoth. 4.*

DE EODEM EX AVGVSTINO.

TAB. 83.

FINIS SAcræ *ſcripturæ cõſiſtit in*

- FIDE,
- SPE, &
- CHARITATE.

QVIBVS *omnis militat &*

- *Scientia,*
- *Et Prophetia.*

Auguſtinus libro primo de doctrina Chriſtiana, capite trigeſimoſeptimo.

ET PAVLO POST.

QVAPROPTER, *inquit, cùm quiſque cognouerit, finem præcepti eſſe charitatem de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, omnem intellectum diuinarum ſcripturarum ad iſta tria relaturus, ad tractationem illorum librorum ſecurus accedat. d. lib. 1. cap. 40.*

QVID CVIQVE CONFERAT SACRORVM librorum lectio. TAB. 84.

SCRIPTVRAM *ſanctam omnibus eſſe accommodatam, nec quæri poſſe ad ſalutẽ quidquam, quod non totum nũc in ſcripturis ſit adimpletum, pulcherrimè declarat Chryſoſtomus ſuper Matth. ca. 22. Homilia 41. operis imperfecti, per inſignia aliquot Exempla*

- VIRTVTVM. *nam*
  - QVI *ignarus eſt, inquit, inueniet ibi quod diſcat.*
  - QVI *contumax eſt & peccator, inueniet ibi futuri ſ̄cij flagella quæ timeat.*
  - QVI *laborat, inueniet ibi glorias & promiſſiones vitæ ꝑpetuæ, quibus ampliùs excitetur ad opus.*
  - QVI *puſillanimis eſt & infirmus, inueniet ibi mediocres iuſtitiæ cibos: qui etſi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt.*
  - QVI *magnanimus eſt & fidelis, inueniet ibi ſpirituales eſcas continentioris vitæ, quæ perducant eum propè ad angelorum naturam.*
  - QVI *percuſſus eſt à diabolo, & vulneratus eſt in peccatis, inueniet ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiã reuocent ad ſalutem.*
- VITIORVM
  - VT *quid enim ibi ſcriptum eſt, quòd Achan propter furtum laminæ aureæ ſit lapidatus, niſi vt habeant fures quod timeant?*
  - VT *quid ibi filij Iſrael, qui fornicati ſunt cum filiabus Moabitarum, percuſſi refugerunt in Beelphegor, niſi vt habeant fornicatores quod perhorreſcant?*
  - VT *quid concupitores carnis, caſtigati ſunt in deſerto, niſi vt nemo delicias concupiſcat?*
- POENITENTIÆ:
  - VT *quid enim Dauidem arguit Nathan & ſuſcepit, niſi vt adulteri & homicidæ pœnitentiæ remedium non deſperent?*
  - RAAB *meretrix ſanctificata eſt, vt meretricibus ſpes daretur.*

QVÆ

QVAE VERA SACRAE SCRIPTVRAE laus ſit atque commendatio. TAB. 85.

VERAE SACRAE *ſcripturæ LAVS æſtimatur ex*
- DIGNITATE,
- AVTHORITATE,
- VTILITATE,
- DIVINA, *quæ ſub ea latet, eloquentia.*

DE SACRAE SCRIPTVRAE DIGNITATE, EX IOSVE.

NON recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Non declines à verbis legis huius ad dexteram vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis. Ioſuæ 1.

EX DEVTERONOMIO.

INTERROGA de diebus antiquis, qui fuerũt ante te, ex die quo creauit Deus hominem ſuper terram, à ſummo cęlo vſque ad ſummum eius, ſi facta eſt aliquandò huiuſcemodi res, aut vnquàm cognitum eſt, vt audiret populus vocem Domini loquentis de medio ignis, ſicut tu audîſti & vidiſti. Deut. 4.

EX PROVERBIIS.

IVSTI ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum: recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. Prouerb. 8.

EX PSALMIS.

ELOQVIA Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplùm. Pſalm. 11.

LEX Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

IVSTITIAE Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

TIMOR Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

DESIDERABILIA ſuper aurum & lapidem precioſum multùm, & dulciora ſuper mel & fauum. Pſal. 18.

BEATI qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

MIRABILIA teſtimonia tua Domine: ideò ſcrutata eſt ea anima mea.

AEQVITAS teſtimonia tua in æternum: & omnes viæ tuæ veritas.

Principium verborũ tuorũ veritas: in æternũ omnia iudicia iuſtitię tuę. Pſal. 118.

EX EPISTOLA PETRI.

ET habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis, attendentes, quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donèc dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris: hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia ſcripturę, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquãdò Prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Pet. 1.

EX HIERONYMO.

ORO te frater chariſſime, inter hæc viuere, iſta meditari, nihil aliud nôſſe, nihilq́; aliud quærere, nónne tibi videtur iam hîc in terris regni cæleſtis habitaculum? Hieronymus ad Paulinum.

EX AVGVSTINO.

IMPERATORIS Sacram nemo ſine periculo ſui ſanguinis contemnit, ſed omnes ſuſcipiunt cum tremore & veneratione,& adorant viliſſimam chartulam atramento ſcriptam,& velut diuinos adorant apices. Scripturæ diuinæ legũtur, verba Dei tonant,ipſe Dominus admonendo præſens præſentibus loquitur, & non auditur: aut faſtidioſè homines audiunt,aut(quod peius eſt)ſedentes fabulis vacant. Imperator longè poſitus,de chartula loquitur,& tremitur,& quaſi præſens in illa charta adoratur. Teſtamentum Dominicum recitatur ab aliquibus hominibus,& contemnitur. Ipſum Prophetæ clamant,Apoſtoli prædicant,Euangelia loquuntur,per ſeipſum hominibus confabulatur,& non auditur. Auguſtinus in tractatu de arbore ſcientiæ boni & mali.

COMMENDATIO SACRAE SCRIPTVRAE ab Authoritate.

EX DEVTERONOMIO.

LEGES verba legis huius coram omni Iſrael,audientibus eis, & in omni populo congregato,tam viris quàm mulieribus,paruulis & aduenis qui ſunt intrà portas tuas,vt audientes diſcant,& timeant Dominum Deum veſtrũ,& cuſtodiant, impleantque omnes ſermones legis huius. Deut.31.

EX PROVERBIIS.

OMNIS ſermo Dei ignitus,clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Prouer.30.

EX PSALMIS.

OMNIA mandata tua veritas.
In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.
Ignitum eloquium tuum vehementer,& ſeruus tuus dilexit illud. Pſal. 118.

EX EVANGELIO MATTHAEI.

ET quicunque nõ receperit vos,neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foràs de domo vel ciuitate,excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis,tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Matth.10.

EX AVGVSTINO.

CEDAMVS & conſentiamus authoritati ſanctæ ſcripturæ,quæ neſcit falli,nec fallere. Lib.1. De peccatorum meritis,cap.22. Et lib.2. ſuper Geneſ. ad literam,cap. 5. Maior eſt huius ſcripturæ authoritas,inquit, quàm omnis humani ingenij capacitas.

EX EODEM.

ADEST Domini gratia & miſericordia, & non ſinit peruertere ſcripturã ſuam. Quia circunſepſit veritate ſua omnes ſententias ſuas,& librauit, vt quiſquis indè aliquid præſcindere voluerit, aut inducere malè legendo, vel interpretando, ille qui cor habet,quod præciſum eſt,iungat ſcripturæ,& legat ſuperiora vel inferiora.& inueniet ſenſum,quem ille volebat malè interpretari. Auguſt. de verbis Domini,ſerm.49.

EX EODEM.

O DOMINE,iſta tua ſcriptura vera eſt, quoniam tu verax & veritas edidiſti eam. Et iterùm: O homo,quod ſcriptura mea dicit,ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit: verbo autem meo æterno tempus non accidit,quia æquali mecũ æternitate conſiſtit. Libro confeſſionum 13.cap.29.

EX EODEM.

CVM eſſemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus eſſet authoritate ſanctarum literarum,iam credere cœperã, nullo modo te

doce fuiſſe tributurum tam excellentem illi ſcripturæ per omnes iam terras authoritatem, niſi & per ipſam tibi credi, & per ipſam te quæri voluiſſes. Confeſſionum lib.6.cap.5.

LAVS SACRAE SCRIPTVRAE AB VTILITATE.

EX DEVTERONOMIO.

ET NVNC Iſrael audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens eas, viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus Patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Deut.4.

EX EODEM.

SCITO ergo hodiè, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipſe eſt Deus in cælo ſurſùm, & in terra deorsùm, & nõ ſit alius. Cuſtodi pręcepta eius atque mandata, quæ ego pręcipio tibi, vt benè ſit tibi & filijs tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Ibidèm.

EX EODEM.

SI AVTEM audiĕris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mãdata eius, quę ego tibi pręcipio hodiè, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quę verſantur in terra. Venientq́; ſuper te vniuerſę benedictiones iſtę, & appręhēdent te, ſi tamen pręcepta eius audiĕris. Deut.28. Catalogum autem iſtarum benedictionum integrum & prolixum vide eodem cap. iuncto cap.30. & in Leuit. cap.26.

CONTRA verò ſi audire noluĕris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias & facias omnia mandata eius, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodiè, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & appręhendent te. Quæ maledictiones & graues & acerbæ plurimęque, in prędictis ſacræ ſcripturę numerantur locis, Leuitici nimirùm 26. Deut.28. & 30.

EX PSALMIS.

BONVM mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.
Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.
Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.
Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Pſal.118.

EX PAVLO AD Rom.15.

QVAECVNQVE ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus &c.

EX EODEM, 2. Timoth.3.

OMNIS ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

EX HIERONYMO.

AMA ſcientiã ſcripturarũ, & carnis vitia non amabis. Ad Ruſticũ Monach. Et ſup illud Pſal.147. Et adipe frumenti ſatiat te: Pinguiſſimus, inquit, ſermo diuinus eſt,

omnes in ſe habens delicias:quidquid volueris,ex ſermone diuino naſcitur:ſicut tradunt Iudęi, Quoniam manna quandò comedebant, ſecundùm voluntatem vniuſcuiuſque ſic ſapiebat in ore.

EX EODEM.

SI quidquam eſt,quod in hac vita ſapientē virūm teneat,& inter preſſuras & turbines mundi ęquo animo manere perſuadeat:id eſſe vel primum reor, meditationem & ſcientiam ſcripturarum. Cùm enim à cęteris animantibus hoc vel maximè differamus,quòd rationale animal ſumus,& loqui poſſumus: ratio autem omnis & ſermo,diuinis libris contineatur,per quos & Deum diſcimus, & quarè creati ſimus,non ignoramus:miror quoſdam extitiſſe,qui aut ipſi ſe inertię & ſomno dantes, nolint quę pręclara ſunt, diſcere: aut cęteros qui id ſtudij habent, repręhendendos putent. Quibus cùm poſſim diſtrictiùs reſpondere, & breuiter eos vel offenſos dimittere, vel placatos,multo eſſe melius ſcripturas legere, quā augendis & cumulādis opibus inhiare:Illud dicam, quod vel apud iniquiſſimum iudicem obtineam,placere mihi ocium meum,& ſolitudinem omni celebritate iucundiorem videri.Hieron.in Pręfatione epiſtolę Pauli ad Epheſios.

DE ELOQVENTIA QVAE SACRIS ineſt literis,ex Auguſtino.

HIC aliquis forſitan quærit,vtrùm authores noſtri,quorum ſcripta diuinitùs inſpirata,Canonem nobis ſaluberrima authoritate fecerunt, ſapientes tātummodò,an eloquentes etiam nuncupandi ſunt. Quæ quidem quęſtio apud meipſum, & apud eos qui mecum,quod dico,ſentiunt,facilimè ſoluitur.

NAM vbi eos intelligo,non ſolùm eis nihil ſapientius,verùm etiā nihil eloquētius mihi videri poteſt.Et audeo dicere,omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur,ſimul intelligere non eos aliter loqui debuiſſe. Sicut eſt enim quædam eloquentia,quę magis ętatem iuuenilem decet,eſt quę ſenilem,nec iam dicenda eſt eloquentia,ſi perſonę non congruat eloquentis:ità eſt quędā quæ viros ſumma authoritate digniſſimos planeq; diuinos decet. Hac illi locuti ſunt,nec ipſos decet alia,nec alios ipſa:ipſis enim congruit,alijs autem quanto videtur humilior,tanto altiùs non ventoſitate,ſed ſoliditate tranſcendit.

VBI verò non eos intelligo,minùs quidem mihi apparet eorum eloquētia:ſed eam tamen non dubito eſſe talem,qualis eſt vbi intelligo. Ipſa quoquè obſcuritas diuinorum ſalubriumq; dictorum,tali eloquentię miſcenda fuerat,in qua proficere noſter intellectus non ſolùm inuentione,verùm etiam exercitatione deberet.Auguſtinus De Doctrina Chriſtiana lib.4.cap.6.

ELOQVENTIAM DIVINARVM LITERARVM, cum ſapientia eſſe coniunctam.ex eodem.

SAPIENTER autem dicit homo tanto magis vel minùs,quanto in ſcripturis ſanctis magis minúsve profecit.Non dico in eis multùm legendis,memorieq; mandandis,ſed benè intelligendis,& diligenter earum ſenſibus indagādis: ſunt enim qui eas legunt,& negligunt:legunt,vt teneant: negligunt,nè intelligant.Quibus longè ſine dubio pręferendi ſunt, qui verba earum minùs tenent, & cor earum ſui cordis oculis vident.Sed vtriſque ille melior,qui & cùm volet,eas dicit:& sicut oportet,intelligit.

HVIC ergò,qui ſapienter debet dicere,etiam quod non poteſt eloquēter,verba ſcripturarum tenere maximè neceſſarium eſt. Quanto enim ſe pauperiorem cernit in ſuis,tāto eum oportet in iſtis eſſe ditiorem:Vt quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis:& qui proprijs verbis minor erat,magnorum teſtimonio quodāmodò creſcat.Probando enim delectat,qui minùs poteſt delectare dicendo.

PORRO qui non ſolùm ſapienter,verùm etiā eloquēter vult dicere,quoniā profectò plùs proderit,ſi vtrūq; potuerit,ad legēdos vel audiēdos,& exercitatiōe imitandos eloquētes eum mitto libētiùs,ꝗ Magiſtris artis Rhetoricę vacare pcipio, ſi tamen

ſi tamen ij qui leguntur & audiuntur,non ſolùm eloquenter,ſed etiam ſapienter dixiſſe,vel dicere,veraci prędicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, ſuauiter:quia ſapienter,ſalubriter audiuntur.

PROPTER quod non ait ſcriptura,multitudo eloquentium:ſed,multitudo ſapientium,ſanitas eſt orbis terrarum. Sicut autem ſępè ſumenda ſunt & amara ſalubria,ità ſemper vitanda eſt pernicioſa dulcedo. Sed ſalubri ſuauitate, vel ſuaui ſalubritate quid melius? Quãto enim magìs illic appetitur ſuauitas,tanto faciliùs ſalubritas prodeſt.

SVNT ergò Eccleſiaſtici viri,qui diuina eloquia non ſolùm ſapienter, ſed eloquenter etiam tractauerunt. Quibus legendis magìs non ſufficit tempus, quàm deeſſe ipſi ſtudentibus & vacantibus poſſunt.d.lib.4.De doctrina Chriſt. cap.5.

PIAE ALIQVOT AD SALVBERRIMA SAcrarum literarum capeſſenda ſtudia,& exhortatiunculę, ex eiſdem fontibus petitę.

EX DEVTERONOMII CAP. IIII.

CVSTODI igitur temetipſum & animam tuam ſolicitè,nè obliuiſcaris verborum quæ viderunt oculi tui,& nè excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuę. Docebis ea filios ac nepotes tuos.

EX CAPITE VI.

ERVNTQVE verba hęc,quę ego pcipio tibi hodiè,in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis,& meditaberis ſedens in domo tua, & ambulãs in itinere, dormiẽs atq; conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos,ſcribesque ea in limine & oſtijs domûs tuę &c.

EX CAPITE XI.

PONITE hęc verba mea in cordibus & in animis veſtris, & ſuſpẽdite ea pro ſigno in manibus,& inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros, vt illa meditentur,quandò ſederis in domo tua,& ambulaueris in via,& accubueris atq; ſurrexeris. Scribes ea ſuper poſtes & ianuas domûs tuæ,vt multiplicentur dies tui,& filiorum tuorum in terra,quam iurauit Dominus Patribus tuis,vt daret eis,quãdiù cælum imminet terræ.

EX CAPITE XVII.

POSTQVAM autem ſederit Rex in ſolio regni ſui,deſcribet ſibi Deuteronomiũ legis huius in volumine,accipiens exemplarà ſacerdotibus Leuiticæ tribûs,& habebit ſecum, legetq; illud omnibus diebus vitę ſuę, vt diſcat timere Dominum Deum ſuũ,& cuſtodire verba & cęremonias eius,quę in lege pręcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos,neque declinet in partẽ dexteram vel ſiniſtram,vt longo tempore regnet ipſe & filius eius ſuper Iſrael.

EX EVANGELIO IOANNIS.

SCRVTAMINI ſcripturas,quia vos putatis in ipſis vitam ęternam habere: Et illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Ioan.5.

EX D. PAVLO.

TESTIFICOR corã Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & per aduentum ipſius,& regnum eius: Prędica verbum:inſta opportunè,importunè:argue,obſecra,increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tẽpus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt,ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus:& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autẽ conuertentur. Tu verò vigila,in omnibus labora,opus fac Euangeliſtæ,miniſterium tuum imple,ſobrius eſto.2.Timo.4.

EX AVGVSTINO.

HORTOR,vt valeo,vt literarũ verè certeq; ſanctarũ ſtudio te curã nõ pigeat impẽdere. Syncera enim & ſolida res eſt,nec fucatis eloqjs ambit ad animũ,nec vllo linguæ

linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat. Multùm mouet non verborum, ſed rerum auidum, & multùm terret, factura ſecurū: præcipuè Apoſtolorū linguas hortor vt legas: ex his enim ad cognoſcēdos prophetas excitaberis, quorum teſtimonijs vtuntur Apoſtoli. Auguſtinus ad Voluſian. epiſt. 1.

EX EODEM.

Rogo vos, diſcite ſacrā ſcripturam, ſæpè legite, quia omni melle dulcior eſt, fortior vino, lenior oleo, ſublimior auro, argento purior. Præcipuè in Deum pronocat, & Deum diligere inuitat, corda illuminat, linguā purificat, conſcientiā probat, animam ſanctificat, fidem roborat, diabolum reijcit, peccata ſpernit, animas frigidas calefacit, lumen ſcientiæ oſtendit, tenebras ignorantiæ expellit, triſtitiā ſeculi extinguit, lætitiam Spiritûs ſancti accendit, ſitienti potum tribuit, de inſipientibus ſapientes facit, primos de nouiſſimis ponit, magnos de minimis, nobiles de ignobilibus efficit, naturam frenat, prohibet leuitatem, tempetat dolorē, confert ſpem, coronat ſenem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, reuocat errantes, inſtruit ignorantes, ſanat ęgros, roborat infirmos, brutos facit ſenſatos, ſomnolentos excitat, ocioſos increpat, laborantes lætificat, pigros incitat, credentibus gratiā dat, Reges humiliat, humiles exaltat, honores multiplicat. Quāobrem qui hanc diligit, & diligenter legem implet, in regno cælorum maximus vocabitur, & in præſenti Eccleſia pręmia & munera obtinebit. Auguſtinus De laudibus Sacrę ſcripturę, Serm. 38. ad Fratres in Eremo.

EX COMMENTARIIS CHRYSOSTOMI IN primum cap. Geneſis.

MERITO theſauro cuipiam confertur diuinarum ſcripturarum lectio. Nam ſicut ex illo, quiſquis vel paruum fruſtum capere valet, multas ſibi parat diuitias, ità & in ſacra ſcriptura, etiam in breui dictione variam ſentētiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet. Et non ſolùm theſauro ſimilia ſunt Diuina eloqa, ſed fonti quoquè largis perennibuſque ſcatutienti fluentis.

ET PAVLO POST:

MAGNA enim eſt huius Theſauri abundantia, & larga huius fontis vbertas. Vndè etiam qui ante nos fuerunt, pro viribus aquas hauſêre, & ſimiliter qui poſt nos futuri ſunt, idem attentabunt, neq; ſic totum euacuate poterunt, ſed magìs interìm augeſcunt flumina, & increſcunt. Hęc enim ſpiritualium fluminū natura eſt, vt hoc magìs ſcaturiant, & accreſcat ſpiritualis gratia, quo quis magìs indè haurire ſtudet. Propter hoc & Chriſtus dicebat: (Ioan. 7.) Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuentis.

HIERON. AD DEMETRIADEM.

FINEM iungo principio, nec ſemèl monuiſſe contentus ſum: Ama ſcripturas ſanctas, & amabit te ſapientia: dilige eam, & ſeruabit te: honora illam, & amplexabitur te: Hęc monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant: Nihil aliud nouerit lingua, niſì Chriſtum: Nihil poſſit honorare, niſì quod ſanctum eſt.

LIBRI PRIMI FINIS.

PARTITIONUM THEOLOGICARUM LIBER SECUNDUS,

CONTINENS

OECONOMIAM VETERIS TESTAMENTI, LEGIS

SCILICET ANTIQUAE, ET EIUSDEM PARTIUM.

D. PAULUS AD ROMANOS III. ET AD GALATAS III.

SCIMUS AUTEM, QUONIAM QUAECUNQUE Lex loquitur, ijs qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Atque hinc ſcriptura concluſit omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide IESV Chriſti daretur credentibus. Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur.

QVO ORDI-

QVO ORDINE ATQVE

methodo ſingula huius Doctrinæ capita ſint pertractanda. TABVLA 1.

METHODI VIS *ferè omnis ex ordine potiſſimùm perſpicitur. Ordinis autem ratio, quātùm ad inſtitutā attinet Oeconomiā, conſiſtit præcipuè in*

- PERPETVA *& continua librorum vtriuſque teſtamenti ſerie.*
- PROPRIA *libri atq; adeò loci cuiuſque ſignificatione.*
- DILIGENTI *cùm Authoris, tū loci atq; temporis inueſtigatione.*
- COMMODA *& idonea argumenti narratione.*
- ARTIFICIOSA *generū in ſuas partes diſtributione.*
- DILVCIDA *partium ſubdiuiſione.*
- BREVI *rerum præcipuarum epilogo ſeu epitome.*

Quæ ratio diligenter obſeruāda eſt tam in

- *Toto Bibliæ corpore, quàm in*
- *Singulis ſacræ ſcripturæ voluminibus.*

ARGVMENTI LIBRI HVIVS AD PRAECEDENTEM Continuatio.

PRAEFATIS hactenùs, quanta fieri potuit breuitate, ijs veluti Principijs, quæ in genere, cùm ad diligentem omnium ſacræ ſcripturæ & cauſarum & partium inueſtigationem, tum ad neceſſariam doctrinę Chriſtianæ pręcognitionem pertinere videbantur: proximum porrò eſt, vt quod à principio nos facturos recepimus, ipſum nunc adgrediamur opus, Oeconomiā ſcilicet Bibliæ, ac tandèm vberiorem ſingularum partium ſuſcipiamus enucleationem: Ità tamen, vt non tam ſcripturam hîc totam explicare voluiſſe, quàm totius ſcripturæ rectè explicandæ perdiſcendæque rationem quandam atque methodum tradere videamur.

DE SIGNIFICATIONIBVS BIBLIAE.

TABVLA 2.

SACRAM SCRIPTVRAM *totam, atque adeò libros, qui in canonem recepti ſunt, omnes, vno nomine appellari Biblia, iam ſuprà oſtenſum fuit. Ipſa autem Biblia accipiuntur interdùm pro*

- LEGE: *Lex enim vniuerſalis, D. Auguſtino teſte, continet omnia quæ de vnaquaque re legitimè præcipiuntur, lib. 4. Quæſtion. 33. ſup. Numer. vndè D. Paulus, vt ait Chryſoſtomus Homil. 7. in Epiſt. ad Roma. totum vetus teſtamentum legem appellare conſueuit, præſertim ad Galat. 4. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, inquit, vnum quidem in monte Sina.*
- TESTAMENTO, *Quo nomine non (vt apud Iureconſultos) illud tantùm continetur, quod non valet niſi teſtatoribus mortuis: ſed olim omnē pactum & placitum, teſtamentū vocabant. Nam Laban & Iacob teſtamētum fecerunt, quod vtiquè etiam inter viuos valeret, Geneſ. 31. Auguſtinus in Pſal. 82.*

DE PAR-

DE PARTITIONE LEGIS.

TABVLA 3.

- **LEX**
  - ACCIPITUR ALIQUANDO
    - GENERALITER, & eo nomine ſimul omnia veteris inſtrumenti ſanctarum ſcripturarum ſignificantur eloquia. Atque ſic continet ſub ſe &
      - *Prophetas: Qua ratione D. Paul. 1. Cor. 14. in lege ſcriptū eſſe dicit, quod citat ibi ex Propheta Eſa. 28. In alijs linguis, & in alijs labijs loquar populo huic.*
      - *Pſalmos, vt ipſe Dominus Ioan. 15. In lege, inquit, eorum ſcriptum eſt. Quia oderūt me gratis, cùm hoc legatur in Pſal. 34.*
    - PROPRIE *vocatur lex, quæ data eſt per Moiſen, ſecundùm quod dictum eſt, Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt, Matth. 11. Et, In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ, Matth. 22. Hîc vtiquè propriè lex appellata eſt de monte Sina. Auguſtinus De Trinitat. lib. 15. cap. 17.*
  - DIVIDITUR *iuxta communem traditionem, in*
    - DIVINĀ, *quæ diſtribuitur in*
      - *Nonſcriptam, hoc eſt, naturalem rationem, aut*
        - *Primæuam, id eſt, hominum mentibus cum ipſa ſimul natura ab initio inſitam.*
        - *Corruptam, & obſcuratam, propter tranſgreſſionem præcepti in paradiſo.*
      - *Scriptam, id eſt, expreſſā Dei volūtatē. Quā rectè quidā ſubdiuidūt in*
        - *Antiquam, quòd veteris Teſtamenti contineat præcepta, quæ p̄tinēt vel ad*
          - *Mores piè formādos,*
          - *Iudicia rectè inſtituenda,*
          - *Ceremonias ritè pagendas.*
          - *His aliq addūt totius veteris Teſtamenti*
            - *Promiſſiones,*
            - *&*
            - *Sacramēta.*
        - *Nouam, Quæ in nouo exprimitur teſtamēto, & lex dicitur gratiæ ſiue charitatis.*
    - HVMANAM, *quæ hominum commercijs certā præſcribit quaſi formam, & vulgò Ius dicitur Ciuile, cuius tria ſunt præcepta:*
      - *Honeſtè viuere,*
      - *Alterum non lædere,*
      - *Suum cuique tribuere. Inſtit. de iuſt. & iur.*

DE TESTAMENTO, ET EIVS PARTIBVS in genere. TABVLA 4.

TESTAMENTŪ quoquè

- **DICITUR vel**
  - PACTVM, *Geneſ. 9. Statuam pactum meum vobiſcum. & ibi Chryſoſtom. Homil. 7.*
  - PROMISSIO, *vt eſt promiſſio quæ facta eſt*
    - *Adæ, de ſemine mulieris, Geneſ. 3.*
    - *Noæ, de diluuio non reiterando, Geneſ. 9.*
    - *Abrahæ & ſemini eius, De*
      - *Terra Chanaan*
      - *Venturo Meſsia*
      - *Futura liberatione filiorum Iſrael*
      - *Geneſ. 12. 15. 18. & aliis multis in locis.*
  - PRAECEPTVM, *Ioſue 7. Peccauit populus, & tranſgreſſus eſt teſtamentum meum, quod poſui ad eos.*
- **DISTINGUITUR bifariàm**
  - SECVNDVM *Irenæum, humano generi 4. data ſunt teſtamenta:*
    - *Vnum quidem ante cataclyſmum ſub Adam.*
    - *Secundum poſt cataclyſmum ſub Noe.*
    - *Tertium eſt legiſlatio ſub Moiſe.*
    - *Et hæc omnia vno nomine vetus dicūtur teſtamentū.*
    - *Quartum verò, quod renouat hominem, & recapitulat in ſe omnia: quod eſt per Euangelium eleuans & pennigerans homines in cæleſte regnum. verba ſunt Irenæi lib. 3. de hæreſ. cap. 11.*
  - IVXTA *communem diuiſionem, in teſtamentum*
    - *Vetus ſiue primum, quod nihil ferè eſt aliud, quàm prophetia noui teſtamenti. Auguſt. contra Fauſtum Manichæ. lib. 15. cap. 2. Ideò ſic dictum, vel quòd temporalium rerum promiſſiones contineat. Aug. contra Fauſtum Manichæ. lib. 4. cap. 2. vel quia per nouum aboleatur.*
    - *Nouum ſiue ſecundum, iuxta Auguſt. libr. 18. De Ciuitat. Dei. cap 54. quod eſt perfectio veteris teſtamenti, ſic dictum, quòd æternæ vitæ contineat promiſſionem. Idem Auguſt. dicto loco contra Fauſtum Manichæum lib. 4. cap. 2.*

DE VETE-

DE VETERI TESTAMENTO IN SPECIE.

TABVLA 5.

PRAETER *ea quæ de veteri hactenus dicta ſunt teſtamento, adhuc non inutiliter quæri poſſe videntur tria:*

- 1. QVID SIgnificet. *Nam veteris teſtamenti nomine continentur*
  - PROPRIE, *Lex Dei, quæ data eſt per Moiſen. Aug. lib. 18. De Ciuitat. Dei cap. 11. & Retractat. 1. cap. 22.*
  - LARGE, *Lex Moiſis & omne vetus inſtrumentum, quæ D. Hieronymus, ſcribens Algaſiæ, elementa mundi vocari dicit, quòd ijs quaſi elemẽtis & religionis exordijs Deum diſcamus.*
- 2. QVAE *ex veteri teſtamento obſeruanda ſint vel relinquẽda. Loqmur enim de his, quæ pertinẽt vel ad*
  - MORES *corrigendos, & illa mandata proculdubiò obſeruanda ſunt: De his enim dictum eſt, Mandatũ Domini lucidum, illuminans oculos. Pſal. 18.*
  - CAEREMONIAS *legis, & ritus ſacrificiorum. Et ea omninò ſunt relinquenda. Hieron. lib. 2. aduersùs Pelagian.*
- 3. CVM *veteris Teſtamẽti multa, p̃ſertim cæremonialia, ſint abrogata, cur libros nihilominùs antiquæ legis Eccleſia retineat oẽs. Id quod tribus fit de cauſis:*
  - PRIMVM, *non ad conſequendas illas temporalium rerũ promiſſiones, ſed ad intelligendas in eis noui teſtamenti prænunciationes: veteris quippe teſtificatio, fidem nouo conciliat. Auguſt. contra Fauſtum Manichæ. lib. 4.*
  - DEINDE, *nè Propbetiam extinguamus: Quia in illis contenta, in vmbra facta ſunt futurorum. Auguſt. contra Fauſtum lib. 32. cap. 9.*
  - POSTREMO, *Quia vetus teſtamentũ, vt anteà quoquè dictum fuit, rectè intelligẽtibus prophetia eſt noui teſtamẽti. ſuprà tab. 4. ex Auguſt. contra Fauſtũ lib. 15. ca. 2.*

DE VETERIS TESTAMENTI AVTHOribus.

TABVLA 6.

VETERIS *teſtamenti libri ſunt*

- SCRIPTI *primùm iuſſu omnipotentis Dei, & Spiritusſancti inſtinctu editi, Per*
  - MOISEN
  - &
  - PROPHETAS.
  - *Vt de ſingulis pòſt ſuo patebit loco.*
- AMISSI *in expugnatione Babylonica,*
- RESTITVTI *per Eſdram ſcribã velociſſimã.*
  - *Nicephorus lib. 4. ca. 15. Euſeb. lib. 5. cap. 8. Athanaſius in Synopſi de diuina ſcriptura.*
- ASSERVATI *& in ſummo precio habiti ab Hebræis, quorum beneficio ad Chriſtianam peruenerunt Eccleſiam.*
- RECEPTI *in Canonem, Conciliorum aliquot præcellentium authoritate, atq; vnanimi totius Eccleſiæ conſenſu.*
- APPROBATI *in nouo teſtamento per Chriſtum & Apoſtolos. Qui pro confirmatione doctrinæ Euangelicæ, ex eiſdem veteris inſtrumenti libris integras ſæpè produxerunt ſententias.*

DE ARGVMENTO LIBRORVM VETERIS teſtamenti in genere.

TABVLA 7.

IN LIBRIS *veteris Teſtamenti agitur de ſtatu populi Dei, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ per oēs eius partes & ætates. Habet enim Eccleſia ætates ferè quinque:*

- INFANTIAM, *hoc eſt, initium à primis illis Parentibus noſtris, Adam & Eua, vſque ad tempora Noe.*
- PVERITIAM, *à Noe vſque ad tempora Abrahæ, & ſub Abrahamo vſque ad Moiſen.*
- ADOLESCENTIAM, *à tempore Moiſis, quo Eccleſia ſub lege, veluti adoleſcēs ſub tutoribus & magiſtro degebat, vſque ad inductionem populi Iſraelitici in terram promiſſionis per*
  - IOSVE *& ſequentes iudices,*
  - REGES,
  - PROPHETAS.
- IVVENTVTEM, *ab inductione præfata vſque ad Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti aduentum. Quo tempore licèt à cura Pædagogi nondum exempta eſſet Eccleſia, accepit tamen à prophetis, qui tum extiterant, clariſſimas de Chriſto eiuſque regno & vniuerſis adeò fidei noſtræ myſterijs reuelationes.*
- PERFECTAM *ætatem. Vbi enim venit plenitudo temporis, de qua Paulus ad Galatas in 4. agit capite, miſit Deus filium ſuum vnigenitum natum ex muliere, natum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Qui tandem Eccleſiam ſibi congregauit talem, qualis in veteri teſtamento præfigurata & adumbrata erat in*
  - SYNAGOGA,
  - TABERNACVLO,
  - SACERDOTIO.

DE VE-

DE VETERIS TESTAMENTI PARTIBVS.

TABVLA 8.

TRACTATIO *veteris Teſtamenti omnis in ſex diuiditur Partes: in quib' illa, de qua in præcedenti tabula dictum eſt, Eccleſia inſtruitur*

- LEGIBVS, *vt in quinque libris Moſis,*
  - GENESI,
  - EXODO,
  - LEVITICO,
  - NVMERIS,
  - DEVTERONOMIO.
- EXEMPLIS *virtutum & vitiorum deſumptis ex hiſtorijs ſeu lib.*
  - IOSVE,
  - IVDICVM,
  - RVTH,
  - REGVM *quatuor,*
  - PARALIPOMENON 2.
  - ESDRAE *duobus,*
  - TOBIAE,
  - IVDITH,
  - ESTHER,
  - IOB.
- FORMA *laudandi Deum, in quem finem Dauid ſuos edidit Pſalmos.*
- PRAECEPTIS *diuinæ Philoſophiæ, hoc eſt, recta in Eccleſia Dei verſandi ſcientia, in quinque videlicet libris Sapientiæ: Quales ſunt*
  - *Prouerbia Salomonis,*
  - *Eccleſiaſtes,*
  - *Cantica Canticorum,*
  - *Liber Sapientiæ,*
  - *Eccleſiaſticus.*
- RERVM *futurarum Reuelationibus diuinis, quibus populus Dei peccator ad pœnitentiam inuitatur modò*
  - COM*minatione pœnarum,*
  - PRO*miſſione Beneficiorum.*
  - *De quibus promiſcuè agitur in libris prophetarum*
    - MAIOrum
      - *Eſaiæ,*
      - *Hieremiæ cum Baruch,*
      - *Ezechielis,*
      - *Danielis.*
    - *Minorum*
      - *Oſee,*
      - *Iohelis,*
      - *Amos,*
      - *Abdiæ,*
      - *Ionæ,*
      - *Michææ,*
      - *Nahum,*
      - *Abacuk,*
      - *Sophoniæ,*
      - *Aggæi,*
      - *Zachariæ,*
      - *Malachiæ.*
- PRAEPARATIONE *ad crucem, & ratione conſolandi afflictos. Quod fit in 2. libris Machabæorum.*

PARS VETERIS TESTAMENTI PRIMA.

DE LEGIBVS DIVINIS.

TABVLA 9.

LEGES DIuerſo tempore hominibus datæ,

- PRIMA, in Paradiſo ante peccatum, prohibitione ligni.
- SECVNDA, poſt præuaricationem & expulſionem ex Paradiſo, de humani generis multiplicatione.
- TERTIA, Noæ ante diluuium de fabricanda Arca.
- QVARTA, poſt diluuium de Diuiſionibus gentium.
- QVINTA, Abrahæ de circunciſione & immolatione filij.

Hæ leges ſignificatur p V. viros, quos Chriſtus Ioann. 4. ſedens apud fontem dixit habuiſſe mulierem illam Samaritanam. Gloſſ. Ibid.

- SEXTA, Moiſi in monte Sinai. Hæc intelligitur per ſextum illius Samaritanæ virum, qui tamen non verus erat maritus. Vndè Saluator noſter mulierem illam, hoc eſt, Eccleſiam Catholicam, ab illo putatiuo marito, id eſt, à lege literæ, quæ nullam contulit ſalutem, ad verum mittit virum, quæ lex eſt ſpiritûs & gratiæ, in nouo Teſtamento compræhenſa, à quo ſpiritualem virtutum concipiat prolem.
- SEPTIMA, eſt illa ipſa lex Spiritûs, & Euangelium gratiæ per Ieſum Chriſtum, quæ etiam lex fidei dicitur, & peccatum (quod per legem Moiſis non aufertur, ſed oſtenditur tantùm, etiam abluit & tollit. Rom. 8. & ibì Gloſſ.

HIC de ſexta tantùm lege, quæ (vel quia Moiſi à Deo priùs reuelata, vel quia ab ipſo Moiſe populo deindè Iudaico fuerit propoſita) vno nomine lex appellari ſolet Moſaica.

TAB. 10.

LEGIS MOſaicæ appellatione rerum ſacrarũ ſcriptores bifariàm vti conſueuerunt:

- IN *genere, pro toto legis volumine, quod quia in partes quinque eſt diuiſum, communiter* PENTATEVCHVM *dicere ſolent.*
- IN SPEC*ie, pro lege Decalogi, quæ (vt patet ex 19. Exodi capite) data fuit*
  - A DEO *per miniſterium Angelorum.*
  - MOISI, *& per eũ filijs Iſrael, atque adeò omnibus hominibus ſub ipſius Dei caſtris militantibus. Sed non niſi priùs*
    - *Sanctificatis*
    - *&*
    - *Mundatis.*
  - IN *monte Sinai.*
  - NON *ſtatim poſt peccatum, vt experti homines arbitrij libertatem ad ſalutem non ſufficere, eo minùs ſuperbirent, & legis neceſſitatem eo procliuiùs agnoſcerent. Gloſſ. ad Galatas 3. Sed poſt duo tandem millia annorum à principio mundi, die ſcilicet quinquageſima ab exitu Iſrael de Aegypto, quæ tertia fuit menſis Iunij, teſte Auguſtino quæſtione ſeptuageſima in Exodũ.*
  - CVM
    - *Clangore buccinæ,*
    - *Tonitru & fulgure in nube denſiſſima,*
    - *Strepitu vehementi.*
    - *Habentur hæc omnia dicto cap. 19. Exod.*
  - NE *aut*
    - *Proprijs viribus nimiùm attribuerent, d. gloſſ. ad Galat. 3.*
    - *Aliquid ſibi defuiſſe quererentur. Auguſtinus Pſal. 57.*
  - VT *qui reuocari à peccatis ratione non poterant, pœnarum minis atque terroribus coërcerentur. Auguſtinus capite tertio, De vtilitate credendi, ad Honoratum.*

DE PENTATEVCHO, HOC EST, DE QVINQVE libris Moiſis, & primùm de varijs eius typis. TABVLA II.

ETSI HISTORIA *Moiſis per ſe vna ſit & indiuidua, commodioris tamen vsûs gratia, per partes quaſi diſtincta eſt in libros quinque: Qui ſignificantur per Quinque*

- VECTES, *tabulas tabernaculi continentes, quibus Eccleſia ab omni præſeruabatur impetu. Exod. cap. 26. & 40.*
- COLVMNAS *tabernaculi, Exod. 27.*
- VIROS, *qui Iudæis in auxilium de cælo apparuerunt, in equis, frenis aureis decoris, 2. Machab. 10.*
- PANES *illos, de quibus fragmentorum 12. collecti ſunt cophini, Luc. 9.*
- PORTICVS *piſcinæ, Ioannis 5.*

DE AVTHORE PENTATEVCHI.

TAB. 12.

PENTATEVCHI

- AVTHOR *eſt Moiſes, Theologorum omnium antiquiſſimus. Quòd autem nomen ſuum libris à ſe ſcriptis nuſquàm addiderit, id Franciſcus Ruizius Valliſoletanus ideò factum eſſe putat, quòd is ſcripſerit præſentibus, atq; ſic illi ſuperuacanea fuerit præſentiæ ſuæ declaratio. In lib. de regulis intelligendi ſacras ſcripturas, reg. 151.*
- RESTAVRATOR *Eſdras. Hieron. aduersùs Heluidium: Siue Moiſen, inquit, dicere voluĕris authorem Pentateuchi, ſiue Eſdram eiuſdem reſtauratorem operis, non recuſo. Idem quoquè ſentit D. Auguſtinus de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, lib. 3. cap. 33.*

DE MOISE ET VARIIS EIVS NOMINIBUS.

nibus. TAB. 13.

MOISES ID NOminis *ab euĕtu ſortitus eſt, eô quòd de flumine ſit ſaluatus. Auguſt. de tempore Serm. 88. Aquam enim* *Moi *Aegyptij vocăt,* eſis verò ſaluatus: Indè Moiſes, id eſt, ex aqua ſaluatus. Ioſephus lib. 2. antiquitat. cap. 9. Aliâs etiam dictus eſt*

*iſes

- MARED, — *Id eſt,* *Rebellans.*
- IARED, — *Deſcendens, quòd de monte deſcenderit.*
- PATER *Iedor,* — *Sepium, quòd quaſi quadam ſepis lege circundederit populum.*
- HEBER, — *Iunctor, eô quòd populum Dei ſeruitio iunxerit.*
- PATER *Socho,* — *Prophetiæ, eô quòd ipſe ſit doctor Prophetarũ.*
- ICVTHIEL, — *Sperans in Deum, eô quòd ſpem habuerit liberandi populum de Aegypto: ſiue quòd ſpe parentum de aquæ periculo liberatus ſit.*
- PATER *Zanoba.* — *Gubernator, eô q; magnam populo in eremo gubernationem exhibuerit, ſiue q; doctrina ſua quotidiè gubernaret. Hieron. in Quæſt. in Paralipom.*

DE ORIGINE MOISIS.

Natvs eſt tempore captiuitatis Aegyptiacæ ex matre Iochabet, (non illa quidem quæ propriè fuit filia Leui, ſed de alia, de tribu eiuſdem Leui pſecta. Lyranus in cap.2. Exodi) & patre Amram. Fuit autē Moiſes ab Abraham. Erat enim Ammiramis filius, qui fuit ex patre Chaat, qui natus eſt de Leui: Leui verò de Iacob, qui fuit ex Iſaac filio Abraham. Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum lib.2. cap. 9.

DE VITA ET MORIBVS, REBVSQVE AB eo præclarè geſtis, remiſſiuè.

Qvae de Moiſis educatione miraculoſa, forma præcellenti, moribus heroicis, ſtudijs præclaris, prudentia ſingulari, rerum gerendarum dexteritate inaudita, ac vita, eius tota omnibus numeris abſoluta, in ſacris literis ſingulatim explicata ſunt, ea omnia D. Gregorius ille frater Baſilij Magni, & Epiſcopus Nyſſenus, in breuiſſimam collegit ſummam, quam veluti formulam viuēdi cuilibet Chriſtiano commodam atq; perfectam, inter cætera eius opera præclara poſt ſe perſcriptā reliquit. Quē librū vel ſemel legiſſe, per omnem vitam profuerit plurimùm.

DE MORTE EIVSDEM.

Refert Auguſtinus alicubi, non poſſe deeſſe qui credant, ſi non deſunt qui aſſerant, Moiſen adhuc viuere: quia ſcriptum ſit, eius ſepulcrū non inueniri, Deut. 34. & apparuerit cum Domino in mōte, vbi & Helias fuit, Matth.17. quem mortuum legimus non eſſe, ſed raptum, 4. Reg.2. Quaſi verò Moiſis corpus non potuerit alicubi ſic abſcondi, vt prorsùs homines lateret vbi eſſet, atq; indè ad horam diuinitùs excitari, quandò cùm Chriſto Helias & ipſe ſunt viſi: ſicut ad horam multa ſanctorum corpora ſurrexerunt, quandò paſſus eſt Chriſtus, & poſt eius reſurrectionem apparuerunt multis in ſancta (ſicut ſcriptum eſt) ciuitate. Auguſtinus in Euangel. Ioann. tractatu 124.

VBI MORTVVS SIT, ET QVANDO.

Mortvvs eſt Moiſes anno ætatis ſuæ 120. oculis necdùm caligantibus, nec dentibus motis, aut genis conciſis, ſuper montem Nebo, & ſepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra Phogor: & nullus hominum cognouit ſepulcrum eius vſq; in hodiernū diem, Deute.34. Quod gloſſa ibidèm à Deo ideò factum eſſe dicit, nè Iudæi colerent Moiſen tanquàm Deum, propter magnitudinem & multitudinem ſignorū. Vndè & virgam, in qua ſigna fecerat, vt plurimi putant, nè adoretur, ſecum abſtulerat. Quoniam & ſerpētem quem fecerat, filij Iſrael poſtmodùm adorabant. Omnis autē illius ætas in tres quadragenarias partes diuiditur. Quadraginta enim annis, in Aegypto in domo Pharaonis ab infantia literas didicit. xl. annis exul ab Aegypto in domo ſacerdotis Madian fuit. Et 40. annis per deſertū ducatū populo pbuit. Auguſt. de mirabilibus ſacræ ſcripturę lib.1. cap.35.

DE LAVDIBVS MOISIS, ECCLEſiaſticus cap. 45.

Dilectvs Deo & hominibus Moiſes, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis mōſtra placauit. Glorificauit illum in conſpectu Regum, & iuſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocē ipſius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael.

DEVTERONOMII VLTIMO.

Et non ſurrexit vltrà Propheta in Iſrael ſicut Moiſes, quem nōſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moiſes coram vniuerſo Iſrael.

DE AR-

DE ARGVMENTO ET PARTIBVS PENTAteuchi. TAB. 14.

IN QVINQVE libris Moiſis agitur de qualitate
- DOMINI
- MINISTRI
- CORPORIS
- POPVLI
- EPILOGI

Legem
- *Statuentis:*
- *Proponentis.*
- *Continentis:*
- *Recipientis:*
- *Explicantis.*

vt in
- *Geneſi,*
- *Exodo,*
- *Leuitico,*
- *Numeris,*
- *Deuteronomio.*

GENESIS,

LIBER PENTATEVCHI PRIMVS, DE *creatione cæli & terræ.*

DE CONTINVATIONE. TAB. 15.

VETERIS IL*lius, quæ his libris deſcribitur, Eccleſiæ ſtatus eſt quintuplex: alius enim fuit tempore*
- PATRIARCHARVM,
- DVCVM,
- IVDICVM,
- REGVM,
- PONTIFICVM,

DE
- *Primo*
- *Secundo*
- *Tertio*
- *Quarto*
- *Quinto*

Agitur in lib.
- *Geneſi,*
- *Reliquis Pētateuchi libris, & in Ioſue, Iudicū & Ruth, Regum & Paralipom. Esdræ.*

ALIA CONTINVATIONIS RATIO.

LEGIS diuinæ ſummā traditurus ſcriptor Pentateuchi Moiſes, eius primum oſtendit latorem: Quô, cognito eo, faciliùs quiſq; intelligat, quid cùm de ipſa lege, tum de eius authore Deo & credere & ſentire debeat. Deū autē homo neque rectiùs cognoſcere, neq; faciliùs appræhendere poterit, q̄ ex operibus creatiōis, & ordine rerum creatarum ſapientiſſimo, qui in hoc primo deſcribitur libro.

DE RATIONE NOMINIS. TAB. 16.

GENESIM
- GRAMMATICI *ortum dicunt ſeu natiuitatem. Auguſt. in Categorijs, cap. 21.*
- THEOLOGI *accipiunt pro libro*
  - *Cæli & terræ, Quòd Deus in illis alia omnia nobis intuenda reliquerit, vt ſic omnes creaturas ſimul cōpræhendat tam in cælo quàm in terra: vt Chryſoſt. in 2. cap. Geneſeos Homilia duodecima. Cuius principium olim ante annum triceſimum à nemine legebatur. Hieron. in proœm. in Ezechielem.*
  - *Iuſtorum, Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 23. cap. 38. Hieron. in Ezechielem cap. 6. Sed in Quæſtion. Hebraicis ſuper Regum lib. idem Hieronymus tractans id, quod ait, Eccè ſcriptum eſt in libro iuſtorum: Liber, inquit, iuſtorum liber Samuelis eſt, vbi continentur prophetæ iuſti, Samuel, Gad, & Nathan.*

VBI ET QVANDO SCRIPTVS SIT HIC LIBER.

SCRIPTVS eſt liber Geneſeos, in lingua Hebraica, non in principio aut ſtatìm poſt Adam, neque omnibus hominibus, ſed Iudæis tantùm, & poſt multas tandèm generationes. Chryſoſt. ad populum Antiochenum Homil. 7. tūc ſcilicet, cùm creuiſſet error eorum, qui de mundi creatione dubitabant. Auguſtinus in lib. Quæſtion. Veteris teſtam. cap. 3.

SVMMARIVM GENESIS, EX D. HIERONYMO ad Paulinum. TAB. 17.

IN GENESI agitur De
- CREATVRA *mundi, Geneſ.1.*
- EXORDIO *generis humani, cap.2.*
- DIVISIONE *terræ, cap.10. & 11.*
- CONFVSIONE *linguarum, cap.11.*
- DESCENSIONE *Hebræorum vſque ad Aegyptum, cap.12. &c.*

EXPLICATIO SVMMARII EX ATHANASIO.

TAB. 18.

PRIMVS *liber Moſis cõtinet*
- ORDINEM *creationis cæli & terræ: Die nanque*
  - *Primo facta eſt lux.*
  - *Secundo firmamentum, quod Deus cælum vocauit.*
  - *Tertio congregatæ ſunt aquæ, viſaque arida, & collectiones aquarum, vocatæ maria, arida verò terra, terraq́ germinauit herbam fœni & omne lignum.*
  - *Quarto proceſſit ſol & luna, & vniuerſus aſtrorum chorus.*
  - *Quinto facta eſt volucrum, piſcium & cæterorum, quæ in aquis agunt, generatio.*
  - *Sexto quadrupedia, & beſtiæ & ſerpentes, & iumenta, homoque ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatus.*
  - *Septimo requieuit ab operibus, dieiq́ benedixit ſeptimo.*
- TRANSGRESSIONEM *Adæ, illiusq́ è paradiſo eiectionem.*
- CAEDEM *Abelis, factam per fratrem ſuum proprium.*
- TRANSLATIONEM *Enoch.*
- FABRICATIONEM *Arcæ.*
- DILVVIVM *factum temporibus Noæ.*
- STRVCTVRAM *turris.*
- DIVISIONEM *linguarum.*
- DISPERSIONEM *nationum.*
- EGRESSVM *Abrahæ ex Chaldæa.*
- LEGEM *de circunciſione latam.*
- SODOMORVM *ſubuerſionem.*
- IVSIVRANDVM *promiſſionis Dei Abrahæ factæ.*
- GENERATIONEM *Iſaac, Iacob, & qui ex illo ſunt, Patriarcharum.*
- VENDITIONEM *Ioſeph, & miraculoſam eius liberationem.*

Athanaſius in ſynopſi de diuinis ſcripturis.

ARGVMENTVM.

Ex præfationibus Anton. Fonſecæ ante commentaria Thomæ Caietani in Pentateuchum.

Primus liber exponit originem & cauſas rerum omnium. In quo voluit Moiſes fidelis propheta Domini mundo oſtendere, in natura rerum aliquod numen & aliquam diuinam naturã ſubſiſtere. Quòd Deus vnus ſit, aduersùs eos, qui multos deos introduxerunt: Quòd hic mundus ſit creatus, aduersùs eos qui eum ſtatuerunt ſempiternum: Quòd hunc gubernet, contra nonnullos qui fato & ſtellis omnia ſubijciunt, mundumque prouidentia Dei deſtituunt: Quòd vindex malorum ſit, & omnia propter hominem creauerit.

Deſcribit præterea hominis ortũ, qualis fuerit ab initio, quomodò lapſus ſit, quõ ab vno nati ſint omnes: perq́; terras ſparſi flagitijs nefarijs, diluuio tãdèm ab irato Deo obruti fuerint. Rursùs qui in illo ſeruati, oĩbus regnis dederint initiũ.

Poſtremò Abraham, Iſaac, Iacob & Ioſeph ſanctorum patriarcharum, qui ante legem tabulatem vixerunt, vitæ deſcribuntur, mores, illuſtria dicta, facta, & religio, & quomodò de terra Chanaan deſcenderunt in Aegyptum. Atque propter hos alioſque viros beatos, dictus eſt à quibuſdam hic liber primus, LIBER IVSTORVM, totiès in ſcripturis repetitus.

DE PARTIBVS GENESIS.

TABVLA 19.

GENEſis deſcribit ipſius Dei, legem ſtatuentis,

- **SVMMAM omnipotētiam, ab**
  - OPERE *creationis, De quo agitur in cap. 1. 2. 3. 4. & 5.*
  - STVDIO *generis humani conſeruandi, quod præſtitit in liberatione Noæ à periculis diluuij, cap. 6. 7. 8. & 9.*
  - MVLTIPLICATIONE *gentium, & veræ religionis propagatione, quæ linguarum beneficio ſparſa fuit per orbem, cap. 10. & 11. quamuis non ità multò pòſt extinctam propemodum.*
  - *vndè dicitur*
    - *Creator,*
    - *Seruator,*
    - *Auxiliator.*
- **IMMENSAM** *beneuolentiã, & amorem erga humanũ genus ineffabilem, Ex*
  - SEGREGATIONE *Abraham à generatione praua & peruerſa, & hoc quoad*
    - *Locum vndè iuſſus eſt exire,*
    - *Signũ circuncifionis,*
    - *Factum oblationis filij.*
    - *à cap. 12. vſque ad cap. 25.*
  - PRAESERVATIONE *& cuſtodia Iſaac, quem ſeruauit & defendit inter illas nefarias nationes, à cap. 25. vſque ad cap. 29.*
  - PRAEELECTIONE *& multiplicatione Iacob, à cap. 29. vſque ad cap. 39.*
  - EXALTATIONE *Ioſeph, à capite 39. vſque in finem Geneſis.*

DE ALIA, HVIC NON ABSIMILI, SED vberiore tamen, Partitione Geneſis, ex ſententia Bedæ presbyteri in lib. Quæſtion. ſuper Geneſim in principio. TAB. 20.

GENESIS *Continet electionem populi miniſterio Patriarcharũ, ſiue rerum in Eccleſia Dei geſtarum ſeriem, tēpore patriarcharum*

	à capite	Vſque ad caput
ADAE,	*Primo*	*Sextum.*
NOAE,	*Sexto*	*Duodecimum.*
ABRAHAM,	*Duodecimo*	*Vigeſimumquintũ.*
ISAAC,	*Vigeſimoquinto*	*Vigeſimumoctauũ.*
IACOB,	*Vigeſimooctauo*	*Triceſimũſeptimũ.*
IOSEPH.	*Triceſimoſeptimo.*	*Quinquageſimum.*

DE PRL

DE PRIMA PARTE GENESIS.

TABVLA 21.

PARS *Geneſis prima complectitur primorum hominũ Adæ & Euæ*

- CREATIONEM, *quorum gratia creata ſunt*
  - TERRA, DIES, NOX, SOL, LVNA, STELLAE, PISCES, BESTIAE *terræ.*
    - *Sub hoc diſcrimine,*
      - *Homo quidem* … *Ad* … *Gloriã Dei, Geneſ. 1.*
      - *Cætera verò omnia* … *Ad* … *Hominis vilitatem, ibid.*
- COLLOCATIONẼ *in paradiſum voluptatis, in quo produxit Deus*
  - LIGNVM
    - *Omne*
      - *Pulchrum viſu, &*
      - *Ad veſcendum ſuaue.*
    - *Vitæ, in medio Paradiſi.*
    - *Scientiæ* — *Boni & Mali,* — *cum præcepto, nè ex eo comederent.*
  - FLVVIVM *ad irrigandum paradiſum, qui deindè diuiditur in 4. flumina, nomine*
    - *Phiſon, Gehon, Tigris, Euphrates.* — *toto cap. 2.*
- CONIVNCTIONEM, *quæ per legitimum facta eſt Matrimonium.*
- LAPSVM
  - PRIMORUM *parentum* — *Adæ & Euæ.* — *Quem*
    - *Produxit peccatum malæ cupiditatis.*
    - *Conſequuntur*
      - *Pœnitentia,*
      - *Pœna,*
      - *Conſolatio per promiſſionem futuræ reparationis.* — *cap. 3.*
  - CAIN, *ob perpetratum fratricidiũ, cui pro pœna mox*
    - *Accedit*
      - *Maledictio,*
      - *Deſperatio. à princip. cap. 4. vſque ad verſ. Cognouit autem Cain.*
    - *Subiungitur Genealogia.*
      - *Ipſius Cain vſque ad Lamech. à d. verſ. Cognouit, vſque in fin. cap. 4.*
      - *Adæ, atque adeò totius generis humani, à principio vſque ad Noam, toto cap. quinto.*

De Adæ ſignificatione myſtica, & quomodò totũ terrarum deſignet orbem, Vide Auguſt. ſuper Pſal. 95.

DE SECVNDA GENESIS PARTE.

TAB. 22.

RECENſentur in hac parte ea, quæ acciderũt circa diluuiũ, partim

- ANTE diluuiũ, vt ſunt
  - CAVSA diluuij, humani ſcilicet cordis malitia, capite 6. verſ. Videns autem Dominus.
  - COMMINATIO ſiue prædictio diluuij, verſ. Cumq́ vidiſſet Deus. eodem.
  - ARCAE Noæ inſtructio, in qua Noe vir iuſtus cũ ſuis conſeruaretur. verſ. Fac tibi arcam de lignis, eod. cap. 6.
- IN IPSO diluuio
  - INSTANTE conſiderantur
    - Noæ ingreſſus in arcam, cap. 7. verſ. Fecit ergò &c.
    - Aquarum acceſſio. verſ. Anno ſexcenteſimo.
    - Diluuij ipſius exceſſus & inundatio. verſ. Factumq́ eſt diluuium 40. diebus ſuper terram.
    - Omnis creaturæ extra arcam viuentis interitus. verſ. Conſumptaque eſt omnis caro. dict. cap. 7.
  - RECEDENTE,
    - Arca menſe ſeptimo requieuit. cap. 8. verſ. Requieuit arca.
    - Explorat Noe ſiccitatem terræ, verſ. Cumq́ tranſiſſent 40. dies. eod.
    - Terra arefacta, euocatur ex arca cum præcepso, vt creſcant & multiplicentur. eod.
    - Liberatus Noe, { Aedificat altare, Offert, Adorat Deum. } Verſ. Egreſſus eſt ergò Noe.
    - Paciſcitur Dominus cum Noe, diluuium amplius non futurũ. Verſ. Odoratusq́ eſt Dominus. d. cap. 8.
- POST DILuuiũ deſcribũtur Noæ
  - BENEDICTIO ca. 9. verſ. Benedixitq́ Deus Noæ, &c. vnà cum
    - Confirmatione matrimonij. verſ. Creſcite. eod.
    - Conceſſione ciborum. verſ. Et omne quod mouetur. eod.
    - Gladij poteſtate. verſ. Quicũq effuderit. eod.
    - Inuentione vini. verſ. Cæpitq́ Noe. d. cap. 9.
  - MVLTIPLIcatio ſeminis: Quæ pars continet
    - Propagationem generis humani ex { Noe & Filiis eius } — toto cap. 10.
    - Initia { Regnorum & Monarchiarum } — toto cap. 10.
  - DIVISIO gentiũ, vbi etiàm
    - Agitur de
      - Structura turris Babylonicæ, cap. 11. verſ. Venite, faciamus nobis ciuitatem.
      - Confuſionem linguarum, verſ. Venite igitur, deſcendamus &c. eod.
    - Repetitur Genealogia Noæ { A Sem vſq; ad Abraham } Verſ. Hæ ſunt generationes Sem. dict. cap. 11.

DE SIGNIFICATIONIBVS NOAE.

NOE Latinè dicitur iuſtus, vel requies. Vndę parentes eius dixerunt, Quia hic faciet nos requieſcere ab operibus & à triſtitia, & à terra cui maledixit Dominus Deus. Ambroſ. de arca & Noe. cap. 2. Et ſignificat eos, per quos Eccleſia regitur: ſicut per illum in aquis arca gubernata eſt, quæ figuram geſtabat Eccleſiæ. Auguſtinus libro ſecundo Quæſtionum Euangelicarum, cap. 44.

DE TER-

DE TERTIA GENESIS PARTE, QVOMODO Abraham ex imperfecto ductus ſit ad perfectum.

TAB. 23.

- **INTERtia parte deſcribitur fides Abrahæ**
  - **INCHOATA, ratione**
    - **DEI cui præſtitit**
      - *Obedientiam, parendo vocationi diuinæ de terra ſua, pro qua accepit*
        - *Benedictionem, cap. 12. in princip.*
        - *Promiſſionem*
          - *De Chriſto*
          - *&*
          - *Terra Canaan.*
      - *Deuotionem, dum ædificauit Deo altare, inuocauitque nomen Domini. verſ. Apparuitque Dominus Abraham. eod.*
      - *Conſtantiam in fide, qua ſuperauit famis neceſſitatem, impetrauitque vt ſibi coniunx, in aulam Pharaonis rapta, reſtitueretur, Pharaone interim à Deo percuſſo. verſ. Facta eſt autem fames. d. cap. 12.*
    - **PROXIMI, relꝰ in**
      - *Secundis: orta enim cõtentione inter ſuam & fratris ſui Lot familiã de iure paſcẽdi, benignè cum fratre terrã diuiſit in duas partes, ſcilicet*
        - *Iordanem &*
        - *Canaã*
        - *Quam inhabitauit*
          - *Lot*
          - *Abraham*
        - *Accepitq́; Abrahã ſecũdò ꝓmiſſionem de venturo Chriſto ca. 13. per tot.*
      - *Aduerſis: cùm enim Lot bello Sodomitico fuiſſet abductus, Abraham perſequens hoſtes, reduxit eum liberatum. Quos è bello redeuntes humaniter excipit Melchiſedech Rex Salem & ſacerdos Dei, cui viciſſim Abraham ex omnibus dedit decimas. tot. cap. 14.*
    - **SVI ipſius**
      - *Petitione prolis, ad quã promittitur ei*
        - *Iſaac, & ex eo numeroſa poſteritas, quæ vt affligenda ſit in terra aliena, ità expleto tempore ſit magno cumulo reſtituenda & amplificanda.*
        - *Terra Canaan, tertiò & quartò promittitur. Cui promiſſioni credidit Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. cap. 15.*
      - *Regenda vxore, cuius rogatu prolis ſuſcipiendæ cauſa, ità vſus eſt ancilla ſua Agar, nè illa ſibi in Dominam ſuam vllam ſumeret imperium, ſed humiliata, eius ſe ſubijceret imperio & voluntati. cap. 16.*
  - **PROFICIENS, quam exhibuit iterùm**
    - **DEO,** *ſuſcipiendo ſymbolum circunciſionis, vt ſit ſignum fœderis inter Deũ & ſemen Abrahæ cum tota ſua familia cap. 17. Vbi etiam*
      - *Mutantur nomina* *Abræ*, *Sarai* *in* *Abraham*, *Saram.*
      - *Confirmantur promiſſiones De*
        - *Terra Canaan. 15.*
        - *Iſaac. cap. 17.*
    - **PROXIMO operibus**
      - *Corporalibus, dum Dei angelos ſuo recipit hoſpitio, qui ei excidium prædicunt Sodomorum, cap. 18. à princip. vſque ad verſ. Dixitq́; Dominus: Num celare potero. &c.*
      - *Spiritualibus, orando pro liberatione Lot & aliorum à periculis ſubuerſiõis Sodomorũ. Quæ vt acciderit, ad longũ exprimitur per tot. c. 19.*
    - **SIBI ipſi, reſpectu**
      - *Coniugis, quam timore regis Abimelech ſimulat ſororẽ ſuam, eamq́; ſecundò raptam, Dei beneficio iterùm recuperat, cap. 20.*
      - *Filij Iſaac, quem, viſitante Domino, Sara in ſenectute ſua*
        - *Concepit ac Peperit*
        - *Inito fœdere inter*
          - *Ab.melech & Abraham*
        - *to. c. 21.*
  - **PERFECTA, adhuc erga**
    - **DEVM,** *à quo tentatus, immolauit ei filiũ ſuũ Iſaac: Quod adeò placuit Deo, vt Abrahæ Chriſtũ ꝓmitteret ſaluatorẽ, & multiplicationẽ ſeminis ſui, ſicut ſtellas cæli. c. 22.*
    - **PROXIMUM ſcilicet**
      - *Vxorem, quam piè ſepeliuit in agro, quem emit à filijs Heth. cap. 23. per totum.*
      - *Filium, cui pari pietate, per ſeruum ſuum ſeniorem fidelem, in vxorẽ impetrat virginem pulcherrimam & viro incognitam Rebeccam filiam Bathuel, cap. 24.*
    - **ET ſeipſum**
      - *Secundam ducendo vxorem Ceturam.*
      - *Diſtribuendo hæreditatem ſuam inter filios,*
        - *Legitimum Iſaac, ca. 25. &*
        - *Concubinarũ Iſmael &c. ibid.*
        - *vbi etiã*
          - *Deſcribuntur generationes* *Iſaac &* *Iſmael.*
          - *&*
          - *Vendit Eſau primogenita.*

ABRAHAM QVOMODO PATER MVLTARVM *dicatur eſſe gentium, ex Auguſtino.*

BEATVS Abraham, pater multarum gentium à Domino dictus eſt. Omnes enim gentes, quæ in Chriſtum credunt & crediture ſunt, filij ſunt Abrahæ, imitando fidem, non naſcendo per carnem. Nam ſicut Iudæi per infidelitatem degeneres, facti ex filijs Abrahæ filij diaboli, & progenies viperarum ſunt in Euangelio appellati: ità è contrario omnes gentes, quæ Chriſtum fideliter credunt, Abrahæ filij effici meruerunt. Auguſtinus ſermone 54. de Tempore.

DE MVTATIONE NOMINIS ABRAE. ex Ambroſio.

MVTAT Deus Abræ nomē litera addita, vt de Abram vocaretur Abraham, hoc eſt, de patre vano, ſicut habet Latina interpretatio, vocaretur pater ſublimis, pater electus: vel de patre, fieret & pater filij. Vanus erat, cùm Deum neſciret: electus factus eſt, poſtquàm cognouit Deum. pater erat, cùm de ancilla prolem haberet: Sed pater filij non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo ſuſceptus coniugio. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 4.

QVA RATIONE CHRISTIANI EX SEMINE dicantur Abrahæ.

HIC ſecūdùm meritū filius eſt Abrahæ, qui fidem ſequitur, per quā Deo dignus extitit Abraham. Facti ſumus enim filij Abrahæ, imitando fidem, D. ait Auguſtinus, non naſcendo per carnem. Sicut Iudæi degenerando exhæredes, ſic nos imitando adoptati. Auguſtinus ſuper Ioannem tractatu 49. Fides ergò Abrahæ, ſemen eſt Abrahæ: proindè qui pertinent ad credulitatis ſimilitudinem, ipſi pertinent ad hæredum promiſſionem. Auguſtinus de vera innocentia, cap. 233.

VT IMITANDVS SIT ABRAHAM.

SI QVAE es anima mea, quæ cupis ſequi veſtigia fidei Abrahæ, exi de terra & de cognatione tua: relinque populum tuum & domum patris tui, id eſt, fideliter renuncia diabolo, pompis & angelis eius: & ſequere viam rectam, quæ te perducat in terram, in qua diteſcas & emineas, & efficiaris ſocius Abrahæ. Sed cùm iſta omnia feceris, ſi virtus charitatis (quę omnia credit) eſt in te, adhuc Deus tentabit te, & tentatum, coronabit te. Expetit à te ſacrificium dilecti tui: quid à te expetit? quod Abrahæ illi dictum eſt, Da mihi vnicum filium tuum. Tibi dicit ſapientia: Fili, da mihi cor tuum. Ipſe eſt dilectus vnicus. Quid metuis offerre cor tuum? offer ſacrificium contritionem cordis Domino Deo tuo: & dic ei cum propheta, Holocauſtis nō delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernis: nihil metuas tali ſacrificio oblato:
Pſalm. 50. & Deo acceptum erit, & quod obtuleris, integrum permanebit.

DE PAR-

DE PARTE GENESIS QVARTA.

TABVLA 24.

PROpoñitur de Patriarcha Iſaac Quatuor:

- 1. MATRIMONIVM *cum Rebecca, cui licèt ſterili Dominus ad deprecationem Iſaac prædicis, ex vtero eius duos populos egreſſuros: Quorum*
  - *Vnus alterum ſuperaret,*
  - *&*
  - *Maior ſeruiret minori.*
- 2. GENEALOGIA: *nam Rebecca duos peperit ei gemellos. Quorum*
  - QVI *primus egreſſus eſt Eſau, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpid*⁹,
  - ALTER *egrediẽs, plantam fratris tenebat manu, & idcircò appellatus eſt Iacob.*
  - *Quibus adultis, fact*⁹ *eſt*
    - *Eſau vir gnarus venandi & homo agricola.*
    - *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis, cui Eſau vendidit primogenita ſua.*
    - *Quẽ amabat*
      - *Iſaac,*
      - *Rebecca.*

cap. 25. verſ. Hæ quoquè. vſq; in fin.

- 3. PROBATIO *fidei, in*
  - ADVERSIS: *Nam orta in terra fame, in Aegyptum regionem frugibus tam abundantem, cedere ſtatuerat: verùm quandò id Deum nolle intelligeret, in terra potiùs peregrinatus eſt intermedia, quantumuis ſterili, in terra ſcilicet Geraris, id eſt, aduenæ appropinquãtis, à principio cap. 26. vſque ad verſ. Seminauit autem Iſaac.*
  - PROSPERIS, *quibus vſqueadeò non eſt abuſus, vt in loco acceptæ benedictionis ædificaret altare, inuocaretque nomẽ Domini. à d. verſ. Seminauit autem. vſque in fin. cap. 26.*
- 4. CVRA *poſteritatis, & ſtudium conferendi benedictionem filio Eſau. Circa quam contigerunt tria:*
  - 1. IACOB *matris conſilio benedictionem præripit fratri Eſau.*
  - 2. INDIGNABVNDVS *Eſau, de interficiendo fratre conſultat.*
  - 3. MATER *id reſciſcens, à ſe amandat filium Iacob.*

  cap. 27.

ISAAC VNDE SIC DICTVS FVERIT.

Isaac filius Abraham Patriarchæ, qui natus eſt ei in ſenectute, cùm eſſet ſterilis mater eius. Atque hinc Iſaac interpretatur riſus. Riſerat enim & pater, quandò ei promiſſus eſt, admirans in gaudio. Riſerat & mater, quod poſteà negauit angelo. Sed poſt partum ait, Riſum mihi fecit Deus. Auguſtinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 31.

DE NOMINIS EIVS INTERPRETATIONE Myſtica. ex Ambroſio.

Itaque ipſo nomine figuram & gratiam ſignificat: Iſaac etenim riſus Latinè ſignificatur. Riſus autem, inſigne lætitiæ eſt. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 1. in principio.

DE DVOBVS FILIIS ABRAHAE. ex eod.

Abraham duos habuit filios: vnum de ancilla Iſmael, & vnum de libera Iſaac. Sed quidem qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt, quia iuxta conſuetudinẽ natus eſt. Iſaac verò non ſecundùm conſuetudinem, ſed ſecundùm prouidẽtiam Dei virtute natus eſt, qppe cùm Sara & anus eſſet, & ſterilis. In typũ enim Chriſti natus eſt Iſaac. Ideò hæc per allegoriam aſſerit dicta, vt aliud ex alio ſignificent perſonæ Iſmael & Iſaac. Iſmael enim Iudæorũ ſignificat natiuitatem, vel eorum qui ſerui ſunt peccati: Iſaac verò Chriſtianorum, quia in libertatem naſcuntur. Liber enim fit, qui accipit remiſſionem peccatorum. Hæc enim ſunt duo teſtamenta.

ET NON MVLTO POST.

Sed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillam & filium eius. Non enim hęres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Hæc verba Saræ ſunt, quæ typum habet Hieruſalem cæleſtis, de promiſſione generans Iſaac: vt eiecto filio ancillæ, id eſt, Iudæo populo incredulitatis cauſa abiecto, (ſerui enim peccati ſunt, quibus data remiſſio peccatorum non eſt) hæres ſit filius liberæ illius Hieruſalem ſupernæ, qui eſt populus nouus regni cælorum. Itaque non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. qua libertate nos Chriſtus liberauit. Fuimus igitur ancillæ filij, dum peccatis eramus obnoxij: ſed accepta remiſſa peccatorum à Chriſto, liberati ſumus. Ambroſ. in epiſtolam ad Galat. cap. 4.

QVIS NOBIS POPVLVS PER NATIVItatem ſignificetur Iſaac.

Rectè ſignificat Iſaac, per repromiſſionem natus filios gratiæ, ciues ciuitatis liberæ, ſocios pacis æternæ. Vbi ſit non amor propriæ ac priuatæ quodammodò voluntatis, ſed communi eodemque incommutabili bono gaudens, atque ex multis vnum cor faciens, id eſt, perfectè facta concors obedientia charitatis. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 15. cap. 3. Reliqua hiſtoriæ huius myſteria videnda ſunt in lib. D. Ambroſij de ipſo Iſaac & anima.

DE QVIN-

DE QVINTA PARTE GENESIS.

TABVLA 25.

- **DESCRI** *bitur ſtatus Iacob*
  - INCI *pientis, in*
    - PATRIS *obedientia, cap. 28. vbi narrantur tria:*
      - 1. *Quomodò Patris iuſſu profectus ſit in Meſopotamiam ad Laban pro vxore. in principio.*
      - 2. *Vt receperit oraculum diuinũ, dum ſcalam vidit inſomnis, de venturo Chriſto. verſ. Igitur egreſſus Iacob.*
      - 3. *Qualiter vouerit Iacob Domino ſe lapidem, quem erexerat in titulum, vocaturum domum Dei. verſ. Surgens ergò.*
    - PROLIS *multiplicatione, ca. 29. cuius occaſione ſcriptura recitat*
      - *Aduentum Iacob in domum Laban, in principio.*
      - *Pactum eiuſdem cum Laban, quo ſe obſtringit ei ſeruiturum 7. annos pro filia Rachel. ver. Et poſtquàm impleti ſunt dies. eod.*
      - *Laboris præmium, promiſſum ſcilicet coniugium. verſ. Dixitque ad Laban. eod.*
      - *Coniugij fructus*
        - *Liæ. verſ. Videns autem Dominus. eod.*
        - *Rachèlis, cap. 30.*
    - ADQVISITIONE *bonorum temporalium. Nam inito cum Laban pro paſtione ouiũ pacto, ditatus eſt Iacob vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos. verſ. Nato autem Ioſeph. vſque in fin. d. cap. 30.*
  - PROFI *ciẽtis, in perferẽdis malis ſibi illatis à*
    - LABAN, *qui eum Dei iuſſu in patriam fugientẽ cum vxoribus & rebus ſuis, inſecutus eſt, atq; de ablatis clàm per cõiugem ſuam Rachel idolis, cum eo expoſtulat. toto ca. 31.*
    - ESAV, *quem timuit ex*
      - *Auditu: cùm enim intelligeret Iacob, in occurſũ ſibi venire fratrem Eſau cum quadringentis viris, tunc*
        - *Præmiſit primùm ante ſe legatos, qui eum muneribus placarent, cap. 32. à princip. vſque ad ver. Dixitq; Iacob. Poſteà oratione ad Deum facta, luctatus eſt cum angelo, ſuperiorque euaſit, & pro Iacob dictus eſt Iſrael. à d. verſ. vſque in fin.*
      - *Aduentu, ex quo ità perculſus eſt, vt pronus in terram cadens, ſeptiès oraret, donec appropinquaret frater. Sed ab eo tam fraternè eſt exceptus, vt inita inter eos gratia, vnuſquiſq; magna cum tranquillitate tum lætitia, rediret ad ſua. tot. cap. 33.*
    - SICHEM *filio Hemor, per raptum filiæ ſuæ Dinæ, quæ à dicto Sichem fuerat oppreſſa: ex qua re grauiſſima deindè ſecuta eſt cædes Sichimitarum cap. 34. per tot.*
  - PER *fecti. nam*
    - COM *mẽdatur à*
      - *Pietate, quà abiecit & infodit idola. ca. 35. in princip. meruitq;*
        - *Confirmationem mutati nominis Iacob in Iſrael. ver. Apparuit autem iterum. eod.*
        - *Promiſſionem terræ Canaan. ver. Ego Deus. eodem.*
      - *Patientia in ferenda*
        - *Morte*
          - *Deboræ nutricis Rachelis. verſ. Eodem tempore. eod.*
          - *Coniugis Rachel. verſ. Mortua eſt ergò. eodem.*
        - *Iniuria Ruben, qui dormiuit cum Bala concubina patris ſui. verſ. Cumque habitaret. eodem.*
    - *Veneratione Patris Iſaac, quem ante obitum in ciuitate Mambre viſitauit, & mortuum ſepeliuit. verſ. Venit etiam. vſque in fin. d. cap. 35.*
  - SECERNITVR *ab Eſau. Cuius genealogiam deſcribitur cap. 36. tum*
    - *Filiorum, in principio.*
    - *Nepotum. verſ. Hæ ſunt autem generationes &c.*

IACOB QVIS FVERIT, ET VNDE SIC DICTVS.

ISAAC duos habuit filios, Iacob & Eſau, quorum primus ab vtero maledictus, ſcilicet Eſau, Iacob autem electus: ideò ſic dictus, quia cùm frater eius Eſau prior egrederetur, plantam fratris ſui tenebat manu, Geneſ. 25. Vir fuit ſimplex, habitans in tabernaculis: ſed cùm haberet ſpiritum Dei, emit primogenita fratris ſui edulio lentis, & præripuit benedictionem fratri ſuo, vndè rectè dictus eſt ſupplantator. Geneſ. 25. & 27.

DE EIVSDEM IACOB NOMINIS MVTAtione, ex Auguſtino.

QVID ſibi vult, quòd cùm Abrahã priùs vocaretur Abram, Deus illi mutauit nomen, & dixit: Non vocaberis Abram, ſed Abrahã? & ex illo non eſt vocatus Abrã, ſed ſolummodò Abraham. Iacob autẽ quandò accepit aliud nomen, eadem verba audiuit: Non vocaberis Iacob, ſed Iſrael: & tamen poſteà ſemper & Iacob vocatus eſt, & Iſrael. Hoc ideò, quia nomen Abrahę, in hoc ſeculo explicãdum fuit. Hic eſt enim factus Pater multarum gentium, vndè nomen accepit. Nomen autem Iſrael, ad alterum ſeculũ pertinet, vbi videbimus Deum. Populus ergò Dei, populus Chriſtianus, in hoc tempore & Iacob eſt, & Iſrael: Iacob in re, Iſrael in ſpe. Auguſt. Sermone 40. De verbis Domini.

Gen. 17.

Gen. 32.

HVNC PATRIARCHAM QVATVOR HABVISSE VIRtutes cardinales, probat Ambroſius his verbis:

QVID ſapientius ſancto Iacob, qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid iuſtius, q̃ ea quæ acquiſîerat, oblatis muneribus, cum fratre diuiſit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus eſt? Quid modeſtius, qui modeſtiam ità & locis & temporibus deferebat, vt filię iniuriam mâllet prętexere coniugio, quàm vindicare, eó quòd inter alienos poſitus, amori potiùs conſulendum, quàm odia colligenda cenſebat? Ambroſius lib. 1. De officijs, cap. 25.

DE SOMNII, QVOD HABVIT, INTERpretatione, ex eodem.

ET profectus eſt Iacob, & dormiuit: quod eſt quieti animi indicium: Et vidit angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, hoc eſt, Chriſtum prętuidit in terris, ad quem angelorum caterua deſcendit atque aſcendit, obſequium proprio Domino pio prębitura ſeruitio. Et venit ad puteum, vt biberet de ſuis vaſis, & de puteorum ſuorum fontibus, & ſuperfluerent ei aquæ de ſuo fonte. Fons enim vitæ eſt in manibus iuſti. Ambroſius lib. 2. De ipſo Iacob & vita beata, cap. 4.

QVID CVIQVE IN VITA PATRIARCHAE HVIVS Iacob ſit imitandum, eiuſdem D. Ambroſij ſententia.

IMITEMVR ergò Patriarcham Iacob, odorem eius, virtutem eius, laborem eius. Sicut enim Abrahæ opera facere debemus, vt filij eius appellari iure mereamur: ità etiam exercitia atque certamina ſancti Iacob ſubire debemus, vt Deus Iacob, Deus noſter eſſe credatur. Nam ſi opera Iacob, vel (quia illum ęquare non poſſumus) ſtudia operis eius ac fidei non agnoſcat in nobis, quomodò quaſi Deus Iacob nos iuuare dignabitur? Ambroſius ſuper Pſal. 45. Apud quem plura de tota Patriarchę iſtius hiſtoria vide in lib. De ipſo Iacob & vita beata.

DE SEXTA

DE SEXTA GENESIS PARTE. TABVLA 26.

- **DE deſcēſu in Aegyptum**
  - **IOSEPH, Deque eius**
    - **VENditione**
      - *Principaliter De*
        - Occaſione c. 37: quæ fuit triplex:
          - Fratrum accuſatio, in principio.
          - Patris ergà ipſum Ioſeph dilectio. verſ. Iſrael aūt. eodē.
          - Futurorum præuiſio. verſ. Accidit quoquè. eodem.
        - Conditione vēditi. verſ. Cumq́ fratres. Quæ deprehenditur ex
          - Obedientia, in verbo, Præſto ſum. ibid.
          - Diligentia, in verbo, Fratres meos quæro. ibid.
        - Forma venditionis & ordine. verſ. Qui cùm vidiſſent. vſq́ in fin. c. 37.
      - *Incidenter De*
        - Nuptijs Iudæ cum filia hominis Cananei, vocabulo Sua, cuius primogenitus HER, nequam fuit in conſpectu Domini. cap. 38. à princip. vſque ad verſ. Quam cùm vidiſſet Iudas.
        - Inceſtu Iudæ cum nuru ſuà Thamar, ex qua duo progeniti ſunt filij,
          - Phares, &
          - Zara. à d. ver. Quam cùm &c. vſque in fin. cap. 38.
    - **EXALtatione per**
      - *Phutipharem, ibiq́ De*
        - Incarceratione eius iniuſta, quam propter continentiam ſuam, & negatum heræ ſuæ ſtuprum fuit perpeſſus. toto cap. 39.
        - Adquiſita ibi mentis illuſtratione & cognitione occultorum, cuius beneficio paulopòſt liberatus eſt à periculo vitæ. cap. 40.
      - *Regem Pharaonē. cap. 41. vbi Ioſeph*
        - Interpretatur Pharaoni inſomnia De
          - Septem bobus
            - Craſsis,
            - Macilentis.
          - Et totidem ſpicis
            - Plenis,
            - Tenuibus.
        - Et regis iuſſu, qui mutato nomine vocauit eum Saluatorem mundi, dominus fit totius Aegypti.
  - **FRAtrum Ioſeph, Qui fuit duplex**
    - **PRImus deſcēſus fratrum, Qui**
      - Deſcendunt in Aegyptum pro emendis alimentis, relicto domi apud Patrem fratre minore. cap. 42. à princip. vſque ad verſ. Cumque adoràſſent.
      - Agnoſcuntur à fratre Ioſeph, qui tum princeps erat terræ Aegypti, ab eoq́ tentantur aliquouſq́, & in carcerē conijcitur Simeon, facta comminatione, eum anteà non egreſſurum, q̈ minimum ei adducant fratrem Beniamin. d. verſ. Cumq́ adoràſſent.
      - Redeunt ad patrem, petentes Beniamin. verſ. At illi portantes. Et hæc eſt Cataſtrophe ſomnij, quod ſe Ioſeph vidiſſe narrauit fratribus ſuis, ſuprà cap. 37.
    - **SECVNDVS Beniamin cū fratribus. Vbi deſcribitur ſecundæ huius profectionis**
      - *Proſperitas, dum*
        - Redeunt cum fratre Beniamin ad Ioſeph cum muneribus incolumes. cap. 43. à princip. vſque ad verſ. Eduxitque ad.
        - Educitur è carcere Simeon. d. verſ. Eduxitque ad eos.
        - Epulantur cum Ioſeph verſ. Rurſumq́ lota facie. vſq́ ad fi. d. c. 43.
      - Concomitās aduerſitas. Rurſus enim tentantur fratres Ioſeph, & clàm intruſo minimo fratri cyatho, accuſantur furti. Ex qua re in grauiſsima cōijciuntur pericula, vt ſic eliceretur amor eorum in patrem & Beniamin. toto cap. 44.
      - Manifeſtatio fraternitatis. Nam poſtquàm ſatis tentati erant, Ioſeph ſe cognoſcendum præbet fratribus ſuis, mittitque pro patre. cap. 45. per tot.
  - **PATRIS Ioſeph, ipſius ſcilicet Iacob, cum omnibus q̄ habuit. Vbi agitur De**
    - NVMERO deſcendentium, & occurſu Ioſeph in aduentum patris. cap. 46.
    - RECEPTIONE eorundem & inhabitatione terræ Geſſen. Vbi cùm Iacob annum attigiſſet 147. & nunc ſibi mortem imminere videret, iuramento adigit filium Ioſeph, vt funus ſuū ſepeliat in terra Canaan. cap. 47.
    - BENEDICTIONE Iacob, qua fauſta interprecatur
      - Nepotibus ex Ioſeph, adoptans ſibi
        - Effraim &
        - Manaſſen
        - cap. 48.
      - &
      - Filijs: Quibus &
        - Prædicit futura, deq́ altiſsimis myſterijs vaticinatur à princ. c. 49. vſque ad ver. Et bened. eis. Et eos in ſpem erigit vitæ immortalis. à d. ver. vſque in fin. cap. 49.
    - SEPVLTVRA & exequijs Iacob. cap. 50. Vbi etiā Ioſeph
      - Remittit fratribus deprecantibus iniuriam ſibi illatam.
      - Moritur, expletis 110. vitæ ſuæ annis: & conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Aegypto. in fin. cap. 50.

SVMMA

SVMMA HISTORIAE IOSEPH.

IOSEPH filius Iacob ferè iunior, filius ſenectutis, & dilectiſſimus inter omnes fratres ſuos. Qui cùm fratres ſuos de peſſimo accuſaſſet crimine, conati ſunt cum interficere, & vendiderunt eum Iſmaelitis, à quibus rursùs venditus eſt in Aegypto. Geneſ. 37. Emit eum Phutiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitûs. Geneſ. 39. fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens, habens gratiam apud dominum ſuum, pulchra facie & decoro adſpectu. Tentus eſt porrò in carceribus duobus annis, atq; è carcere ſublatus, aperuit Pharaoni ſomniū, & promotus ab eo eſt in Principem Aegypti. Erat autem triginta annorū, quandò ſtetit in conſpectu Pharaonis, & Princeps effectus eſt. Geneſis 41.

DE DIVINIS IPSIVS IOSEPH ET CORPORIS & animi dotibus. ex Auguſtino.

ERAT Ioſeph corpore caſtus, & mente pudicus. Fulgebat in eo ſpecies corporis, ſed plùs fulgebat animi pulchritudo. Et cùm multis ſpecies corporis obeſſe ſoleat ad ſalutem, ſancto viro nocere nō potuit, quia eam animi pulchritudo gubernauit. Caro enim eius, ancilla animæ fuit, & anima dominiū ſuū fideliter tenuit, cui in nullo eato dominari potuerit. Rogatur quidem à domina ſua & muliere impudica, vt cum ea concumberet, qui acquieſcere noluit, quia dominiū animæ non amiſerat nec in conditione ſeruili. Vndè calumnia appetitus, in carcerē miſſus eſt: ſed vir ſanctus carcerem illum, palatium deputauit: immò ipſe in carcere, etiam in palatio erat: quia vbì fides, caſtitas & pudicitia, illic palatium Chriſti eſt, illic templum Dei, illic habitaculum Spiritusſancti. Si quis ergò vir de ſpecie corporis ſibi blāditur, vel ſi qua mulier de carnis ſuæ pulchritudine gloriatur, ſequātur exemplum Ioſeph, ſequantur exemplū Suſannæ: Sint corpore caſti, ſint mente pudici: & tales non ſolùm hominibus, ſed etiam Deo erūt ſpecioſi. Tria enim ſunt in Eccleſia exempla caſtitatis, quę imitari ſinguli debent, Ioſeph, Suſanna & Maria. Viri Ioſeph imitentur, mulieres Suſannam, virgines Mariam. Auguſtinus in ſermone quodam.

DE EISDEM, EX AMBROSIO.

QVID de Ioſeph loquar, q vtiquè habebat cupiditatē libertatis, & ſuſcepit ſeruitij neceſſitatem? Quàm ſubditus in ſeruitute, q̄ in virtute conſtās, q̄ benignus in carcere, ſapiēs in interpretatione, in poteſtate moderatus, in vbertate prouidus, in fame iuſtus, ordinem laudis rebus adiungēs, & opportunitatē temporibus, ęquitatem populis officij ſui moderatione diſpēſans? Ambroſ. lib. 1. officiorū, ca. 24.

DE SENSV HISTORIAE HVIVS SPIRITVALI, ex eodem Auguſtino.

QVOTIES lectiones vobis, fratres chariſſimi, de teſtamento veteri recitātur, non hoc ſolùm debetis attēdere quod ſonat in verbo, ſed quod intelligitur & ſapit in ſpiritu. Ecce audiuimus ꝙ B. Iacob genuerit filiū, & vocauerit nomē eius Ioſeph, & eum plùs q̄ reliquos filios ſuos dilexerit. Hoc loco B. Iacob figurā habuit Dei Patris, ſanctus quoq; Iòſeph typum geſſit Domini Saluatoris. Diligebat ergò Iacob filium ſuum, quia Deus Pater dilexit vnicū ſuum, ſicut ipſe dixit: Hic eſt filius meus dilectus. Miſit Iacob filium ſuū, vt de fratribus ſuis ſolicitudinē gereret: & Deus Pater miſit vnigenitū ſuum, vt genus humanū peccatis languidū, viſitaret. Ioſeph, dum fratres ſuos quęreret, errabat in eremo: & Chriſtus genus humanū requirebat, quod errabat in mūdo. Ioſeph fratres ſuos quęrebat in Sichimis: Sichima interpretatur humerus. Semper enim peccatores dorſum magis, q̄ faciē, ponunt in faciem iuſti. Humeri enim retrò ſunt. Sicut enim fratres Ioſeph inuidia percuſſi, fraternę dilectioni dorſum magis q̄ facies offerebant: ità infelices Iudęi, venientc ad eos ſalutis authore, inuidere potiùs quàm diligere maluerunt.

INVENIT aūt Ioſeph fratres ſuos ī Dothaim. Dothaim, interpretatū defectio. Verè ī grādi defectiōe erāt, q de parricidio cogitabāt. Vidētes ergò Ioſeph fratres ſui, de morte illius tractauerūt: Sicut vidētes Iudęi verum Ioſeph Dn̄m Chriſtū, vt cum crucifige-

crucifigerent,vno omnes cõſilio ſtatuerunt. Ioſeph expoliauerũt fratres ſui tunica polymita & talari,& Iudæi Chriſtum per mortem crucis, expoliauerunt tunica corporali. Ioſeph exutus tunica,mittitur in ciſternam,id eſt,in lacũ:& Chriſtus expoliatus carne humana,deſcendit in infernum. Ioſeph poſteaquàm de ciſterna leuatur,Iſmaelitis,id eſt,gentibus venditur:& Chriſtus poſteaquàm de inferno regreditur,ab omnibus gẽtibus fidei commercio comparatur. Ioſeph per conſilium Iudæ triginta argenteis diſtrahitur,& Chriſtus per conſiliũ Iudę Iſcariotis eodem numero venundatur. Ioſeph deſcendit in Aegyptum,& Chriſtus in mundum. Ioſeph à penuria frumenti ſaluat Aegyptum, & Chriſtus à fame verbi Dei liberat mundum.

NISI Ioſeph fratres ſui vendidiſſent,defecerat Aegyptus: niſi Iudæi Chriſtum crucifixiſſent,perierat mundus. Interpretatur Ioſeph augmentatio ſiue ampliatio. Sed in illo Ioſeph ampliationem non habuit,niſi ſola Aegyptus;in noſtro verò Ioſeph augmentum habere meruit vniuerſus mũdus. Ille Ioſeph erogauit triticum,noſter erogare dignatus eſt verbum. Nos ergò qui nullis pręcedentibus meritis tanta bona per miſericordiam veri Ioſeph Domini noſtri Ieſu Chriſti cõſecuti ſumus,ad quos non vmbra veteris Teſtamenti,ſed ipſa veritas venit,quantũ poſſumus,cum Dei gratia laboremus,vt quod nobis cõtulit iudicatus,integrum inueniat iudicaturus. Auguſtinus ſermone 81. de Tempore.

Ioſeph interpretatur augmentatio.

DE SENSV EIVSDEM HISTORIAE ALLEgorico, verba pręfati Auguſtini.

SECVNDVM verò allegoricam rationem,Ioſeph in ſe typum Domini geſſit,quod priùs cognoſcimus in eo, quòd tunicam multicolorem habuit: & Dominus ac Saluator noſter Eccleſiam ex varijs gentibus congregatam, velut indumentum veſtis accepit. Eſt & alia varietas tunicę huius: habet enim Eccleſia diuerſas & varias gratias,habet martyres,habet cõfeſſores,habet ſacerdotes, habet miniſtros, habet virgines,vel viduas,habet operarios iuſtitiæ. Sed varietas iſta non eſt colorum,ſed gratiarum. Ioſeph diſtractus à fratribus,ab Iſmaelitis comparatus eſt: & Saluator noſter diſtractus à Iudæis,à gentibus comparatus eſt. Denique Iſmaelitę,qui Ioſeph comparauerunt,diuerſa ſecum odoramenta portabant,vt exindè oſtenderetur,quòd venientes Gentes ad fidem Chriſti, diuerſis odoribus iuſtificentur,toti mundo fragrantes. Auguſtinus in Sermone quodam.

ET LIBRO XII. CAP. XXVIII. CONTRA FAVSTVM.

CHRISTVS, inquit,in Ioſeph innuitur, qui perſequentibus & vendentibus fratribus,in Aegypto poſt labores honoratur. Didicimus enim labores Chriſti in orbe gentium,quem ſignificabat Aegyptus, per varias paſſiones martyrum: & nũc videmus honorem Chriſti in eodem orbe terrarum, erogatione frumenti ſui ſibi omnia ſubiugantis. Plura de hiſtorię huius fructibus vide apud Ambroſium in libro de ipſo Ioſeph.

EPILOGVS GENESIS.

EX PRAEFATIONIBVS ANTE CAIETANVM.

COMPLECTITVR Geneſis hiſtoriam bis mille trecentorum & nouem annorum: nempe ab exordio mundi vſque ad mortem Ioſeph. Tantaque eſt huius libri dignitas,vt ex illo cùm Apoſtoli,tum Chriſtus ipſe,in nouo teſtamento vigintiſeptem teſtimonia apertè & ad verbum citauerint: eiuſdem verò ſententiæ extant citata teſtimonia plùs octo & triginta.

EXODVS,

LIBER PENTATEVCHI SECVNDVS.

De exitu filiorum Iſrael ex Aegypto.

CONTINVATIO.

QVEM in modum Eccleſia Dei Patriarcharũ miniſterio primùm collecta fuerit, diligenter hucuſquè oſtẽſum eſt. Nunc quomodò Ducũ, Moiſis videlicet, eiusq́; ſucceſſoris Ioſuę, opera dehinc & aucta, & à periculis grauiſſimis liberata ſit, eadẽ pertractabitur fide atq; diligentia. Ex pfationibus ante Caietanũ in Pentateuch.

VEL

POST oſtenſam legiſlatoris dignitatem, rectè hîc ſequitur tractatio de cõditione miniſtri, per quem Deus Opt. Max. legem ſuã humano generi proponere voluit.

VNDE SIC DICTVS SIT HIC LIBER.

SECVNDVS liber Moiſis, ideò dictus eſt Exodus, quòd earum pręcipuè rerũ contineat hiſtoriã, quæ filijs Iſrael in exitu de Aegypto memoria contigerunt dignę: eſtq́; inter reliquos Pentateuchi libros ferè pcipuus, cùm propter inſignia quæ hîc deſcribuntur facta, tum quia ſub figura rerum præteritarum futurum exprimit Eccleſię ſtatum. Vide Rabanum in pręfat. in Exod.

ARGVMENTVM EX PRAEFATIONIBVS ante Caietanum.

IN EO tractat Moiſes de Inſtitutione Reip. Iſraëlis. Nam cùm Abrahamo alijsq́ue Patriarchis promiſiſſet Dominus, ſe multiplicaturum ſemen ipſorum, vt fieret gens maxima populusq́; celeberrimus: cumq́; populus conſiſtere non poſſit, niſi certis legibus & magiſtratibus, certaq́; religione fuerit conſtitutus & ordinatus, ideò in hoc libro Moiſes legum publicarum, magiſtratuum, & religionis inſtitutionem tradit: & quo pacto ex multis virorum millibus, Iudæorũ gens in vnum legitimum corpus à Deo conſtituta ſit, nimirùm eam ob cauſam, vt certus eſſet populus, in quo promiſſiones de Chriſto, vſque ad eius aduẽtum, cõſeruarentur.

ET LICET huius libri hiſtoria multa complectatur, ingreſſum ſcilicet populi Iſrael in Aegyptum cum ſeptuaginta Iudęis, eiusq́; egreſſum cum ſexcentis millibus: vt oſtenderet re ipſa comprobari, iam inceptas Dei promiſſiones de multiplicando ſemine Abrahæ: Item quomodò cõtra Amalechitas pugnârint, cęlitùs depluto pane paſti ſint, referatq́ue duodecim primas populi manſiones, vſque ad deſertum Sinai: Illud tamen commemoratur præcipuè, admirabilis illa & omnibus ſeculis decantata liberatio Iſraëlitarum ex Aegypto, per quam mundo ferè vniuerſo gloria Dei noſtri cognita fuit: quam & ipſe Deus effecit, vt ſuam orbi oſtenderet fortitudinem.

TRADIT & magnam illam ac glorioſam promulgationem Decalogi, quæ, excepto euãgelio, maxima & clariſſima inter omnes res diuinas in terra fuit: in qua aperta eſt Dei noſtri voluntas, & quid ipſe à nobis requirat, qui ſalutem noſtram meditabatur. Et certè ſi ſua rebus vocabula dare voluëris, hunc librum Catechiſmum Chriſtianiſmi potiùs, quàm Exodũ, diceres, cùm nihil aliud doceat, quàm Dei legis veram religionem, mores ſanctos, cęremonias & ritus.

QVAE LIBRI HVIVS SIT VTILITAS.

EXODI hiſtoria, futurę Chriſtianę plebis allegoria fuit. Auguſt. ad Honoratum de vtilitat. credendi. cap. 3. Et ſi diligenter ſtationes eas manſionesq́; caſtrorum, & conditiones locorum, quæ Exodo continentur, retractemus, magna in ipſis cæleſtis itineris mirabilia cernemus.

DE PAR-

DE PARTIBVS EXODI IN GENERE.

TABVLA 27.

DVO SVNT, DE QVIBVS IN *hoc libro ſcriptura promiſcuè tractare videtur, De*
- VOCATIONE *Moiſis, à 3. capitis princip. vſque ad cap. 19.*
- SECVNDA, *hoc eſt, ſpirituali, hominis creatione, à 19. cap. vſque in fin.*

DE VOCATIONE MOISIS, PRIMA Exodi parte.

TABVLA 28.

AD MOISIS *vocationem ſpectant, quæ in hoc libro tractantur De*
- MIRACVLOSA *præſeruatione in ſcripto, cap. 2.*
- PERSECVTIONIBVS *& profligatione ex Aegypto, circa finem cap. 2.*
- MANDATO *diuinitùs accepto, 3 & 4. cap.*
- PRODIGIIS *& miraculis, quibus decem plagæ illatæ ſunt Aegypto, itemq́ mitigatæ. à cap. 5. vſque ad cap. 14.*
- MAGNIFICENTIA, *qua is idem coram populo fuit glorificatus. à cap. 14. vſque ad cap. 19.*

DE SECVNDA SIVE SPIRITVALI HOMInis creatione.

TABVLA 29.

QVAE HIC *de exitu ſcribuntur filiorum Iſrael, ea (vt in fine Exodi rectè monet gloſſa) duplici intelligi poſſunt ratione.*
- PRIMÒ *ſecundùm hiſtoriam De*
  - CORPORALI *exitu filiorum Iſrael ex terra Aegypti.*
  - LIBERATIONE *populi Dei per*
    - *Tranſitum maris rubri.*
    - *Submerſionē Pharaonis cū omni ſuo exercitu.*
  - PVGNA *Iſraelitarum cum Amalech.*
  - LEGE *data in monte Sina.*
  - CONSTRVCTIONE *tabernaculi & vaſorum eius, deq́ue Sacerdotum*
    - *Veſtibus*
    - *&*
    - *Vnctione.*
- SECVNDÒ *myſticè: Per illa enim ſpiritualiter intelliguntur*
  - SPIRITVALIS *ſanctorum hominum ex vera Aegypto, id eſt, hoc mundo & vitiorum tenebris exitus.*
  - BAPTISMVS *ſanguine Chriſti conſecratus, in quo diaboli vitia ſubmerguntur, & animæ fidelium liberantur, nempe à poteſtate ſatanæ.*
  - VICTORIA *Chriſti & ſuorum, & diaboli confuſio.*
  - INFORMATIO *hominis, vt à terrenis ſubleuatus, cæleſtibus diſcat ſubijci diſciplinis.*
  - ECCLESIA *præſens & diuerſæ perſonæ fidelium diuerſis officijs deputatæ, ſicut vaſa diuerſis vſibus deputata erant, vel officijs, & ſacramentorum & orationum ſacratarum ſuauiſſima odoramenta. Gloſſa, ibidèm.*

DE SECVNDAE PARTIS EXODI SVB- diuiſione. TABVLA 30.

D. HIERON. IN EPISTOLA *ad Paulin. libri huius ſummã his pauciſſimis complexus eſt verbis: Patet, inquit, Exodus cum*

- DECEM *plagis, cap. 7. 8. 9. 10. 11. & 12.*
- DECALOGO, *cap. 20.*
- MYSTICIS *diuiniſq́; pceptis, c. 21. 22. 23. &c.*

DE DECEM PLAGIS. TABVLA 31.

INDVXIT DOminus *contra Pharaonem plagas Decem:*

- PRIMAM, *qua fluminis vndam mutauit in ſanguinem. cap. 7.*
- SECVNDAM, *qua ranas in tota Aegypto produxit. cap. 8.*
- TERTIAM, *qua cyniphes. eod.*
- QVARTAM, *qua muſcam caninam. eod.*
- QVINTAM, *qua mortem iumentorum. cap. 9.*
- SEXTAM, *qua hulcera turgentia & vrentia hominibus & iumentis immiſit. eod.*
- SEPTIMAM, *qua grandinem & ignem flammantem deiecit. eod.*
- OCTAVAM, *qua locuſtam induxit. cap. 10.*
- NONAM, *qua triduanas vniuerſe Aegypto tenebras, dempta tellure filiorum Iſrael, intulit. eod.*
- DECIMAM, *qua omnes Aegypti primogenitos, ab homine vſque ad iumenta, occidit. cap. 12.*

DE PRÆ-

DE PRAECEPTIS DIVINIS.

TABVLA 32.

TRIPLICIA *ſunt, de quibus in hoc libro agitur, p̄cepta:*
- MORALIA, *ab ipſa lege naturæ dictata.*
- IVDICIALIA, *quibus præſcribitur forma iuſtitiæ inter homines obſeruandæ.*
- CAEREMONIALIA, *quibus exprimitur ratio Deum extrinſecùs colendi.*

Cap.
- XX.
- XXI. &c.
- XXV. &c.

Interim tamen p̄cepta hæc nonnunquàm inter ſe permiſcentur hiſce capitibus &c.

DE PRAECEPTIS MORALIBVS.

TABVLA 33.

PRAECEPTA *moralia ſunt, q̄ ipſa dictat ratio: Quorum finis eſt charitas: Ipſa autem Charitas eſt tum*
- DEI, *cui debemus*
  - FIDELITATEM,
  - REVERENTIAM,
  - OBSEQVIUM *ſiue ſeruitia.*

  Quæ tria illa ſpectat primæ tabulæ p̄cepta:
  - *Non habebis deos alienos coram me.*
  - *Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanum.*
  - *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.*

  His aliq addũt quartum: Non facies tibi ſculptile, neq omnem ſimilitudinẽ: ſed hoc ſub primo continetur.
- PROXIMI, *ad quã reliqua pertinent ſecũdæ tabulæ præcepta.*
  - HONORA *Patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.*
  - NON *occides.*
  - NON *mæchaberis.*
  - NON *furtum facies.*
  - NON *loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*
  - NON *concupiſces domum proximi tui.*
  - NON *deſiderabis*
    - *Vxorem,*
    - *Seruum,*
    - *Ancillam,*
    - *Bouem,*
    - *Aſinum,*
    - *Omnia quæ illius ſunt. Exod. 20.*

    Qui Deo aſcribunt 4. præcepta, ex his duobus vnum tantùm faciunt præceptum.

DE PRAECEPTIS IVDICIALIBVS.

TABVLA 34.

PRAECEPTA IVdicialia ad retinendam in Republica hominum ſocietatem pertinẽt. Suntq́ re vera aliud ferè nihil, quàm determinationes ſecundæ Partis Decalogi, hoc eſt, eorum præceptorum, quæ ad officia pertinent erga proximum exercenda. Quibus præſcribuntur formulæ in Gloſſ. in proœm. in epiſtolam Pauli ad Hebræ. Vt ſunt in ſumma formulæ

- CONtractuũ
  - Emptionis, cuius exemplum ponitur in principio cap. 21. De
    - Seruo empto,
    - Filia in ancillam vendita.
  - DEPOSITI, cap. 22. verſ. Si quis commendauerit amico.
  - MVTVI, eod. verſ. Qui à proximo ſuo &c.
  - COMMODATI, ibidem.
  - VSVRARVM, eod. verſ. Si mutuum dederis &c.
  - PIGNORIS, eod. verſ. Si pignus à proximo.
- POENArum, quæ infligũtur hominib⁹. facinoroſis vel ꝓpter
  - Damna, in qbus ſeruatur pœna talionis, q̃ eſt reddere
    - Animam / Oculum / Dentem / Manum / Pedem / Adustionem / Vulnus / Liuorem
    - Pro
    - Anima, / Oculo, / Dente, / Manu, / Pede, / Aduſtione, / Vulnere, / Liuore.
  - DELIcta ex
    - Maleficio
      - Idololatriæ, cap. 20. verſ. Qui immolat dijs, occidetur.
      - Homicidij, cap. 21. ver. Si quis per induſtriam &c.
      - Furti, eod. verſ. Qui furatus fuerit &c. & ca. 22. in principio.
      - Stupri, cap. 22. verſ. Si ſeduxerit quis virginem.
      - Coitûs cõtra naturam, eod. ver. Qui coiërit cũ iumẽto, morte moriatur.
    - Quaſi maleficio, vt eſt pœna
      - Malè iudicantis,
      - Muneribus corrupti d. glo. ibi.
      - De quibus agitur in principio cap. 13.

DE PRAECEPTIS CAEREMONIALIBVS.

TABVLA 35.

CAEREmonialia p̄cepta, ſunt determinatiões primæ partis Decalogi, hoc eſt, eorum quæ ad ipſū Dei reſpiciunt cultum. Quorū alia pertinēt ad

- SACRAmenta, vt ſunt
  - CIRCVNCISIO *marium,*
  - VNCTIO *Regum.*
  - *De quibus agitur in*
    - *Geneſi, &*
    - *Libris Regum.*
- SACRIFIcia, *Quorum exēpla ſunt*
  - *Immolatio agni Paſchalis, cuius ritus traditur cap. huius libri 12.*
  - *Iuge ſacrificium, & ſimilia, De qbus agitur in Leuit. cap. 6. in principio.*
  - *Quæ erant figura perfecti illius ſacrificij Chriſti in cruce offerendi. gloſ. Matth. 5.*
- RITVS *varios, quorū hoc in libro aliqui tātum referūtur, qui ſpectant ad cultū Dei*
  - VERVM, *De*
    - *Primitijs offerendis, hîc Exod. cap. 25. in principio.*
    - *Confectione tabernaculi. eodem.*
    - *Situ & forma*
      - *Arcæ,*
      - *Propitiatorij,*
      - *Cherubin,*
      - *Menſæ,*
      - *Sacrorum vaſorū,*
      - *Candelabri,*
      - *Lucernarum,*
      - *Veli,*
      - *Tentoriorum,*
      - *Altaris,*
      - *Atrij,*
      - *Olei lucernarum.*
      - *Quæ omnia*
        - *Explicātur Exodi cap. 25. 26. & 27.*
        - *Repetuntur ca. 35. 36. 37. 38. 39. & 40.*
    - *Ornatu Aaronis & filiorum eius. cap. 28.*
    - *Modo conſecrandi Sacerdotes, ritu'q; pro eis offerendi. ca. 29.*
    - *Altari thymiamatis, & labio ſeu labro æneo. cap. 30.*
    - *Præcepto Sabbathi. cap. 31.*
  - FALSVM, *ob cuius deteſtationem Moiſes duas Decalogi lapideas fregit tabulas. ca. 32. Quas ei Dn̄s*
    - *Tradiderat ſcriptas digito Dei. cap. 31. in fine.*
    - *Reſtaurauit ad*
      - *Pœnitentiā populi. ca. 33*
      - *Interceſſionem Moiſis. cap. 34*

DE PRAECEPTORVM DIFFERENTIIS.

TABVLA 36.

TRIPLICIA *illa præcepta, Moralia ſcilicet, iudicialia & Cæremonialia, duobus differũt inter ſe modis:*

- PRIMO
  - MORALIA, *præſertim illa, quæ in diuino continentur decalogo, cùm nihil ſint aliud. quàm communes ſententiæ, ex naturalibus dictæ rationibus, perpetua ſunt & immutabilia.*
  - IVDICIALIA *verò & cæremonialia, per nouam Euangelij legem, non tantùm mutata, ſed penitùs etiam ſublata, & quod amplius, obſeruatio illorum vt peſtis eſt prohibita. Vndè D. Paulus ad Gal. 5. Si circuncidamini, inquit, nihil vobis proderit Chriſtus.*
- SECVNDO
  - CAEREMONIALIA, IVDICIALIA *verò & Moralia* — *Reducitur ad*
    - *Præceptum de obſeruatione Sabbathi, de quo agitur Exodi c. 20. & 31.*
    - *Duo illa naturæ præcepta,*
      - *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & proximũ tuum ſicut teipſum. Leu. 19. Deu. 6. Matth. 22. Marc. 12.*
      - *Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, ità & vos facite illis. mat. 7.*

DE VSV PRAECEPTORVM LEGALIVM.

TABVLA 37.

EORVM *quæ ſcripturis ſunt præcepta, ſeruantur quædam*

- IN *veteri tantùm teſtamento, vt Sabbathum & oblatio hoſtiarum: quorum obſeruatio, vt dictum eſt, hodiè penitùs eſt ſublata.*
- TOTO *vitæ huius tempore, vt in futuro ſuam conſequantur mercedem. Quò illud pertinere videtur, quod Luc. 16. cap. dicitur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*
- TAM *in hac, quàm in futura vita. Vt, Non habebis deos alienos, Deut. 5. & ſimilia.*

EPILOGVS EX PRAEFATIONIBVS ante Caietanum in Pentateuchum.

COMPLECTITVR Exodus hiſtoriam 140. annotum, incipiẽs à morte Ioſeph vſq; ad diem quo Moiſes completo tabernaculo, in monte Sinai illud erexit, vnxit & conſecrauit cum omnibus vaſis ſuis: Nam à morte Ioſeph vſque ad egreſſum de Aegypto, intercesſerunt anni 140. & ab egreſſu vſque ad conſecrationem tabernaculi, interceſſit annus vnus, Exod. 12. & 40. Cæterùm ſi rectè attendas, reperies vigintiquinque teſtimonia à Chriſto & Apoſtolis ex hoc libro ad verbum deſumpta: eiuſdem verò ſententiæ, 19. duntaxàt.

LEVITI.

LEVITICVS, LIBER PENTATEVCHI TERTIVS.

CONTINVATIO.

QVAESTIONIBVS de legis cùm authore, tum miniſtro abſolutis, commodè nũc ſubijcitur ipſatum legum diuinarum tractatio. In qua ſacrificiorum ritus, & hoſtiarum diuerſitas ac ſacerdotum miniſteria deſcribuntur. Origenes Homilia 1. in Leuiticum.

NOMINIS INTERPRETATIO EX PRAEFAtionibus ante Caietanum.

HVIC (Exodo) pulchrè ſubnectitur liber tertius, qui à Leuiticis miniſterijs, quæ inſtituit, nomen obtinuit: & appellatus eſt Leuiticus. Hebræis verò dicitur Vaicra, hoc eſt, Et vocauit: quòd hactenùs à conſtitutione mundi tam magnifica & gratioſa vocatio hominibus non contigerit. Inuenitur quidem Deum vocâſſe de cælis, de nube, & de rubo ardenti: ſed hîc vocat ex domicilio, quod maieſtate ſua & gloria impleuit: & quod ſibi vnicè in terris delegerat, vt inter homines habitaret. Caietanus in Leuiticum.

QVID REI, EX ATHANASIO.

QVAE huius argumenti ſumma ſit, ex ipſa nominis patet explicatione. Continet enim hic liber, vt verbis diui vtar Athanaſij, peculiariter vniuerſam Leuitici muneris diſpoſitionem, quo ſcilicet pacto ex tribu Leui ad ſacerdotium electi ſint & vncti Aaron atque illius filij: Et quid diſcriminis ſit inter ſacrificia & oblationes, & qualis ſit vniuerſi tabernaculi cultus. Atque ſic libro iſto in ſumma De vero Dei agitur cultu. Athanaſius in Synopſi.

VERVS DEI CVLTVS IN QVIBVS CONſiſtat. TAB. 38.

VERVS *Dei cultus conſiſtit*
- PRINCIPALITER *in actu mentis interiori, ſeu (vt Auguſtinus dixit) in*
  - *Fide,*
  - *Spe,*
  - *Charitate.*
- SECVNDARIÒ *in quibuſdam actibus exterioribus, qui ſunt quaſi quædam proteſtationes cultûs interioris.*

DE PARTITIONE LEGVM, IN HOC LIBRO Propoſitarum. TAB. 39.

LEVITICVS *liber, in quo (vt Paulino D. ſcripſit Hieron.) ſingula ſacrificia, immò ſingulæ penè ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leuiticus, cæleſtia ſpirant ſacramenta, agit*
- POTISSIMUM *de cæremonijs & legibus*
  - SACRIFICII *& offerendorum, à principio Leuitici vſque ad cap. 8.*
  - SACERDOTII *& conſecrandorum, à cap. 8. vſque ad 11.*
  - EDVLII *& cibariorum, quæ animalia ſint munda, & quæ immunda. cap. 11.*
  - PVRIFICATIONIS *immundorum. à cap. 12. vſque ad c. 23.*
  - IVBILEI, *Phaſe, & ſolenniorum. à cap. 23. vſque ad cap. 27.*
  - VOTORVM *atque promiſſionum. à cap. 27. vſque in finem.*
- INCIdenter *etiã De*
  - PRAEceptis
    - *Moralibus, à cap. 19. vſque ad cap. 21.*
    - *Iudicialibus, à ca. 21. vſque ad cap. 24.*
  - OBSEQVIIS *præſtãdis, & ibi de legib⁹*
    - Tabernaculi,
    - *Vtenſilium,*
    - *Et indumentorum.*

Hæc & alia id generis plura, per ſe quiſque facilè animaduertere poterit: nos hîc ea tantùm attingere volumus, quæ ad precipuas pertinent antiquæ legis cæremonias.

DE SACRIFICIIS, ET PRIMVM CVR FVERINT inſtituta. TAB. 40.

SACRIFICIA *veteris teſtamenti fuerunt inſtituta ad*
- DOCTRINAM *Iudæorum, vt*
  - *Reuocarentur ab impia illa, ad quam proni erant, idololatria.*
  - *Exercerentur in vero Dei cultu.*
- FIGVRAM *veri nouæ legis ſacrificij, videlicet Chriſti, in ara crucis immolati. Lyra in principium Leuitici.*

IN SACRIFICIIS QVAE SINT CONSIDERANDA. TAB. 41.

CIRCA doctrinã de ſacrificijs (quæ ſunt quedã proteſtationes fidei offerẽtiũ) conſideranda ſunt quinque:

- 1. IPSA ſacrificia. Quorũ triplex erat ratio. Offerebãtur enim
  - ANIMALIA, vt armenta, pecudes, aues. ca. 1.
  - RES aridæ, vt ſimila, panis, thus, lagana, fermentũ, ſal. cap. 2.
  - LIQVIDA, vt vinum & oleum. eod.
  - Et dicebatur propriè
    - Sacrificiũ,
    - Oblatio,
    - Libatio.
  - Fiebant aũt ſacrificia vel
    - In holocauſtum, cap. 1.
    - Pacifica, quæ non erant ex auibus, cap. 3.
    - Pro peccatis cõmiſſis aut
      - per ignorantiã, cap. 4. & 5.
      - Ex propoſito, cap. 6. & 7.
- 2. PERSONAE. Alia enim offerri ſolebant pro perſonis
  - PVBLICIS, vt pro
    - Populo toto vitulus
    - Principe hircus
    - Sacerdote vitulus
    - Immaculatus, cap. 4.
  - PRIVATIS, hoc eſt, propria cuiuſque anima, pro qua immaculata offerebatur capra, aut ouis, vel duo turtures, vel duo pulli columbarum, vel certè ſimilæ pars ephi decima. cap. 4. & 5.
- 3. TEMPVS. Aliqua enim offerebantur
  - INTERPOLATE, hoc eſt, ſtatis & diuerſis temporibus. dict. cap. 1. 2. 3. 4. & 5.
  - CONTINVE, id eſt, omni die: Quale IVGE erat ſacrificium, dict. cap. 6. & Exodi 29.
- 4. LOCVS. Qui eſt aut
  - SACER, vt
    - Altare, & Oſtium tabernaculi.
  - PROPHANVS.
- 5. CAVSAE, Quarũ triplex erat differentia. Offerebãt enim quandoquè
  - NECESSARIÒ, & hoc vel ex
    - Præcepto, vt
      - Primitias
        - Frugum,
        - Vuarum,
        - Fructuum.
      - Decimas & Primogenita animalium.
    - Voto tam
      - Fructuum, quàm
      - Animalium.
  - SPONTE,
  - CASV.

ISTORVM ſacrificiorum omnium ritus atque leges, ſingulatim explicantur à principio huius libri vſque ad caput eiuſdem octauum.

DE CONSECRATIONE SACERDOTIS AARON & filiorum eius. TABVLA 42.

IN CONSEcratiõe ſacerdotum, Aaron ſcilicet & filiorum eius, obſeruanda ſunt tria:

- 1. RITVS, *quo vſus eſt Moiſes in conſecratione ſacerdotum, Qui*
  - STATIM *vt iuſſerat Dominus, obtulit Aaronem & filios eius: veſtiuitq́ eos tunicis lineis, & cinxit balteis, eiſque impoſuit mitras.*
  - POST *hæc vnxit & conſecrauit eos oleo.*
  - CONSECRATOS *deniquè, dies & noctes in templo manere, ac Domini cuſtodias obſeruare præcepit. tot. cap. 8.*
- 2. VSVS, *quo executus eſt Aaron officium ſuum, quandò*
  - PRIMVM *obtulit pro*
    - *Se, &*
    - *Populo*
    - — *Vitulũ, cuius ſanguinem obtulerũt et filij ſui.*
  - DEINDÈ *etiam populo benè precatus eſt.*
  - QVAE *tandèm omnia Domini approbauit gloria, quæ tum manifeſtò apparuit, cap. 9.*
- 3. POENA & *interitus filiorum Aaronis, malè ſacra adminiſtrantium*
  - NADAB & ABIV.
    - QVI *cùm vino paululùm obruti, minùs reuerẽter ſacra peregiſſet, igne cælitùs extincti, extraq́ caſtra filiorum Iſrael ſepulti, atq; ob id etiam ſacerdotibus ad ſacra ingredientibus & vinum & omne quod inebriare poteſt, interdictum fuit. cap. 10. per totum.*

DE LE-

DE LEGIBVS EDVLIORVM, HOC EST, DE diſcrimine ciborum, ex Synopſi D. Athanaſij. TAB. 43.

INTER *cibos mundos & immundos ità diſcernitur, quòd animalia omnia ſunt aut*

- GRADIENTIA, *vt iumenta, quorum alia*
  - VNGVLAS *habent diuiſas, & ruminatione comeſta regerunt: quæ habentur mũda, vt ſunt vitulus, ouis, capra, ceruus, caprea, bubalus, pygargus, tragelaphus, camelopardalis, & quæ alia ſunt huiuſmodi.*
  - RVMINANT *quidem, vngulam verò non diuidunt: qualia ſunt camelus, lepus, & chœrogryllus.* } *Et ſunt immunda.*
  - FINDVNT *vngulam, non autem ruminant, vt ſus.* } *Et ſunt immunda.*
- VOLATILIA, *quæ ſunt aut*
  - PROHIBITA, *vt* *Aquila, gryphes, haliæetus, vultur, miluus, coruus, paſſer, noctua, larus, accipiter, nycticorax, cataractes, ibis, porphyrion, cygnus, herodius, charadrius, veſpertilio, & quæ his ſunt conſimilia. Item volatilia repentia, quæ 4. ingrediuntur pedibus, omnia ſunt immunda.*
  - PERMISSA, *quæ crura habent pedibus ſublimora, ità vt illis de telluris ſuperficie ſaliant, qualia ſunt bruchus, attagen, locuſta, lacerta, & quæ his ſunt ſimilia.*
- AQVATICA, *& horum*
  - QVAE *pinnulas habent & ſquamas, mũda ſunt, vt trigla, ſcarus, glaucus, ceſtreus & ſimilia.*
  - QVAE *verò alterutris iſtarum carent, immũda nec edenda eſſe, ſacra dicit ſcriptura: qualis eſt ſepia, quæ pinnulas quidem habet, ſed ſquamas non habet.*
- REPENTIA, *vt* *Serpens, Muſtela, Crocodilus, & ſimilia.* } *Quæ immunda ſunt omnia.*

DE LEGIBVS PVRIFICATIONIS. TAB. 44.

NON BRVTA *tãtùm animalia redduntur, vt dictũ eſt, immunda, ſed contaminãtur ſæpè etiam*

- IPSI *homines, aut*
  - SINGVLI *& priuati, & hoc 5. modis:*
    - *Puerperio,* — *De horum qualitate & purgãdi ritu tractatur in cap.* xij.
    - *Lepra,* — *De horum qualitate & purgãdi ritu tractatur in cap.* xiij. *&* xiiij.
    - *Emanatiõe ſeminis,* — *De horum qualitate & purgãdi ritu tractatur in cap.* *A principio 15. vſq; ad ver. mulier q̃ redcũte*
    - *Fluxu ſanguinis,* — *De horum qualitate & purgãdi ritu tractatur in cap.* *A d. verſ. Mulier, vſq; in finem cap. 15.*
    - *Et maximè idololatria.*
  - TOTVM *Reip. corpus, de cuius quaſi cura ſeu reformatione agitur cap. 16. 17. & 18.*
- RES *quoquè inanimatæ, vt* *Sanctuarium, Tabernaculum, Altaria, Et vaſa templi.* } *Quæ expiantur iuxta formam præſcriptam cap. 16.*

APPENDIX.

QVAE *hìc interferuntur à cap. 17. vſque ad cap. 23. pertinent (vt dictum eſt in genere) vel ad*

- PRAECEPTA
  - MORALIA,
  - IVDICIALIA.
- OPERAS *& obſequia fidelium.*

DE LE-

DE LEGIBVS SOLENNIORVM.

TABVLA 45.

SOLENNItas veteris legis pertinebat partim ad

- **FERIAS Domini, quales ſunt**
  - SABBATHVM, *qui dies eſt ſeptimus, dictus requiei.*
  - PHASE, *id eſt, tranſitus, quæ eſt 14. menſis primi, qua immolatus eſt agnus paſchalis.*
  - AZYMORVM, *per 7. dies poſt phaſe proximos.*
  - PENTECOSTE, *dies quinquageſimus ab oblatione primitiarum.*
  - FESTVM *tubarum, quæ eſt prima dies menſis ſeptimi.*
  - FERIAE *tabernaculorum 7. diebus, à 15. menſis ſeptimi.*
  - SABBATHVM *terræ, id eſt, annus ſeptimus, dictus requietionis: Quo omnis terra iuſſa erat quieſcere.*
  - IVBILEVS, *id eſt, annus quinquageſimus.*
  - *Quarum ratio indicatur cap. 23. 24. & 25.*
- PANES *Propoſitionis, quorum ritus explicatur cap. 24. poſt principium.*
- PROMISSIONES *factas ſeruantibus mandata Dei.*
- POENAS *trangreſſoribus paratas.*
  - *Quæ numerantur in ſpecie cap. 26.*

DE LEGIBVS VOTORVM.

TAB. 46.

VOTA

- FIVNT *vel de*
  - PERSONIS
  - REBVS
    - *Offerendis.*
- REDIMVNTVR *tum*
  - VOTA
  - DECIMAE
    - *Aeſtimatione precij aut*
      - *Totius,*
      - *Partis.*

De quibus omnibus vltimo agitur huius libri capite.

EPILOGVS EX PRAEFATIONIBVS

ante Caietanum.

IN HOC libro videre licet, quàm deceat, ſanctos, doctos & integros eſſe ſacerdotes. In hoc item omnia Euangelij myſteria, licèt typis inuoluta, ipſius Chriſti ſacerdotium & ſacrificium, adeoque tota redemptio & omnes Chriſti virtutes, continentur.

Sunt qui dicant, hunc librum complecti hiſtoriam primi & ſecundi anni, dum pararetur tabernaculum: & poſtmodùm eo erecto, ſacrificia inciperent, populuſque ad iuſtas cæremonias à Domino per Moiſen edoceretur. Alij verò ſentiunt tempus vnius menſis duntaxàt continere, ab erectione tabernaculi, vſque ad diem, quo præcepit Dominus Moiſi numerare populum. Nam Calendis primi menſis anni ſecundi, erectum eſt tabernaculum, Exod. 40. Hinc Dominus vocauit Moiſen de tabernaculo teſtimonij, vt traderet illi holocauſtorum ritus, vſq; ad Calendas menſis ſecundi anno altero egreſſionis ab Aegypto: Quo tempore iuſſit Dominus Moiſi numerare ſummam filiorum Iſrael Numer. 1. Huius libri tredecim locos ad verbum, & totidem ſententias citârunt tum Euangeliſtę, tum Paulus ipſe.

NVME-

NVMERI LIBER PENTATEVCHI QVARTVS, DE *ordine filiorum Iſrael.*

CONTINVATIO.

Cvm parùm ſit, in Eccleſia leges eſſe, niſi etiam ſint, qui eas recipiant ac tueãtur: ideò Moiſes poſt expoſitum legum catalogum, populũ, cui has leges prẹſcripſe-rat, in certos diſtribuit ordines atque claſſes.

DE LIBRI HVIVS TITVLO ET INTENTIONE.

Vtrvnqve verbis breuiſſimis in ſua Synopſi indicauit Athanaſius: Numerorũ liber, inquit, vocatur proptereà, quòd in ſe totius populi numerum complecti-tur, recenſita iuſſu Domini vnaquaq; Iudæorum tribu. Et Iſidorus: Liber Nume-ri, inquit, appellatur, quia multitudinis Iſraeliticæ perfectorum virorum cõpu-tationem tenet & numerum: profectiones quoq;, manſionesq; à finibus Aegy-pti vſq; ad mortem Moiſis. Sunt autem quẹ hoc in libro continẽtur, myſticè in-telligenda ferè omnia, de conſolatione videlicet prædicationis Euangelicæ.

Moisis enim intentio in hoc opere præcipua eſt ea, nobis populi Chriſtiani de-ſcribere profectum, ſiue aſſcenſum à terra in cælum, per 12. tribus Iſrael & 42. mã-ſiones. Vt autem per tribus Iſrael populus Chriſtianus, ità per manſionum pro-greſſum, virtutum ſignatur profectus. Nec malè huc quadrat dictum Salomonis illud. quo innumeros dicit eſſe eos qui pereunt, ſaluandos verò omnes, eſſe nu-meratos, Eccle. 1. Hinc D. Hieron. ad Paulinum, libri huius attingens rationem, in hæc prorumpit verba: Numeri verò nónne totius arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & 42. per eremum manſionum myſteria continent?

ARGVMENTVM EX PRAEFATIONIBVS ANTE CAIETANVM.

Describit hic liber geſta à ſecundo anno vſq; ad mortem Moiſis, hiſtoriamq; totam à manſione in monte Horeb, vſque ad manſionem in campeſtribus Moab e regionè Hiericho. Referuntur in eo egregia variorum motuum, tumultuumq; in Repub. & populi rebellis exempla. Indicatur, quæ ſors, quis euẽtus eueniat ſe-ditioſis. Oſtenditur & mira conditio eorum, qui præſunt Reip. vtque in toleran-da & à ſuis, & ab exteris illata iniuria, omnium hominum patientiſſimus & con-ſtantiſſimus fuerit Moiſes: qui tamen & ipſe non caruit ſuis vitijs. Multa itidèm ponuntur in hoc libro, quæ ad politiam pertinent & religionem. Ad finem pro-pè deſcribuntur varia bella, & leges quædam copioſiùs explicatæ in campis Mo-abiticis. Caietanus in Leuitic.

DE PARTIBVS LIBRI NVMERORVM.

TABVLA 47.

ORDINES *ſiue Numeri, in quos popul⁹ Iſrael diſtributus fuit, ſunt octo:*

1. PVGNANTIVM *ſiue bellatorum, à princip. vſque ad cap. 7.*
2. OBLATORVM, *& quid ſinguli principes obtulerint. cap. 7.*
3. MINISTRORVM { *Leuitarũ* / *Sacerdotũ* } *Eorumq; officia, à c. 8. vſque ad c. 13.*
4. EXPLORATORVM, *à cap. 13. vſque ad cap. 16.*
5. PECCATORVM { *Chore,* / *Dathan,* / *Abiron, &* / *Scortantium cum Madianitidibus.* } *à cap. 16. vſque ad cap. 26.*
6. GENITORVM *in deſerto, à cap. 26. vſque ad cap. 33.*
7. MANSIONVM, *cap. 33.*
8. PRAESIDIORVM, *à cap. 34. vſque in finem.*

DE NV-

DE NVMERO ET ORDINE PVGNATORVM

TABVLA 48.

POSTEAQVAM populus Dei, cùm legibus, tum iudicijs & cæremonijs inſtructus, atq; nunc tandem ad terram promiſſam educendus, eoq; nomine cum barbaris gentibus, eam occupantibus, multa & grauiſſima bella forent ſuſcipiẽda, Deus opt. MAX. pericula ei in hoc itinere obuẽtura diuinitus præuidens, iuſsit ſummam vniuerſam congregationis filiorum Iſrael, per cognationes & domos ſuas & nomina ſingulorũ, quidquid ſexûs eſſet maſculini, à 20. anno & ſuprà virorum fortium ex Iſrael, numerari. Quod diligenter executum fuit per Moiſen & Aaronem. Nam

- PRIMVM cõſtituti ſunt ex tribub⁹ belli duces & principes, nẽpè de tribu
  - RVBEN, *Eliſur filius Sedìur.*
  - SIMEON, *Salamiel filius Suri Saddai.*
  - IVDA, *Nahaſon filius Aminadab.*
  - ISACHAR, *Nathanael filius Suar.*
  - ZABVLON, *Eliab filius Helon.*
  - IOSEPH *filiorum Ephraim, Eliſama filius Amiud.*
  - MANASSE, *Gamaliel filius Phadaſſur.*
  - BENIAMIN, *Abidan filius Gedeonis.*
  - DAN, *Achiezer filius Amizaddai.*
  - ASER, *Phegiel filius Ochran.*
  - GAD, *Eliaſaph filius Duel.*
  - NEPHTALI, *Abira filius Henan.*
  - *Per hos principes myſticè 12. intelliguntur Apoſtoli, & eorum ſucceſſores: ſicut per Moiſen & Aaronem rectè ipſum intelligimus* CHRISTVM.
- DEINDÈ
  - NVMErantur ex omni populo ad arma ferenda idonei
    - Turmatim,
      - Non omnes homines: nec enim numerati ſunt
        - Mulieres, Serui, Alienigenæ, propter Sexûs fragilitatem, Degenerationem, Barbariẽ.
        - Pueri, nec infra annũ 20. exiſtentes, exceptis Primogenitis, Filijs ſacerdotum aut Leuitarum.
        - Vt enim nõ omnes ad bellũ apti, ità non omnes diuinis numeris ſunt digni.
      - Sed tantùm Iſraelitæ, maſculi vltra 20. annũ agentes, & ad pugnam apti ex tribu
        - Prima 46500.
        - Secunda 59300.
        - Tertia 74600.
        - Quarta 54400.
        - Quinta 57400.
        - Sexta 40500.
        - Septima 32200.
        - Octaua 35400.
        - Nona 62700.
        - Decima 41500.
        - Vndecima 45650.
        - Duodecima 53400
        - Summa, ſexcenta tria millia quingẽti quinquaginta, per quos omnes ſignificantur credentes.
    - Seorſim, vtpotà
      - De tribu Leui Moiſes & Aaron ſecundùm vocem Domini à menſe vno & ſuprà numerârunt 22000. Primogenitos verò maſculos, in omnibus alijs tribubus ſolus numerauit Moiſes, & inuentus eſt illorum numerus 22273. Hæc omnia in 1. 2. & 3. tractantur capit.
  - DESCRIbuntur
    - Stationes ſiue claſſes
    - Et officia.
    - Per ſingulas tribus. à cap. 1. vſque ad cap. 5.
  - EIICIVNTVR ex caſtris
    - Leproſi,
    - Qui ſemine fluunt,
    - Polluti ſuper mortuo
    - cap. 5.
  - PRAESCRIbuntur
    - Leges, &
    - Modus benedicendi.

DE NV-

DE NVMERO ET ORDINE OBLATORVM.

TAB. 49.

PERFECTO iam tabernaculo, & excubijs ad eius cuſtodiã diſtributis, vt perfectio propoſita, ipſius Dei ſuſciperetur auſpicio, oblata ſunt ſacrificia pro felici ſucceſſu. Eorum autem quæ oblata fuerunt, duplex erat ordo: Nam

- IPSO die quo vnxit Moiſes tabernaculũ, xij. Principes tribuũ obtulerunt in conſpectu tabernaculi
  - SEX plauſtra tecta
  - CVM bobus xij.
    - Ità vt penderent
      - Singuli bouem,
      - Bini plauſtrum.
        - Ex his diſtributa ſunt
          - Gerſonitis plauſtra duo, & 4. boues.
          - Meraritis 4. plauſtra & 8. boues, iuxta ordinem miniſterij ſui.
- IN DEDICATIONE quoq; altaris, per dies 12. cõtinuos, ſingulis diebus ſinguli principes obtulerunt
  - ACETABVLVM argenteum pondo cẽtum triginta ſiclorum.
  - PHIALAM argenteã, habentem 70. ſiclos iuxta põdus ſanctuarij.
    - Vtrunq; plenũ ſimila cõſperſa oleo in ſacrificium.
  - MORTARIOLVM ex decem ſiclis aureis, plenum incenſo.
  - BOVEM de armẽto, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum.
  - HIRCVM pro peccato.
  - ET in hoſtia pacificorũ,
    - Boues 2.
    - Arietes 5.
    - Hircos 5.
    - Agnos anniculos 5.
  - Summa oblatorum fuerũt in dedicatione altaris,
    - Acetabula argentea 12.
    - phialæ argenteæ 12.
      - Siclorum 2400. pondere ſanctuarij.
    - Mortariola aurea 12. ſimul auri ſicli 120.
    - In holocauſta,
      - Boues 12.
      - Arietes 12.
      - Agni anniculi 12.
    - Hirci pro peccato duodecim.
    - In hoſtiã pacificorum,
      - Boues 24.
      - Arietes 60.
      - Hirci 60.
      - Agni anniculi 60

DE NVMERO ET ORDINE MINISTRO-rum; TAB. 50.

- QVANDO verò parùm ſit ſacrificia eſſe inſtituta, niſi etiam ſint, qui his rectè ſeruire poſſint: ideò Dei iuſſu in miniſterium tabernaculi & ſacerdotum ordinati & conſecrati ſunt
  - LEVITAE in hunc ferè modum, qui habetur Nũer. octauo. Nã
    - PRIMVM electi & ſegregati ſunt
      - Ex tribu Leui,
      - A vigintiquinq, annis & ſuprà,
      - In locũ primogenitorum.
    - DEINDE adſperſi aqua luſtrationis, raſis pilis & mundatis veſtibus, oblati ſunt Domino.
    - POST hæc pręſentati ſunt
      - Populo, qui eis imponeret & manus.
      - Aaroni & filijs eius; à quo in conſpectu Domini eleuati & oblati ſunt.
    - OFFEREBATUR pro eis
      - Simila oleo conſperſa pro libamine,
      - Bos in holocauſtum.
    - ATQVE ſic demùm ab omni populo ſegregati, adplicati ſunt tabernaculo, vt ingrederẽtur & miniſtrarent in tabernaculo vſq; ad annum 50. cap. 8.
    - Horũ erat
      - Numerus 8580. ca. 4. in fin.
      - Officia
        - Seruire Deo,
        - Curã agere.. templi & vaſorũ,
        - Et orare pro populo, cap. 7.
      - Victus, decimæ, cap. 5.
  - Porrò ad onus populi ſuſtentandum additi ſunt Moiſi ſeptuaginta viri,
    - Congregati ex ſenioribus populi Iſraelitici.
    - Quorum ætas Moiſi cognita, & eruditio fuerat perſpecta,
    - Iuſſi ire vnà cũ Moiſe ad oſtiũ tabernaculi fœderis, cap. 11.
    - Hi,
      - Sunt illuminati ſpiritu, qui erat in Moiſe.
      - Prophetârunt, nec vltrà ceſſauerunt.
  - SVMMVS ſacerdos erat Aaron. ſcriptum eſt enim: Aaron autem & filios eius cõſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Externus qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur. Numer. 3.

DE NVMERO ET ORDINE EXPLOratorum. TAB. 51.

IVSSIT DOMINVS *mitti viros duodecim, de ſingulis ſcilicet tribubus ſingulos, qui conſiderarent terram, quam eis ſe daturum promiſeras. Fecit autem Moiſes quod Dominus imperauerat, atq; ex deſerto Pharan viros principes exploratum miſit xij, videlicet de tribu*

- RVBEN, *Sammua filium Sechur.*
- SIMEON, *Saphat filium Huri.*
- IVDA, *Chaleb filium Iephonæ.*
- ISACHAR, *Igar filium Ioſeph.*
- EPHRAIM, *Oſee filium Nun.*
- BENIAMIN, *Phalti filium Raphu.*
- ZABVLON, *Geddiel filium Sodi.*
- IOSEPH, *ſceptri Manaſſæ, Gaddi filium Suſi.*
- DAN, *Ammiel filium Gemalli.*
- ASER, *Zathur filium Michael.*
- NEPHTALI, *Nahabi filium Vapſi.*
- GAD, *Guel filium Machi.*

De quorum relatione, & turbis ex ea motis, vide cap. 13. 14. & 15.

DE NVMERO ET ORDINE PRAEVAricantium. TABVLA 52.

CVM AVtem populo Dei aduerſarius & hoſtis eius perpetuus diabolus, hanc felicitatem inuideret, ſuis dolis & fraudibus effecit, vt multi ex ſuprà numeratis principibus & hominibus facti fuerint partim

- REBELLES, aduersùs Moiſen & Aaron. Quales fuerũt
  - CORE filius Iſaar.
  - DATHAN atque Abiron.
  - HON quoquè filius Pheleth de filijs Ruben.
    - Cuius criminis cauſa, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuerſa ſubſtantia eorum: Deſcẽderuntq́ viui in infernum, operti humo &c. Core autem & CCL. viri, igni cæleſti conſumpti ſunt.
  - ALIIQVE filiorum Iſrael CCL. viri proceres ſynagogæ, & qui tempore conſilij per nomina vocabantur. cap. 16.
- INCREDVLI. Murmurauit enim omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die, contra Moiſen & Aaron dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Quam ob cauſam 14700. viri percuſſi ſunt, & igni abſumpti. eodem. Permulti etiam ob ſimile murmur ab ignitis ſerpentibus extincti ſunt, cap. 21.
- MARIA quoquè ſoror Moiſis murmurans, punita eſt lepra. cap. 12. virgaque Aaronis germinauit, in ſignum rebellium filiorum Iſrael. cap. 17.
- QVIN ipſe etiam Aaron, cùm factus eſſet incredulus, prohibitus eſt intrare terram Canaan, quam Deus filijs dederat Iſrael: Sed iuſſus ire in montem Hor, ibi occubuit, & ſucceſſit ei filius ſuus Eleazar. cap. 20.
- BALAAM, dum accerſitus à Balac rege Moabitarum, peruerſa meditatur, & aſinam, quæ os eius Domino aperiente locuta eſt, cædit, ab angelo primò corripitur, poſteà ob conſilium datum in exitium filiorum Iſrael, ab ipſis cæditur. cap. 22. & 31.
- EX filijs Iſrael plurimi cum filiabus Moabitarum fornicantur, & ab ijs inuitati, illarum dijs ſacrificant. Eam ob cauſam vehementer concitata ira diuina, ad 24. millia ex illis occidit. cap. 25.

DE NV-

DE NVMERO ET ORDINE DE NOVO genitorum in deſerto.

TABVLA 53.

EXTINCTIS PROPTER *varia peccata iis, qui ſuprà numerati fuerant, Moiſes & Eleazar ex præcepto diuino iterùm numerauerunt omnē ſummam filiorum Iſrael de nouo genitorum in deſerto, à 20. annis & ſuprà per domos & cognationes ſuas, cūctos qui poſſent ad bella procedere. De ſtirpe*

RVBEN	43730
SIMEON	22200
GAD	40500
IVDA	76500
ISACHAR	64300
ZABVLON	60500
MANASSE	52700
EPHRAIM	32500
BENIAMIN	45600
DAN	64400
ASER	53400
NEPHTALI.	45400

Summa filiorum Iſrael de nouo numeratorum, Sexcēta millia & mille ſeptingenti triginta. cap. 26.

DE NVMERO ET ORDINE MANSIONVM.

TABVLA 54.

VT TOTIVS *proceſſus ab Aegypto vſq; ad Iordanem, terminum ſcilicet terræ promiſſæ, perbreuem haberemus quandam quaſi ſummam, deſcripta ſunt loca, in quibus filij Iſrael ſuas habuerunt manſiones: nō quidem omnia, ſed tātūm ea, in quibus illis contigerunt aliqua notatu digna. Manſiones verò p̄cipuæ filiorum Iſrael, q egreſſi ſunt de Aegypto per turmas ſuas in manu Moiſis & Aaronis, quas deſcripſit Moiſes iuxta caſtrorū loca, quæ iuſſu Domini mutabant, ſunt 42. videlicet,*

- ANTE *tranſitū maris rubri, 4.*
  - *Rameſſe, i. cōmotio turbulenta, vel vt Hier. tonitruum gaudij.*
  - *Socoth, id eſt, tabernacula ſiue tentoria.*
  - *Etham, id eſt, fortitudo atque perfectio.*
  - *Phihabiroth, id eſt, os nobilium.*
- A MARI *rubro vſq; ad mōtem Sinai, 8.*
  - *Marath, id eſt, amaritudo.*
  - *Elim, id eſt, arietes forteſque, vbi erant 12. fontes aquarum, & palmæ 70.*
  - *Mare rubrum, quod Hebraicè dicitur IamSuph.*
  - *Eremus Sin: eremus enim omnis vſque ad montem Sinai, dicitur Sin.*
  - *Daphca, id eſt, pulſatio.*
  - *Alus, id eſt, fermentum.*
  - *Raphidim, i. viſio oris fortium, vel vt Hier. Sanitas fortium.*
  - *Solitudo Sinai.*
- A MON*te Sinai vſq; ad Cades, 21.*
  - *Sepulcra concupiſcentiæ.*
  - *Hazeroth, id eſt, atria.*
  - *Rethma, id eſt, Sonitus aut iuniperus.*
  - *Remmon-phares, id eſt, mâli Punici diuiſio.*
  - *Lebna, id eſt, lateres.*
  - *Reſſa, id eſt, freni.*
  - *Ceelatha ſiue Caaltha, id eſt, Eccleſia.*
  - *Sepher, id eſt, pulchritudo.*
  - *Harada, id eſt, miraculum.*
  - *Maceloth, id eſt, cœtus.*
  - *Thaath, id eſt, pauor.*
  - *Thare, id eſt, paſtura, ſiue, vt Hiero. abactor ſeu depulſor.*
  - *Methca, id eſt, dulcedo.*
  - *Heſmona, id eſt, feſtinatio.*
  - *Moſeroth, id eſt, vincula ſiue diſciplina.*
  - *Bene-iaacan, id eſt, filij neceſſitatis ſeu ſtridoris.*
  - *Mons Gadgad, id eſt, nuncius, expeditio, vel conciſio.*
  - *Ietebátha, id eſt, bonitas.*
  - *Hebrona, id eſt, tranſitus ſiue tranſitio*
  - *Aſion-gaber, id eſt, in lingua vici, ſiue delationis hominis.*
  - *Cades, id eſt, mutata ſiue tranſlata.*
- A CA*des vſq; ad Campeſtria Moab, 9.*
  - *Mons Hor, id eſt, mons montis ſiue vertex.*
  - *Salmona, id eſt, imaguncula.*
  - *Phunon, id eſt, os oris.*
  - *Oboth, id eſt, magi, ſiue Pythones, vel tagaræ grandes.*
  - *Ie-abarim, id eſt, acerui lapidum tranſeuntium.*
  - *Dibon-gad, id eſt, fortiter intellecta tentatio.*
  - *Helmon deblathâim, contemptus plagarum ſiue opprobriorum.*
  - *Montes Abarim contra Nabo, id eſt, montes tranſeuntium.*
  - *Campeſtria Moab ſupra Iordanem contra Hiericho.*

DE ISTORVM OMNIVM MYSTICA interpretatione.

PER hoc autem ꝙ populus Iſrael exiēs de Aegypto, venit ad terram promiſſionis per 42. manſiones, intelliguntur myſticè 42. generationes, ꝑ quas Dei populus ab Abrahā Patre fidei noſtrę venit ad Chriſtū Matt. 1. Chriſtus aūt eſt hęreditas illa, q̄ nobis tam in veteri q̄ in nouo teſtamento promiſſa eſt. De ſingularū porrò māſionū ſignificatiōe ſpirituali, vide elegantē libellū D. Hieronymi ad Fabiolam de 42. manſionibus. Item apud Bedam in Quęſtion. ſuper librum Numer.

DE NVMERO ET ORDINE PRAESIDIORVM.

TABVLA 55.

VBI VEN. *tum eſt in montana Moab ad fines terræ promiſſæ, fit porrò*

- PRAECEPTVM, *cap.33. vt*
  - DISPERDANT *Iſraelitæ cunctos habitatores terræ illius.*
  - CONFRINGANT *titulos.*
  - COMMINVANT *ſtatuas.*
  - VASTENT *omnia excelſa.*
  - MVNDENT *terram.*
  - HABITENT *in ea.*
- DIVI*ſio*
  - TOTIVS *terræ in 4. partes,*
    - *Meridionalem,*
    - *Orientalem,*
    - *Occidentalem,*
    - *Septentrionalem.*
    - — *Per Eleazar, Ioſue & deputatos, ex ſingulis tribubus vnum. cap.34.*
  - CIVITA*tum & ſuburbiorum, Pro*
    - *Habitatione Leuitarum: Quibus deſtinata fuerunt*
      - *Oppida 48. vt in ipſis maneant. cap.35.*
      - *Suburbia totidem, quæ ſint pro iumentis & pecoribus.*
    - *Refugio, oppida ex illis 48. ciuitatibus, Sex:*
      - *Trans Iordanem tria,*
      - *&*
      - *In terra Canaan tria.*
      - — *Vt confugiat ad eas, qui nolens fuderit ſanguinem, cap.35.*
- PROMVL*gatio legum*
  - CONNV*biorum*
  - ET *hæreditatum:*
  - — *Vt*
    - *Ducant & nubant quibus velint, tātùm ſuæ tribûs & cognationis hominibus, nè commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum. Hæreditates permaneant in familijs, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ità maneant vt à Domino ſeparatæ ſunt. cap.36.*

EPILOGVS.

COMPLECTITVR hic liber Hiſtoriam trigintanouem annorum. Nam omnia ferè continet, quæ ſub Moiſe ſuut facta, vſque ad vndecimum menſem anni quadrageſimi ab egreſſu de Aegypto. Vnum duntaxàt locum huius libri in Ioanne citatum reperi, ſententias verò decem & octo, tum in Ioanne, tum in alijs.

Ante Caietanum in Pentateuchum.

DEVTERONOMIVM,

LIBER PENTATEVCHI VLTIMVS,

quem epilogum ſiue epitomen dicunt eſſe legis Moſaicæ.

CONTINVATIO.

APVD Rabinos dictus eſt hic liber Meſne, id eſt, repetita lectio. Nam, vt dicunt, nihil habet ferè aliud, quàm memoriam rerum antè dictarum: idq́; eorum cauſa factum eſt, qui leges traditas, memoriæ non mãdauerant. Nam multi cùm iuuenes & pueri eſſent, eo tempore quo ex Aegypto egreſſi ſunt, non ſatìs eas intellexerant: Alij verò, dum lex daretur, nondùm nati & in lucem editi erant.

ADDITVR itaq; ſuperioribus velut Enchiridion, & cõpendium totius philoſophię cęleſtis, & quaſi cõmentarius ac explanatio Decalogi. Etenim ꝑtermiſſis illis, q̃ ad Leuitas & Sacerdotes pertinent, tantùm ea docentur, quę vulgo & populo erant neceſſaria. Itaq; ſi propriè ad noſtrum vſum librum hũc velis appellare, rectè appellaueris explanationem decalogi copioſiſſimam & elegantiſſimam.

Explicatio Decalogi.

DOCET ſiquidem oẽs ex decem ꝑceptis benè viuere, inſtituitq́; internũ conſciẽtiæ regnũ, prophanamq́; ſimul politiam. Tradit ꝑtereà egregium cęremoniarũ modum, diuina ſanè ęq̃tate & ſapiẽtia: vt nihil ſit in vniuerſo genere vitę, quod non hîc ſit ſapiẽtiſſimè & ęquiſſimè diſpoſitũ. Atq; hac ratione voluit Dñs librũ hũc à ſuis, ſemꝑ tractari manibus. Fonſeca ante cõmentaria Caietani in Pentateuch.

ALIA CONTINVATIONIS RATIO, EX BEDA.

AB aliquibus interrogari ſolet, ſi aliquis ordo ſit, qui hunc ordinẽ voluminũ legis ſignificaret. Quod ità ſoluitur: Quia Geneſis iſtã ſententiã ſignificat, qua dicitur: Lex Dñi immaculata, cõuertens animas: Exodus, Sapientiã ꝑſtans paruulis: Leuiticus verò, demonſtrãs, Pręceptũ Dñi illuminãs: Numerꝰ verò, Iudicia Dei verè iuſtificata. Hęc aũt quatuor volumina, quatuor euangelia figurãt codẽ numero. Deuteronomiũ verò, totũ euangeliũ: q̃a Deuteronomiũ nouata lex interpretať.

SED ſciẽdum eſt, quomodò ſupradictus ordo, huic ordini voluminum cõueniat. Quòd ità dicendum eſt, quòd idcircò ſentẽtia prima Geneſi coaptatur: Quia Geneſis enunciat, omnia verbo Dei eſſe creata, quæ idcircò lex eſt: in illa quoq; animarum conuerſio, id eſt, à vita ad mortem, vt Adam intelligitur: & à morte ad vitam, vt Noe. Exodus, Sapientiam pręſtans paruulis, adimplendo, quod Abrahæ, Iſaac & Iacob, de terra repromiſſionis Deus promiſit. Omnes enim, in Dei comparatione, paruuli ſunt. Leuiticus autem, præceptum lucidum illuminans, diſcernendo inter munda & immunda animalia. Numeri verò, iudicia Dei vera ſunt, maximè in Prophetia Balaã, in benedictiõibus, maledictionibusq́;. Beda ſup. Leuit. in princip. Quòd aũt Deuteronomium ſecunda lex, vel iteratio legis dicitur: ſignificat, ꝙ nouũ teſtamẽtum veteri ſuccederet. Idẽ in princip. Deuteronomij.

DE NOMINIS SIGNIFICATIONE.

GRAECA eſt iſta huius libri appellatio, q̃ Latinè redditur Lex ſecunda. Non ꝙ duę ſint leges, vt exiſtimare videntur ij, q̃ legẽ aliã à Deo, aliã verò ꝑ Moiſen datã eſſe contẽdunt, ex eo, ꝙ ſuprà in Numeris in ſingulis ferè capitulis repetatur hęc clauſula. Locutusq́; eſt Dñs ad Moiſen: hîc aũt à principio ſtatìm Moiſes locutus eſſe dicatur: Sed ꝙ ſit quaſi iteratio vel repetitio quatuor librorum ꝑcedentium, ſiue Epitome totius legis Moſaicæ. Auguſt. lib. 1. De mirabilibus S. Scriptur. cap. 35. & Quęſt. 49. ſuper Deuteronomiũ. Sic D. quoq; Hieron. hunc librũ alibì iterationẽ ꝑteritorum, aduersùs Pelagian. lib. 1. circa finẽ, alibì verò meditatorium vocauit

Liber Deutero. præfiguratio euangelij.

Euãgelij, hoc eſt, legis euãgelicę ꝑfigurationem, Ad Fabiolam de 42. mãſionibus circa finẽ, & ad Paulinũ de hoc lib. cap. 7. Vbì is illud etiã affirmare videtur, Etſi pauca dicta ſint priùs, q̃ non hîc repetãtur, ità tamen ſingula hîc eſſe pertractata, quaſi noua ſint omnia. Sic enim intelligit hunc locum Iſidor. lib. Etymolog. 8.

DE LIBRI HVIVS AVTHORE.

TABVLA 56.

DE HVIVS LIBRI *authore triplex fuit opinio:*

VNA *eorum, qui Moiſen hunc librum non ſcripſiſſe, ſed dictâſſe tantùm, & verba eius poſteà Ioſuè aut alios, ex memoria repetita in vnum volumen collegiſſe autumant, ex eo, quòd in principio nullius ſcripti, ſed verborum tãtùm Moiſis, & in fine, mortis ipſius fiat mentio.*

ALTERA *hanc rem ità diſtinguentium, Quòd Eſdras & principium ſcripſerit huius libri, & finem: reliqua verò eſſe Moiſis.*

TERTIA *verò eſt eorum, qui hanc controuerſiam ſic dirimere ſtudent, Quòd totus hic liber ſcriptus ſit à Moiſe, excepto vltimo tantùm capite, quod ſcriptum dicunt à Ioſue poſt mortem Moiſis. Et hæc, vt communior, ità dubio procul etiam verior eſt opinio, vt quæ probetur ex ipſa ſcriptura infrà ca. 31. vbi dicitur expreſsè: Scripſit itaq; Moiſes legem hanc, & tradidit ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini. Et paulò pòſt: Poſtquàm autem ſcripſit Moiſes verba legis huius in volumine atque compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum iſtum &c. Gloſſ. in principio Deuteron.*

VBI ET QVANDO HIC LIBER SCRIptus ſit.

TABVLA 57.

DEVTERONOmy *liber ſcriptus eſt*

A MOISE, *cap. 31. hoc ipſo libro.*

AD *omnem populum Iſrael.*

TRANS *Iordanem.*

ANNO *ab egreſſu filiorum Iſrael de Aegypto 40, die 1. menſis vndecimi.*

Cap. 1. & Gloſſ. hîc eodem lib.

DE EIVSDEM LIBRI AMISSIONE & recuperatione.

DEVTERONOMII volumen, D. Ioan. Chryſoſt. in cap. Matth. 2. Homil. 9. ſcribit, loco quodã defoſſum, ac penè deletum, poſt multum temporis fuiſſe repertum. Quod quibus acciderit modis, fuſiùs explicat is idem 1. Corin. 2. Homil. 7. Liber Deuteron. inquit, vix tandèm repertus in ruderibus. Siquidem magna librorum copia perijt, & pauca ex priori captiuitate volumina ſuperfuerunt, quod ex reliquijs planè conſtat. Et quid ego captiuitatem memoro? Nam & ante captiuitatẽ multa abolita ſunt librorum volumina, cùm Iudæi in vltimam prolapſi ſunt impietatem. Quod in calce quarti Regum manifeſtè depręhenditur. Chryſoſt. ibid.

DE ARGVMENTO. TABVLA 58.

ARGVMENTVM HVIVS *libri explicare videtur Hieron. in fin. illius Epiſtolæ ad Fabiolam de 42. manſionibus, in hæc verba: Succedit Deuteronomium ſecunda lex, Meditatorium euangelij, ibique breuiter diſcimus,*

QVAE *inter Pharan & Tophel & Laban & Hazeroth & loca aurea, abiecto Iuda infeliciſſimo, vndecim dierum via de Horeb, per viam montis Seir vſque ad Cadesbarne, Moiſes populo ſit locutus, & extremum canat canticum, in quo apertiſſimè Synagoga proijcitur, & Eccleſia Domino copulatur.*

BENEDICVNTVR *filij Iſrael.*

ET *rurſus in Simeone Iudas miſerandus excluditur.*

ASSCENDIT *Moiſes in montē Nabo, in verticē Phaſga, qui eſt contra Hiericho, & oſtendit ei Dominus omnem terram Galaad vſque ad Dan & Neptalim, & Ephraim & Manaſſen, & vniuerſam terram Iuda, vſque ad mare magnum contra Auſtrum, & regionem campeſtrem Hierichuntis, ciuitatis Palmarum, vſque Segor. &c. Quis poteſt nôſſe tanta myſteria? Hactenus Hieronymus manſione 42.*

BREVITER *complectuntur 4. hi libri, Exodus ſcilicet, Leuiticus, Numeri & Deuteronomium, acta populi Iſraelitici, ab egreſſu ex Aegypto in deſertum, vſque ad ingreſſum terræ promiſſæ.*

DE EODEM, BEDA.

IN DEVTERONOMIO nanque, quæ eſt ſecunda lex, narrantur ea, quę in Pharan & Obeth, Laban & Aſeroth vſque Cadesbarne fuerūt populo dicta à Moiſe, mādata videlicet atque promiſſa, maledictiones peccatorum, & promiſſiones beatitudinis. Ibì canit canticum Moiſes, ibì dat benedictionem filijs Iſrael, ibique, terra repromiſſionis conſpecta, moritur atque ſepelitur.

NONNVLLI autem Hebręorum quatuor tantùm libros legis computant, id eſt, Geneſim, Exodum, Leuiticum, & Numeros: Deuteronomium autem, repetitionem eorundem librorum, & quaſi quoddam legis meditatorium dicunt, ea duntaxàt ratione, pro eo quòd illa quatuor proprias rerum geſtarum continent cauſas, iſte verò omnium. Beda.

Deuteronomiū, meditatorium legis.

DE PRAE-

DE PRAECIPVIS DEVTERONOMII PARtibus. TABVLA 59.

CONTINET *hic liber repetitionem, ſiue ſummam & Epitomen*

- ITINERIS *& laborum ab Iſraelitis perpeſſorum, à princip. vſque ad cap. 4.*
- FOEDERIS *& præceptorũ*
  - *Iudicialium,*
  - *Cæremonialiũ,*
  - *Moralium.*
  - *à cap. 4. vſque ad cap. 27.*
- OFFICIORVM *Eccleſiaſticorũ, qualia in Deuteronomio per diſcurſum hincindè repetuntur.*
- BENEDICTIONVM *ſiue promiſſionum diuinarum, quæ filijs mandatis Dei obtemperantibus paratæ ſunt.*
- MALEDICTIONVM *ſiue pœnarum, quæ in legum tranſgreſſores conſtitutæ ſunt.*
  - *à cap. 27. vſque ad cap. 33. Et Leuit. 26.*
- PRAEDICTIONVM, *in qua parte Moìſes, iam moriturus, benedicendo filijs Iſrael, quæ cuilibet tribui futura erant, breuiter expoſuit atq; prophetauit. ca. 33.*
- QVIBVS *peractis, ipſe dein Moiſes*
  - *Moritur,*
  - *Defletur ab Iſraelitis,*
  - *Sepelitur à Deo,*
  - *Subſtituitur ei Ioſue. cap. 34.*

AD *hæc enim veluti capita generalia, quæ perpauca ſunt, referri poſſunt ferè omnia, quæ non tantùm in hac Deuteronomij epitome ex quatuor libris prioribus repetuntur, ſed etiam quæ in toto ferè continentur Pentateucho.*

DE PARTIVM ISTARVM SVBDIVISIONE, remiſſiuè. TABVLA 60.

DE PARTI- *bus his Deuteronomij*

- TRIBVS *prioribus, in præmiſſis libris tantum eſt dictum, quantum ad verum huius libri intellectum ſit ſatis.*
- RELIQVIS *verò, Benedictionibus putà, maledictionibus, atq; prædictionibus propheticis, in locis paulò antè citatis, tam abſoluta & ſuccincta habetur tractatio, vt neque commodiùs, neque perfectiùs tradi aut comprehendi poſſe videantur, quàm ibi propoſita ſunt & explicata, cap. videlicet huius lib. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33.*

EPILOGVS.

COMPLECTITVR hiſtoriam duorum menſium anni quadrageſimi, ab egreſſu ex Aegypto, nouiſſimæque manſionis tempus in campis Moabiticis, vbi & Moiſes ſeruus Dei moritur, & ſepelitur. cap. 34. Eaque eſt huius libri Maieſtas, vt in nouo teſtamento quinquagiès, & eo ampliùs in teſtimonium adferatur.

PARS VETERIS TESTAMENTI SECVNDA, DE HISTORIA SACRA, HOC EST,

De viuis virtutum vitiorumq́; exemplis, & primùm

QVOMODO HAEC PARS BIBLIAE *cohæreat cum ſuperiori.*

IN duobus in locis pulchrè admodùm D. oſtendit Auguſtinus. Nam in Quæſtionibus ex vtroque teſtamento, cap. 119. Tantam dicit prouidentiam eſſe Domini circa nos, vt errare nos nolēs, & legem & exempla bonorum operum daret, quibus modeſta & tranquilla agi poſſit vita cum Dei timore. Et in libro de vera religione cap. 25. Diuina prouidentia, inquit, nō ſolùm ſingulis hominibus quaſi priuatìm, ſed vniuerſo generi humano, tanquàm publicè conſulit. Quid cum ſingulis agatur, Deus ſcit, qui agit: atque ipſi, cum quibus agitur, ſciunt. Quid autē agatur cum genere humano, per hiſtoriam commendari voluit, & per prophetiam.

DE VTILITATE S. HISTORIAE, SENtentia D. Ioannis Chryſoſtomi.

SIVE de rege loqui voles, eccè Rex: ſiue de militibus, ſiue de re familiari, ſiue de publicis ciuilibusque negocijs, videbis in ſcripturis horum omnium magnā copiam. Huiuſmodi commemorationes maximam adferunt vtilitatem. Impoſſibile eſt enim, impoſſibile inquam eſt, animum in hoc genus hiſtorijs verſantem, à cupiditatibus ſuperari. Chryſoſt. in homilia 1. De Dauid & Saule.

QVOMODO LEGENDA SIT HISTORIA, *ex D. Hieronymo.*

HISTORIA vt veritatis fundamentum amanda, magìs tamen ſequenda ſpiritualis intelligentia. Hieron. ad Euſtochium virginem, circa finem.

QVOT

QVOT LIBRIS CONSTET HISTORIA ſacra.

TABVLA 61.

SACRA HIſtoria *Decem & ſeptem continetur libris: videlicet,*

- IOSVE,
- IVDICVM,
- RVTH,
- REGVM 4.
- PARALIPOMENON 2.
- ESDRAE 2.
- THOBIAE,
- IVDITH,
- ESTHER,
- IOB,
- MACHABAEORVM 2.

QVAE TOTIVS ILLIVS HISTORIAE, QVAE his 17. continetur libris, ſit ſumma.

TABVLA 62.

OSTEN-*ditur his libris, Deum re vera p̄ſtitiſſe omnia, q̃ Iſraelitis Deutero. 27.28. & 29. legem eius vel*

- OBSERuantibus *promiſit in ſumma*
  - TERRAM *fluentem lacte & melle.*
  - DEFENSIONEM *laborantiũ.*
  - HVMILIVM *emerſionem.*
  - EXALTATIONEM *iuſtorũ.*
  - AVXILIVM *in periculis.*
  - CONSOLATIONEM *in afflictionibus.*
  - DE *hoſtibus triumphum.*
  - *Quæ illis obtigiſſe probantur ĩ lib.*
    - *Ioſuæ,*
    - *Iudicum,*
    - *Ruth,*
    - *Reg. 1.2. & 3. vſque ad cap. 12.*
    - *Par. 1. & 2. vſque ad cap. 10.*
    - *Eſdræ 2.*
    - *Tobiæ, Iudith, Eſther,*
    - *Iob,*
    - *Machabæorum 2.*
- TRANSGREDIENtibus *comminatus eſt potiſſimùm duo:*
  - *Expulſionem & Captiuitatẽ.*
  - *De quibus agitur*
    - *à dicto cap. 12. lib. 3. Regum vſque ad finem.*
    - *Paralipomenon ſecũdo, à dicto cap. 10. ad finem vſque.*

IOSVE, LIBER BIBLIAE SEXTVS, PARTIS SECVNDAE PRIMVS,

De rebus geſtis Ieſu filij Naue.

CONTINVATIO.

SECVNDVM veteris Eccleſiæ ſtatum, ſuprà in duo diuiſimus tempora: vnum Moiſis, alterum Ioſuę: Cùm ergò, quis eccleſiæ illius ſtatus fuerit ſub ducatu Moiſis, hucuſquè ſit dictum: proximum eſt, vt de illa nunc dicamus Reip. forma, quę ſub Ioſue, ſecundo populi Iſraelitici Duce, fuit obſeruata.

CVR HIC LIBER HOC NOMINE SIT INSCRIPTVS.

EA volumina, quę deincèps ad Eſdram vſque ſequuntur, non prorsùs ab illis ſunt conſcripta, quorum inſcriptiones præferunt, & de quibus tractant. Feruntur autem à Prophetis, qui ſingulis temporibus vixerunt, eſſe ſcripta. Diſtinguendum eſt itaque inter illorum inſcriptiones. Præſens liber, inſcriptionem habet, Ieſus Naue, proptereà quòd ipſe Ieſus Naue, Moiſis ſucceſſor, populi dux fact⁹ eſt, cuius iſto volumine hiſtoria & res geſtæ continentur. Athanaſius in Synopſi. Ieſus autem hic dicitur Naue, ad differentiam alterius Ieſu filij Sirach, & Ieſu filij Ioſedech. Priùs dictus Oſee, Num. 13. ſeu Anſes, ſicut Auguſtinus habet de Quęſtiõ. ex nouo teſtamento, cap. 80. vel, vt Ambroſius in epiſtola ad Rom. cap. 9. Auxes.

IOSVE QVIS ET QVALIS FVERIT.

FORTIS in bello Ieſus Naue ſucceſſor Moiſis in Prophetis, qui fuit magnus ſecũdùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei. Vir, in quo fuit ſpiritus Dei, qui hoſtes Domini percuſſit, Eccl. 46. Iſte eſt, qui filios Iſrael introduxit per Iordanem in terram promiſſionis: qui item 31. Reges terrę percuſſit, & deleuit de terra nomen eorum, Ioſ. 3. & 12. Mortuus eſt, annos habens 110. ſepultusque in finibus poſſeſſionis ſuę, in monte Ephraim, Ioſuę vlt.

DE EODEM, EX IOSEPHO.

ILLE verò (Moiſes) ex multitudine pugnacem eligens iuuentutem, ſuper eos inſtituit Ieſum Naue filium, de tribu Ephraim, valdè robuſtum, & ad labores tolerandos fortiſſimum, ad cogitandum & loquendum ſimul nimis idoneum, q nôſſet decenter Deum & Moiſen doctorem colere pietate, eſſetque apud Hebræos aptus, Ioſephus lib. 3. cap. 2.

DE LIBRI HVIVS AVTHORE.

QVIS libri huius ſcriptor fuerit, certò non conſtat. Magiſter tamẽ hiſtoriæ ſcholaſticę, ipſum Ioſue eius autumat eſſe authorẽ. Cui ſuffragatur etiam Ioan. Driedo de ſcript. & dogmat. eccleſiaſt. lib. 1. cap. 1. Sic & Ioſue, inquit, poſt Moiſen oĩa verba, q̃ locutus eſt ad ipſum Dominus, ſcripſit in volumine legis Domini, quemadmodùm legitur Ioſuæ vltimo. Alij Eleazarum filium Aaronis ſacerdotem, qui comes & ſocius Ioſuę fuit, hæc omnia poſteritatis cauſa in literas retuliſſe putãt.

ARGVMENTVM

ORIGENES homil. 1. in lib. Ieſu Naue indicat nobis: Hic liber, inquit, geſta nõ tam Ieſu Naue, quàm Sacramenta Ieſu Domini noſtri depingit. Et Hiero. ad Paulin. Veniam ad Ieſum Naue, qui typum Domini non ſolùm geſtis, verùm etiam nomine præfert. Idem affirmant Auguſtinus contra Fauſt. cap. 31. lib. 12. & lib. 16. ca. 19. & Ambroſius Pſal. 47. in fin.

DE HVIVS

DE HVIVS LIBRI SCOPO ET INTENTIONE.

TABVLA 63.

CONTINET *probationem primæ promiſſionis à*
- IORDANIS *diuiſione.*
- MVRORVM *Hiericho ſtupenda colliſione.*
- QVINQVE *Regum captiuitate.*
- TOTIVS *terræ depopulatione.*

DE HISTORIAE IOSVAE PARTIBVS.

TABVLA 64.

AGITVR *hoc libro de*
- INGRESSV *filiorum Iſrael in terram promiſſionis, à principio vſque ad cap. 6.*
- SVBVERSIONE *regnorum impiorum, cap. 6.*
- DIVISIONE *terræ ſanctæ, cap. 13. 14. &c.*
- DVCIS
  - ORDINATIONE & OBITV. *Cap. 23. & 24.*

DE PRIMA PARTE. TABVLA 65.

De ingreſſu ſcilicet filiorum Iſrael in terram promiſſam.

IN PRI*ma parte*
- ORDINATVR *acies, cap. 1.*
- MITTVNTVR *exploratores, cap. 2.*
- INGREDIVNTVR *Iſraelitæ in terram promiſſam ſiccis pedibus per Iordanem. Vbi deſcribuntur facta in*
  - INGRESSV / EXITV — *cap. 3. Iordanis. cap. 4.*
  - STATV, *cap. 5. ibiq́; De*
    - *Circumciſione,*
    - *Paſchæ celebratione,*
    - *Confortatione populi.*

DE IMPIORVM REGNORVM SVBVERSIONE, ſecunda parte Ioſuæ.

TABVLA 66.

DESCRI*buntur in hac parte*

- ADQVI*ſitio terræ,*
  - HIE*richo*
    - *Principaliter, cap. 6.*
    - *Incidenter, de anathemate Achan, propter quod lapidatur, cap. 7.*
  - HAI, *cap. 8. Cuius occaſione cœperunt alij ſeſe*
    - *Communire,*
    - *Dedere.*
    - *Cap. 9.*
- SVB*uerſio*
  - QVINQVE *Regũ ſimul congregatorum, Regis ſcilicet.*
    - *Ieruſalem*
    - *Hebron*
    - *Ierimoth*
    - *Lachis*
    - *Eglon*
    - *Quos percußit Ioſue, & interfecit eos atque ſuſpendit ſuper 5. ſtipites, cap. 10.*
  - REGVM 26. *quorũ debellati ſunt alij tempore*
    - MOISIS, *vltra Iordanem,*
      - *Seon Rex Amorrhæorũ,*
      - *Og Rex Baſan.*
      - *Quorũ terrã Moiſes in poſſeßionem dedit Nume. 21.*
        - *Rubenitis,*
        - *Gaditis,*
        - *Mediæ tribui Manaſſæ.*
    - *Ioſuæ*
      - *Gazer.*
      - *Dabir.*
      - *Gader.*
      - *Herma.*
      - *Hered.*
      - *Lebna.*
      - *Adullam.*
      - *Maceda.*
      - *Beth-el.*
      - *Taphua.*
      - *Opher.*
      - *Aphec.*
      - *Saron.*
      - *Madan.*
      - *Aſor.*
      - *Semeron.*
      - *Acſaph.*
      - *Thenac.*
      - *Mageddo.*
      - *Cedes.*
      - *Iathanam Carmeli.*
      - *Dor.*
      - *Galgal.*
      - *Therſa.*
      - *Quorum terram Ioſue tradidit in poſſeßionem filijs Iſrael, ſingulis partes ſuas, tam in montanis quàm planis atq; campeſtribus.*

Omnes Reges citra Iordanem cum Rege Hiericho & Hai, 31. ca. 11. & 12.

DE DI-

DE DIVISIONE TERRAE SANCTAE,
tertia Ioſuæ parte. TAB. 67.

CIRCA DIuiſionem terræ ſanctæ conſiderantur tria:

- LIMITES *terræ diſtribuendæ. cap. 31.*
- PERSONAE *diuidentes*
  - ELEAZARVS *ſacerdos,*
  - IESVS *Naue,*
  - DE *vnaquaque tribu vnus.*
  - *cap. xiiij.*
- PARTES *aſſignatæ*
  - TRIBVBVS
    - *Iudæ, cap. 15.*
    - *Filiorum Ioſeph, cap. 16.*
    - *Dimidiæ Manaſſæ, cap. 17.*
    - *Filiorum Beniamin, cap. 18.*
    - *Sex reſiduarum tribuum, cap. 19.*
  - *Fugitiuis, Ciuitates refugij, cap. 20.*
  - *Sacerdotibus & Leuitis. Quibus à tribubus alijs, pro ſuſtentatione ſua ſeparatæ ſunt ciuitates cum ſuburbanis, cap. 21.*

DE INSTITVTIONE PRINCIPIS, PARTE
Ioſuæ vltima. TAB. 68.

INSTRVITVR *Dux, quantum ad tria tempora,*

- BELLI, *cap. 22.*
- PACIS, *cap. 23.*
- MORTIS
  - *Ioſuæ,*
  - *&*
  - *Eleazaris.*
  - *cap. 24.*

EPILOGVS.

COMPLECTITVR hic liber à morte Moiſis, vſq; ad obitum Ioſuæ, annos 32. Tam diù enim Ioſue ex quorundam ſententia præfuit imperio. Moritur itaque anno mundi 2525. Ab exitu Aegypti 73.

IVDICVM LIBER, BIBLIAE SEPTIMVS, SECVNDAE VE-rò partis ſecundus.

De ſucceſſoribus Ioſuæ.

CONTINVATIO.

Absolvta ſecunda Eccleſiæ & reip. Iſraeliticæ forma, ducum ſcilicet authoritate, commodiſſimè nunc tertius ſequitur illius reip. ſtatus, de iudicũ poteſtate.

ALIA ORDINIS RATIO.

Dictvm eſt hactenùs de ingreſſu filiorum Iſrael in terram promiſſionis: in ſequentibus verò, de progreſſu ſeu gubernatione agitur populi ingreſſi. Nec ſanè myſterio caret hæc iudicum diſtributio ſingulari. Sicut enim poſt Chriſtũ apoſtoli, ità poſt Ioſue noſtri ſuccedunt iudices. Gloſſ. hîc.

DE LIBRI HVIVS NOMINE.

A materia proculdubiò hic liber id ſortitus eſt nominis. Iudicum enim vocatur propterea, quòd poſt mortem Ieſu Naue, populum ſuum Deus à relictis Chananæorum gentibus preſſum, per iudices ſeruauit. Quorum hoc volumine ſingulorum & facta continentur, & tempora. Athanaſ. in ſynopſi.

DE AVTHORE.

Svnt qui putent iudicum quenque per ſe annorâſſe & in acta redegiſſe ea, quæ ſuo tempore populo acciderũt memorabilia. Quis autem acta illa omnia in vnũ redegerit volumen, incerta eſt ſententia. Alij nanq; id Samuelem, alij Eſdrã, alij veriſimiliùs Ezechiam præſtitiſſe putant. Gloſſ. ad librum Ioſuæ. Ioãnes Driedo in lib. 1. de eccleſiaſt. ſcriptur. cap. 3. Samueli potiùs hanc laudem aſcribere videtur. Poſt mortem Ioſuæ, inquit, ſcripta ſunt geſta iudicum & principum in terra ſancta: Quotum hiſtorias ſparſas & diuiſas, ſecundùm ſucceſſionis ſeriem nunc pridèm editas Samuel collegiſſe creditur in vnum volumen, quod vocamus Iudicum.

DE ARGVMENTO.

Habet hic liber probationem ſecundæ promiſſionis, Deum ſcilicet firmiſſimũ ſemper & certiſſimum fuiſſe populi ſui defenſorem. vt enim peccãtem populum in manus tradiderat nationum, ità reuerſis pro defenſione 14. ſubſtituit Iudices, qui eos de vaſtantium manibus liberarent, Iudic. 2. Et ſic, vt dictum eſt, initiũ ſumit ab hoc libro tractatio de gubernatione populi Iſraelitici, quæ facta eſt primùm per iudices. Petr. Aureol.

Principium gubernationis populi Iſraelitici.

QVOTVPLEX FVERIT GVBERNATIONIS illius forma. TABVLA 69.

DEVS OLIM *populum Iſrael tribus gubernauit modis: Per*
- IVDICES, *à Ioſue vſque ad Saulem Regem.*
- REGES, *à Saule vſque ad tranſmigrationem Babylonis.*
- PONTIFICES, *à reditu captiuitatis Babylonicæ, ad tempus propè Chriſti, quandò Ioannes Hyrcanus, qui deſcendit de Machabæis, primus impoſuit ſibi Diadema regium. Lyranus hîc in princip.*

DE PRI-

DE PRIMA REIP. ISRAELITICAE ADMINIſtrandæ ratione.

Etsi Deus Opt. Max. pro diuina ſua prudentia, abſque vllo medio ipſe regere poſſet omnia, ad ſeruandum tamen vniuerſitatis decorum atq; ordinem, ea quæ ſunt inferiora, per ſua voluit regere inſtrumenta. Sic populũ Iſrael rexit primùm per Iudices, tanquàm per miniſtros idoneos & decentes, qui propter virtutis excellentiam creſcenti tum Eccleſiæ, quidam eſſent quaſi mediatores. Horum pietate Deus in diebus eorum flectebatur miſericordia, audiebatque afflictorũ gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. infrà eod. cap. 2.

DE POTESTATE IVDICVM.

Ivdices illi qui ad tempus vſq; Saulis tenebant gubernacula, non regebant per modum imperij ſeu alicuius dominij: ſed tantùm per modum miniſterij, exhortationis, & conſilij. Deus enim retinuerat ſibi iſtud dominium. Vndè cùm filij Iſrael, vt infrà 8. habet cap. liberati eſſent p Gedeonẽ de manib⁹ Madiã, & ei dicerent: Dominare nobis tu, & filius tuus, & filius filij tui: Reſpondit, Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus. Atq; hinc etiam illud eſt, quòd Moiſes & Ioſue non numerẽtur inter Iudices, quòd illi non iudicârint tantùm, ſed rexerint etiam populum Dei. Ex Lyrano.

DE IVDICVM NVMERO, ORDINE ET IMperio, ex Athanaſio. TABVLA 70.

IVDICVM quos De⁹ in defenſionẽ populi Iſraelitici ſuſcitauit, fuerũt xiij.	OTHONIEL.	Quorum res geſtæ deſcribũtur hoc libr. cap.	iij.	Iudicârũt Iſrael lem Annos	xl.
	Abod ambidexter.		Eod.		lxxx.
	Samgar filius Anath.		Eod.		i.
	Debora cũ Barac filio Abinoem.		iiij.		xl.
	Gedeon, qui & Ierobaal dictus eſt.		vj. vij. viij.		xl.
	Abimelech, filius Gedeonis ex concubina.		ix.		iij.
	Thola filius Phua.		x.		xxiij.
	Iair Galaadites.		Eod.		xxij.
	Iephte Galaadites.		xj.		vj.
	Abeſan Bethleemita.		xij.		vij.
	Abialon Zabulonites.		Eod.		x.
	Abdon Pharatonites.		Eod.		viij.
	Samſon de ſtirpe Dan,		13. 14. 15. & 16.		xx.
	Vſque ad Eli ſacerdotem. Qui populum iudicare incepit Anno mundi 2811.				

EPILOGVS.

SVMMA { IVDICVM, *xiij.* ANNORVM, *cccc. xj.* } *Athanaſius in Synopſi.*

Hieronymus ad Paulin.
IN IVDICVM *libro, quot principes populi, tot figuræ ſunt.*

RVTH

RVTH, LIBER BIBLIAE

OCTAVVS, PARTIS SECVNDAE TERTIVS,

De hiſtoria fœminæ illius Moabitidæ nomine Ruth, vel

De Rebus geſtis populi Iſraelitici, ſub principatu Eli ſacerdotis, vt vult Ioſephus.

CONTINVATIO.

SECVNDVM Hebrçorum Partirionem, quam in prologo Galeato D. explicat Hieron. hic liber non ſeparatus, neq; diſtinctus eſt liber, ſed coniungitur cum libro Iudicum. Quem tamen D. Auguſtinus ad Regnorum magìs principia pertinere exiſtimauit, Libro de doctrina Chriſtiana 2. cap. 8.

INSCRIPTIONIS RATIO.

NEQVE hic liber ab authoris, ſed fœminæ illius nomine ſic inſcriptus eſt, cuius hiſtoria hîc contexitur. Eſt autem Ruth genere Moabirida, caſtitate honeſta, relicta cognatione paternaque ſuperſtitione, ad pietatem ac verum Dei culrũ conuerſa, Bethleẽ Iudæ cum ſocru ſua incunctanter cõceſſit. Vbì & Booz ex rribu Iuda, matrimonio coniuncta eſt, ex qua poſteà Dauid originẽ hoc ordine ſumpſit: Booz ex Ruth ſuſtulir filium Obed, Obed verò genuit Ieſſe, Ieſſe Dauidẽ. Athanaſius hîc in Synopſi, & Ioſephus lib. 5. cap. 14. per rotum.

QVOMODO RVTH TYPVM GERAT ECcleſiæ, ex Theophylacto.

RVTH alienigena fuit, coniuncta autem Booz: ità & eccleſia ex gentibus alienigena exiſtens, & à reſtamentis extraria, oblíta autem populi ſui, & cultûs ſimulacrotum & diaboli patris ſui, cui iuncta erat, nupſit filio Dei. Theophylact. ſuper Matth. cap. 1.

DE AVTHORE.

AFFIRMANT aliqui incertum eſſe, quis hanc hiſtoriam conſignârit: Ioannes tamen Driedo eius authorem eſſe ſcribit, qui libri ſcriptor fuerit Iudicum, *id eſt*, Samuelem, libro 1. De eccleſiaſt. ſcriptur. cap. 3.

ARGVMENTVM.

VEL ex præmiſſis facilè, quæ huius libri ratio ſit atq; ſumma, patére poterit. De-
ſcribitur enim hîc ſeorsìm Ruth. Quæ, vt Hieronymus aſſerit epiſt. ad Paulinum,
Eſa. 16. Eſaiæ explet vaticinium, dicentis: Emitte agnum Domine Dominatorem terræ,
de petra deſerti ad montem filiæ Sion, hoc eſt, de Ruth gentili: Gentes enim la-
pides pro Deo colebant, & ob id à Deo deſerti erant. Ad Hieruſalem, vel potiùs
ad Eccleſiam, quæ eſt in contemplatione tanquàm ſpeculationis filia.

DE SCOPO ET INTENTIONE. TAB. 71.

DEVM PLACIDIS*ſimũ ſemper oppreſſis fuiſſe omnibus, probat ex*
- *Peregrinatione Elimelech,*
- *Reuerſione Noemi,*
- *Deſponſatione Ruth. Petr. Aureolus.*

DE LIBRI HVIVS PARTIBVS. TAB. 72.

SVNT HVIVS LI*bri 4. tantùm capita, in quibus agitur de ipſius Ruth*
- *Conuerſione ad Iudaiſmum, cap. 1.*
- *Vita & moribus, cap. 2.*
- *Occaſione futurarum nuptiarum, cap. 3.*
- *Contractu matrimonij inter ipſam Ruth & Booz, per ceſſionẽ propinquioris, cap. quarto toto.*

EPILOGVS.

FACTA videtur hæc hiſtoria anno cẽteſimo ſeptuageſimo poſt exitum ex Aegypto, anno mundi 2623.

REGVM

REGVM LIBRI, HOC EST, HISTORIA DE SECVNDA IVdaicæ adminiſtrandæ reipub. forma, Siue, de gubernatione populi Iſraelitici miniſterio Regum.

CONTINVATIO.

Bene poſt Iudicum, ſequitur liber Regum: Quoniam nunc ſunt præſules Eccleſiæ, poſtmodùm Regnum: ſeu quia præcedet iudicium, ſequetur imperium ſempiternum. Quam connexionem hic approbat gloſſa 1. Regum in principio.

TITVLI EXPLICATIO.

Regvm nominantur iſti libri ob id, quòd Regum cùm Iuda tum Iſrael, & facta contineant, & annos. Athanaſius in Synopſi.

DE AVTHORE, EX IOAN. DRIEDONE.

Dvplex eſt ſententia, quis horum librorum ſit author. Alij enim Ezechiam, alij Eſdram eos edidiſſe dicunt. Alij autem Samuelem collegiſſe geſta Eli, Saul & Dauid in primo libro Regum recitata, vſque ad ſuam mortem. Cætera autem eiuſdem Dauid geſta, vſq; ad obitum illius, Nathan & Gad prophetæ ſcripſiſſe videbãtur, propter id quod dicitur in fine primi Paralipomenon: Geſta Dauid regis priora & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan prophetæ, & in volumine Gad. Ex qua ſententia conſequens eſſe videtur, Samuelem conſcripſiſſe geſta Dauid, & ità edidiſſe eundem primum librum Regum, ſaltem vſque in cap. 25. Vbi Samuel moritur. Deindè Gad & Nathan ſcripſiſſe partes ſequentes, à dict. cap. 25. vſque in finem libri ſecundi.

Sed hoc non placet: Siquidem libri ſecundùm Hebræos inſcribũtur huius vel illius, non ſemper ob id, quòd is vel ille fuerit libri illius author, ſed interdùm ob aliam cauſam. Nam ſecundùm Hieronymum & cæteros, primus & ſecundus Regum apud illos inſcribuntur eſſe Samuelis, & tamen eſt manifeſtum, non ambos eſſe editos à Samuele.

Vndè Iſidorus & alij antiquiſſimi patres tradunt, Samuelem ſcripſiſſe primam partem primi libri Regum, Dauid autem ſcripſiſſe ſequentia vſque ad calcem ſecundi libri. Poſt mortem autem Dauid, cæterorum Regum Iſrael geſta, in tertio & quarto libris Regum ſcripta, (quę & ſparſa fuerant per ſingulorum regum hiſtorias) à diuerſis prophetis, ſecundùm ſeriem ſucceſſionis deſcripta, alij Eſdram, alij Hieremiam in vnum volumen collegiſſe tradunt. Sed quòd Hieremias id fecerit, eſſe vero ſimilius ex eo conijcitur, quòd vltimi libri Regum, & libri Hieremiæ, ſimilis eſt finis. Ioan. Driedo lib. 1. cap. 3. De ſcriptur. Eccleſiaſticis.

ARGVMENTVM. TAB. 73.

AGITVR *in his lib. de regno Iſrael.*

- VNITO, *in libro Samuelis, id eſt, Regum* — *Primo, & Secundo:*
- DIVISO, *in libro Malachim, id eſt, Regum* — *Tertio, & Quarto.*

DE PAR-

DE PARTITIONE VOLVMINIS REGVM.

TAB. 74.

REGVM LIbri *diſtinguuntur ſecundùm*
- HEBRAEOS *in libros Quatuor, videlicet*
  - *Primum,*
  - *Secundum,*
  - *Tertium,*
  - *Quartum.*
- NOSTROS, *id eſt, Græcos & Latinos, in volumina duo:*
  - *Samuelis,*
  - *&*
  - *Malachim.*

VOLVMEN SAMVELIS: QVAE PRIMA
pars eſt hiſtoriæ Regum de regno Iſrael vnito.

QVIS HVIVS VOLVMINIS SIT AVTHOR.

PATET hoc ex ijs, quę ſuprà ex Ioanne Driedone ſunt adducta. Sortitus eſt enim hic liber id nominis ab eius authore Samuele. Sed quæritur, cùm Samuel primi Regum 25. deſcribatur mortuus eſſe priùs, quàm fierent ea, quæ in ſecundo Regum libro recitantur geſta, cur D. Hieronymus dicat Samuelis eſſe? Cui quæſtioni ſic reſpondet ipſe Driedo: Priores Regum libros inſcribi Samuelis, non quòd ipſe ambos ſcripſerit, ſed quòd illorum duorum Regum, Saul inquam & Dauid, quorum geſta in his libris deſcribuntur, ipſe Samuel Propheta extitit, qui & vtrunq; in regem vnxit. Ipſe enim Samuel & vates, & Propheta, & ſacerdos fuit & Iudex populi. Niceph. lib. 2. cap. 4. Eius natiuitas deſcribitur 1. Reg. 1.

DE SAMVELIS STATV ET CONDItione, ex Eccleſiaſtico.

DILECTVS à Domino Deo ſuo Samuel Propheta, renouauit imperium, & vnxit principes in gente ſua. Eccl. 46.

DE EODEM, EX IOSEPHO.

SAMVEL filius Helchanæ viri Leuitæ, ex cõiuge Anna, quæ cùm eſſet ſterilis, ſuis precibus à Deo hunc impetrauit filium. Quem ideò parentes eius vocauerũt Samuelem, quaſi à Deo poſtulatum. Qui pleno iam anno duodecimo prophetauit. Nam & cladem prædixit Iſraeliticam, & filiorum Eli ſacerdotis perditionem. Ioſephus lib. 5. cap. 15. ex 1. & 3. cap. 1. Reg. 1.

HISTORIAE HVIVS SCOPVS ET INtentio. TAB. 75.

INTENDIT PRObare *quartam promiſſionẽ, euectionem ſcilicet filiorum Iſrael in regnum, vt appáret in*
- SAMVELE, *à princip. 1. Reg. vſque ad cap. 17.*
- DAVIDE, *per totum primum & ſecundum Regum: & primum, partìm etiam ſecundum, Paralipomenon.*
- SALOMONE, *à principio tertij Regum, vſque ad cap. 12.*

ARGVMENTVM. TAB. 76.

CONTINENtur *hoc volumine libri 2. Regum:*
- PRIMVS
- SECVNDVS
  - *De Regno Iſrael Per*
    - *Electionem,*
    - *Succeſſionem.*

REGVM

REGVM LIBER PRIMVS,

BIBLIAE IX, SAMVELIS PRIMVS,

partis ſecundæ Quartus.

De regno per electionem. TAB. 77.

- IN LIB. *Regũ primo agitur De*
  - OCCASIONIBVS *gubernationem Iudicum transferendi in arbitrium Regũ, malitia ſcilicet filiorum*
    - HELI, *cap. 2. quorum peccata punita ſunt*
      - *Debellatione populi.*
      - *Captiuatione Arcæ, ca.4. Quæ capta*
        - *Circunducitur, ca.5.*
        - *Reducitur, c.6. & 7.*
    - SAMVELIS, *qui erant auari. Propterea Iſraelitæ petunt Regem, & Deus orantem Samuelem docet ius Regis, cap.8.*
  - INITIO *Regũ, ſiue de Regno*
    - SAVLIS *labili, in quo conſiderantur*
      - *Inſtitutio, cap.9.*
      - *Vnctio, cap.10.*
      - *Confirmatio, cap. 11. Cui ſubiungitur increpatio Samuelis, qua arguit populum ingratitudinis, quòd petiêrunt Regem, cap.12.*
      - *Reprobatio: Saul enim inobediens præcepto Dei, abijcitur ab ipſo propter*
        - *Diffidentiam, cap.13.*
        - *Iuramentum, cap.14.*
        - *Cupiditatem, & elationem ex victoria, cap.15.*
    - DAVIDIS *ſtabili, in qua parte deſcribũtur*
      - *Inunctio Dauidis, cap.16. Quæ non ideò facta eſt, vt ſtatim, ſed tum demùm poſsideret, cùm ſic viſum eſſet Deo. Deus autem tolerauit Saulem in poſſeſsione Regni vſque ad mortem ſuam, vt ex perſecutione Dauid, malitia Saulis magis innoteſceret, & Dauidis innocentia atque patientia probaretur.*
        Aemulatio & inuidia Saulis, propter victoriam qua Goliath occiditur à Dauide. cap.17. & 18.
      - *Perſecutio manifeſta, qua Saul*
        - *Inuaſit*
          - *Ipſum Dauidem, cap.19.*
          - *Filium eius proprium Ionathan, cap. 20.*
        - *Eiecit Dauidem ex Regno, cap. 21. & 22.*
        - *Inſecutus eſt eundem varijs modis, cap. 23. 24. 25. & 26.*
        - *Profligauit eum in exilium, cap.27.*
      - *Mors Saulis, & exaltatio Dauidis, cap.28. 29. 30. & 31.*

REGVM LIBER SECVNDVS, BIBLIAE X, SAMVE- *lis ſecundus, Partis ſecundæ quintus.*

De regno per ſucceſſionem. TAB. 78.

DIVIDItur hic Liber IN

- *Prœmium, quomodò Saulem defleuerint.*
- HISTOriã *ſucceſſoris Saul*
  - DE *facto, Isboſeth filij Saul, quem inſtituit Abner princeps militiæ, cap. 2. Huius regnum*
    - *Debilitatur ex*
      - *Rebellione ſuorum,*
      - *Confœderatione Abner cum Dauid. cap. 3.*
    - *Deſtruitur omninò ex morte eiuſdem, ca. 4.*
  - DE *iure, nimirùm Dauidis iamdudũ inuncti à Samuele, & à Deo electi, cuius deſcribitur*
    - *Electio, & in Regem inunctio in Hebron ſuper Iudam tantùm, cap. 2.*
    - *Innocentia in proſperis, ob quam in Regẽ euectus fuerit. In qua parte ipſius deſcribuntur*
      - *Confirmatio ſuper totum regnum, cap. 5.*
      - *Deuotio erga Deum in*
        - *Deducenda arca, cap. 6.*
        - *Aedificanda domo Domini, cap. 7.*
      - *Fortitudo in debellandis aduerſarijs, cap. 8.*
      - *Pietas erga proximum, domum ſcilicet Saul propter Ionathan amicum ſuum, cap. 9.*
      - *Gratitudo pro accepto beneficio, cap. 10.*
    - *Inſolentia quæ in illo repræhẽſa & punita eſt. Vbi etiàm oſtenditur eius pœnitẽtia & patientia in aduerſis. Peccauit autem Dauid tribus modis. Per*
      - *Luxuriam c. 11. ꝓpter quã punitus eſt*
        - *Occultè occiſione pueri, cap. 12.*
        - *Manifeſtè cap. 13.*
      - *Negligentiam, cap. 21.*
      - *Superbiam, cap. 24.*
      - (*Luxuriam … Negligentiam*:) *De horũ varijs pœnis agitur à ca. 13. vſq; ad cap. 21.*
- EPILOGVM, *qui continet*
  - GRATIARVM *actionem Dauidis pro liberatione à multifarijs periculis, cap. 22.*
  - PROPHETIAM *Dauidis de futuris: cui ſubijcitur catalogus fortium virorum, cap. 23.*

EPILOGVS TOTIVS *voluminis Samuelis.*

LIBER Samuelis habet annos ab Eli vſque ad Dauidis mortem, 120. Nam Eli 40, Samuel cum Saule 40, & Dauid annos 40. regnârunt.

VOLV-

VOLVMEN MALACHIM, HOC EST,

Regum hiſtoriæ pars ſecunda De Regno Iuda & Regno Iſrael diuiſo.

DE RATIONE NOMINIS.

RECTIVS hunc librum Malachim, id eſt, Regum, quàm Malachot, id eſt, Regnorum dici, teſtis eſt Hieronymus in prologo Galeato. Non enim (vt is inquit ibidèm) multarum gentium deſcribit regna, ſed vnius Iſraelitici populi, qui tribubus duodecim continetur: A materia ſic dictus, cô quòd Regum complectatur hiſtoriam. Gloſſ. ſuper epiſtolam D. Hieronymi ad Paulinum.

AVTHOR.

QVAE in hoc continentur volumine, ſub ſingulis ſcripta ſunt Regibus. Quis verò illa omnia in hoc vnum collegerit volumen, nondùm ſatìs conſtare putant. Alij enim (vt dictum eſt) Eſdram hanc hiſtoriam contexuiſſe, alij Hieremiā eius authorem eſſe, colligunt ex eo, quòd vltimi Regum & libri Hieremiæ idem ferè ſit finis. Gloſſ. in dict. epiſtola Hieron. ad Paulinum.

ARGVMENTVM.

DESCRIBVNTVR his libris Regnum Iuda & Regnum Iſrael. Per regnum autem Iuda deſignatur paucitas fidelium: per regnum Iſrael, multitudo hæreticorum. Vndè Hieron. ad Paulinum ſic ait: Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt: Si in litera ſenſum latentem, eccleſiæ paucitas, & hęreticorum contra eccleſiā bella natrantur.

SCOPVS. TABVLA 79.

DECLARATVR *in hoc volumine effectus primæ comminationis, Deum ſcilicet fuiſſe validum eiectorem populi Iſraelitici ex decurſu Regum*
- IVDA 19.
- ISRAEL 18.

à cap. 12. tertij Regum, vſque in finem quarti.

PARTITIO. TABVLA 80.

DISTRIBVITVR *hoc volumen in duos lib. Regum poſteriores, videlicet*
- TERTIVM
- &
- QVARTVM

In quibus agitur de regno filiorum Iſrael
- *Inſtaurato & florente,*
- *Declinante & cadente.*

REGVM LIBER TERTIVS,

BIBLIAE XI, MALACHIM PRIMVS,

ſecundæ partis Sextus.

De florentis regni Dauidici ſtatu ſub imperio Salomonis.

TAB. 81.

- IN REGNO *Salomonis cõſideranda ſunt tria:*
  - VNITAS
    - ADQVISITA
      - *Electione, cap. primo.*
      - *Confirmatione, cap. ſecundo.*
    - AVCTA *& ſtabilita virtutibus, ſcilicet* — *cap. 3.*
      - *Deuotione erga Deum.*
      - *Sapientia in iudicijs.*
      - *Magnificentia in familijs.*
      - *Sanctimonia in cultu Dei & in ædificijs.*
      - *Opulentia in diuitijs.*
    - ORNATA *gloria, qua clarus & conſpicuus fuit*
      - *Familijs & ſubiectis, capite quarto.*
      - *Aedificijs, cap. 5.*
        - *Templi, ca. 6. vbi etiam de eius*
          - *Dedicatione, cap. 8. &*
          - *Remuneratione ædificantium, capite nono.*
        - *Curiæ, ſiue palatij regalis, ca. 7.*
      - DIVITIIS *& opulentia, quæ conſiſtebat in*
        - *Amplitudine ſumptuum,*
        - *Multitudine prouentuum,*
        - *Magnitudine effectuum, ca. 10.*
  - DECLINATIO, *quæ ſecuta eſt ex*
    - TRANSGRESSIONE *Salomonis, peccato videlicet*
      - *Luxuriæ,*
      - *&*
      - IDOLOLATRIAE.
    - MORTE *ipſius Salomonis, cap. 11.*
  - DIVISIO, *quæ contigit tempore Roboã, qui cõſilium ſecutus eſt iuuenum, propter quod regnum Dauid diuiſum eſt in regnũ Iuda, & in regnũ Iſrael. Hoc autem loco agitur*
    - PRINCIPALITER *De regibus Iuda duarũ tribuum Iſrael,*
    - ACCESSORIE *de regibus 10. tribuũ Iſrael, eis conregnãtibus. Atq; ſic quo ad hũc librum attinet, agitur de*
      - *Roboam & Ieroboam ſibi conregnante, cap. 12. 13. & 14.*
      - *Abia & Aſa, & Regibus Iſrael eis conregnãtibus, cap. 15. & 16.*
      - *Ioſaphat & Acbab partim ſecũ regnante. Qui reuocatur à peccatis*
        - *Signis cæleſtibus, cap. 18. & 19.*
        - *Victorijs mirabilibus, cap. 20.*
        - *Diuinis comminationibus, cap. 21. & 22.*

REGVM LIBER QVARTVS, BIBLIAE XII, PARTIS SECVNDAE VII.

De cadentis regni ſtatu, ſub imperio Regum Iuda & Iſrael.

TABVLA 82.

- QVAE HOC *vltimo regum habẽtur libro, ſub bimẽbri cõtinentur partitione : Agitur enim de Regno*
  - IVDAE *& Iſrael, eorumq́ defectione ſimul. Quæ pars complectitur acta ſub*
    - IORAM. *de*
      - *Morte & deſcẽſione ad inferos Ochoziæ impij, cap. 1.*
      - *Aſſcenſu Eliæ ad cælos, miraculis Eliſæi, & exaltatione Iehu propter virtutis cõſtantiam, à cap. 2. vſque ad cap. 11.*
    - ATHALIA, *dict. cap. 11.*
    - IOAS, *cap. 12. & 13.*
    - AMASIA, *cap. 14.*
    - AZARIA, *cum actis Ioathan, cap. 15.*
    - ACHAZ, *& eius*
      - *Præuaricatio, cap. 16.*
      - *Totius regni Iſraelitici exterminatio, quæ ex præuaricatione illa conſecuta eſt, cap. 17.*
  - IVDAE *& eius deſtructione per ſe: vbi ponũtur ea, quæ geſta ſunt ſub*
    - EZECHIA, *cap. 18. 19. & 20.*
    - MANASSE *& Amon, cap. 21.*
    - IOSIA *& Ioachaz, cap. 22. & 23.*
    - IOACHIM, *eiusq́ filio, cap. 24.*
    - SEDECHIA, *cap. 25.*

EPILOGVS MALACHIM.

ANNOS complectuntur duo libri Malachim, à Regno Salomonis vſque ad captiuitatem Babylonicam, quadringentos vigintiquinque.

EPITOME RERVM GESTARVM SVB REGIbus Iudæ, ex ſynopſi diui Athanaſij. TABVLA 83.

DAVID.

POST *interitum Saulis, qui annos regnauerat quadraginta, regnauit David ſuper vniuerſum Iſraelem & ipſe annos xl. in Hebron ſeptem, deindè ſuper omnem Iſraelem & Iuda xxxiij. & fecit quod rectum erat corde perfecto. ſub hoc erant Prophetæ, Samuel, Nathan, Gad.*

SALOMON FILIVS DAVID.

ET IPSE *ſuper omnem populum regnauit annos xl, & fecit quod malum erat. Sub iſto erant Prophetæ Nathan & Gad.*

ROBOAM FILIVS SALOMONIS.

REGNAVIT *annos xvij, & fecit quod malum erat: Sub hoc ſciſſum eſt regnum. Manſerunt autem cum ipſo in Hieruſalem tribus duæ, Iuda & Beniamin: in Samaria verò reliquæ decem. Habuit ſub ſe prophetas, Abian Silonitem, & Semeiam, & Addo.*

ABIA FILIVS ROBOAM.

ANNOS *regnauit iij. Cor huius non erat perfectum, ſicut Dauidis, ſed ambulauit in peccatis Patris ipſius. Sub hoc vixit Addo Propheta.*

ASA FILIVS ABIAE.

QVADRAGINTA *vnum regnauit annos, & fecit quod rectum erat: veruntamen adhuc manebant excelſa. Sub iſto prophetæ erant, Azarias filius Oded, & Anani.*

IOSAPHAT FILIVS ASAE.

REGNAVIT *annos xxj, & fecit quod rectum erat: attamen adhuc erant excelſa. Tandèm verò culpari meruit, quòd amicitiam iunxerat cum Ochozia rege Iſrael, & in ſtructura nauium ſocius illi fuerat. Sub hoc erant Prophetæ Elias, Eliſæus, Michæas, Iehu filius Anani, Iaziel filius Zachariæ, & Eliezer filius Dodahu de Mareſa.*

IORAM FILIVS IOSAPHAT.

ANNOS *regnauit octo, & fecit quod malum erat. Habuit enim vxorem filiam Achab. Sub hoc erant Prophetæ Elias & Eliſæus.*

OCHOZIAS FILIVS IORAM.

VNICVM *regnauit annum, & fecit quod malum erat.*

ATHALIA REGINA.

MATER *ipſius Ochoziæ regnauit annos ſeptem.*

IOAS FILIVS OCHOZIAE

REGNAVIT *annos xl. Iſte occidit Zachariam, & donèe Ioiada vir prudens viueret, à quo inſtruebatur, fecit quod rectum erat. Hunc interfecerunt ipſius ſerui in domo Mello. ſub iſto Prophetauit Zacharias filius Ioiadæ.*

AMASIAS FILIVS EIVS

VIGINTINOVEM *annos regnauit, & fecit initio regni quod rectum erat, ſed non ſicut David. Nam adhuc populus immolabat in excelſis, & lucos non excidit. Sub hoc prophetârunt Prophetæ quidam, quorum tamen nomina ſcripta non ſunt. Poſteaquàm verò eos, qui in monte Seir habitabant, percuſſit, in ſuperbiam elatus, ſimulacra eorũ quos percuſſerat, coluit: ob quam cauſam & in manus hoſtium traditus, percuſſus eſt.*

AZA-

AZARIAS, QVI ET OZIAS,

ANNOS *regnauit 52. & primùm quod rectum erat, fecit, ſicut & Pater ipſius, excelſa tamen non ſuſtulit. Vbi verò rerum ſucceſſu potiri cœpit, elatus eſt animo, voluitque per ſeipſum immolare in templo, quod ſolis Sacerdotibus licebat. Quapropter & lepra percuſſus eſt, poſtquàm audiſſet, Non tuum eſt, Ozia, immolare Domino, ſed ſacerdotum filiorum Aaron, qui ad hæc ſanctificati ſunt. Sub hoc prophetauit Eſaias.*

IOATHAM FILIVS AZARIAE.

REGNAVIT *annos ſedecim, & fecit quod rectum erat: quẽadmodùm pater eius, veruntamen excelſa non eſt demolitus: & ſub hoc erat Eſaias.*

ACHAZ FILIVS IOATHAM.

TOTIDEM *regnauit annos, & fecit quod malum erat: & ſub iſto prophetauit Eſaias, deindè & Oded.*

EZECHIAS FILIVS EIVS.

ANNOS *regnauit 29. & fecit quod rectum erat, ſicut Dauid, perfectè. Iſte demolitus eſt ſerpentem æneum, quem ſuſpenderat Moiſes: Sub hoc quoquè prophetauit Eſaias. Iſto regnante, Sennacherib & Rapſaces Aſſyrij Dominum blaſphemauerunt, qui quidem poſteà percuſſi ſunt, tum autem vna nocte cæſi ſunt ab angelo de illorum exercitu millia centum octogintaquinque. Ezechias verò cùm ægrotaret, vt iam moriturus eſſet, ad prorogationem vitæ annos accepit quindecim.*

MANASSES FILIVS EZECHIAE

QVINQVAGINTAQVINQVE *annos regnauit, & malum fecit. Quæ nanque Ezechias pâter eius demolitus fuerat, ipſe reſtituit: Alter Ieroboam factus eſt Iudæ, vt huius gratia idem acciderit Hieruſalem, quod Samariæ. Huius enim gratia repræhenſus eſt, quòd peccare fecerat Iudam, ob quã cauſam & in Babylonem captiuus abductus eſt. In captiuitate tamen conſtitutus, queṁadmodùm in Paralipomenis ſcriptum eſt, pœnitentiam egit, atque ità emendatum Deus in Hieruſalem reduxit: vbì & regnum recuperauit. Poſtquàm verò pœnitentiã egiſſet, & populum, vt Deo ſeruiret, docuiſſet, tandèm mortuus eſt. In ciuitate tamen Dauid non eſt ſepultus, ſed in horto ſuo, horto Ozam.*

AMON FILIVS MANASSAE

DVOS *regnauit annos, & fecit quod malum erat, ſicut pater eius Manaſſes, & occiderunt illum ſerui ipſius, ſepultuſque eſt in horto Ozam, in quo ſepultus eſt & pater ipſius.*

IOSIAS FILIVS AMON

REGNAVIT *annos triginta vnum. Hunc populus regem creauit, cùm annos octo natus eſſet, & fecit quod rectum erat, ambulans in omni via Dauid, nec declinans neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Vniuerſos quippe lucos ſuccidit, & cuncta ſimulacra ſuſtulit, cùm annorum eſſet ſedecim: Legem verò Dei quæſiuit, & cùm neglectam inueniſſet, legi curauit, ac Paſcha celebrandum præconis voce promulgauit, celebrauitque. ſicut ſcriptum eſt. Iſtum occidit Pharao Nechao ad Euphratem, cùm velut amicus ad eum veniſſet. Sub hoc fuerunt Prophetæ Ieremias, Sophonias, & Olda prophetiſſa, vxor Sellum.*

IOACHAZ FILIVS IOSIAE.

MENSES *regnauit tres, & fecit quod malum erat. Tranſtulit hunc Pharao Nechao. Sub hoc quoquè prophetauit Ieremias.*

ELIACHIM, ALTER FILIVS IOSIAE.

QVI *& Ioachim nominatus eſt, regnauit annos 11. & fecit quod malum erat.*

IOACHIN, QVI ET IECHONIAS FILIVS Eliachim.

SIMILITER *menſes regnauit tantùm tres, & fecit quod malum erat, tranſlatusque eſt in Babylonem.*

MATHANIAS FILIVS IOSIAE.

HVNC *Nabuchodonoſor conſtituit Regem. Sedechiamque mutato nomine vocauit, regnauitque annos 11. & fecit quod malum erat. Sub iſto quoquè erat Ieremias. Ad hunc vſque durauit regnum Iuda* Regnū Iuda diſſipatum. *ſub quo diſſipatum eſt, ſicut & regnum Samariæ. Vrbs nanque Hieruſalem capta, & vniuerſi in Babylonem captiui, ablatis quoquè templi vaſis, abducti ſunt.*

EPILOGVS.

REGES itaque in Ieruſalem à Dauide vſque ad captiuitatem Babylonicam, fuerūt 21. præter Athaliam Reginam, quæ & ipſa (ſicut dictum eſt) poſt Ochoziæ filij mortem ſeptem annos regnauit. Athanaſius in Synopſi De ſcripturis diuinis.

EPITO-

EPITOME RERVM GESTARVM SVB REGIBVS
Iſrael, qui regnârunt in Samaria. TABVLA 84.

IEROBOAM FILIVS NABATH.

HIC *cùm rediſſet ex Aegypto, diuiſo regno, regnauit in Samaria. Tam inſigniter autem, quod malū erat, fecit, vt ſimilis illi non fuerit. Veritus enim nè facta defectione ſubuerteretur, duos aureos vitulos fecit, populumque ſeduxit, dicens: Hi ſunt dij tui, qui reduxerunt vos ex Aegypto. Inſtituit etiam populo dies feſtos ac ſacerdotes, atque ità peccare fecit & aberrare Iſraelem. Ipſum enim omnes poſteri Reges imitati ſunt. Regnauit autem annos 22. Sub hoc erat Propheta Achia Silonita, & qui contra ipſum & altare ipſius clamauit.*

NADAD FILIVS IEROBOAM.

REGNAVIT *annos duos, & fecit quod erat malum. Nec ampliùs poſt illum de genere ipſius quiſquam regnauit.*

BAASA DE ALIA STIRPE, ET ELA filius eius.

ANNOS *regnauit 24. & fecit quod malum erat, nec de huius ſtirpe poſteà quiſquam regnauit, præterquàm filius eius Ela duobus annis, fecitque malum.*

ZAMBRI, ET AMRI ALTERIVS GENERIS.

DIEBVS *ſeptem regnauit, & quod malum erat, fecit. Cui ſucceſſit Amri princeps militiæ, & regnauit 12. annos, & operatus eſt nequiter ſuper omnes qui fuerunt ante eum.*

ACHAB FILIVS AMRI.

VIGINTIDVOS *regnauit annos, & præ cæteris, quod malum erat, fecit. Sub hoc Prophetæ erant Elias, Eliſæus, Michæas, & qui Regi Achab de Syria & filio Ader prophetauit, & qui proprio iuſſu percuſſus ac vulneratus, Regem Achab redarguit. Et prætereà ſeorſim habitantes multi Prophetarum filij.*

OCHOZIAS FILIVS ACHAB.

REGNAVIT *annos duos, & fecit, quod malum erat. Sub hoc quoquè erat Elias & Eliſæus, Quinquagenarios enim illius igne cælitùs in verbo Domini percuſſit Elias.*

IORAM ALTER FILIVS ACHAB.

ANNOS *regnauit 12. & fecit quod malum erat. Poſt hunc nemo ampliùs de hac ſtirpe regnauit. Sub iſto aſſumptus eſt in cælum Elias. Eliſæus verò perdurauit vſque ad Ieroboam filium Ioas Regem Iſrael. Erant autem ſub iſtis etiam filij Prophetarum.*

IEHV DE ALIA STIRPE FILIVS Ioſaphat.

VIGINTIOCTO *regnauit annos. Hic genus Achab ſuſtulit, ſtatuamque illius contriuit, & Prophetas Baal per inſidias occidit. Et hactenùs quidem fecit quod rectum erat, promiſſionemque accepit, quòd 4. ipſius filij ſeſſuri eſſent ſuper thronum Iſrael: veruntamen legem Domini non ſeruauit toto corde. Neque enim à peccatis Ieroboam abſtinuit propter vitulos aureos.*

IOACHAZ

IOACHAZ FILIVS IEHV, ET IOAS.

SEPTENDECIM *annos regnauit, fecitque quod malum erat. Ieruſalem expugnauit, & templi aurũ & vaſa abſtulit. Huic ſucceſsit Ioas filius eius, qui regnauit annis 16. fecitque malum in conſpectu Domini.*

IEROBOAM FILIVS IOAS.

REGNAVIT *annos 41. & fecit quod malum erat.*

ZACHARIAS FILIVS IEROBOAM.

MENSES *regnauit 6. & operatus eſt malum. Hactenùs poſteritas Iehu in quartam generationem durauit.*

SELLVM EX ALIA PROGENIE FILIVS IABIS.

DIES *tantùm regnauit 30. & quod malum erat, operatus eſt.*

MANAHEN EX ALIO GENERE FILIVS GADI.

DECEM *annos regnauit, & operatus eſt quod malum erat.*

PHACEIA FILIVS MANAHEN.

ANNOS *regnauit duos, & fecit quod malum erat. Sub hoc prophetârunt Eſaias & Oſee.*

PHACEE DE ALIA STIRPE FILIVS ROMELIAE.

REGNAVIT *annos 20: Hic occidit Phakeiam, & fecit quod malũ erat. Sub hoc quoquè erant Eſaias & Oſee Pr ophetæ.*

OSEE ALIVNDE NATVS, FILIVS ELA.

Finitũ regnũ Samariæ.

NOVEM *regnauit annos. Iſte occidit regem Phakee, & operatus eſt malum. Veruntamen non ſicut qui ante ipſum regnârunt. Sub iſto Oſee finitum eſt Regnum Samariæ. Tunc enim ceſſauit ac perdita eſt Samaria. Quam deincèps Aſſyrij inhabitârunt, ex quibus orti ſunt hæretici Samaritæ. Athanaſius in Synopſi.*

Samaritæ hæretici.

EPILOGVS.

TABVLA 85.

SVMMA- *ta tempora eorum, qui*

- HIEROSOLYMIS *à tẽpore Dauidis vſq; ad Sedechiam regnârunt, conſtituunt*
  - ANNOS *quadringentos.*
  - REGES, *dempta Athalia, eiuſdem ſtirpis, videlicet Dauid, viginti vnum. Ex his fecerunt quod erat*
    - *Rectum, 9.*
    - *Malum, 12. extepta Athalia.*
- IN SAMARIA *à Ieròboam vſque ad Oſee regnârũt, ſunt*
  - ANNI 241.
  - REGES VNI- *uerſi decem & nouem. Horum*
    - *Octo regnum inuaſerunt.*
    - *Omnes verò ſecundùm peccatum Ieroboam, quod malum erat, fecerunt.*

PARALIPOMENON,

HOC EST,

SVPPLEMENTVM HISTORIAE SACRAE,

ſeu totius penè veteris inſtrumenti Epitome.

CONTINVATIO.

Cvm huius voluminis eadē ferè ſit materia, q̄ eſt prioris, ſcilicet Regum, idemq́; (vt mox patebit) huius ſit, qui illius eſt finis, rectè poſt principales illos libros, q. bus Regum acta deſcripta ſunt, hi ſequuntur veluti acceſſorij, in quibus ſupplentur ea, quæ illic omiſſa videri poterant. Differunt tamen, quòd in Regum libris de regno vtroque, hoc eſt, tam Iſtael quàm Iuda, hîc tātùm de Iuda Regibus agatur. Gloſſa hîc in Prologo D. Hiero. 1.

RATIO NOMINIS.

Graeca eſt huius voluminis inſcriptio Paralipomenon, quæ Latinè redditur, *L*iber prætermiſſorum. Iſidorus lib. 6. Etymolog. At iuxta Hebræum, aliqui Latinè verterunt, Verba dierum. Hinc Hieron. in Prologo galeato ſignificantiùs hūc librum dici putat chronicū totius diuinæ hiſtoriæ, id eſt, temporaneū, vel Chronica chronicorum, eô quòd totum complectatur tempus ab Adam vſque ad captiuitatem Babylonicam factam ſub Sedechia, in qua terminatur vltimus liber Regum, ſicut & ſecundus Paralipomenon. Gloſſ. in 1. Prol. D. Hieron. *Chronica Chronicorū.*

AVTHOR.

Hos libros quis contexuerit, à quibuſdam incertum creditur. Alij enim autumāt ab Eſdra, alij ab Hieremia conſcriptos: Rabbi tamen Salomon ſcribit Eſdram in vnum collegiſſe volumen ſingulorum Regum hiſtorias ſparſas, & à diuerſis prophetis ſecundùm ſeriem ſucceſſionis ſcriptas. Ioan. Driedo lib. 1. De Scriptur. Eccleſiaſt. cap. 3.

ARGVMENTVM

Paralipomenon liber, inſtrumenti veteris Epitome, tātus ac talis eſt, vt abſq; illo ſi quis ſcientiam ſcripturarum ſibi voluërit arrogare, ſemetipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina, iuncturasq́ue verborum, & prętermiſſæ in libris Regum tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Euangelij Quæſtiones. Hieron. ad Paulin. cap. 7.

SCOPVS. TABVLA. 86.

EFFECTVM OSTENDIT *ſecundæ comminationis, Deum ſcilicet fuiſſe fortiſſimum Regum expulſorē: & captiuitatē populi ſub regibus Aſſyriorū & Chaldæorum*	TEGLAT *phalaſar,* SALMANASAR, NABVCHODONOSOR.	*A fine Regū quarti, vſque in fin. Paralipomenon 2.*

DE PARTITIONE PARALIPOMENON

in genere.

Apvd Hebræos Paralipomenon liber vnus eſt, & apud illos vocatus Dibre haiamim, id eſt, Verba dierum, qui propter magnitudinem apud nos diuiſus eſt in libros duos. Hieron. hîc in Prolog. 1. In quorum primo habetur omnium tribuum Genealogia, ab Adam vſque ad reges ſecundùm tribus & populos & gentes: In ſecundo verò exponuntur geſta Regum.

PARA-

PARALIPOMENON PRIMVS, BIBLIAE 13, PARTIS SECVNDAE octauus. De regno Dauidis. TABVLA 87.

DAVIdis in hoc libro recenſentur

- GENEALOGIA ꝑ duas generationes: Ab
  - ADAM vſq; ad Iacob, cap. Primo,
  - IACOB vſq; ad Tranſmigrationem Babylonis. cap. Secundo cum ſequentibus.
- ELECTIO, *cap.* 10.
- VNCTIO, *cap.* 11. *iunctis auxilijs quibus regnum fuit adeptus, cap.* 12.
- GVBERNATIO *ſiue diſpoſitio regni, cap.* 13.
- VIRTVTES,
  - PRVDENTIA *in rebus agendis, cap.* 14.
  - PIETAS *in fouendo cultu diuino, cap.* 15. 16. *&* 17. *Ex quo conſecutus eſt*
    - *Ampliationem Regni, cap.* 18.
    - *Defenſionem ab inimicis, ca.* 19. *&* 20.
- SVPERBIA, *cap.* 21.
- RES GESTAE *& cura circa*
  - CVLTVM *Dei, ca.* 22.
  - MINISTERIVM *domûs Domini, cui præfecit*
    - *Leuitas, cap.* 23.
    - *Sacerdotes, cap.* 24.
    - *Cantores, cap.* 25.
    - *Ianitores & Sacriſtarios, cap.* 26.
  - GVBERNATIONEM *populi,* 27. 28. *&* 29.

PARALIPOMENON SECVNDVS LIBER, BIBLIAE 14, SECVNdæ partis nonus. TABVLA 88.

DE *regno Salomonis*

- INTEGRO & *vnito, in quo nobis 2. proponũtur inſignia:*
  - PIETAS *in diuinis, præſertim cura circa ædificationem templi, à principio vſque ad cap.* 8.
  - MAGNIFICENTIA *in humanis. ca.* 8.
  - *Quib' rebus parauit ſibi* *Formam & Nominis gloriam.* *Cap.* 9.
- DIVISO, *cap.* 10. *vbi deſcribuntur tẽpora ſiue res geſtæ ſub temporibus*
  - ROBOAM *filij Salomonis, cap.* 11. *&* 12.
  - ABIAE, *cap.* 13.
  - ASA, *cap.* 14. 15. *&* 16.
  - IOSAPHAT, *cap.* 17. 18. 19. *&* 20.
  - IORAM, *cap.* 21.
  - OCHOSIAE, *cap.* 22.
  - IOAS, *cap.* 23. *&* 24.
  - AMASIAE, *cap.* 25.
  - OZIAE, *cap.* 26.
  - IOATHAN, *cap.* 27.
  - ACHAZ, *cap.* 28.
  - EZECHIAE, *cap.* 29. 30. 31. *&* 32.
  - MANASSE, *cap.* 33.
  - IOSIAE, *cap.* 34. *&* 35.
  - FILIORVM *eius, cap.* 36.

DE SCRI-

DE SCRIPTIS PROPHETARVM, QVORVM IN libris, Paralipomenon ſubindè facta eſt mentio. TABVLA 89.

HISTORIAS ... SCRIPſerunt

HISTORIAS	SCRIPſerunt
DAVIDIS	*Samuel, Nathan & Gad.*
SALOMONIS	*Nathan & Abia.*
ROBOAM	*Semeias & Addo Prophetæ.*
ABIAE	*Addo propheta.*
ASAE	*Habentur in lib. Sermonum de regibus Iuda.*
IOSAPHAT	*Iehu propheta filius Hanani.*
IOAS	*Relata ſunt in ſcripturam Regnorum.*
AMASIAE	*Sunt in libro Regum Iuda & Iſrael.*
OZIAE	*Eſaias Propheta.*
IOATHAN	*Sunt in lib. Reg. Iuda & Iſrael.*
ACHAZ	*In lib. habentur Reg. Iuda & Iſrael.*
EZECHIAE	*Eſaias propheta filius Amos.*
MANASSAE	*Relata ſunt in Sermonem Videntium.*
IOSIAE	*In lib. ſunt Regum Iuda.*
IOACHIM	*In lib. habẽtur Reg. Iuda & Iſrael. Athanaſ. in Synopſi.*

ESDRÆ

ESDRAE LIBRI QVATVOR DE TERTIA REIP. IVDAICAE FORMA,

ſiue de gubernatione populi Iſraelitici miniſterio Pontificum.

CONTINVATIO.

Poſt Iudicum Regumq́; imperium, rectè nunc de Pontificum agitur poteſtate. Hoc autem opus quadripartitum, prioribus duobus libris ob id ſtatim adiectum aliqui putant, quòd finis ſecundi Paralipomenon, idem ſit cum principio Eſdræ. Hieron. in lib. de Hebraic. Quęſtio. Alij verò hos libros propheticis ſcripturis de ipſa captiuitate Babylonica, ferè omnibus poſtponere, & Malachiæ libro adnectere ſolent, vt Auguſtinus de ciuitat. Dei lib. 18. cap. 36. & Hieron. tam in prolog. Galeato, quàm in epiſtola ad Paulin. Sunt etiam qui his libris pręponant Tobiã, eò quòd hiſtoria eius pręceſſerit. Gloſſa hîc in principio Eſdræ.

ESDRAS QVIS FVERIT, EX GLOSS.

Esdram tradunt quidam eſſe Malachiam Prophetam, quia plura quæ in eius libro continentur, hîc etiam commemorat, dicens: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, Malach. 2. alij aſſerunt eſſe Ioſedec patrem Ieſu ſacerdotis magni, Eſdram verò eſſe ſacerdotem, virum iuſtum & glorioſum. Gloſ. ord. 1. Paralipomenon 6. Quem alibi etiam eum ſcriptura velocem appellat ſcribam, & Sacerdotem, qui tempore Nehemiæ reparauerit libros veteris teſtamenti per Chaldęos combuſtos. Gloſſa in pręfat. Hieron. ad lib. Regum, & 2. Machabæorum 2. Is etiam promptiores inuenit literarum figuras, quàm antea Hebręi habuerunt. Gloſſ. & Beda Eſdræ 7.

DE EODEM, EX IOSEPHO.

Erat autem in Babylone vir iuſtus, & gloria magna politus apud multitudinẽ, primus populi ſacerdos nomine Eſdras, qui cùm legum Moiſis integram haberet experientiam, Xerxi regi amicus factus eſt. Quem in literis ſuis lectorem nominat Legis Dei, deditq́; ei plenam veræ religionis inſtituendæ facultatem, ſic ei ſcribens inter cætera: Sed etiam tu Eſdra, ſecundùm Dei ſcientiam cenſores ordina, qui Syriæ & Phœniciæ tuam legem ſcientibus indicent, eamque diſcendam ignorantibus trade. Et ſi quis ex gente tua, Dei ſui legem vel Imperatoris tranſgreſſus fuerit, puniatur, & vel morte condemnetur, aut pecunijs &c. Atque hunc Eſdram contigit poſt gloriam quam apud Deum habuerat, in ſenectute venerãda finire vitam, & in Hieroſolyma multa ſepeliri liberalitate. Ioſeph. lib. 11. cap. 5.

SCOPVS. TABVLA 90.

EFFECTVM CONTINET QVINtæ promiſſionis, *Deum ſcilicet ſuos nunquàm dereliquiſſe, ſed propitium fuiſſe reductorem filiorum Iſrael, & defenſorem in captiuitate, SVB*
- CYRO,
- DARIO,
- REGIBVS *Medorum.*

PARTITIO. TABVLA 91.

ESDRAE LIBRI *ab Hebræis in vnum contracti ſunt volumen. Nonnulli in 4. partiũtur libros. Quorum alij ſunt*
- CERTI, *authentici, & canonici*
  - PRIMVS, *qui propriè dicitur Eſdræ.*
  - SECVNDVS, *Nehemiæ.*
  - *Sæpè tñ hæc cõfundi ſolẽt, & vterq; dicitur Eſdræ.*
- INCERTI *& apocryphi,*
  - TERTIVS *&* QVARTVS.

ESDRÆ

ESDRAE PRIMVS LIBER, BIBLIAE XV, PARTIS SECVNDAE DECIMVS.

RATIO NOMINIS ET AVTHORIS.

AB authore hoc nomẽ obtinuit. Eſdras enim iſte cùm & ſacerdos eſſet & lector, reditum filiorum Iſrael ex Perſia ad Hieruſalem deſcripſit. Athanaſius in ſynopſi. Eſdras autem qui interpretatur adiutor, clarus habetur in Babylone anno 7. Darij Mnemonis magni Artaxerxis, qui facultatem dedit illi, vt cum populis & ſacerdotibus illic relictis, redire in Hieruſalem volentibus, aſſcenderet in terram ſanctam, ad explendum omnia ad Dei cultum in templo iam ædificato pertinentia, prohibens etiam vectigalia imponi ſacerdotibus, dans eiſdem per Eſdram poteſtatem conſtituendi iudices ac Preſides, qui reos iudicent, ſiue in mortem, ſiue in exilium, ſiue in carcerem, ſiue in condemnationem ſubſtantiæ eorũ, 1. Eſdrę 7. *Sacerdotum poteſtas & authoritas.*

ADHVC DE EODEM ESDRA, ex Auguſtino.

ESDRAS magìs rerum geſtarum ſcriptor eſt habitus, quàm Propheta. Et infrà, niſi fortè Eſdras in eo Chriſtum prophetâſſe intelligendus eſt, quòd inter quoſdam iuuenes orta quæſtione, quid ampliùs valeret in rebus, cùm Regem vnus dixiſſet, alter vinum, tertius mulieres, quæ plerunquè regibus imperarent, idem tamen tertius Veritatem ſuper omnia demonſtrauit eſſe victricem: conſulto autem euangelio, Chriſtum agnoſcimus eſſe Veritatem. Auguſtinus De Ciuitate Dei lib. 18. cap. 36. *3. Eſd. 3. & 4* *Ioan. 14.*

ARGVMENTVM.

SCRIPSIT hunc librum Eſdras de rebus geſtis filiorum Iſrael, priuſquàm ex Babylone in Hieruſalem aſſcenderet Nehemias.

PARTITIO. TABVLA 92.

AGITVR hoc libro de
- REDVCTIONE *populi ſub Ieſu filio Ioſedec, à principio vſque ad cap. 7.*
- INSTRVCTIONE *reducti populi per Eſdram legis Doctorem, cap. 7. & indè vſque in finem.*

ESDRAE SECVNDVS
LIBER, BIBLIAE XVI, PARTIS SECVNDAE XI, DICTVS NEHEMIAE.

ET NOMINIS ET AVTHORIS RATIO QVAE SIT.

Et hic liber ab authore ſuo ſic eſt inſcriptus. Athanaſ. in ſynopſi. Quę Nehemias ſcripſit de rebus Iudæorum & de ædificatione Ciuitatis Hieruſalē, ſub ſuo ſeculo geſtis. Nehemias autem, qui Latinè dicitur cōſolator à Domino, clarus habetur ſub eodē Dario Mnemone, anno regni eius 20. quo ex Babylone venit in Hieruſalē, ſub Eliaſib Pontifice, habens à Rege facultatē reędificādi muros Hieruſalē.

RATIONIS REDDITIO.

Sortitvr aūt hic liber ſecundus nomen Eſdræ ob duas cauſas. Prima eſt, quia liber ille cōtinet ea, q̄ ſub vtriſq; ſimul ſunt geſta. Deindè, q̄a ſecūdùm Hebręos, duo iſti libri in vnū librū ſeu volumen cōnectuntur, qui apud Gręcos & Latinos, in duos libros diuiſus eſt, vt patet ex Prolog. Galeato. Vndè & ipſe Hiero. in prologo Eſdræ: Apud Hebræos, inquit, Eſdrę Nehemięque ſermones in vnum volumen coarctantur.

ITERVM DE NEHEMIA, EX IOSEPHO.

Nehemias Iudęus, Xerxis Perſarum regis pincerna, qui accepit à Rege poteſtatem, vt muros Hieroſolymę reædificaret, ac reliquam partem templi perficeret: Quos labores per annos ſuſtinuit duodecim & mēſes quatuor. Ac vbi multa bona & laudibus digna, cum ſumma feciſſet magnificentia, ad ſenectutem perueniens, defunctus eſt, vir benignus & natura iuſtus, atque munificentiſſimus erga ꝓpriam gētem: qui in ſui memoriam æternam, muros Hieroſolymitanos reliquit. Ioſephus lib. 11. cap. 5.

QVOD NEHEMIAS IN SACRIS LITERIS HAbeat teſtimonium, ex Eccleſiaſtico.

Et Nehemias in memoria multi temporis, q̄ erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui erexit domos noſtras. Eccl. 49.

BEDA DE EODEM, NEEMIAE 5.

Atqve vtinàm aliquis in diebus noſtris Nehemias, id eſt, conſolator à Domino veniens, mores noſtros compeſcat, & pręcordia noſtra ad amorem diuinum accendat, & manus noſtras à proprijs voluptatibus auertens, ad conſtruendā Chriſti conuertat ciuitatem. Ibid. & Gloſa ordinar.

DE EIVSDEM SIGNIFICATIONE MYSTICA.

Nehemias interpretatur Latinè, conſolator Dominus, vel conſolator à Domino, qui cùm renouauerit muros Hieruſalem, & populum Dei ab hoſtium inſultatione liberatum, in diuinæ legis obſeruantia ſublimauerit, profectò conſtat, q̄a & vocabulo, & opere, & perſona ſua non inconuenienter mediatorē Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum deſignet, qui ſe ad cōſolationem pauperum ſpiritu miſſum inſinuat, cùm aſſcenſurus in cælum, diſcipulis ait: Ego rogabo patrem, & alium paracletum, hoc eſt, conſolatorem dabit vobis. Ioann. 14. Beda in Nehemiam, in princip.

ARGVMENTVM.

Continet hiſtoriam de reędificatione muri per Nehemiam, qui fuit miſſus tanquàm Dux à latere Regis ad reædificationem ciuitatis.

PAR-

PARTITIO. TABVLA 93.

NEHEMIAS *à rege miſſus, venit in Hieruſalem,*

- PRIMO *ad reædificationem ciuitatis Hieruſalem, in quo aduentu*
  - VENIT *primò ad ciuitatem, cap. 1. & 2.*
  - MVRO *circunductò muniuit eam, à cap. 3. vſq, ad ca. 7.*
  - EANDEM *portis clauſit & vectibus, cap. 7.*
  - CIVITATE *clauſa, menſem ſeptimum celebrauit feſtiuum, cap. 8.*
  - POPVLOSAM *reddidit, cap. 11.*
  - DEDICAVIT *eam miniſterio Sacerdotum, cap. 12. Vbi conſequenter etiam Genealogia Sacerdotum & Leuitarum deſcribitur.*
- SECVNDO, *ad malorum in eius abſentia ortorum, correctionem, cap. 13.*

ESDRAE TERTIVS ET QVARTVS LIBER, PARTIS SECVNDAE XII, ET XIII.

De titulo & vtriuſque authoritate.

DICVNTVR hi libri propterea tertius & quartus, quia apud Græcos & Latinos ſuperior liber Eſdræ diuidebatur in duos. Hieron. in Prolog. Galeat. Sunt autem Apocryphi, teſte Hiero. in prolog. Eſdræ: nec in Eccleſiaſticũ canonem recepti, quemadmodùm ex Tridentino concilio, Florent. Carthag. & alijs manifeſtũ eſt.

Pauca tamen in gratiam Lectoris de his ſubijciemus.

ARGVMENTVM CVM PARTITIONE.

TABVLA 94.

CONTINET *repetitionem alibi deſcriptorum, hoc ordine:*

- PRIMO, *Quædam alibi ſcripta repetit, cap. 1. & 2. lib. 3.*
- SECVNDO, *Quæ huius libri ſunt propria, ſubiungit, cap. 3. & 4.*
- TERTIO, *redit ad repetitionem eorũ, quæ alibi ſcripta ſunt, ca. 5. & ſeq.*
- QVARTO *deſcribuntur viſiones Eſdræ, toto lib. 4.*

SVMMA EORVM, QVI EX CAPTIVITATE rediérunt Hieroſolymam. TABVLA 95.

EX CAPTI. *uitate aſcenderunt Hieroſolymam*

- HOMINES
  - DE *tribubus Iuda & Beniamin cum Leuitis, in vniuerſum numero quadragintaduo millia, trecenti & ſexaginta.*
  - SERVI *& ancillæ ſeptem millia, trecenti trigintaſeptem.*
  - CANTORES *ducenti quadragintaquinque.*
- CAMELI *quadringenti trigintaquinque.*
- ASINI *ſex millia, ſeptingenti viginti. 1. Eſd. 2. 2. Eſdræ 7. & 3. Eſd. 5.*
- AEDIFICATORES *autem erant Zorobabel, & Ieſus filius Ioſedech, & Nehemias.*
- ESDRAS *verò cùm eſſet dexter in cognitione legis, legem proferebat & legebat, diſponebatque cuncta ad templum pertinentia, & Leuitas quoquè ex lege ipſe deſignabat. Præterea & alienigenas vxores abijci curauit ab illis, quæ eas tempore captiuitatis duxerant. Abiecerunt enim illas omnes, & mundatæ ſunt, & Paſcha (ſicut ſcriptum eſt) & ieiunium legitimè ſeruârunt. Athanaſius in Synopſi.*

PARASCEVE AD RELIQVORVM LIBRORUM hiſtorialium explicationem, & quæ illorum ſit ſumma.

TABVLA 96.

LIQVIDAM FACIunt hi libri *Quintam & poſtremam promiſſionem, quam ſuprà attigimus, Deum ſcilicet præcipuum fuiſſe adiutorem populi Iſraelitici in tempore captiuitatis. Adſtitit enim*

- TOBIAE,
- IVDITH *& vniuerſo populo,*
- HESTER *& toti populo,*
- MACHABAEIS *& omni populo,*

SVB *captiuitate*

- *Aſſyriorum,*
- *Nabuchodonoſor, Chaldæorum, ſeu Aſſyriorum ſecunda,*
- *Medorum,*
- *Græcorum, Pet. Aureolus.*

TOBIÆ

TOBIAE LIBER, BIBLIAE XVII, PARTIS SECVNDAE XIIII.

Id eſt, hiſtoria de vita & moribus Tobiæ, in qua proponitur exemplum crucis in matrimonio.

RATIO INSCRIPTIONIS.

TOBIAE vocatur hic liber propterea, quòd hiſtoriã illius habet. Erat autem hic de tribu Nephtalim, in captiuitate conſtitutus in ciuitate Niniue, miſericors, & timens Dei. Athanaſ.

QVO TEMPORE FACTA SIT HISTORIA TOBIAE.

PRAECESSIT autem Tobias hiſtoriam Iudith, vt dicunt, plùs minùs ducentos vigintiquinque annos.

AVTHOR.

INCERTI eſt authoris, & inter Apocrypha à Iudæis numeratur hic liber. Hebræi enim ſecârunt eum à catalogo diuinarum ſcripturarum, & mancipârunt his, quę hagiographa memorant. Hieron. hîc in præfatione ad Chromatium. Cùm itaq; liber iſte eorum, quos illi vocant apocryphos, veteris teſtamenti ſit primus, nõ infrugiferum fuerit de apocryphis hîc pauca interſerere.

APOCRYPHA SCRIPTA QVAE DICANTUR. TABVLA 97.

SCRIPTA *Apocrypha dicuntur duobus modis:*	IMPROPRIE, *extra canonem Hebræorũ tantùm poſita, vt ſunt Liber*	*Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſticus, Sapientiæ, Baruch, Machabæorum.*	*Quæ tamen à ſequentibus eccleſijs recepta, & tandem ſæpiùs approbata ſunt, ac indè eccleſiaſtici hi libri dici cœperunt.*
	PROPRIE, *ab Eccleſia nõdùm recepta, vt ſunt euangelia*	*Andreæ Apoſtoli, Thomæ, Bartholomæi, Nicodemi, Libellus de infantia ſaluatoris, Itinerarium Petri apoſtoli, quod vocatur Clementis.*	*Et id genus alia. Quæ eccleſia hactenùs ſemper de falſitate habuit ſuſpecta. de quibus lib.1.tab.43.*

QVIS HVIVS DIFFERENTIAE SIT VSVS.

CVM ergò duplex ſit Canon, Hebręorum vnus, alter Eccleſiæ, ea quæ propriè dicuntur apocrypha, huius inſtituti non ſunt: ſed de illis tantùm hîc nobis ſit ſermo, quæ in Hebręorum canone ſiue catalogo non ſunt comprehenſa. Qua in re nè quis temerè impingat, duæ hîc notandæ ſunt regulæ.

REGVLA PRIMA.

ETSI apocrypha omnia extra canonem ſint poſita, non tamen ſequitur, ſi liber aliquis in Hebræorum Canone non ſit expreſſus, eum mox apocryphum eſſe dicendum. Diſt.15.cap. Sancta Rom. & Medina lib.6. De recta in Deum fide. Cuius ratio in ſequenti redditur regula.

SECVNDA REGVLA.

AN liber aliquis ſit canonicus, néene, ad ſolius Eccleſiæ pertinet iudicium. Illius enim authoritas certa regula eſt, ad libros vel in ſacrarum literarum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numero reijciendos. Quam regulam tenuit Irenęus lib.3. aduerſ. hæreſ. cap.2.3. & 4. & Auguſtin. lib. contra Fauſt. 13. cap. 4. & lib. 28. cap.2. & 4. Et ſecundo lib. de doctrina Chriſtiana, cap.8. Hæc eadem definitur à concilio Toletano 1. in hæc verba:

DECRETVM CONCILII TOLETANI.

Si quis dixerit vel crediderit alias ſcripturas eſſe Canonicas, præter eas quas Catholica recipit Eccleſia, anathema ſit.

IVDAEORVM OBIECTIONES CONTRA librum Tobiæ.

In libro Tobiæ illud tolerari non poſſe aiunt, quòd eius hiſtoriæ capite tertio Sara Raguelis filia, in Rages ciuitate Medorum fuiſſe dicatur, cùm peractis iam nuptijs capite nono, Raphael in Rages ad Gabelum pecuniæ debitorem, à Tobia mittatur. Ab ea (aiunt) vrbe miſſus eſt Raphael, in qua Saram Raguelis filiã matrimonio ſuſceperat: ſuſceperat autem eam in Rages ciuitate Medorum: Non igitur in Rages pòtuit mitti, aut Sara non fuit Rages, qua in vrbe tertio illo capite fuiſſe refertur.

RESPONSIO MICHAELIS MEDINAE.

Sed hæc calumnia facilè ex editiõe ſeptuaginta euaneſcit, in qua tertio illo cap. non in Rages, ſed in Ecbatanis Mediæ, Sara memoratur fuiſſe, quæ ciuitas nono capite ponitur, atq; ità in Chaldaico originali ſcriptũ fuiſſe, itaq; Hieronymum conuertiſſe, fuiſſeq; vitio ſcriptorum, vnam pro alia ciuitate intortã, non eſt dubitandum. Neq; verò mihi placet eorum reſponſio, qui ideò Hieronymũ vrbem illam, in qua Sara fuiſſe ſcribitur, Rages appellâſſe credũt, quòd ad Rages vrbis, in qua Gabelus agebat, pertineret dominium, quemadmodùm Mediolanum non ipſam vrbem ſolam, ſed & quæ ſunt Mediolani territorij, appellare aſſueuimus, &c. aut quòd eſſet illi vrbi finitima, quo pacto ea quæ parùm diſtant, eodem nomine vocare ſolemus. Primò quidem, quòd hic modus loquendi, ſit omninò improprius, nec ſanctæ ſcripturæ familiaris. Deindè, quòd ipſa hiſtoriæ ratio locum certum, non autem integrum dominium aut regionem, inſinuare videatur. Poſtremò, quòd vt plurimùm hæc loquendi licentia authori hiſtoriæ licuiſſet, non tamen licuiſſe Hieronymo, qui optimi ac fidelis interpretis, cuius eſt originalem ſenſum exprimere, præſtabat officium. Sũt verò multa in hac noſtra vulgari verſione ſimilia, quæ non interpretis vitio, ſed ſcriptorum incuria irrepſiſſe credendum eſt. Medin. De recta in Deum fide lib. 6. cap. 14.

LIBER TOBIAE AN ET CVR HABENDVS ſit authenticus. TAB. 98.

NON hunc tantùm librum, ſed eius ordinis etiam reliquos, Iudith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, duosq́ Machabæorum, quos Hebræi à Catalogo ſuo excluſerunt, nunc & Canonicos eſſe & authenticos, probatur authoritate
- AVGVSTINI, *lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 8.*
- ISIDORI *6. Etymologiarum, cap. 1.*
- INNOCENTII *primi, in epiſtola ad Exuperium Toloſanum epiſcopum.*
- GELASII *Papæ, cum concilio 70. epiſcoporum.*
- CONCILII
  - *Carthaginenſ. tertij, quod etſi prouinciale, à Leone tamen confirmatum fuit. 20. diſtinct. cap. de libellis.*
  - *Florentini ſub Eugenio 4.*
  - *Tridentini ſub Paulo 3.*

QVO TEMPORE CONTIGERIT HAEC HISTORIA.

Tobiae hiſtoriam ex ipſa ſcriptura planè cognoſcimus eſſe completam in diebus Salmanazar & Sennacherib Aſſyriorum regum, qui ſecũdùm ſucceſſionem regnârunt ſub temporibus Ezechiæ regis Iuda. Sub cuius regno x. tribus per Salmanazar fuerunt ex Samaria tranſlatæ in Medorum montes: Quod ante captiuitatem duarum tribuum in Babylonem, accidit anno 135. aut circiter. Driedo de ſcriptur. eccleſiaſt. lib. 1. part. 2. capit. 3. Ante deſtructionem verò ciuitatis, anno 131. Ludouic. Carbaialus de reſtituta Theologia cap. 14.

DE ARGVMENTO.

Vitã & mores deſcribit Tobiæ, vt ex eo noſtros quoq; mores rectè formare & inſtituere queamus. Vndè D. Augu. in lib. De quæſt. ex vtroq; teſtam. c. 119. Dei ergò famulus,

famulus,inquit,ſanctus Tobias poſt legem exemplum nobis datus eſt,vt quæ legimus,quomodò fiant ſciamus: & ſi tentationes aduenerint, à Dei timore non recedamus,neq; auxilium aliundè,quàm ab ipſo, ſperemus.

PARTITIO. TABVLA 99.

HVNC LIBRVM *in duas ſecueris partes, in quibus deſcribi aiunt*
- VITAE *rationẽ ipſius Tobiæ laudabilem & honeſtam, à princi. vſq; ad c.4.*
- CONSOLATIONES *diuinas circa filij ſui*
  - MISSIONEM *in Rages ad Gabelum, à c.4. vſq; ad x. cap.*
  - REVERSIONEM, *& quæ ſibi deincèps cõtigerint, dict. cap.10.11. & 12.*
  - ET *futurum reip. ſtatum, cap.13. & 14.*

HISTORIAE HVIVS SVMMA.

CVM prædicta partitionis ratio propter nimiam breuitatem,nõnihil ſit obſcura, lubuit totius hiſtoriæ huius ſummam ex D.Athanaſio huc aſſcribere.Iſti,inquit, Tobiæ ſtudium erat ſepeliẽdi mortuos ex Iudæis. Huius gratia delatus ad regem Achirelem, fuga ſibi conſuluit.Regreſſus è fuga, cùm mortuos aliquot ſepelîſſet,extra ſepta obdormiuit,& cùm pro morte ſuo apertos haberet inter dormiendum oculos,albuginem illis contraxit,& ab eo tempore viſum amiſit.

ERAT aũt in Ecbatanis filia Raguelis cognati ipſius,noĩe Sara. Hãc demũ Aſmodęus nõ ꝑmittebat vt nuptijs potiretur. Occiderat enim iã ſeptẽ adoleſcẽtes,qui illã ſponſam acceperãt. Propter hãc cauſam cũ vehementer cõtriſtata, precibus ſe dediſſet,miſit illi Deus auxiliatorẽ Raphaẽlẽ archangelũ. Tobias igitur cũ filio ſuo Tobię mandâſſet,nè ſibi aliundè vxorẽ,q̃ è tribu & cognatione ſua ſumeret, decem illi talentorum chirographum dedit,præcepitq́; vt abiret,& peteret ea.

FILIVS autem cùm nec viam nôſſet,nec hominem ad quem erat proficiſcendum, egreſſus eſt,vt viæ ſibi ducem quæreret,& Dei prouidẽtia incidit in Raphaelem, qui hoĩs instàr foris ſtabat,precioq; illum conduxit,eô ꝙ ſe viæ huius gnarũ diceret. Comitatus itaq; illũ eſt angelus in ſpecie hominis, qui Azarias diceretur. Cùm autem ad Tigridis vſq; fluenta perueniſſent, volebat Tobias in illa lauandi gratia deſcendere,& mox piſcis quidam grãdis inſultum in illum faciebat. Angelus verò iuſſit illi,vt piſcem hunc appræhẽderet,& in fruſta ſecaret, eq́; illo epar, cor,& bilem deſumeret & ſeruaret.

ROGANTE poſteà puero,in quẽ illa vſum ꝓfutura iudicaret,reſpondit: Epar & cor incenſa,dæmonia fugãt,bilis verò oculorũ albuginẽ repurgat. Huius itaq; cõſilio & cooperatione,Tobias iſto ſuffitu dæmoniũ fugauit,& in ſuperiore Aegypti parte,per angelum ligauit,atq; ità Saram filiã Raguelis in vxorem accepit. Cùm aũt apud vxorem hæreret,Azariam tanq̃ hominem in Mediam miſit, & cùm per illum decem talenta recepiſſet,ad patrem vnà cum illo & vxore ſua reuerſus eſt.

REVERSVS verò, oculos patris felle piſcis oblinijt: quo facto, deciderunt ab illis ſquamæ,& mox viſum recepit ſenex. Is cùm cæcus fieret,annorũ erat 58. cũ verò viſum reciperet,66. Tum demùm angelus ſeipſum manifeſtauit,ꝙ non homo eſſet,ſed angelus à Deo miſſus,vt ipſis & Sarę opem adferret. Vbì verò ſenex factus fuiſſet Tobias,filio ſuo mandauit,vt in Mediam abiret,proptereà quòd futurum eſſet,vt Niniue ſecundùm verbum Ionæ prophetæ, ſubuerteretur.

ET viribus deſtitutus,mortuus eſt annorum 158. filius verò eius in Mediam migrauit,vbì tandèm ſepultis ſocero & ſocru,& de Niniuæ ſubuerſiõe percepta fama,mortuus eſt annorum 107. Hactenùs Athanaſius.

QVAE EX HAC HISTORIA SINT PERDISCENDA.

EA ſummatim perſtringit Ambroſius in lib. de Tobia,cap.24. in hęc verba: Tobias tibi dicit,Luxuria mater eſt famis,in quo continentiam docet. Dicit etiam, Mercedẽ omni homini,qui penès te operatus fuerit,redde eadem die,& nõ maneat apud te merces hominis. Dicit tibi,Noli vinum bibere in ebrietate: Dicit tibi, De pane tuo communica eſuriẽtibus. Vide quid te fœnerare cupiat. Et de veſtimentis tuis nudos tege. Ex omnibus quæ abundauerint tibi,fac eleemoſynam. Omni tẽpore benedic Dominũ. In his itaq; fœnus æternũ eſt, & vſura perpetua.

IVDITH

IVDITH LIBER, BIBLIAE XVIII, PARTIS SECVNDAE XV.

De liberatione Iſrael à perſecutione Holofernis.

TITVLI SIGNIFICATIO.

Hoc nomine vocatur iſte liber ob eam cauſam, quòd hiſtoriam de Iudith continet, quomodò per illam Deus filios & populum Iſrael, ab Holopherne impugnatos & obſeſſos, ſaluauerit, Holophernem verò percuſſerit. Athanaſ.

DE AVTHORE.

Philo teſtatur, Ioachim filium Ioſuæ ſacerdotis magni, geſta Iudith ſcripſiſſe, & anniuerſariam liberationis memoriam quotannis agendam inſtituiſſe tradit, ſub rege Priſco Artaxerxe Aſſuero: qui à lxx. Nabuchodonoſor appellatur, qui & regni ſui anno xiij. audiens Holophernem principem militiæ ſuæ à Iudæis occiſum, publico edicto vetuit templũ erigi: Quod filius eius, nomine Darius Longimanus, anno regni ſui primo iterùm relaxauit, regnauitq́; annos 37. Cui ſucceſſit Darius Nothus, regnans annos 19. Ioann. Driedo De eccleſiaſt. ſcriptur. lib. 1. cap. 3. part. 2.

DE HISTORIAE HVIVS TEMPORE, fide & authoritate.

Qvae in hoc continentur librò, geſta fuerũt tempore Cambyſis filij Cyri, poſt liberationem à captiuitate Babylonica anno Zorobabelis 37. mundi verò 3463. Gloſſ. Tu copioſiùs de his omnibus conſule Carbaialum de reſtituta Theologia cap. 15. per tot. & Ioan. Driedonem in citato priùs loco. Quæ nõ incommodè ad verbum huc aſſcribi potetant omnia, niſi nobis verendum fuiſſet, nè ſi perſequi ſingula conaremur, in molem hoc opus creſceret penè infinitam.

AN AVTHENTICVS HIC SIT LIBER.

Etsi Hieron. in prologo galeato Hebræorum canonem ſecutus, hũc librũ inter Apocrypha collocauerit, & hic in ꝓlogo Iudith verbis affirmet diſertis, authoritatem eius, ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idoneam iudicari: fatetur tamẽ is idem, Synodum Nicenam eundẽ hunc librũ in numero ſanctarũ ſcripturarũ legitimè computâſſe. Et Auguſtinus huius hiſtoriæ diſcurſum exponit penè totum, ad populum in ſermone 228. & 229. de tempore.

OBIECTIONES IVDAEORVM CONTRA librum Iudith.

Simili calumnia Iudith librum ſugillant, qua Tobiam. Quomodò, aiunt, cùm Iudith hiſtoria poſt Babylonicam captiuitatẽ acciderit: quo tempore, ꝙ totius Aſiatici imperij ſumma eſſet apud Perſas, neq; apud Medos, neq; apud Babylonios, vlla erat regni poteſtas, aut Arphaxat regnare potuit in Media, aut Ecbatanas in robur fortitudinis ſuæ ædificare, aut Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui Holophernem cum exercitu miſerit, eidem præualere?

RESPONSIO MICHAELIS MEDINAE.

Vervm hunc nodum nõ minori opera Chriſtiani ſcriptores, quàm præcedentem diſſoluunt. Neq; enim, vt iſti putant, de Nabuchodonoſore illo primo aut ſecundo, qui ambo Perſicum prçceſſerunt imperiũ, ſed de Artaxerxe ſiue Aſſuero Priſco Cyri filio, qui poſt patrem, cùm duodecim annis Nabuchodonoſoris cognomẽto regnâſſet in Niniue, tyranno illo Arphaxat, qui poſt Cyri apud Scythas internecionem, Ecbatanarum vrbe refecta, Medorum regnũ occupare moliebatur, excluſo, paternam recuperauit monarchiam: vndè exaltatum cor eius fuiſſe deſcribitur, & ad vniuerſas gentes, quô in illius imperium, quod iure paterno acquiſiuiſſe videbatur, concederent, legatos miſiſſe.

Fvit verò hic Artaxerxes, vel gẽtis cõſuetudine, apud quã, vt anteà docuim⁹, πολυ-

γυμία

νωμία in pceribus, pcipuè verò regibus, familiaris erat, vel vt multis nationibus & regnis, ipſis nominibus, quibus anteà ſuos reges appellare ſolebant, placidus haberetur, πεγάνωμος. Nam præter nomen Cambyſis, quo nomine apud hiſtoricos Græcos eſt celebris, Artaxerxes Perſico nomine, & Aſſuerus Medico, & demùm Nabuchodonoſor Aſſyrico aut Babylonico fuit appellatus.

Qvodnè Iudæi Chriſtianorum commentum exiſtiment, ſanctarum ſcripturarū teſtimonio probabimus. Ecce ego, inquit apud Hieremiam Dominus, aſſumam Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum, & ponam thronum eius ſuper lapides iſtos, quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuum ſuper eos, veniensq; percutiet terrã Aegypti: quos in mortē, in mortē: quos in captiuitatē, in captiuitatē: quos in gladiū, in gladiū. Loquitur verò de lapidibus, quos ſancto prophetæ ſubmuro latericio in porta domûs Pharaonis in Taphnis abſcondere iuſſerat. Hier.43.

Etrursùs verbum quod locutus eſt Dominus ad Hieremiam prophetam, ſuper eo, quòd venturus eſſet Nabuchodonoſor rex Babylonis, & percuſſurus terram Aegypti &c. Conſtat autem, Aegyptum vſq; ad hunc Cambyſem Cyri filium, aut ſucceſſorem, qui ſuperſtitionis tædio in eandem exercitum conuertit, nunquàm fuiſſe ſubuerſam. Quanquàm anteà idem Nabuchodonoſor, qui Hieroſolymam ſuccendit, ad fluuium Euphratem ſuperato Nechao Aegypti Pharaone, eiuſdem tentârit imperium. Hic ſolus eſt, qui (vt hiſtoriæ docent) non modò Aegyptum domuit, ſed celeberrimum & toti orbi venerabile Iouis Ammonis templum, omneınq; Aegypti ſuperſtitionem ſubuertit. Hier.46. Iuſtin.hiſt. lib.1.

Ex his apertè colligitur, quarè Philo in Breuiario temporum, Iudith hiſtoriam ſub Cambyſe contigiſſe commemoret, quòd idem nimirùm Cambyſes cum Nabuchodonoſor iſto Niniuita, Aſſuero, aut Artaxerxe fuerit, q propter occiſum à Iudæis Holophernem & Samaritarum prauaś ſuggeſtiões, templum, quòd Cyrus indulſerat, ædificari prohibuit. Medina de recta in Deum fide, lib.6. cap.15.

ARGVMENTVM.

Continet hiſtoria iſta fortiſſimum matronæ conſtantiſſimæ factum, quo illa populum Iſrael ab impij Holophernis crudeliſſimi tyranni perſecutionibus miraculosè liberauit. In cuius laudem Origenes Iudicum cap.7. homil.9. ità prorumpit: Quid ego illam magnificam, inquit, & omnium fœminarum nobiliſſimam memorem Iudith? Quæ iam perditis penè rebus, nō dubitauit ſola ſuccurrere, ſeque ſuumq; caput immaniſſimi Holophernis neci ſola ſubijcere: & proceſſit ad bellum non in armis, neque in equis bellicis, aut in ſubſidijs militaribus freta, ſed virtute animi & confidentia fidei, conſilio ſimul & audacia hoſtē peremit: & quam viri perdiderant, fœmina reddidit libertatem patriæ. Orig.

PARTITIO. TABVLA 100.

DESCRIBITVR *hoc libro perſecutionis ab Holopherne Iſraelitis illatæ*
- OCCASIO, *à princip. vſque ad cap.5.*
- IPSA *perſecutio, à cap.5. vſque ad cap.8.*
- LIBERATIO, *à cap. 8. vſque in finem.*

SVMMA HISTORIAE IVDITH, EX Synopſi Athanaſij.

Nabvchodonosor Aſſyriorum rex cùm bellum gereret aduersùs Arphaxad Regem Medorum, paſsim ab omnibus gentibus, ad Aegyptum vſq; auxilia petierat. Cùm verò nemo auxilium miſiſſet, ſed omnes cōtradixiſſent, poſteaquàm victoriam eſſet conſecutus, & Arphaxad bello ſuperâſſet, bellum intulit illis, qui nihil auxilij miſerant, miſitq; Holophernem aduersùs eos magno exercitu. Hic alias quidem gentes omnes bello cepit, & idola ipſorum cōfregit: Iſraelitæ verò ſeſe cōmuniebant, nec obediebãt Holopherni, neq; minis illius perturbabantur. Scripſit aūt ſacerdos Ioiachim ciuibus Berbuliæ, vt viã Holopherni obſtruerēt. Per ipſorū enim territoriū ducturus erat exercitū. Illi, quod iuſſi erãt, viã Holo-

pherni

pherni obſtruxerunt. Holophernes igitur aciē belli aduerſùs eos direxit. Achior verò princeps Ammonitarū, conſilium dederat Holopherni, nè genti Hebræorū bellum inferret, propterea quòd à Deo protegerētur. Ille indignatus, miſit cum ad Bethulianos, interitum illi comminatus, ſi quandò Hebræos vincret. Achior itaq; in Bethulia refocillabatur, Holophernis verò ciuitatem obſidebat, & iam aquas illius occupauerat.

Hic Iudith, cùm ſiti iam periclitaretur populus, & principes ciuitatem traditurі eſſent, depoſitis viduitatis veſtibus, (maritum enim mortuū lugebat, & continuò ieiunabat) ſeipſam inſtàr ſponſæ ornauit, & multis adhortata primores ciuitatis, nè ciuitatem, ſicutì iam ſtatuerant, poſt quinque dies traderent, ad Holophernem egreſſa eſt, & tertia poſt exitum die, ſua illum ſapientia decepit, & clàm ignorantibus hoc illius militibus, capite truncauit.

Qvo facto, fugerunt Aſſyrij, Iſraelitæ verò vndequaquè concurrentes, in fugam datos trucidârūt, atq; ità liberati, hoſtiumq; ſpolijs direptis, Iudith victrici, quæcunque Holophernis fuerant, tradiderunt. Ipſa verò Iudith Hieroſolymam profecta, omnia obtulit Domino, indeque domum reuerſa, pietatis exercitium retinuit, & ad mortem vſq; in viduitate perdurauit. Nemo enim illi nuptias perſuadere potuit. Mortua eſt autem poſtquàm in viduitate honeſtè vixiſſet, ætatis an. no 105. Athanaſ.

HESTER, LIBER BIBLIAE XIX, PARTIS SECVNDAE XVI.

De cruce Eccleſiæ, & miranda eius liberatione.

ET NOMINIS ET TEMPORIS REDDITA RATIO.

Sic vocatvr hic liber, propterea quòd hiſtoriam de Heſter complectitur. Athanaſ. in ſynopſi. Quæ hiſtoria Suſę in Perſia accidit, poſt reditum ex Babylonia tempore Aſſueri. Nam poſt Darium Nothum Magnus ſucceſſit Artaxerxes, Aſſuerus, Darius Mnemon, Darij & Phataſtidis filius, ſub quo hiſtoria Heſter fuerat completa. Et ità Eſther poſterior eſt Iudith annis 74. & vltrà. Neq; his obſtat ætas Mardochæi: nam iuxta Philonis ſententiam ipſe vixit annis 198. Quis autem ille fuerit Aſſuerus, ſub quo hæc geſta fuēre, cupidum eius rei lectorem iterùm remittimus ad Ioan. Driedon. De eccleſiaſt. ſcriptur. lib. 1. ca. 3. Communiter Aſſuerus cenſetur eſſe Artaxerxes, Cyri ſucceſſor in Perſia.

AVTHOR.

Anceps eſt inter doctores etiàm catholicos de authore hiſtoriæ huius opinio. Sunt enim qui ab Eſdra deſcriptam eſſe putēt, inter quos eſt Iſidor. lib. 6. Etymologiar. Euſebius alium poſteriorem quēdam ipſam edidiſſe docet, exiſtimans hiſtoriam illam poſt mortem Eſdræ contigiſſe. Alij eum huius libri authorem fuiſſe exiſtimant, qui fuerit Iudith, Ioachim ſcilicet ſummum Iudæorum Pōtificem. Ioan. Driedo de ſcriptur. eccleſiaſt. dict. lib. 1. cap. 3. part. 2.

ARGVMENTVM.

Nvda hîc & ſimplex narratur hiſtoria, Quomodò ſcilicet per nobiliſſimam hāc fœminam Deus vniuerſam Iudæotum gentem iamiàm perituram ſeruauerit, & Aman, qui excidiū illius inſidioſè machinabatur, percuſſerit. Athanaſ. in ſynopſi.

PARTITIO. TAB. 101.

AGITVR *hoc libro de ipſius Eſther* { EXALTATIONE, *cap.* 1. & 2. / LIBERATIONE; *ab indè vſque in finem.* }

SVMMA, EX SYNOPSI D. ATHANASII.

ARTAXERXES rex, abiecta vxore ſua, aliam in regno ſuo, quæ omnium eſſet honeſtiſſima & formoſiſſima, quam in vxorem acciperet, quæſiuit. Et inuenta eſt Heſter natione Iudæa. Illi cognatus erat nomine Mardochæus, & ipſe in captinitate, quæ ſub Sedechia erat, in eodem cum illa loco conſtitutus.

REX autem quendam ex aula ſua, nomine Aman, in ſublime euexerat, iuſſeratq; illum ab omnibus adorari. Hic cùm à Mardochæo, propter Deum, quem ille colebat, non adoraretur, indignè tulit: & cùm cognouiſſet quòd Iudæus eſſet, Regi Artaxerxi perſuaſit, vt edicto iuberet, vniuerſos in regno ſuo Iudæos vno die mẽſis duodecimi penitùs ac funditùs perdi.

HOC cõperto, Mardochæus luctum induit & ieiunauit, atq; ante Heſter prouolutus, vt ipſa opem ferret, precatus eſt. Heſter itaq;, præmiſſis ieiunio & precationibus ad Deum, regali ſe mundo ornauit, & inuocata etiam (erat autẽ illicitum inuocatis accedere regem) extra temporis opportunitatẽ, ad regem ingreſſa eſt, ſperans precationem opportunitatis loco futuram.

CVM inſolentiam facti admiratus eſſet rex, illa in terram præ metu proſtrata eſt. At regis commotionem Deus in ſuauem affectum & manſuetudinem inmutauit, ità vt è ſolio ſurgens, coniugem proſtraram erigeret, & metum ponere hortaretur, immò optionem daret petẽdi quicquid vellet. Illa, vt rex cum Aman ad conuiuium ſuum venire dignaretur, non ſemèl, ſed ſecundò quoquè petijt.

AMAN præ gaudio effuſus ac geſtiens, quòd dignus haberetur à regina vocari ad conuiuium, adhuc ampliùs aduersùs Mardochæũ erigebatur, curabatq; lignum ſublime collocari, volens in eo ſequenti die ſuſpendere Mardochæum.

REX verò bona quadam prudẽtia motus, noctem illam duxit inſomnem: & cùm dormire nequiret, iuſſit ſibi commentarios actorum ſuorum legi: cumque legerentur, ventum eſt ad eum locum, in quo conſcriptum erat beneficium, Regi à Mardochæo factum. Duos enim Eunuchos regi inſidiantes prodiderat, & conuicerat coram rege. Hîc rex approbans Mardochæi erga ſe animum, quærebat, quonam digno illum honore, pro hoc beneficio afficeret.

CVM autem manè ad eum ingrederetur Aman, quærit ab illo rex, quonã & quali honore dignus ſit is, qui Regem beneficio afficeret. Ad hoc Aman, cùm arbitraretur ſe eum eſſe, de quo rex quęrebat, dignum eſſe dixit, qui alter rex vocetur. Rex igitur Mardochæum iſto honore celebrari, & Aman ante illius faciem præcedere iuſſit. Heſter verò opportunitatem nacta, pro Iudæis orauit.

AMAN cùm regem mœrore affectum, & ira commotum propter indignũ contra Iudæos facinus vidiſſet: illo abſente, Reginæ ſupplicauit, ad genua illius procumbens, & adblandiens. Rex cùm regreſſus videret Aman genua reginæ cõtingere, ſuſpicatus quòd id turpitudinis gratia faceret, iuſſit eũ in ligno, quod Mardochæo parauerat, ſuſpendi, & edicto ſtatuit, vt Iudæi omnes ſecuritate fruerentur, hoſtes verò eorum ab ipſis interimerentur.

NVMERVS autem eorum qui occiſi ſunt, fuit 65000. factique ſunt illis feſti dies quartuſdecimus & quintuſdecimus menſis duodecimi, qui vocatur Ader. Dicitur autem illa dies ipſorum lingua Phrure. Quapropter & Iudæi in illa Aman incendunt, & feſtum diem agunt ſalutis ipſorum memorialem. Athanaſius.

IOB LIBER, BIBLIAE XX, PARTIS SECVNDAE XVII. DE AF-*flictionibus & conſolationibus iuſtorum.*

TITVLVS.

Iob inſcriptus eſt hic liber, quoniam hiſtoriam illius complectitur, quid perpeſſus ſit, tentatus à diabolo, & quomodò vicerit, ac piè illatas plagas tolerauerit, rursùs omnia duplicata receperit, illuſtriorq́; q̃ fuerat anteà, factus, iterùm x. liberos adeptus ſit: vixit enim poſt plagas acceptas annos adhuc clxx. Athanaſius in ſynopſi. Eius hiſtoria olìm legebatur in conuentu Eccleſię in diebus ſanctis, in diebus ieiunij, in diebus abſtinentiæ &c. Origen. non longè à principio in Iob.

QVIS FVERIT ILLE IOB, CVIVS RES geſtæ hoc libro deſcriptæ ſunt.

Origenes vulgarem editionem ac opinionem ſecutus, ſic ait, de Iob loquẽs: In regione Auſitide morabatur, illic natus, ex ipſis fuit, & inter eos vixit. Auſitæ genus ſunt Eſau, poſteritas Edom. Nam Auſitæ & Minæi, & Euchæi, & Themanitæ & cæteræ omnes tribus, erant ex cognitione atq; proſapia Eſau filij Iſaac, qui & Edom cognominatus eſt. Et tunc vniuerſæ tribus, Idumæi vocitaræ ſunt, ex nomine Eſau ità nuncupatę. Nunc verò omnes vno nomine Arabi appellantur, nõ ſolùm Idumæi, ſed & Ammonitæ & Moabitæ. Origen. in lib. Iob poſt principiũ.

Arabi habet exemplar.

Hvic ſententiæ vulgò ſuffragantur ferè omnes: & quidã ex gentilibus Ariſtęus, in Iudaica hiſtoria refert, Iob etiam filium fuiſſe Eſau, habitâſſeque in Idumæa & Arabiæ finibus, iuſtitia & diuitijs præcipuum, tentatumq́; diuinitùs magnis calamitatibus. Hinc Auguſtinus lib. de ciuitate Dei 18. ca. 47. huius Iob, quem virum vocat ſanctum & mirabilem, honeſtiſſimam facit mẽtionem: Qui nec indigena, inquit, nec proſelytus, id eſt, aduena populi Iſrael fuit: ſed ex gẽte Idumæa genus ducens, ibì ortus, ibidèm mortuus eſt: Qui diuino ſic laudatur eloquio, vt quòd ad iuſtitiam pietatemq́ue attinet, nullus ei hominum ſuorum temporum coæquetur.

Sed Hebræi, quos imitatur Hieron. in libro de quæſtionibus Hebraicis, dicunt Iob non (vt volunt aliqui) de genere Eſau, qui eſt de Abraham, ſed de Huz, qui eſt de Nachor fratre Abrahæ, deſcendiſſe, quemadmodùm docet hiſtoria Geneſ. 22. Quòd Nachor frater Abrahæ ex Melcha vxore genuit Huz primogenitũ, à quo Hebræi dicunt fuiſſe eum, qui dicitur in libro Iob: Vir erat in terra Huz nomine Iob, &c. Ibid.

DE LIBRI HVIVS AVTHORE.

TABVLA 102.

HISTOria Iob
- SCRIPTA *primùm eſt Syriacè in Arabia, vbi & Iob habitabat, Licèt minùs perfectè, vt placet Origeni.*
- DEINDE *tranſlata eſt ex* SYRO-HEBRAEO, GRAECO & HEBRAEO — *In* Hebræum, Græcum, Latinum — *Per* Moiſen, Septuaginta interpretes, teſte Origene, Hieronymum, vt ipſe teſtatur.
- DIGESTA *verò aut per* MOISEN, PROPHETAM *aliquem,* IPSVM *Iob.* — *Vide Gregorium in præfatione ad libr. Iob. Orig. in prolog. ad eundem. & Ioan. Driedon. lib. 1. de eccleſiaſ. ſcriptur. cap. 3.*

QVO

QVO TEMPORE GESTA SIT HAEC hiſtoria.

Qvibvs autem ſeculis geſta ſint ea, quæ ſcribuntur in libro Iob, nõ oportet curioſiùs inquirere, niſi quatenùs ad intellectum eiuſdem hiſtoriæ & ſcripturarum conducat. Ioann. Driedo de ſcriptur. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. Etſi verò ſcriptura in Geneſi, enarrans geſta longè ante Moiſis tempora, eiuſdem Iob meminerit, non tamen indè ſequitur, quòd is longè ante Moiſis tempora extiterit. Sed iuxta opinionem Origenis, temporibus Patriarcharum & Moiſis vixiſſe perhibetur. Origen. in Ezechiel. Homil. 4. Erat enim quintus ab Abraham ex poſteris Eſau, vt habet Athanaſius in ſynopſi.

AD QVAM PARTEM BIBLIORVM HIC liber referri debeat. TAB. 103.

HIC LIber, ſi ſpectes { VERBORVM *contextum,* / VIM *argumentorum,* / RERVM *geſtarum ſeriem,* } *Refertur ad* { *Pſalmos,* / *Dialecticã ſacræ ſcripturæ tractationẽ, habetq́; dialogi ſeu familiaris colloquij ſpeciẽ,* / *Hiſtoriam.* }

ARGVMENTVM.

Liber Iob, patientiam & reliquas virtutes ipſius cõmendat: diſputationẽ quoq; Iob cum amicis habitam, continet: qui licèt ad conſolandum veniſſent, iniurioſi tamen & contumelioſi in Iob fuerunt. Nam audientes ꝙ Iob in grauiſſima afflictione conſtitutus malediceret diei natiuitatis ſuæ, ſe quoq; innocentem à Deo tam acerbè affligi aſſereret, ipſum arguunt impatientiæ, arrogãtiæ, blaſphemię, multorumq́; aliorum criminum: propter quæ contendunt ipſum meritò à Deo afflictum, cùm Deus (vt impiè volebant) hîc tantùm malos flagellet: ideoque vt Iob ſe ob ſua peccata à Deo affligi agnoſcat, & ab illis reſipiſcens, ad Deum ſe cõuertat, iuſtitiæ quoq; diuinæ humiliter ſe ſubijciat, multis rationibus exhortantur: Dei potentiam, ſapientiam, iuſtitiam & bonitatem aſſiduè ad hæc commendantes: itẽ ꝙ Deus in præſenti vita tantùm malis mala, & bonis bona diſpenſet. Quamobrem Iob reſipiſcenti liberationẽ à flagellis & bona quæq; promittunt. At Iob cõſtanter ſuam tuetur iuſtitiam, & in præſenti vita vniuerſa æquè euenire iuſto & impio, ſed veram iuſtorum retributionẽ poſt hanc vitam eſſe expectãdam aſſerit, nempe futuram reſurrectionem: quam quidem, teſte Hieronymo ad Paulinũ, ſic prophetat, vt nullus de ea vel manifeſtiùs, vel cautiùs ſcripſerit. Tum demùm ipſius Iob à Deo correptionem & reſtitutam felicitatem, amicos quoq; per ipſius orationem Deo reconciliatos hic liber explicat.

EX BEDA.

Sanctvs Iob vir ſummæ patientiæ & virtutis, Deique teſtimonio approbatus, multa de Chriſto Domino prophetauit: cuius etiam ipſe perſonam figuraliter geſſit: quod & ipſo nomine declaratum eſt. Nam Latinè Iob, dolens interpretatur. Multa etiam de Eccleſiæ myſterijs, peccatorũ quoq; felicitate præſenti, necnon & diaboli virtute atq; potentia obſcurè locutus eſt. Iſti autẽ tres amici Iob, eos figurant qui intùs ſunt, & Chriſtianitatis nomine palliantur: de quibus vel maximè ſunt hæretici. Beda in princip. comment. in Iob.

NOTATIO QVAEDAM EX B. GREGORIO.

Qvaedam verba reſponſionum Iob imperitis lectoribus aſpera reſonant: quia ſanctorũ dicta piè intelligere, ſicut dicuntur, ignorant: & quia animũ dolentis & iuſti in ſemetipſis aſſumere neſciunt, ideò doloris verba benè interpretari non poſſunt. Si enim beati Iob reſponſa redarguunt, falſam etiam de eo Domini ſententiam fuiſſe teſtantur. Qui duplicia recipere quæ amiſerat meruit, ex remuneratione edocuit, quia nequaq̃ vitium, ſed virtus fuit omne quod dixit. Aſſertioni quoq; huic adiũgitur, ꝙ ipſe pro amicis delinquẽtibus intercedit. Itá Gregorius in prolog. moraliũ in Iob c. 5. & 6. Vide & Auguſtinũ concione 4. in Pſalmũ 103. Iob. 1. & 42

PARTITIO. TABVLA 104.

CONTINET hic liber Capita in genere duo:

- DESCRIPTIONEM fortunæ Iob
  - PROSPERAE, *cap. 1. vſq. ad verſ. Quadam autem die &c.*
  - ADVERSÆ, quo ad bona
    - *Externa, à citato verſ. vſque in fin. d. cap. 1.*
    - *Corporis, cap. 2. per totum.*
- DISPVTATIONẼ, quæ ſumitur ex argumentis, partìm
  - PROBAbilibus,
  - APPArẽtibus,
  - QVAEſtionib⁹ captioſis,
  - NECESſarijs.

  Et dicitur
  - Dialectica,
  - Sophiſtica,
  - Tentatiua,
  - Demõſtratiua.

  Cuius generis hoc loco eſt, quæ fit inter
  - *Ipſum Iob & tres eius amicos: Quæ diſputatio nouem continet reſponſiones Iob, & 8. replicationes amicorum. ad 9. enim tacuerunt, à capit. 3. vſque ad cap. 23.*
  - *Heliu, Cui Iob non reſpondit, à capit. 32. vſque ad cap. 38.*
  - *Dominum & Iob varijs modis tentatum, à cap. 38. vſque ad cap. 42.*
  - *Dominum & amicos Iob, vbi ipſe Dominus diffiniuit eos rectè non locutos, à cap. 24. vſq. in finẽ.*

Hinc licet expendere, cur hunc librum aliqui dicant eſſe dialecticum.

TERTIA PARS VETERIS TESTAMENTI, DE LAVDIBVS

diuinis, ſiue de antiqua Deum laudandi forma.

CONTINVATIO.

CVM vis omnis, non ſacræ tantùm ſcripturæ, ſed totius etiam religionis catholicæ ſumma, in vero conſiſtat veri Dei cultu, prima ſanè & ferè præcipuam ſemper piorum ſacrificiorum, ſacrorumque rituũ fuit in Eccleſia Dei cauſa, quibus ipſa religio in hunc vſque diem proculdubiò propagata eſt, atque cõſeruata. Eorum porrò ſacrificiorum, quibus ſancti Patres in veteri vtebantur teſtamento, duo fuerunt genera: Vnum, quo populi quotidiana expiabantur peccata: alterum, quod in actione gratiarum & in laude verſabatur diuina.

Sacrificia veteris legis.

POSTQVAM ergò veteris Teſtamenti ſacrificia & ritus in his obſeruati, in libris Moiſis, in eo præſertim, qui ob id dicitur Leuiticus, primùm inſtituti, deindè verò hiſtoriarum exemplis multifariè illuſtrati fuerint & approbati, adpoſitè admodùm illis hîc nunc laudis ſubijciuntur ſacrificia. Iam & ſi non vna ſit Deum rectè laudandi forma, celeberrima tamen ferè ſemper fuit ea, quæ in ſacrorum Pſalmorum conſiſtit decantatione. Vndè aliqui partem hanc Bibliæ hymnidicam ſeu (vt illorum vtamur verbo) decantatiuam, alia ratione haud abſimili poëticam appellare conſueuerunt.

Sacrificia laudis.

DE SA.

TABVLA 105.

VT POEtica prophana rectè à quibuſdam diuiditur in	CARMINA, DRAMATA, ELEGIAS:	ITA cantus eccleſiaſticus alius eſt	Lætitiæ, Amicitiæ, Luct. atq; doloris.	Quibus correſpõdẽt	Pſalmi, Cantica canticorum, Threni,	De qbus agitur ĩ lib.	Pſalmorum, Cantici canticorum, Hieremiæ pphetæ.

HIC nunc de Pſalmis tantùm: de reliquis ſuo agendum erit loco. Licèt enim hocipſum Pſalmorũ volùmen, à quibuſdã inter propheticos referatur libros, nobis tamẽ rectiùs hic liber ſeorſim poni viſus eſt, eò quòd Saluator noſter Pſalmos ipſe à reliquis ſacræ ſcripturæ partibus ſeiunxerit Luc. 24.

PSALTERIVM DAVIDIS, SIVE LIBER PSALMORVM, LIBER *Bibliæ vigeſimuſprimus.*

RATIO INSCRIPTIONIS, EX COMMENTARIIS BEDAE.

INTITVLATVR autem hic liber apud omnes tam Hebræos, quàm Græcos atque Latinos, totius reſpectu, liber Hymnorum, Soliloquiorum de Chriſto. Hymnus eſt propriè laus Dei metricè ſcripta. Conſtat enim, totum Pſalterium in Hebręo metricè compoſitum eſſe. Vndè propriè in Hebræo dicitur liber Hymnorum. Apud nos verò & fortaſsè apud Græcos, non ſeruat, impediẽte tranſlatione, metrum. Dicitur tamen apud nos rectè liber hymnorum: quia licèt non teneat metrum, tenet tamen id quod eſt præcipuum, ſcilicet, quod in omni parte, tam apud nos, quàm apud Hebræos, laude Dei eſt conſpicuum.

LIBER verò ſoliloquiorum de Chriſto, non ideò dicitur Pſalterium, quòd de ſolo Chriſto apud aliquos in omni parte ſua loquatur, cùm etiam interdùm (vt ſuperiùs oſtendimus) de corpore, id eſt, de Eccleſia, loquatur: ſed quia præcipuè & maximè de eius diuinitate vel humanitate loquitur, ideò dicamus, quòd emphaticè ſic nominetur, ſicut in Euangelio, Iudæorum pater Abraham vocatur, non quia non ſit pater in fide multarum gentium credentium: ſed quia ipſi præcipuè *Iohan. 8.* in eius paternitate gloriabantur, cùm carnalis pater eorum eſſet. Poteſt etiam, ſi quis altiùs ſpeculetur, Pſalterium dici de ſolo Chriſto loqui: Quia vbì etiam de corpore loquitur, ex magna coniunctione corporis & capitis, vt ſuprà diximus, de ipſo Chriſto per membra loquitur. Beda ibid.

DE VERBORVM SVB HAC INSCRIPTIONE contentorum ſignificatione.

PSALTERIVM D. Hieronymus ad Dardan. de diuerſis generibus muſicorũ, vno verbo dixit laudatorium. Eſt enim organũ ſiue inſtrumentũ muſicũ, ad hymnos diuinos pręparatũ. Baſil. Magnus in Pſal. 29. in principio. Hinc venit dictio Pſalmus. Hieron. in ꝓœmio pſalmorũ. Quẽ Baſilius in dicto loco ſic definiuit: Pſalmus, inqt, ſermo eſt muſicus, qñ concinnè apteq; ſecundùm harmonię rationẽ, ad organum pulſatur. Atque ſic differt à cantico, quod eſt vox cõcinna, quę cum harmonica modulatione redditur ſine organi ſono & concentu.

DE EODEM, EX HILARIO.

IN hoc libro eo organo prophetatum eſt, Græcè Pſalterio, Hebraicè Nabla nuncupato, quod vnum omnium muſicorum organorum rectiſſimum eſt, nihil in ſe vel peruerſum continens, vel obliquum. Neque quod ex inferioribus locis in ſonum concentûs muſici commouetur, ſed in formam Dominici corporis conſtitutum organum, ſine vllo inflexu deflexúve, directum eſt organum ex ſupernis commotum & impulſum, & in cantionem ſupernæ & cæleſtis inſtitutionis animatum, non humili & terreno ſpiritu, vt cætera terræ organa, perſonum. Hilar. in prologo in pſalmorum explanationem.

DE VARIIS SACRARVM CANTIONVM ET ORganorum ſpeciebus atque differentijs, ex Euthymio in Præfatione in Pſalterium. TAB. 106.

PSALTES

DEVS eſt, *Qui canitur.*

PSALMVS

POEMA eſt *& carmen, quod de eo canimus, ſiue quod ſimul cum Pſalterij inſtrumento ſuaui voce profertur.*

PSALMODVS

POETA eſt, *qui hæc conficit carmina.*

PSALTODVS EST

CHORVS *canentium Pſalmos.*

DIAPSALMA

MVTATIONEM *ſententiæ aut cantûs ſignificat, aut pauſam ſeu interiectionem quandam pulſationis, vel fulgorem atque illuminationem diuini ſpiritûs, quæ tunc canentibus apparebat: ſcribebantur enim omnia hæc ab eis diligenter.*

ODE SEV CANTICVM

Moiſes author cãtici, Dauid Pſalmi. VOX *quædam eſt muſica cum harmonia, ſolo ore prolata. Quanquàm impropriè ipſum etiam canticum ſæpenumerò Pſalmus dicatur. Eſt autem canticum Pſalmo antiquius. Moiſes quippe cantici author fuit, ſicut Dauid Pſalterij, quo anteà ad demulcendos tantùm greges vtebatur. Sed Dauid huiuſmodi inſtrumentum ſapientiùs coaptauit, & illius vſum ad Deum tranſtulit.*

HYMNVS

EST *diuinæ gloriæ extenſior atque amplior quædam laus.*

CONFESSIO

ETIAM *amplum quoddam teſtimonium eſt & fides, qua aut bona quæ recipimus fatemur, aut mala quæ commiſimus.*

ORATIO

PRECES *ſignificat, votum & promiſſionem, omniaque ad Deum pertinent.*

CANTICVM AVTEM PSALMI

TVNC eſt, *quandò muſice per organicum inſtrumentum priùs diſponitur, & deindè conſequitur vox ore emiſſa, quæ ſecundum occupat locum.*

PSALMVS VERO CANTICI

DVCITVR *tunc, quandò eius quod nunc diximus, fit contrarium.*

DIFFERENTIA PSALTERII A CITHARA.

TAB. 107.

DIFFERVNT *Pſalterium & cithara, quòd*
- PSALTERIVM *ex ſuperiore parte habet teſtudinem, illud ſcilicet concauum lignum, cui chordæ innitentes reſonant:*
- CITHARA *ex inferiore parte idipſum lignum cauum & ſonorum habet. Auguſtin. in Pſal. 32. & 42.*

DE PRIN.

DE PRINCIPIBVS CANTORVM, SIVE *Choris præfectis.*

Cantorvm quatuor erant principes,quatuor choris præfecti, ob totidē mundi climata,ad quæ Pſalmorum voces peruenturę erant. Vnuſquiſque autem chorus ex duobus & ſeptuaginta cantoribus conſtabat,vt quidam retulerunt ſe apud Hebræos legiſſe,iuxta proportionem ac numerum linguarum,quæ in Babyloniæ turris ędificatione confuſæ,ſeu potiùs diuiſæ fuerunt. Euthymius in pſa. Pſal.

QVA DE CAVSA DAVID CHOROS Cantorum inſtituerit.

Vt magnitudo ſonitûs organorū & vocum populi cor, & delectatio terrori mixta,compungeret. In Pręambulis,quæ habentur ante Enarrationes Remigij in Pſalmos.

QVID HAEC OMNIA, IVXTA ANAGOGEN ET ſenſum moralem ſignificent,ex Euthymio.

Psalmvm tunc canimus,quandò corpus noſtrum,quaſi pſalterij inſtrumētum, intendimus,& per bona opera quodammodò ipſum palpantes,bonas ac concinnas actiones perficimus, quanquàm ad altiores contemplationes nondùm aſcenderimus.

Oden verò aut canticum canere tunc dici poſſumus, quandò abſq; vllis operationibus,veritatis tantùm myſteria cōtemplamur,effecti iam in ea re admodùm exercitati:& canticum Pſalmi, quandò pręcedentibus bonis actionibus, in contemplationem deuenimus,iuxta quod dicitur: Concupîſti ſapientiam? ſerua mādata,& Dominus eam tibi miniſtrabit.

Psalmvm etiam Cantici tunc verè canimus, quandò contemplatione, occulta quędam quæ ad mores pertinent,nobis reuelante, nos in eorum operationem procedimus. Hac ratione fortaſsis Pſalmi primo loco, & deindè cantica collocata ſunt,cùm deceat vt per actiones ad contemplationem accedamus.

Et alij quidem cantorum,tuba,tympano,organo,cymbalis,lyra,aut cithara dulcè ac ſuauiter canebant, Dauid verò regium Pſalterij inſtrumētum tenebat. Tubæ,ſyringæ,ac fiſtulæ inflantur,lyra & cithara intenduntur,cymbala & tympana pulſantur,& alia quæcunque ſonum potiùs habent,quàm vocem.

Psalterivm verò (quod etiam alicubi cynniram,& citharam, & lyram appellant) ad id genus inſtrumentorum pertinet,quæ intenduntur. Eſt tamen inſtrumentum hoc tectum, & supernè cauſas habet, vndè emittat voces: ea nimirùm ratione,vt addiſcamus & nos recti conſiſtere,ſupernaq;,ac cæleſtia meditati:atq; vt hoc pacto efficiamur ſpirituale Pſalterium,cōſentiente intrà nos in vnum anima & corpore,ipſoq; ſancto ſpiritu,veluti peritiſſimo quodam artifice, pulſante nos ac percutiente.

Decem verò claui,in ipſius Pſalterij brachio circunuoluti,intendebāt chordas, eaſque remittebant ad ipſius modulantis arbitrium ac concentum. Et dextera quidem manus plectrum tenebat,ſiniſtra verò deſupèr contrectans & circunferens clauos,grauem aut acutam,ſeu etiam mixtam vocem reddebat;decem prætereà chordas vocibus ſibi inuicèm contrarijs habebat. Ex quo docemur,oportere nos, ex decem ſibi mutuò aduerſantibus chordis, ex quinque nimirùm animæ potentijs, & ex quinque corporis ſenſibus, harmoniacùm & concinnū cantum in hac vita Deo pręludere. Euthymius in d. pręfatione in lib. Pſalmorum.

ADHVC DE MYSTICA SIVE SPIRITVALI ISTORVM interpretatione,ex Baſilio Magno in Pſalmum 29.

Divo Baſilio teſte,Pſalterium figuratè eſt corporis noſtri ſtructura. Pſalmus verò ipſę actiones ſunt corporis,quas veluti debitas exoluimus in gloriā Dei,cùm ſic decorè ad præſcriptum verbi Dei noſipſos componimus,vt nihil cōficiamus, quod in ipſo corporis motu appareat inconcinnum. Canticum eſt,quodcunque contemplatione ſimplici theologicaque comprę henditur.

AD IDEM AVGVSTINVS.

Avgvstinvs verò in Pſalmo 42. apertiùs hoc myſterium explicat, in hęc verba: Sed quia Pſalterium iſtud organum dicitur, quod de ſuperiore parte habet teſtudinem: illud ſcilicet tympanum & concauum lignum, cui chordę innitentes reſonant: Cithara verò id ipſum lignum cauum & ſonorum ex inferiore parte habet: diſcernenda ſunt opera noſtra, quandò in Pſalterio ſint, quãdò in cithara, vtraq; tamen placita Deo, & ſuauia eius auditui.

Qvando ergò ex præceptis Dei aliquid agimus, iuſſis eius obtēperantes, & obaudientes, ad implenda præcepta eius, vbi facimus & non patimur, pſalteriũ eſt. Faciunt enim ità & angeli, nec tamen aliquid patiuntur. Cùm autem aliquid patimur tribulationum, tentationum, ſcandalorum in hac terra: quia nõ patimur, niſi ex inferiore parte, id eſt, ex eo quòd mortales ſumus, ex eo quòd primæ noſtræ cauſę quiddam tribulationum debemus: & quia patimur multa ab eis, q non ſunt deſupèr, cithara eſt. Venit enim ſonus ſuauis ex inferiore parte: patimur & pſallimus, vel potiùs cantamus & citharizamus. Auguſtin. ibidèm. Hinc Germani ʒitarn dicunt pro flere

DE LIBRI HVIVS, QVEM DICIMVS PSALTERIVM, authore: ex Euthymij Præfatione in Pſalmos.

Aivnt quidam, Pſalmos non ſolius eſſe Dauid, ſed quoſdam Idithum, alios filiorum Core, alios item Aſaph, Ethan & Eman * Iſraelitæ, vnũ Moiſis, & alios Salomonis. Quod manifeſtum eſſe aſſerunt ex inſcriptionibus, eosque poſt captiuitatem dicunt ab Eſdra fuiſſe in vnum collectos. Multi etiam Pſalmi pro inſcriptione habent tantùm Alleluia, & alij inſcriptionē ſine authore, alij etiam omni prorsùs carent inſcriptione. Quam ob cauſam totum hoc opus, non Pſalmos Dauid, ſed indefinitè, librum Pſalmorum appellari aiunt, vt in Actibus Apoſtolorum legimus, atque indicari, quòd totus Pſalmorum liber, ſoli Dauid aſcribēdus non ſit. Nam quòd Pſalterium appellamus hanc Pſalmorum collectionem, impropriè id dicimus: Quia Pſalterium propriè Organi quoddã genus eſt, quod apud Hebræos dicitur Nabla, à pſallendo ſic dictum, quemadmodùm oratorium ab orando. Sed huiuſmodi appellatio, ad Pſalmorum librum poſtmodùm trãſlata eſt. Qui tamen vel ea etiam ratione denominationem hanc ſortitus eſt, quia Pſalmos continet. *Act. 1.*

Alii verò, quibus ego conſentio, aſſerunt Pſalmos omnes, à Dauide fuiſſe compoſitos. Cęterùm inſcriptiones Idithum, filiorum Core, Aſaph, Eman & Ethan, hoc tantùm volũt ſignificare, quòd his viris, quos B. Dauid elegerat ex tribu Leui in duces ac principes Chororum, quosque inſtituerat, vt varijs organis Deum laudarent, & quorum organorum genera apertè poſtremus omnium Pſalmus connumerat: quòd his, inquam, viris vnuſquiſque Pſalmorum, iuxta nominum inſcriptionem, priuatìm ad pſallendum ſit traditus, cùm alij Pſalmi ab vniuerſis cantoribus, atque in commune canerentur. Illi igitur Pſalmi, qui priuatìm ab aliquo corum decantati ſunt, cantoris ſui inſcriptionem retulerunt. *Principes Cantorum.*

DE EO.

DE EODEM, EX LVDOVICO VIVE.

TABVLA 53.

- **HAC DE** *re Ioan. Ludouicus Viues in lib. D. Auguſt. de Ciuitat. Dei 17. cap. 14. ex ſententia Iacobi Peres varias recitat fuiſſe opiniones:*
  - NAM *Hebræos*
    - ANTE *Origenem hanc quæſtionem inter ſe non habuiſſe ambiguam, ſed ità & credidiſſe cunctos, & literis prodidiſſe, omnes Pſalmos Dauidis eſſe authoris.*
    - POSTEA *verò quàm Origenes cæpit oſtendere, quæcunque in Prophetis continentur, ad Chriſtum iam natum pertinere, multùm iritauit Iudæos ad veteribus contrarias opiniones. Quorum dixerunt aliqui, ipſū Dauid feciſſe Pſalmos*
      - *Omnes, quemadmodùm ſuperiores Iudæi docuerant.*
      - *Nouem duntaxàt.*
      - *Omnes,;q ipſius nomine præſcribuntur.*
      - *Cæteros*
        - *Qui habēt titulos p̄fixos, ſpiritu prophetico cōſcriptos à ſanctis viris,*
          - *Filijs Coræ,*
          - *Aſaph,*
          - *Ethan,*
          - *Idithum.*
        - *Qui non habēt, eos ab alijs viris ſanctis conſcriptos eſſe, qui tamen ignorentur.*
  - ISTIS *opinationibus poſteriorum ſuam adiecit Rabbi quidam Salomon Gallus, homo inſigni impudentia, iſque decem Pſalmiſtas eſt commentus, videlicet*
    - *Melchiſedech,*
    - *Abraham,*
    - *Moiſen,*
    - *Filios Core,*
    - *Dauid,*
    - *Salomonem,*
    - *Aſaph,*
    - *Idithum,*
    - *Ethan,*
    - *Eman.*
  - PORRÒ *Origenes, Ambroſius, Hilarius, Auguſtinus, Caſſiodorus,* — *Pſalmos vnius eſſe Dauidis tradiderunt.*

QVÆ

QVAE S. PATRVM SIT HAC DE RE ſententia. TABVLA 109.

APPARET *etiam hîc eſſe diſcrepantiam inter*

- HIERONYMVM, *cuius hæc extant ad Sophronium verba: Pſalmos omnes eorum teſtamur authorum, qui ponuntur in titulis, Dauid ſcilicet, Aſaph, & Idithum, filiorum Core, Eman Ezrabitæ, Moiſis & Salomonis, & reliquorum quos Eſdras primo volumine compræhendit.*
- AVGVSTINVM *aſſerentem, vt appâret, contrarium in d. cap. 14. lib. De ciuitate Dei 17. vbì ſic ſtatuit: Mihi autem credibiliùs videntur exiſtimare, qui omnes illos centum quinquaginta Pſalmos eius (Dauidis ſcilicet) operi tribuunt.*
- QVIN *ipſe etiam Auguſtinus dictæ ſuæ ſententiæ apertè contradicere videtur: idque vbì agit*
  - DE *titulo Pſalmi primi: Non enim omnes Pſalmi (inquit) à Dauid editi ſunt. Ipſe enim Dauid ex omni populo quatuor Principes ſpiritu ſancto mundatos elegit, quorum nomina ſunt Aſaph, Eman, Ethan & Idithum: vt in quemcunq; diuinus ſpiritus intrâſſet, hymnum Deo caneret. Dauid ergò ſolus nouem Pſalmos ore proprio cecinit: Reliqui autem, ab illis 4. principibus, iuxta titulorum inſcriptionem ſunt dicti.*

DISCREPANTIAE ISTIVS CONCILIATIO.

VERVM rectiùs has ſententias intuenti, facilis erit ſolutio, ſi quis perpẽdat, Pſalmorum aliquos ab alijs quidem, iuſſu & mandato Dauidis ſcriptos, ab eo tamen diſpoſitos fuiſſe atque editos. Nam & Chriſtus Matthęi 22. Iudæis obiecit, quòd Dauid in Spiritu dixerit Dominum ſuum. Quod teſtimonium ex 109. ſumptum eſt Pſalmo, Dixit Dominus Domino meo &c. Quem tamen Pſalmum non à Dauid factum, ſed ſibi ab alio aſſcriptum fuiſſe, vel ex ipſo conſtat titulo. Atque ſic ſaluari poteſt communis Doctorum Eccleſiaſticorum ſententia, Pſalmos nimirùm omnes, opus eſſe ipſius Dauid. Cui ſuffragari teſtatur Ioãnes Ludouicus Viues multa argumenta, quæ adducta ſunt per eum, quem diximus, commentatorẽ Iacobum Peres, quibus is probat hanc opinionem eſſe veriorem.

ALIA SOLVTIO EX ATHANASIO.

SOLI Dauidi Pſalmorum liber inſcribitur propterea, quòd ille primus ſpiritum pſallendi à Deo accepit, primuſque Pſalmos compoſuit & ſcripſit, & prædictos Pſalmiſtas, vtporè Aſaph, Idithum, Eman, & filios Core, ipſe ex Sacerdotibus ſelegit ac inſtituit, ſtationem quoquè locorum illis, & ordinẽ melodiæ, ac tempus pſallendi matutinum & veſpertinum determinauit, & ità ordinauit, vt alij aperto, alij clauſo tabernaculo, alij à dextris, alij à ſiniſtris ſtarent: atque ità quidã Deo pſallerent, laudemque ac hymnum voce canerent: quidam verò confeſſionem ac laudem pręluderent, illi in muſicis inſtrumentis, citharis, nablis, ac cymbalis, iſti in tubis ſublimè perſonarent. Athanaſ. in Synopſi.

Tempus pſallendi.

DE DAVIDIS ORIGINE, STATV, ET CONditione, ex Ioſepho.

OBETH habuit filium Ieſſe, ex quo Dauid, q; regnauit, & principatũ ſuis filijs per viginti & vnã generationes virorũ longo tẽpore dereliquit. Ioſephus lib. 5. ca. 14. Qui ex Paſtore ouiũ in Regem electus & inunctus eſt. Puer quidẽ colore rubeus, & pulcher adſpectu. De quo tacitè dixit Samuel ad Ieſſe: Hic eſt qui Deo placuit ad regnandũ. Idẽ lib. 6. ca. 10. Cùm filiũ ſuũ Salomonẽ monuiſſet de oĩbus rebus & amicis, & de his quos nouerat pœna dignos, defunctus eſt, cũ vixiſſet annis 70. ex q̃bus regnauit 7. annis in Hebron ſup̃ tribũ Iuda, & mẽſes ſex: in Hieroſolymis

autem

autem regnauit ſuper prouinciam vniuerſam annis trigintatribus. Hic enim fuit vir optimus, & omni virtute plenus, quã eſſe oportet in regibus, qbus tantarũ gẽtium cõmittitur ſalus: fortis, qualis non fuit alius. Idẽ Ioſephus lib. 7. ca. 16. & vlt.

DE EODEM, EX ECCLESIASTICO.

Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael, cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ouium in iuuẽtute ſua, Eccl. 47.

QVO TEMPORE PSALMI IN ECCLESIA cantari cœperint.

Hac de re extat ſententia Auguſtini lib. confeſſionũ 9. cap. 7. in hęc verba: Tunc (tempore ſcilicet Iuſtinæ & filij eius Regis Valentiniani) Hymni & Pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partiũ, nè populus mœroris tædio cõtabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè oĩbus gregibus tuis (Deo enim loqtur) & ꝑ cætera orbis imitantibus. Auguſtin.

ARGVMENTVM.

Ex præfatione cuiuſdam recentioris in commentarios Auguſtin. in Pſalm.

Psalmi per modum laudis comprẽhendunt, quidquid in Sacra ſcriptura continetur. Vndè & hic Pſalmorum liber, Regiſtrum eſt totius Sacrę ſcripturę, & conſummatio totius Theologicæ paginæ. Vide Dionyſij Eccleſiaſticam Hierarchiã in Contemplatione de Synaxi.

EX PROLOGO IPSIVS AVGVSTINI eiuſdem operis.

Psalmorvm liber, quęcunque vtilia ſint, ex omnibus cõtinet: Futura prędicit, veterum geſta commemorat, legem viuentibus tribuit, gerendorum ſtatuit modum. Et vt breuiter dicam, communis quidam bonæ doctrinę theſaurus eſt, aptè ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans. *Liber Pſalmorum, theſaurus doctrinæ Chriſtianæ.*

EX HILARII PROLOGO IN PSALMOS.

Svnt enim vniuerſa allegoricis & typicis contexta virtutibus, per quæ omnia vnigeniti Dei filij in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & reſurgendi, & in ęternum conglorificatis ſibi qui in eum crediderint, regnandi, & cæteros iudicandi, Sacramenta panduntur.

EX EPISTOLA HIERON. AD PAVLINVM, De omnibus diuinæ hiſtorię libris.

David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoq;, Catullus, atq; Serenus, Chriſtum lyra perſonat: & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.

SVMMA TOTIVS PSALTERII QVAE SIT, ex Baſilij Magni proœmio in Pſalm.

Psalmorvm liber quiduis ex omnibus in ſe complectitur, quod vſui ſit omnibus. Futura certiſſimis prędicit oraculis, hiſtoricam continet narrationem, leges ſancit vitæ ſanctiùs inſtituendę, cuique agenda pręſcribit & ſubmonet. Vtque ſemèl omnia, liber hic bonæ omnis doctrinæ vberrimum quoddam eſt & commune promptuarium: Vulnera animarum perſanat, quantalibet vetuſtate occalluerint: vulneri recèns inflicto celerem citamque adfert emendationem: diutino item morbo affectum priſtinæ afferit ſoſpitati: quod verò incolume eſt & integrum, tuetur interim ac ſeruat. Denique omnem prorſus vitioſæ affectionis intemperiem, quoàd eius fieri poteſt, ab animis noſtris reuellit ac ſubmouet, quantiſcunque modis per virę iſtius corruptam conſuetudinem inualuerint, idq; cum peramœna quadam deductione, ac moderata iucunditate animorum, q̃ & menti honeſtas inſerat cogitationes. Hæc Baſilius. *Promptuarium.*

QVIS

QVIS SCOPVS, EX PRAEFATIONE EVthymij in Pſalmos.

TABVLA 110.

SCOpus huius operis primus, tractare DE
- PROPRIIS *ærumnis ac laboribus.*
- ANTIQVITATIBVS *Iudaick & alijs vetuſtioribus, quæ continent*
  - *Generationem & geſta Patriarcharum,*
  - *Peregrinationes,*
  - *Migrationes,*
  - *Deſcenſum in Aegyptum,*
  - *Seruitutem,*
  - *Exitum ex Aegypto,*
  - *Legem datam,*
  - *Tabernaculum,*
  - *Sacerdotium,*
  - *Numeros,*
  - *Deuteronomium,*
  - *Ieſum Naue,*
  - *Diſtributionẽ promiſſæ terræ, Iudices, &c.*
- REBVS *naturalibus & vniuerſo Dei opificio.*
- CRVCIS *diſpenſatione.*
- PROPHETIA *earum rerum, quæ poſt Chriſti in cælos aſſcenſionẽ contigerunt.*
- THEOLOGIA *Trinitatis.*
- INTELLECTVALIBVS *creaturis. de angelis, dæmonibus, & anima, eiusque motibus & potentijs.*
- MORVM *diſciplina & inſtitutione.*
- COGITATIONIBVS, *de dæmonum inſidijs, de ſanatione paſſionum, deque pugna aduerſùs illas.*
- MANDATIS *& præceptis diuinis. Euthymius in Præfatione in Pſalmos.*

INTENTIO QVAE, EX AVGVSTINO.

Eleganter hoc declarat D. Auguſtinus in prologo ſuo ad Pſalmos: Quoniam quidẽ Spiritusſanctus, inq̃t, vidẽs obluctantẽ ac reſiſtentẽ ad virtutis viã humani generis animũ, & ad delectationes vitę huius magis indignari, q̃ ad virtutis rectũ iter erigi, delectabilibus modulis cãtilenę, vim ſuę doctrinę ꝑmiſcuit: vt dum ſuauitate carminis mulcetur auditus, diuini ſermonis pariter vtilitas inſeratur. Aug.

DE PARTIBVS PSALTERII.

TABVLA 111.

PSALTEriũ diuiditur in
- LIBROS quinque:
  - PRIMVM, *à principio vſque in Pſalmum quadrageſimum.*
  - SECVNDVM, *à 40. vſque ad 71.*
  - TERTIVM. *à 71. vſque ad 88.*
  - QVARTVM, *ab 88. vſque ad 105.*
  - QVINTVM, *à 105. vſque in 150.*
  - *Quod indè colligunt, quia totiès reperiatur in pſalmis hæc clauſula, Fiat fiat. Auguſtinus in Pſalmũ 105.*
- PSALMOS *centum & quinquaginta, Cuius numeri rationes & myſteria acutè (vt omnia) explicat D. Auguſtin. in Pſalmum 150.*

IVDICIVM DE HAC PARTITIONE, HILARII.

Hanc Partitionem reijcit D. Hilarius in principio Prologi ſui ad Pſalmos. Sed
Act. 1. nos, inquit, ſecũdùm Apoſtolicam authoritatem, librum Pſalmorum & nuncu-
Pſal. 108. pamus, & ſcribimus. Ità enim in Actis apoſtolorum dictum meminimus: Scriptũ eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat domus eius deſerta, & epiſcopatum eius accipiat alter. Ergò neque ſecundùm quoſdam Hebręos, quinque libri: neque ſecundùm plurimorum ſimplicitatem, Pſalmi Dauid dicendi ſunt: ſed ſecundùm Apoſtolicam authoritatem, liber Pſalmorum eſſe noſcendus eſt. Hilar.

EADEM DE RE SENTENTIA D. HIERO. AD SOPHRONIVM.

Scio quoſdam putare, ait, Pſalteriũ in 5. lib. eſſe diuiſum, vt vbicunq; apud Septuaginta interpretes ſcriptũ eſt, Fiat fiat, finis librorũ ſit, ꝓ quo in Hebręo legitur, Amen Amen. Nos autẽ Hebręorum authoritatẽ ſecuti, & maximè Apoſtolorũ, qui ſemper in nouo teſtamento, Pſalmorum librum nominant, vnum aſſerimus Pſalmorũ volumen. Quę ſentẽtia ipſi etiam probatur Auguſtino, in Pſalmũ 150.

DE PSALMORVM DISTRIBVTIONE IN genere.

TABVLA 112.

- VARIAE *ſunt Pſalmorũ Diuiſiones, ſed hîc in genere ſufficias obſeruâſſe duas:*
  - VNAM, *à cauſa formali deſũptam, qua Pſalmorũ alij dicuntur*
    - ALLELVIA *ſiue iubilei. qui cordis vberiùs exprimunt iubilum, & in Dei laudem prorumpunt: vt ſunt, Lauda anima mea Dominum, Laudate Dominum de cælis &c.*
    - CANTICA, *qui ore à Leuitis & ſacerdotibus canebantur, vt eſt videre in canticis 15. graduum, ideò ſic dictis, quòd Dauid dum aſcenderet ad domum Domini per 15. gradus, in quolibet gradu vnum ex ijs, & in fine cecinit, Eccè nunc benedicite Domino &c.*
    - INTELLECTVS, *qui in futurum profundius aliquid de Deo ſpeculantur, vt [illegible] Pſalmus, Miſericordias Domini &c.*
    - PSALMI *abſolutè, ſic dicti, quòd in organo exteriori, vt cithara & pſalterio, canerentur.*
    - TITVLI, *qui perſonam Chriſti propiùs præ ſe ferũt in titulo: Qualis eſt, Eripe me Domine &c. Pſal. 139.*
    - ORATIONES, *qui feruentiori animo pronunciãtur, vt ſunt, Exaudi orationem meam &c. De vultu tuo iudicium meum, & ſimiles.*
  - ALTERAM, *à fine deductam. Pſalmi enim omnes cantari ſolent aut in perſona*
    - CHRISTI,
    - ECCLESIAE,
    - PROPHETÆ.
    - *Quibus ferè ſemper*
      - *Confitemur*
        - *Beneficia accepta*
        - *&*
        - *Delicta commiſſa.*
      - *Petimus bona*
        - *Corporis*
        - *&*
        - *Animæ.*
      - *Repetim⁹ ſeu recitamus*
        - *In laudem,*
        - *Pro gratiarum actione.*
    - *Hieron. in proœmio pſalmorum.*

DE SINGVLORVM PSALMORVM PARtitione in ſpecie.

ETSI huius quoquè rei inueſtigatio per ſe vtiliſſima ſit atque pernecesſaria, longior tamen eius eſt tractatio, quàm quæ ſuſcepto cõueniat operi, quo viam tantùm exactioris ſacræ ſcripturæ tractationis, demonſtrare inſtitutũ eſt. Tot enim ſunt Pſalmi cuiuſque Partes, quot non tantùm verſus, ſed etiam quot omninò verba, & quot penè ſyllabæ. Ad hæc ſi diligens lector illa, quæ de Pſalmorum differentijs ac circunſtantijs huc collecta ſunt, diligentiùs paulo & iudicio exactiori perpendere voluërit, futurum arbitramur, vt per ſe ſingulos Pſalmos in proprias claſſes collocare, ac vnumquenque in ſuas velutì partes diſtribuere poſſit. Deniquè ſi quis pleniorem adhuc Pſalmorum omnium deſideret cognitionem, is eam ex ſolidiſſimis D. Auguſtini commentarijs, & aliorũ in ſingulos penè editis lucubrationibus, his maximè adiutus principijs, abundè & intelligere & conſequi poterit.

IN PSALMIS QVAE SINT CONSIDERANDA.

TABVLA 113.

IN PSALMORVM *lectione pro faciliori eorum intelligentia duo in genere ſunt obſeruanda:*

- NVMERVS *& ordo, qui magni ſacramenti cõtinet ſecretum. Auguſtinus in Pſalm, 150. Vbi iterum duo reſpicienda ſunt tempora:*
  - VNVM *Hebræorum, apud quos diſcretus fuit numerus Pſalmorum, ſed ijdem ſine ordinis annotatione conſcripti ſunt. Eſdras enim, vt antiquæ traditiones ferunt, incompoſitos eos, & pro authorum ac temporum diuerſitate diſperſos, in volumen vnum collegit & retulit.*
  - ALTERVM *70 interpretum, qui eos in numerum atque ordinem redegerunt, ſingulis quibuſque numeris pro efficientia ſua & abſolutione perfectis, perfectorum & efficientium pſalmorum ordinẽ deputantes. Hilarius in Prolog. ad Pſalm. Vt nunc Pſalmi ſint centum & quinquaginta.*
- TITVLI *& inſcriptio, quæ ab alijs dicũtur cauſæ ſiue claues, per quas ingredimur Pſalmorum intellectum. Hieron. in Proœm. ad Pſal. Sunt autẽ Pſalmorum tituli diuerſi: Dicuntur enim alij*
  - IN *finem. Eſt autem finis, cuius cauſa cætera ſunt, ipſum autem nulli alij cauſam ſuam præſtat. Ob finem enim omnia, nihil verò aliud poſt finem. (Atq. is eſt Chriſtus.)*
  - PSALMVS, *qui eſt, cùm ceſſante voce, pulſus tantùm organi concinentis auditur.*
  - CANTICVM, *quod eſt, cùm cantantium chorus libertate ſua viens, neque in conſonum organi adſtrictus obſequium, hymno canoræ tantùm vocis exultat.*
  - CANTICVM *Pſalmi, quod eſt, cùm organo præcinente, ſubſequens & æmula organo vox chori canẽtis auditur, modum Pſalterij modulis vocis imitata.*
  - PSALMVS *cantici, qui eſt, cùm choro antè canente, humanæ cantationis hymno ars organi conſonantis aptatur, vociſque modulis præcinentis pari pſalterium ſuauitate modulatur.*
  - AVT *alias dictiones habentes, quæ aut res geſtas ſecundùm hiſtoriam ſignificent, aut tempora, aut dies, aut aliud aliquid cõplexæ ſint. Hilarius in Prologo in Pſalmos.*

EXPLI-

EXPLICATIO TITVLORVM, EX EODEM loco Hilarij. TABVLA 114.

IN FINEM.

HIC *titulus quotiès reperitur præfixus, Pſalmum ad Chriſtum Saluatorem noſtrũ, non aliter, quàm in finem legis, directum eſſe intelligi debet, Rom.10. Finis enim eſt, cuius cauſa cætera ſunt: ipſum autem nulli alij cauſam ſuam præſtat. Ob finem enim omnia, nihil verò aliud poſt finem. Nanque ad* Ob finem oīa. *finem tenditur, ſed in fine deſinitur. Ità finis & anteriorum perfectio eſt, & ex ſe nihil in aliquid aliud protendens, propria in ſemetipſo ipſa poſſeſſio eſt.*

PSALMI *igitur qui inſcribuntur, in finem, tituli intelligendi ſunt, vt ex perfectis atque abſolutis bonorum operum doctrinis & ſpeciebus exiſtant: Quia ad ea quæ dicuntur, fidei ſe noſtræ curſus extendat, & in his nullo vlteriore procurſu, ipſo ſuo optatæ & adeptæ beatitudinis fine, requieſcat. Hilarius.*

PSALMVS.

IN *eo Pſalmo, in quo tantùm Pſalmus inſcribitur, fidelium operum & religioſorum geſtorum aut doctrina, aut confeſſio continetur, cùm propheta, commemorando quæ egerit, ad doctrinam nos geſtorũ ſimilium inſtituit, motu corporei organi noſtri ad pios officiorum vſus temperato. Idem.*

CANTICVM.

AT *verò cùm Canticum tantùm in titulo ponitur, ſcientia in eo ſpiritualis, & intelligẽtia cæleſtis arcani, quam quis per cognitionem ſapientiæ conſequitur, exiſtit, cùm commemoratis fidei operibus, ſolã doctrinam perfectæ de Deo cognitionis oſtendit. Non enim ſtatìm omnis ſcientia in bono opere eſt, neq; rursùm omne opus bonum veram ſcientiam conſequitur. Idem.*

CANTICVM PSALMI.

OB *quod & illud, quod in tertio ſuperſcriptionum genere eſt, Canticum Pſalmi, cùm bonorum operum efficientiæ ſcientia & doctrina coniungitur. Priùs enim in bonis operibus viuendum eſt, vt perfecta poſſet ea, quæ deincèps ſuccedit, diuini ſacramenti eſſe cognitio, ſecundùm id quod dictum eſt: Deſiderâſti ſapientiam? ſerua mandata, Dominus præſtabit tibi eandem. Præſtat ergò Dominus Sapien-* Eccl 1. *tiam his, qui per meritum operum, gratiam intelligentiæ conſequuntur. Ex his ergò operum doctrinæq; ſtudijs Pſalmi illius, qui Canticum Pſalmi ſuperſcribitur, erat cauſa noſcenda. Idem.*

PSALMVS CANTICI.

VBI *autem eſt Pſalmus cantici, illic per cognitionis ſcientiam, vſus boni operis tractatur, cùm deſideratam nobis fidelium geſtorum efficientiam præſtet anterior de Deo adepta cognitio. Idem.*

EPILOGVS TITVLORVM.

HAEC *igitur muſicæ artis quadrifaria diuerſitas, Pſalmorum eſt diuerſitati coaptata, vt Pſalmus per organi corporei motum in commemoratione geſtorum ſit: Canticum verò per ſapientiæ cognitionem habeat in ſe doctrinæ ſcientiam. Canticum verò Pſalmi eſt, cùm præeunte geſtorum merito, cognitio præſtatur: Pſalmus deindè cantici, cùm per adeptæ ſcientiæ cognitionem, fidelium geſtorum opus inchoatur & geritur. Hilarius in d. prologo.*

TITVLI EX AVTHORVM NOMINIBVS, AVT rerum geſtarum ſignificationibus.

ALIAE *verò ſuperſcriptiones, quæ aut res geſtas ſecundùm hiſtoriam ſignificant, aut tempora, aut dies, aut aliquid aliud complexæ ſunt, vel ex interpretatione nominum, vel ex comparatione geſtorũ, vel ex conſimilium ſpecie, ex quibus rebus Pſalmus conſiſtat, oſtendunt: vt ſicubì eſt, Pro die ſabbathi, aut Pro occultis filij, aut Pro die octaua, per corporalem ſuperſcriptionum ſignificantiam, ſpiritualis Pſalmi intelligatur editio, vel cùm illius Dauid, vel illi Dauid, vel Abſalon, vel Saul, vel Doëg in titulo ſub geſtorum hiſtoria prænotantur, in eo per nominum qualitates, vt illi, vel illius Dauid, aut per nominum virtutes, vt eſt Abſalon, & propbetiam quæ in Pſalmo ſit, conſequantur. Hilarius in prologo ſuper Pſalm.*

DE PSALMIS SINE TITVLO.

NON *omnes Pſalmi præfixas habent cauſas vel inſcriptiones, ſed leguntur aliqui ſine titulis: De*

quibus Hilarius, in Prologo ſuo ad Pſalmos, ſic ait: De his autem Pſalmis, qui ſine authorum nominibus ſub diuerſis ſuperſcriptionibus habentur, antiquorum virorum iſta traditio eſt: quòd ex eo pſalmo, cuius author in ſuperſcriptione proponitur, qui deincèps ſine authorum ſuperſcriptione ſuccedũt, eius eſſe exiſtimandi ſunt, qui anterioris Pſalmi author inſcribitur, vſque in eum Pſalmum, quo nomen authoris alicuius præferatur. Hilarius.

DE HORVM INTELLECTV, EX EODEM LOCO.

EOS *verò, is idem ait Hilarius, qui ſine inſcriptione vlla ſignificationis alicuius habeantur, vt eſt primus vel ſecundus, & cæteri complures alij, intelligendum eſt ex doctrina Spiritusſancti, ad ſpiritualem cognitionem generalis ſcientiæ fuiſſe cantatos: vt vnuſquiſque ex his ſecundum fidei ſuæ ſynceritatem, rationem intelligentiæ ſpiritualis expeteret.*

QVIS SIT TITVLORVM PRAEFATORVM IN Pſalmorum explicatione vſus.

SCRIPTVRA *Pſalmorum myſteria in titulis ponere, & frontem Pſalmi ſublimitate ſacramenti decorare ſolet, vt ſciamus, qui intraturi ſumus, cùm tanquàm ſuper poſtem, quid intùs agatur, legerimus, vel cuius domus ſit, vel quiſnam illius prædij ſit poſſeſſor. Sunt enim, vt dictum eſt, Pſalmorum tituli velutì claues, per quas in Pſalmorum intellectum ingredimur. Auguſtin.*

DE VIRTVTE ET LAVDIBVS PSALMORVM Baſilius Magnus.

PSALMVS *igitur, animi lætitia, tranquillitas animarum, pacis caduceus, cogitationum tumultuantium ac fluctuantium moderator, animi commotionem mitigat: Laſciuiã refrenat Pſalmus. Idem amoris conciliator, diſsidentium compoſitor, inimicorum reconciliator eſt. Et paulò pòſt: Pſalmus item dæmonum fugator, angelici auxilij præbitor, ſecuritas in timoribus nocturnis, & requiet diurnorum laborum, infantium tutela, iuuenum præſidium, ſenum conſolatio, mulierum ornatus competentiſsimus, in ſolitudine dulce diuerſorium præbet, fora moderatur: incipientibus inſtitutio, proficientibus augmentum, abſolutis firmamentum, Eccleſiæ vox. Inſupèr celebritates illuſtrat: triſtitiam quæ ex Deo eſt, operatur: lachrymas è corde lapideo prouocat. Pſalmus deniquè officium eſt angelorum, adminiſtratio cæleſtis, ſpirituale thymiama. Quid enim non indè diſces? non fortitudinis magnificentiam? non iuſtitiæ ſeueritatem? non modeſtiæ decus atque ornamentum? non prudentiæ perfectionem? non pœnitentiæ modum? non patiẽtiæ menſuram, nónne demùm omnia, quæ poſsis bona excogitare? Hic & perfecta reperitur Theologia, vaticinium inprimìs venturi Chriſti, futuri iudicij terror, reſurrectionis ſpes, ſupplicij metus, gloriæ promiſsio, myſteriorum reuelatio, omnia deniquè, vt in magno cõmuniquè promptuario, in Pſalmorum libro condita reperiuntur. Baſilius in Prologo ad Pſalm.*

DE PSALMORVM ADPLICATIONE.

TABVLA 115.

DVPLEX EST *pſalmorum adplicatio. Fit enim vel ad*

- SVMMA *illa, de quibus in præcedenti dictum eſt ſchemate, ſiue genera, ſiue capita. Quod qua ratione commodè fieri queat, ex ipſa Pſalmorum inſcriptione ſiue titulis citra negocium ferè cognoſci poterit.*
- VARIAS *hominum affectiones atque neceſsitates. Qua de re magnus ille Athanaſius integrum ſcripſit opuſculum, quod Rainerij Snoij Goudani paraphraſibus in Pſalmos Dauidicos adiunctum circunfertur.*

CANTVM ECCLESIASTICVM QVAlem eſſe deceat.

CANTVS (Eccleſiaſticus) plenus ſit grauitate: nec laſciuiam reſonet, nec ruſticitatem. Sic ſuauis, vt nõ ſit leuis: ſic mulceat aures, vt moueat corda: Triſtitiã leuet, iram mitiget, ſenſum literæ non euacuet, ſed fœcundet. Vndè, vt refert Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 33. Athanaſius Epiſcopus Alexãdrinus, tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet, q̃ canenti.

PARS

PARS VETERIS TESTAMENTI QVARTA, DE DIVINA PHILOſophia, ſiue Sapientiæ cæleſtis ſtudio atque diſciplina.

CONTINVATIO.

TAM manifeſta eſt huius tractatûs ad præcedentes cohærẽtia, vt per ſe facilè obuia & cognita eſſe queat. Neque enim alium ferè in finem, aut lex ipſa Dei populo tam ſeuerè pręcepta, aut hiſtoriæ ſacræ exempla ità diligẽter inculcata, aut diuinæ laudes adeò copioſè, tantaque cum maieſtate ſunt decãtatæ, quàm vt ex illis generalia quædam benè beateq; viuendi colligerentur quaſi pręcepta & regulę: Quæ dictorum factorumque omnium diuinas continent rationes, quas animam legum dicere ſolemus. Cùm ergò hucuſquè de legum corpore, tam diſertè in ſuperioribus Bibliæ ſacræ libris tractatum ſit, non abſurdum eſt, vt tãdèm etiã de ipſarum legum anima dicatur, ſcilicet ratione. Sacrarum autem rerum rationes ex diuina petuntur philoſophia. Quæ potiſſimùm in ſequentibus hiſce continetur libris, quos Maiores noſtri ob id dixerunt Sapientiales.

DE PHILOSOPHIAE DIVINAE PARTIBVS.

TABVLA 116.

LIBRORVM *quibus diuina traditur Sapientia, ſunt Quinque:*
- PROVERBIA,
- ECCLESIASTES,
- CANTICA *Canticorum,*
- SAPIENTIA,
- ECCLESIASTICVS.

Quorũ pcepta pertinẽt ad
- *Philoſophiam*
  - *Moralem,*
  - *Naturalem,*
  - *Theoricam ſiue contemplatiuam.*
- *Iudicia inſtruenda,*
- *Populi vniuerſi inſtitutionem.*

QVIS HORVM LIBRORVM SIT AVTHOR.

AVGVSTINVS in libro de ciuitate Dei 17. cap. 20. hos libros magna ex parte regi tribuit Salomoni. Vbì de ipſo Salomone, Dauidis filio loquẽs, ſic ait: Prophetâſſe etiam ipſe (Salomon) reperitur in ſuis libris, qui tres recepti ſunt in authoritatem Canonicam, Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Canticum canticorũ. Alij verò duo, quorum vnus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquij nonnullam ſimilitudinem, vt Salomonis dicantur, obtinuit cõſuetudo. Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores, eos tamen in authoritatem, maximè Occidẽtalis antiquitùs recepit eccleſia.

DE ORIGINE, VITA ET MORTE SALOMONIS

Epitome, ex varijs authoribus in hoc redacta velutì compendium.

SALOMON interpretatur Pacificus, Auguſtinus De Ciuitate Dei lib. 17. cap. 8. Quod nominis ei indidit Propheta Nathan, Filius fuit Dauid ex Bethſabea, Ioſephus lib. 7. antiq. cap. 7. Imperauit in diebus pacis, cui ſubiecit Deus omnes hoſtes, vt conderet domum in nomine ſuo, & pararet ſanctitatem in ſempiternum, quemadmodùm eruditus eſt in iuuentute ſua. Et impletus eſt quaſi flumen ſapientia, & terram retexit anima ſua, Eccl. 47. Cœpit autem regnare Patre adhuc viuente: & bonis initijs malos habuit exitus. Quippe ſecundæ res, quæ ſapientum animos fatigant, huic magìs obfuerunt, quàm profuit ipſa ſapientia, etiam nunc & deincèps memorabilis, & tunc longè lateque laudata. Auguſtin. De Ciuitate Dei lib. 17. cap. 20. Nam irrationabili conſtrictus amore, vxores Principũ inſigniumq; virorũ filias duxit 70. & 300. habuit cõcubinas. Mortuus tandèm valdè lõ-

gæuus: qui regnauit quidem annis 40, (aliâs octoginta) vixit autẽ quatuor & nonaginta. & ſepultus eſt in Hieroſolymis, cunctos felicitate & prudentia atq; diuitijs excellens Reges. Ioſephus d. lib. 8. cap. 7.

ALIVD TESTIMONIVM DE SALOMONE ET eius libris, ex Athanaſio.

Salomon filius Dauidis, cùm regnum Patris ſui accepiſſet, à Deo petijt, vt ſapientiam acciperet magis quàm diuitias & hoſtium vltionem. Hanc cùm eſſet adeptus præ omnibus mortalibus, qui ante & poſt ipſum fuerũt, Sapiens, ac propter ea, quę faciebat, & dicebat, admirabilis factus, tria millia parabolarum, & quinq; millia carminum prolocutus eſt, diſputauitq́; de omnibus, tam de ijs quę ex terra proueniunt, quàm de omnis generis animãtibus. Scripſit libros Canonicos tres: Prouerbia videlicet, Eccleſiaſten, & Cantica canticorum, & alterum pręter iſtos, non Canonicum, quæ Sapientia Salomonis dicitur. Athanaſius in Synopſi.

PROVERBIORVM SALOMONIS LIBER, BIBLIAE XXII, QVARtæ partis Primus, *De Morali Philoſophia.*

RATIO COLLOCATIONIS, QVAM VOcant *continuationem.*

Qvi sapientiam ſcire deſiderat, eum ab eruditione morali incipere oportet, & intelligere illud quod ſcriptum eſt: Concupiſti ſapientiam? ſerua mandata, & Dominus eam dabit tibi. Ob hoc Magiſter hic, qui primus homines diuinã Philoſophiam docet, operis ſui exordium Prouerbiorum poſuit libellũ, in quo moralis traditur locus. Origenes in Prolog. ad Cantica.

SVMMA.

Qvæ hoc continentur libro, vno nomine dicta vocantur ſapientũ, hoc eſt, ſententiæ ſiue ſermones, nullam ſophiſmatum fallaciam habentes, neque per probabilitatis ſpeciem ſeducentes, ſed exactè veri, nec ſecundùm Dialecticam protaſin dicti, ſed tanquàm qui ab ipſis ſint cogniti, & velut ipſorum ſententia prolati. Athanaſius hîc in tituli explicatione.

QVOTVPLICIA SINT, QVAE HVC PERtinent, Sapientum Dicta. TABVLA 117.

SAPIENTVM *Dicta, quatiùm huic conuenit loco, ſunt ferè triplicia:*	PROVERBIA, *ſiue parœmiæ:* PARABOLAE, *quas Latini ſimilia ſiue ſimilitudines dicere ſolent:* AENIGMATA, *hoc eſt, obſcurè dicta.*	*Quæ promiſcuè huic libro reperiuntur inſerta.*

DE PROVERBIIS.

Proverbiorvm nomẽ, de eo quod vulgariter dicitur, apud externos cõpoſitũ eſt, & de illis plerũquè, q̃ in triuijs dicũtur. οἶμος enim apud illos via dicitur. Vndè parœmia definit verbũ iuxta viã, vſu multorũ tritũ, & quod à paucis ad plura ſimilia trãsferri poteſt. apud nos verò Prouerbiũ eſt ſermo vtilis, ſub vmbra figuraque

raque idonea expreſſus,multùm & vsûs & grauitatis cõplectens, in receſſu quoquè multùm altæ ſententiæ conregens. Baſilius Magnus in huius lib.princip.homil.12.variarum rerum.

DE PARABOLIS.

PARABOLAE ſunt ſermones,qui velut imagines ſunt eorum quæ dicuntur. Ex ipſis nanque propter ſimilitudinem,quod dicitur,intelligitur:vt,ſicut venti, nebulæ & pluuiæ,ità qui glorianrur in dono mendaci. Athanaſius hìc in ſynopſi.

DE AENIGMATE.

AENIGMATA verò ſermones ſunt obſcuri, qui ità cautè ſunt poſiti, vt mœrore afficiant,ſi quis in illos incidat:ꝓpterea quòd nihil manifeſti habeant, & ne quidem in ſuſpicionē aliquam ſenſus præbent:vbi verò diligenter inquiſiti fuerint, ſenſum quem habent,indicant. Quales ſunt,Sanguiſugæ tres ſunt filiæ dilectione dilectæ. Et hæ tres & quarta non dicunt, ſatìs eſt. Infernus & amor mulieris,& terra quæ non ſaturatur aqua,& aqua & ignis nunquàm dicunt,ſatis eſt. Et iterū: Tria ſunt,quæ cognitu mihi ſunt impoſſibilia, & quartum non cognoſco: Via aquilæ volantis,& via ſerpentis ſupra petram,& via nauis in mari euntis,&via viri in adoleſcentia:& quæcunque eiuſmodi ſunt ænigmata. Nam licèt aliorū cogitationem moueant,alia tamen ſignificant:& obſcura quidē ſunt,abſconditum verò ſenſum habent. Idem Athanaſ.ibid. Prouer.29.

QVARE PROVERBIORVM TANTVM NOMINE HIC LIBER SIT INSCRIPTUS.

PROVERBIA dictæ ſunt huius libri ſententiæ, quòd hoc nomine etiam reliqua contineri videātur. Nam & Chriſtus Prouerbium in genere, occultiorem & obumbratum appellauit ſermonem,qui cùm obſcuritate tegatur,non facilè ab audientibus percipiatur. Cyrillus in Euangel. Ioan.lib.11.cap.8. Atque hinc Prouerbium etiam accipitur pro obſcuritate,vt idem Cyrillus ibidem cap.11. Et Origenes in prologo ad Cantica: Prouerbia attitulauit hunc libellum, inquit, quod vtrique nomen ſignificat,aliud quidem palàm dici,aliud verò intrinſecùs indicari. Quò illud etiam pertinet,quod Hieron. in cap. 12. Eccleſiaſtis dixit, huius libri occultas eſſe ſententias. Iohan.16.

QVIS HVIVS LIBRI SIT AVTHOR.

SALOMONEM huius libri eſſe authorem,id paulò antè ex Auguſtini commentarijs de ciuitate Dei oſtenſum eſt,& probatur etiā teſtimonio Ioſephi, qui ſic ſcribit de Salomone: Compoſuit libros de canticis & modulationibus quinquiès mille: parabolarum atque ſimilitudinum fecit libros tria millia. Per vnūquodq; enim arboris genus parabolam duxit,ab hyſſopo vſque ad cedrum. Eodem modo de iumentis,& de reliquis terrenis,necnon aquatilibus & aëreis animalibus diſputauit. Nullam nanque naturam ignorabat,inexaminatamque præterijt, ſed de omnibus philoſophatus eſt,& diſciplinam proprietatum eorum eminenter expoſuit. Præſtitit autem ei Deus, vt etiam contra dæmones, ad vtilitatem hominum & eorum curas ediſceret: & incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari: modos etiam coniurationum,quibus obſtricti dæmones,nè denuò redeant,effugantur,inſtituit. Ioſephus lib.8. cap.2.

QVOT SALOMON SCRIPSERIT LIBROS.

TABVLA 118.

Author huius libri dictus eſt modò
- SALOMON,
- IDIDA, } *Id eſt,*
  - *Pacificus,*
  - *Dilectus,*
  - *Côcionator.* } *Iuxta quē numerum tria ſcripſiſſe fertur volumina.*
    - PROVERBIA,
    - *Cāticū cāticorū,*
    - *Eccleſiaſtē:* } AD
      - *Paruulos,*
      - MATUROS,
      - PERFECTOS. } *De quib. Hiero. ī epiſtola ad Paulin. Salomon, inquit, pacificus & amabilis Dñi,*
        - *Mores corrigit,*
        - *Naturā docet,*
        - *Eccleſiā iungit & Chriſtū, ſanctarumq́ nuptiarū dulce canit epithalamium.*
- ECCLESIASTES:

DE LIBRI EIVSDEM ARGVMENTO.

PROVERBIORVM liber, inſtructio morum eſt quędam, necnon animi perturbationum correctio. Deniquè vitæ in vniuerſum documentum, frequentes ac breues eorum, quæ ſunt agenda, continens præceptiones. Baſilius Magnus in principium Prouerbiorū, Homil. 12. ex diuerſis.

SCOPVS.

IN Prouerbijs paruulum docens, & quaſi de officijs per ſententias erudiens: Vndè & ad filium, eius ſermo crebrò repetitur. Hieron. in primum caput Eccleſiaſtis.

PARTITIO.

TABVLA 119.

PROVERBIORVM *collectionem diuidit Lyranus in Partes tres:*
- PRIMAM, *à princip. vſq; ad cap. 10.*
- SECVNDAM, *à capit. 10. vſque ad cap. 25.*
- TERTIAM, *à capit. 25. vſque in finem.*

} *Non quòd tres ſint libri, ſed q; tria hîc inueniātur principia & præfationes:*
- *Vnum, cap. 1.*
- *Alterum, in cap. 10.*
- *Poſtremū, in cap. 25.*

ALIA ET COMMODIOR PARTITIO.

TABVLA 120.

MAGIS VERO *ad rem facit illa diuiſio, qua totum hunc librum in quatuor diſtribuunt partes, in quibus Salomon*
- SAPIENTIAM *introducit ipſam, vt Dominam*
  - EXHORTANTEM *paruulos ad ſtudium ſapientiæ, cap. 1.*
  - REVOCANTEM *à deſiderio mulieris extraneæ ad amorē ſuū, cap. 2.*
  - PROMITTENTEM *multa bona, à cap. 2. vſque ad cap. 8.*
  - GLORIANTEM *de ſua dignitate atque excellentia, cap. 8.*
  - INVITANTEM *ad conuiuium paratum, cap. 9.*
- IPSE *varia tradit tam virtutum præcepta, quàm cautelas vitiorū. Ordine alio vſque adeò ſtrictè non obſeruato, quàm vt ſpiritus eloqui dabat illi. à cap. 9. vſque ad cap. 25.*
- INTER *cap. 24. & 30. inſeruntur alia capita quinque, quæ ab ipſo Salomone hoc libro primùm non compræhenſa, ſed ab ore eius in membranis & ſchedulis excepta, longoque tempore poſt, Regis Ezechiæ iuſſu, à ſapientibus, hiſce parabolis, veluti corpori, adiecta ſunt.*
- VLTIMIS *verò duobus capitibus, triceſimo videlicet & xxxj, ſtylo quodam amatorio omnes homines in vnum veluti corpus colligere ſtudet.*

QVIS PROVERBIORVM SIT VSVS.

PROVERBIIS *vtimur, cùm non palàm, quod volumus, oſtendere cupimus. Omnia enim quæ prouerbialiter dicuntur, alium verba ſenſum ſignificare videntur, alium ex ipſis verbis veritas parturit. Cyrillus in Theſaur. libro quinto, capite quarto.*

ECCLE-

ECCLESIASTES, LIBER BIBLIAE XXIII, PARTIS QVARtæ Secundus, De Philoſophia naturali.

CONTINVATIO.

Cvm intellectu & moribus quis profecerit, proximum eſt vt veniat etiam ad naturalis intelligentiæ diſciplinam, atque ibi rerum cauſas naturasque diſtinguens, cognoſcat vanitatem relinquendam, ad æterna autem & perpetua properandũ: & ideò poſt Prouerbia ad Eccleſiaſten peruenitur, qui docet (vt diximus) viſibilia omnia & corporea, caduca eſſe & fragilia: quæ vtiquè eùm ità eſſe deprehenderit is, qui ſapientiæ ſtudet, ſine dubio contemnet ea ac deſpiciet. Orig. in prolog. ad Cantica canticorum.

NOMINIS RATIO.

Ecclesiastes propriè concionator dicitur. Quod nominis hic liber ideò ſortitus eſt, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbę ſuſcepit ſenſum, vt ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſsè per tentationem mens imperita ſentiat. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 4.

ALIA LIBRI HVIVS DESCRIPTIO.

TAB. 121.

VOCANT HVNC LIBRVM *aliqui, Soliloquium Salomonis, in quo ipſe loquitur interdùm in Perſona*

- SAPIENTIS, *vt in hoc dicto: Cogitaui à vino abſtrahere animam meam, vt transferrem animum meum ad ſapientiam &c.*
- STVLTI, *cùm inquit: Vadam, & affluam diuitijs, & fruar bonis.*

AVTHOR.

Et hunc librum ſcripſit Salomon. Athanaſ. hîc. Et patet ex ijs, quæ paulò antè ex Auguſtini commentario de ciuitate Dei lib. 17. cap. 20. adducta fuêre.

ARGVMENTVM.

In hoc ſecundo Salomonis libro de contemptu vaniſſimi huius agitur mundi. Nam vt in principio Prouerbiorum ſcribit Baſilius Magnus, ideò Eccleſiaſtes attingit Phyſiologiam, nobiſque in hac vita vanitatem palàm oſtendit, vt in ijs quę citò prętereunt, minimè ſit homini inuigilandum, neque item amici curas in rebus vanis collocandum. Et Orig. hîc in Proœmio: In hoc, inquit, libro Salomon naturalem complectitur Philoſophiam, multa de rebus naturalibus differens, & inania ac vana ab vtilibus neceſſarijſque ſecernens, relinquendam vanitatẽ monet, & vtilia rectaque ſectanda.

SVMMA.

Svmma præſentis libri eſt, mundi huius cognoſcere & contemnere vanitatem. Bernard. ſuper Cantic. ſermo. 1. Hoc eſt, contemnendum eſſe totum mundũ cum omni eius concupiſcentia, & ſoli adhærendum Deo.

SCOPVS.

In Eccleſiaſte verò maturæ virum ætatis inſtituens, nè quidquam in mũdi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & breuia vniuerſa quæ cernimus. Hieronym. in Eccleſiaſt. in princip.

PARTITIO. TAB. 122.

RES MVNDI *huius vniuerſas, vanitati ſubiectas eſſe probare nititur Salomon, ab enumeratione præcipuarum rerum, quas mundus magni facere ſolet, ac loco quaſi omnium, decem ponit vana, videlicet*

- STVDIVM *ſcientiarum, cap. 1. Qui addit ſcientiam, addit & laborem.*
- APPETITVM *deliciarum, cap. 2.*
- DESIDERIVM *longioris vitæ, cap. 3.*
- AMBITIONEM *authoritatis, præeminentiæ atque dominationis, cap. 4. & 5.*
- CVPIDITATEM *diuitiarum, in medio capitis quinti, & in ſexto per totū.*
- ARTEM *diuinandi ſeu præſcientiam futurorum, cap. 7.*
- VENATIONEM *laudis & famæ, cap. 8.*
- SECTATIONEM *fortunæ, in medio capitis octaui, & per tot. cap. 9.*
- ROBVR *virium corporis, in medio cap. 9. & in 10. per totum.*
- SPECIEM *floridæ iuuentutis, cap. 11. & 12. vbi ſic concludit: Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Item: Deum time, & mandata eius obſerua: Hoc eſt omnis homo.*

CANTICVM CANTICORVM, LIBER BIBLIAE XXIIII, QVARTÆ partis tertius, de rerum cœleſtium contemplatione, ſiue de adhærendo Deo.

CONTINVATIO.

INTER libros Salomonis, rectè hoc volumen nouiſſimum tenet locum, vt tunc ad eum veniatur, cùm & moribus quis fuerit defęcatis, & rerum córruptibilium atq; incorruptibilium ſcientiam diſtinctionemq́; didicerit, per quæ in nullo poſſit ex his figuris. quibus ſponſæ ad ſponſum cæleſtis, id eſt, animæ perfectæ amor ad verbum Dei, deſcribitur ac formatur, offendere. Origen. hîc in prologo.

AD QVAM PARTEM PHILOSOPHIAE pertineat.

TOTVS contemplatiuus eſt hic liber, in quo amorem cæleſtium, diuinorumq́ue deſideriū incutit animæ ſub ſpecie ſponſæ ac ſponſi, charitatis & amoris vijs perueniendum docens ad conſortium Dei.

NOMINIS RATIO SIVE INSCRIPTIO.

CANTICVM hoc loco epithalamium, ſiue carmen ſignificat nuptiale, de coniunctione Chriſti & eccleſiæ. Canticum autem dicitur canticorum, quòd alijs canticis omnibus præferatur. Lyra hîc. Vndè Origen. in homilia priori in Cantica: Beatus, inquit, qui intelligit cantica, & canit ea: ſed multo beatior ille, qui canit cantica canticorum.

CANTICVM QVID DIFFERAT A PSALMO.

VTRVM autem omne canticum Pſalmus ſit, an potiùs omnis Pſalmus cāticum, an ſint quædam cantica, quæ non poſſint dici Pſalmi, & quidam Pſalmi, qui non poſſint dici cantica, quęri poteſt: ſed animaduertendæ ſcripturę ſunt, nè fortè canticum lętitiam indicet. Pſalmi autem dicuntur, qui cantantur ad pſalterium, quo vſum eſſe Dauid prophetam, in magno myſterio prodit hiſtoria. Auguſt. in Pſalm. 4.

ALIA DIFFERENTIA.

PSALMVS ad corpus, canticum refertur ad mentē. Hieron. lib. 3. in epiſtolā Paulí ad Epheſ. cap. 5. Hinc cantare & pſallere dicimus, id eſt, verbo & ore laudare. ore quippe cantatur, manibus autem pſallitur. Auguſti. in Pſal. 104. Sic canticū cantare nouū, eſt Deum in nouitate ſpiritûs adorare. Baſilius Magnus in Pſal. 32.

QVOTV-

QVOTVPLICIA SINT CANTICA.

Cantica fidelium, ex ſententia diui Bernardi in ſentẽtijs, ſunt quatuor: Victoriæ, quod ſubmerſo canitur Pharaone, Exod.15. Adhortatiõis, quod terram promiſſionis concinunt intraturi, Num.3. Lætitiæ, quod de ſuſceptione filij cantat Anna, 1. Reg.2. Fortitudinis, quod Dauid cantat, de manu Saulis ereptus. Bernar. ibidem.

DE EODEM, SENTENTIA ORIGENIS.

Multa autem in ſacris ſcripturis ſunt cantica. Habemus integrum volumẽ, de canticis canticorum ſcriptũ. Ecce & in hoc libro habemus cãticum, & in Numeris canticum ſcriptum eſt, & in Deuteronomio, & in Exodo, & in primo Regnorum libro. In primo Paralipomenon, & in alijs multis locis inuenies cantica diuina eſſe deſcripta. Origen. in 5. Iudicum cap. homilia ſexta. Iudic. 5. 1. Reg. 2.

AVTHOR.

Ex præmiſſis ſatis conſtat, etiam hunc librum eſſe Salomonis. Teſtatur id etiam Orig. hic in prolog. circa finem: Et locutus eſt Salomon, inquit, tria millia parabolarum, & erant cantica eius quinq; millia. Ex his ergò 5. millibus canticis, volunt videri hoc vnum eſſe canticum quod habemus. Sed vſquequò vel vbi cantata ſint, non ſolùm ad vſum, ſed ne ad notitiam quidem peruenit eccleſiarum Dei. Orig. ibid.

ARGVMENTVM.

Describitvr in hoc loco mutuus Dei & populi Iſraelitici amor. Sub populi autem Iſraelitici perſeuerantia in fide, ex mente Lyrani & communi doctorum calculo, Chriſti intelligitur Eccleſia. Quæ ob fidei puritatem & integritatẽ, ſpõſa dicitur ſponſi ſui, Domini ſcilicet ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Lyra in hũc librum.

SVMMA.

Cantica canticorum, animę perfectionis modum demonſtrant. Sponſi nanq; ac ſponſę concordiam cõtinent, hoc eſt, animæ cum Deo verbo familiaritatem. Baſilius Magnus in principio Prouerb.

SCOPVS.

Ad extremum iam conſummatum virum, & calcato ſeculo præparatum, in cantico canticorum ſponſi iungit amplexibus. Niſi enim priùs reliquerimus vitia, & pompis ſeculi renunciantes, expeditos nos ad Chriſti aduentum parauerimus, non poſſumus dicere, Oſculetur me oſculo oris ſui, &c. Hierony. ſuper Eccleſiaſten, in princip.

GENVS ORATIONIS.

Oratio huius libri tota eſt figurata. Auguſtin. de Geneſi ad literam lib.8. cap.1. Et in ſpeculo ex canticis: Hic liber, inquit, totus amores ſanctos Chriſti & eccleſiæ figurata locutione commendat, & prophetica pronũciat altitudine &c. Atq; hinc forſan eſt, quòd Origenes hæc ipſa canticorum cantica, ante annum triceſimum non legenda putârit. Verùm vt proſequitur in citato loco Auguſtinus, & ſi difficilimus ſit hic liber, poſſumus tamen facilè aduertere, quantùm ſit diuina illa & diuinitùs inſpirata charitas appetenda, quantùmque pendenda.

PAR.

PARTITIO. TABVLA 123.

CANTICA *Salomonis in decem diuiduntur Dramata, in quibus agitur De*

- PEREGRINATIONE *patrum*
  - THARE,
  - ABRAHAM,
  - ISAAC,
  - IACOB,
  - *Capite 1. in princip.*
- MVLTIPLICATIONE *populi, verſ. Dum eſſet rex. eod.*
- OPPRESSIONE *eiuſdem ab Aegyptijs, verſ. Eccè tu pulchra es. eod.*
- DEFENSIONE *Dei & apparitione, quæ Moiſi facta eſt in Rubo. capit. 2. verſ. Sicut málus inter ligna,*
- EXITV *Iſrael de Aegypto in genere, verſ. Dilecte mi. eod. In ſpecie verò de*
  - EGRESSIONE, *verſ. Surge, propera amica mea. eodem.*
  - PRAECESSIONE *nubis in columna, verſ. Eccè iſte venit ſaliens. eod.*
  - LEGISLATIONE, *verſ. Sonet vox tua. eodem.*
  - DEBELLATIONE *Amalech, ver. Capite nobis vulpes. eod.*
- PEREGRINATIONE *per deſertũ 40. annis, cap. 3. & ibi De*
  - CIRCVITIONE, *quam fecerũt propter peccatum murmurationis. verſ. Surgam, & circumibo ciuitatem. eodem.*
  - VOCATIONE *populi nouiter generati ad ingreſſum terræ ſanctæ. verſ. Capilli tui ſicut greges. cap. 4.*
  - CONTEMPLATIONE *terræ ſanctæ. verſ. Veni de Libano. eod. vbi continetur inuitatio Dei ad terram ſanctam-*
- INTRODVCTIONE, *cap. 5. verſ. Veniat dilectus meus. Vbì etiam explicatur, quomodò primò cœperint comedere de fructibus terræ ſanctæ. vndè dicitur: Comédi fauum cum melle meo &c. eod.*
- DELECTATIONE *& exaltatione Synagogæ, verſ. Ego dormio. eod. ca. 5. ac ibi De*
  - PERSECVTIONE *& liberatione populi Iſraelitici ſub temporibus iudicum, verſ. Percuſſerunt me. eodem.*
  - CLAMORE *populi, & reuerſione ad Deum, verſ. Adiuro vos filiæ Hieruſalem. dicto capit. 5. & cap. 8.*
- ERVDITIONE *& ſapientia plebis Iſraeliticæ. verſ. Ego murus. d. cap. 8.*
- VLTIMA *verò ſponſæ eſt, de ſponſi æterni habitatione in populo Iſrael, relictis cæteris gentibus. verſic. Fuge dilecte mi. in fine cantici.*

SAPIEN-

SAPIENTIAE LIBER,

BIBLIAE XXV, QVARTAE PARTIS QVARTVS,

De ſecunda parte moralis Philoſophiæ, hoc eſt, De officio Magiſtratuum. TABVLA 124.

Quot ſint moralis Philoſophiæ partes.

IN MORIBVS *hominum rectè formãdis ſacra ſcriptura fungitur officio interdum*	PARENTIS, MAGISTRATVS, PRAECEPTORIS,	*Vt in lib.*	*Prouerbiorum, Sapiẽtiæ, Eccleſiaſtici.*	*In qbus inſtituitur*	*Priuatus quiſq; vt filius, Magiſtratus, Vniuerſus populus.*

CONTINVATIO.

In volumine Prouerbiorum Salomon ſub perſona patris erga filium communia edidit præcepta, qd homo quiuis aut imitari, aut fugere debeat. Hîc vt princeps Magiſtratus inſtruit, quid imperando ac iudicando præ oculis habere debeant.

TITVLVS.

Propterea hic liber Sapientiæ ſortitus eſt nomen, quia in eo Chriſti aduentus, qui eſt ſapientia patris, & paſſio eius, euidenter exprimitur.

QVAE D. OLIM AVGVSTINI DE LIBRI huius authore fuerit ſententia.

In lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. Auguſtinus de libri huius authore ità ſcripſerat: Nam illi duo libri, inquit, vnus qui Sapiẽtia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Ieſus filius Sirach, eos ſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur.

VT AVGVSTINVS HANC SENTENTIAM retractârit:

Qvam ſententiam poſteà in ſecundo retractationũ libro, cap. 4. iterùm retractauit his verbis: In ſecũdo ſanè libro, de authore libri, quẽ plures vocant Sapientiã Salomonis, quòd etiam ipſum, ſicut Eccleſiaſticum, Ieſus Sirach ſcripſerit, nõ ità conſtare, ſicut à me dictum, poſteà didici, & omninò probabilius comperi, non eſſe eius libri authorem. Auguſtinus.

QVIS ERGO VERVS SIT HVIVS DOCTRInæ author.

Liber qui Sapientiæ Salomonis inſcribitur, apud Hebræos nuſquàm eſt. Quin & ipſe ſtylus Græcam eloquentiam redolet: & nonnulli ſcriptorum veterũ hunc eſſe Iudæi Philonis affirmãt. Ità Hieron. in præfat. in libros Salomonis ad Chroma. & Heliod. Philonem autem hunc eſſe quidam putant non eum qui ſub Nerone claruit, de quo vulgò apud Græcos dicitur: Aut Plato Philonem ſequitur, aut Platonem Philo. qui in laudem religionis Chriſtianæ apud primitiuam Eccleſiam obſeruatæ conſcripſit nonnulla, quemadmodùm teſtatur Hieron. de vitis illuſt. ſed alium quendam Philonem vetuſtiorem, peritiſſimum linguæ Grææ, ſupra centum & 60. annos ante Chriſti ortum, ſub temporibus Oniæ pontificis Iudæorum. Driedo lib. 1. de Eccleſiaſt. ſcripturis. cap. 3. part. 2. Ex qua ſentẽtia duæ naſcuntur. Quæſtiones.

QVAESTIO PRIMA.

Primvm quærit hoc loco acutiſſimus Theologus Ioan. Driedo, ſuper eo quod Hieron. dicit: Sapientiam quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & librum Ieſu filij Sirach, non eſſe Salomonis, cùm tamen totus antiquorum patrũ chorus, vt Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes in ſuis libris planè aſſerant, Salomonẽ dicere ea, quæ in eiſdem libris continentur, recitantes ex Sapiẽtia & Eccleſiaſtico teſtimonia, tanquàm diuinas ſententias, & tanquàm dictas à ſapientiſſimo Salomone, ex Dei ſpiritu loquente?

SECVNDA QVAESTIO.

Deinde, qua ratione Auguſtinus in lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. cõſtantiſſimè tradat, illos duos libros, quorum vnus eſt Sapientia, & alter Eccleſiaſticus inſcribitur, non Salomonem, ſed Ieſum filium Sirach ſcripſiſſe, cùm longè antè Euſebius doceat, quòd omnis antiquorum chorus, librum attitulatũ Sapientię, Salomonis eſſe dixerit? Driedo lib. 1. cap. 2.

RESPONSIO AD VTRANQVE.

Salomoni frequentiùs attribuitur hoc opus, non quòd ab ipſo Salomone ſit confectum vel editum, ſed quòd ſententias cõtineat Chriſti veri Salomonis, ab eo prolatas, qui eſt vel Salomon ipſe figurans Chriſtũ, vel perſonam gerit illius. Is eſt enim frequens in ſcripturis vſus, vt is qui loquitur, in perſona alterius loquatur. De Auguſtini retractatione dictum eſt. Driedo cap. 4. dict. lib. 1.

AN SIT AVTHENTICVS.

Inter canonicas & ſanctas Scripturas numeratur à concilio 3. Carthag. *Innocentio I.* ad Exup. Gelaſio cum concilio 70. epiſcoporum, Iſidoro lib. 6. etymolog. Concil. Florent. & Trident. B. Auguſt. lib. 2. de doctrin. Chriſtiana cap. 8. Hic in ſuo de ſanctorum prædeſtinatiõe libro, cap. 14. illud ei libro dedit teſtimoniũ: Quæ cùm ità ſint, inquit, non debuit repudiari ſententia libri Sapiẽtiæ, qui meruit in eccleſia Chriſti, de gradu lectorum eccleſiæ Chriſti, tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab epiſcopis vſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ authoritatis audiri. Auguſtin.

TESTIMONIA PATRVM EX SALOMONIS libro, qui Sapientia dicitur, deſumpta.

Estingens eorum librorum, quos inter apocryphos nonnulli poſuerunt, diuinitatis teſtimonium, quòd eoſdem Eccleſiaſtici doctores ſine vllo diſcrimine, ꝑ Eccleſiaſticis dogmatibus adducant. Neq; enim ea apocryphis authoribus, quos nullius authoritatis credebant, voluiſſent ſancire. Sunt verò in hoc genere per ſanctos authores loci multi diſperſi, qui curioſi lectoris ſtudio notari poterunt. Medina de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 9.

PATRES

PATRES AVTEM QVI HVIVS LIBRI AVTHOritatem approbârunt, hi ſunt. TABVLA 125.

DIONYSIVS

APOSTOLI *Pauli diſcipulus, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.2. vſurpat ex eo quaſi ex diuina ſcriptura illud: Acuet diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos, Sap.5. & cap.4. de diuinis nominibus, Amator factus ſum formæ illius, Sap. 8.*

ORIGENES

ADAMANTIVS, *ſanctarum ſcripturarũ obſeruator grauiſſimus, in eius libri citatione eſt tam frequens, vt eos omnes locos huc velle pertrahere ſit opus immenſum.*

BASILIVS

SANCTARVM *ſcripturarum integerrimus cultor, contra Apologeticum Eunomij, & in Pſalm.37. vſurpat illud: In maleuolam animam non intrabit ſapientia. Itém in eodem apolog. Omnia in ſapiẽtia feciſti. Sap.9. In epiſtola verò 141. coërcet hæreticos illo eiuſdem libri teſtimonio: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et libro de ſpiritu ſancto cap.30. appellat propheticum oraculum illud, Prudens in tempore tacebit, Sap.8.*

CYRILLVS ALEXANDRINVS

PATRIARCHA, *cuius & ſanctitas & eruditio non Græcis modò, ſed & Latio fuerunt veneranda, lib.2. contra Iulianum apoſtatam, ſub nomine diuinæ ſcripturæ adducit illud: Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram illo omni tempore &c. Sap.8.*

IOANNES CHRYSOSTOMVS

CONSTANTINOPOLITANVS *Patriarcha, in vaſtiſſimo illo ſuorum librorũ pelago, tam frequens eſt in petendis ex hoc libro Sapientiæ ſub nomine ſanctæ ſcripturæ ſentẽtijs, vt ſi huc adducendi fuiſſent loci, multas chartas implerent.*

HILARIVS

PICTAVIENSIS *Epiſcopus, cuius eruditionem & ſacrarum literarum peritiam, olim non ſolùm Galli, ſed vniuerſæ per orbem Chriſtianum prouinciæ ſenſerunt, dum Pſalmum centeſimũ decimumoctauum exponit, ex hoc libro illa verba vſurpat: Magna ſunt iudicia tua Domine, Sapien. 17. Idem in Pſal.136. adducit illud: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Sap.1. Et in Pſalm.127. vſurpat illud, Salomonis nomine: Quæſiui ſapientiam mihi accipere ſponſam.*

CYPRIANVS

CARTHAGINENSIS *Epiſcopus, eloquentia, eruditione, Martyrij gloria & antiquitate celebris, multa ex eodem libro, diuinæ ſcripturæ nomine, deſumit, ex quibus pauca adducemus. Epiſtolarum libro primo, epiſtola nona, & libro tertio ad Quirinum, vſurpat illud, Qui abijcit diſciplinam, infelix eſt, Sap.3. Lib.2 de habitu virginum, illud: Quid nobis profuit ſuperbia? Sap.5. Tractatu 1. aduerſus Demetriam. illud: Stabunt iuſti in magna conſtantia, Sap.5. Libro tertio ad Quirin. tractat ſub ſapientiæ Salomonis titulo, penè totum huius libri caput tertiumdecimum. In eodem adducit illud: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Sap.1. Libro de exhortatione ad martyrium, illud: Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt &c. Sap.3. In eod. lib. illud: Omnia idola nationum æſtimauerunt Deos. Sap.15. Libro item de ſingularitate clericorum, illud: Qui enim cuſtodiêrunt iuſtitiam, iuſtè iudicabuntur, Sap.6. Item illud: Quis enim hominum ſcire poterit conſilium Dei? Sapien.9. Quin & illud eod. lib. Deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem, Sap.9. Aduerſus Iudæos illud: Contumelia & tormento interrogemus eum, Sap.2. Et alia multa.*

AVGVSTINVS.

CVIVS *& eruditio & in dinoſcendis ſcripturis diligentia fuit ſemper illuſtris, ità eſt in hoc libro adducendo perpetuus, vt ſi omnia huc adducenda eſſent teſtimonia, iuſtum conficerent librum. Sufficit hîc, pauca pro multis inſerere. Lib. 3. Contra literas Petiliani, cap. 26. vſurpat illud: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Libro de præſcientia Dei ad Dardan. cap. 3. illud, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Sap. 1. Item in libro de eſſentia Dei illud: Auris zeli audit omnia &c. Lib. de mendacio, cap. 5. illud: Os quod mentitur, occidit animam ſuam, Sap. 2. In ſoliloquio, illud: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Lib. 4. de Geneſi ad literam, cap. 3. 4. & 5. illud: Omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuiſti, Sap. 11. Et illud: Multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum, Sap. 6. Libro item quarto de Trinitate, cap. 20. illud: Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, &c. cum alijs penè infinitis. Hæc ex Medina.*

ARGVMENTVM.

AGITVR in hoc libro ſub iuſtitiæ & ſapientiæ nomine ſummatìm de omni virtutu genere, tam iuſtitiæ, quàm ſapientiæ vocabulo vniuerſaliter accepto. Gloſſ. hic circa principium.

SCOPVS.

REFORMATIO eſt iudiciorum, vt Magiſtratus ſubditis ſuis benè præſint. Quos in principio ſtatim his alloquitur verbis: Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. Quærite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quęrite illū. cap. huius libri 1.

PARTITIO. TABVLA 126.

DIVIDITVR *autē totus hîc liber in partes tres: Quarum*

- PRIMA *exhortationem continet, ad excitandum vnumquenque ad zelum & amorem iuſtitiæ capeſſendum, à princip. vſque in finem, cap. 6.*
- SECVNDA *originem explicat ſapientiæ, à cap. 7. vſque ad cap. 10.*
- TERTIA *virtutis vtriuſque, tam iuſtitiæ ſcilicet, quàm ſapientiæ, effectus declarat ac vtilitates. à d. cap. 10. vſque in finem.*

CAPITA EXHORTATIONIS.

TABVLA 127.

PRIMAE PAR*tis, quæ exhortationē continet ad iuſtitiā, ſex ſunt capita, in quibus*

- PRAEMITTIT *introductionem ad ſapientiam generalem, cap. 1.*
- ENVMERAT *ea, quæ à ſtultis & inſipientibus contra ſapientiæ ſtudium obijciuntur, cap. 2.*
- QVIBVS *reſpondet in 3. cap.*
- RECENSET *laudes ſapientiæ, cap. 4. ab eius emolumentis, quibus è regione opponit inſipientiæ incommoda, cap. 5.*
- PRAEMISSA *omnia veluti per epilogum repetit, & in vnū colligit aceruum, cap. 6. Vbi tandèm ſic concludit hanc partem: Si ergò delectamini in ſedibus & ſceptris ô Reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.*

DE ORI-

DE ORIGINE SAPIENTIAE.

TAB. 128.

HVIVS PARtis initium ſumitur à fine ſexti capitis, vbi ſapiens rationem explicat originis, & diuiditur in tria viciſſim capita.

- OSTENDIT ſapientiam rem eſſe inæſtimabilem, & ob id nec auro, nec argento comparandam, cap. 7.
- REQVIRIT in ſapientiæ ſtudioſo feruorem atq; perſeuerantiam, cap. 8.
- DOCET, opus eſſe ſapientiæ ſtudioſo deuota precatione ad Deum, à quo vt bona omnia, ſic etiam ipſa venit ſapientia. cap. 9. Vbi etiam forma continetur precationis.

DE EFFECTV SEV FRVCTIBVS ET EMOLVmentis ſapientiæ.

TAB. 129.

IN HAC parte Salomon ſapientiæ vtilitates demõſtrat exemplo

- PERSONArum priuatarum, ſcilicet
  - ADAE,
  - NOAE,
  - ABRAHAE,
  - LOTH,
  - IACOB,
  - IOSEPH,
  - MOISIS.

  In quibus mirabiles claruiſſe cùm iuſtitiæ tum ſapientiæ effectus, declaratur toto cap. 10.
- TOTIVS populi Iſraelitici, cui in memoriã reuocat ſapientiæ quatuor in eum collata beneficia.
  - AQVAE ET fontis propter
    - Iuſtitiam conceſſa filijs Iſrael, cap. 11.
    - Iniuſtitiam & idololatriam negata Chananæis, cap. 12. 13. 14. & 15.
  - CARNIS & panis & Manna, cap. 16.
  - DIEI ET LVcis, Nam filij Iſrael iuſtitiam
    - Derelinquentes, denſiſſimis circundati ſunt tenebris, cap. 17.
    - Arripientes, iterùm adepti ſunt beneficium lucis, cap. 18.
  - COLVMNAE & nubis, cap. 19.

ECCLESIASTICVS, LIBER BIBLIAE XXVI, PARTIS QVARtæ vltimus, De tertia moralis Philoſophiæ parte, in qua (vt dictum eſt) Ieſus Sirach fungitur officio præceptoris.

CONTINVATIO.

Post Magiſtratuum inſtitutionem, commodè nunc populi corrigũtur mores: vt ſic mutua concordia inter omnes reip. Chriſtianæ partes tueri & conſeruari queat.

TITVLI EXPLICATIO.

Librvm Ieſu filij Sirach, dicit ſe Hieronymus apud Hebræos repperiſſe, non Eccleſiaſticum, vt apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum: cui iuncti erant Eccleſiaſtes & Canticum canticorũm: vt Salomonem non modo librorum numero, ſed & materiarum genere coæquaret. Raban. hîc in prolog.

QVID DIFFERAT HAEC INSCRIPTIO ab Eccleſiaſte.

Ecclesiasticvs, congregator vel collector interpretatur, ſicut ille (ſcilicet Eccleſiaſtes) concionator: ſed Eccleſiaſtes ad Chriſtum refertur, Eccleſiaſticus verò ad quemlibet prædicatorem. Idem Rabanus ibidèm.

AVTHOR.

Secvndvm ſententiam Ioannis Damaſceni veteris Theologi Græci, Ieſus pater Sirach, compoſuit Hebraicè librum iſtum: Nepos autem eius, etiam vocatus Ieſus filius Sirach, eundem librum traduxit in linguam Græcam. vide ipſum Damaſcenum lib. 4. cap. 8.

QVANDO SIT SCRIPTVS.

Ex traditiòne veterum, vt Euſebij, Hieronymi, Auguſtini & aliorum, certò cognoſcimus, Ieſum filium Sirach edidiſſe librum illum ante natiuitatem Saluatoris noſtri annos fermè ducentos, paulò ante tempora Iudæ Machabæi & fratrum eius: & id quidem, vt ex præfatione, quam is, per quem ſermo libri cõpoſitus eſt, eidem libro præſcripſit, intelligitur, ſub temporibus Ptolemæi Euergetis, qui regnauit in diebus Simonis Magni pontificis Oniæ filij, cuius & ipſe meminit in vltimo libri ſui capite. Ioan. Driedo de ſcriptur. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3.

AN SIT AVTHENTICVS.

Ivdaei hunc librum non recipiunt, quia in eodem Domini paſſio manifeſtè ꝓbatur. Gloſſa ordin. hîc in prolog. galeat. circa finem in verſ. Igitur ſapientia &c. Verùm à ſanctis patribus eum æquè àc Sapientiæ librum, in numerum & ordinẽ librorum ſacrorum receptum atque numeratũ eſſe, primùm liquet ex eo, quòd illi ſententias huius libri allegârint in ſuis libris vt ſacram ſcripturam. Deindè probat hoc ipſum Auguſtinus verbis paulò antè recitatis ex libro 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. vbi de Sapientia Salomonis & hoc libro diſſerẽs, ſic ait: Qui tamen, quoniam authoritatem meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt. Deniquè, quòd eadem concilia, iidemque pontifices Max. à quibus Sapientiæ liber inter canonicos numeratus eſt, Eccleſiaſticum etiam recenſuerint.

S.PA.

S. PATRES QVI HVIVS LIBRI TESTImonijs tanquàm authenticis vſi ſunt.

TABVLA 130.

CYPRIANVS.

DE *laude martyrij, allegat illum locum, Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, &c. Eccl. 2. In libro de ſingularitate clericorum, illud ex eodem: Qui ſpernit modica, paulatim decidit, &c. Eodem libro illud: Cum ſaltatrice noli eſſe aſsiduus, nè audias illam, Eccl. 5. Item illud: De veſtimentis procedit tinea, & de muliere iniquitas viri, Eccl. 42. In epiſtola ad Quirinum, illud: Qui baptizatur à mortuo, quid prodeſt lauatio eius? Eccleſ. 34. In eadem epiſtola, illud: Initium ſapientiæ timor Domini, cap. 1. & illud: Multùm iurans, replebitur iniquitate, Eccl. 23. In epiſtolarum lib. 3. epiſtola 11. adducit illud: Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica, Eccl. 7. Libro item epiſtolarum 1. epiſtola 3. illud: Sepi aurem tuam ſpinis, Eccl. 15. Et pluribus alijs in locis multo plura.*

HILARIVS.

IN *Pſal. 67. vſurpat illud: Initium ſapientiæ timor Domini, Eccleſ. 1. lib. 12. De Trinitate, illud: Ante ſecula fundata ſum, Eccleſ. 24.*

AVGVSTINVS.

PRIMVM *tractatu 9. in epiſtolam Ioannis, adducit illud: Initium ſapientiæ timor Domini, Eccl. 1. Contra Fauſtum lib. 22. cap. 53. illud: Fili, concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, Eccl. 1. contra epiſtolam Parmeniani lib. 3. illud: Non contradicas verbo veritatis vllo modo &c. Eccl. 4. In lib. 50. homiliar. 13. homil. illud: Non tardes conuerti ad Dominum, Eccl. 5. De ſalutaribus documentis ca. 6. illud: Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus. Eccl. 6. De ſpeculatione peccatoris, cap. 3. 4. & 5. illud: Memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis, Eccl. 7. lib. de amicitia, cap. 5. illud: Amicus fidelis medicamentum eſt vitæ, Eccl. 6. De ſancta Virginitate, illud: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, Eccl. 3. De conflictu vitiorum & virtutum, cap. 3. illud: Timenti Deum benè erit in extremis, Eccl. 1. Homiliarum lib. 50. homil. 9. illud: Beatus diues, qui poſt aurũ non abijt, Eccl. 31. De ſalutaribus documentis, cap. 53. illud: Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris ſui, Eccleſ. 34. De ſpiritu & anima cap. 11. illud: Melior eſt iniquitas viri, quàm benefaciens mulier, Eccl. 42. Et ſimilia alia hincindè multa. Lege Medinam.*

ARGVMENTVM.

SYLVAM continet hic liber optimarum ſententiarum, quas Ieſus Sirach, vt ipſe hîc in procemio ſuo teſtatur, ex varijs libris congeſſit. Vndè etiam propter ſummam virtutum, quas tractat, excellẽtiam πανάρετον, id eſt, omnium virtutum quaſi receptaculum appellatur. Cuius tanta claritas, tantaque Latinitas eſt, vt ipſe ſibi commentator ſit. Rabanus in Prolog.

SCOPVS.

CORRECTIO eſt morum, vt homines in vniuerſum omnes, iuſtitiæ & ſapientiæ præceptis inſtructi, atque adeò omnium virtutum præſidio adiuti, gratiam habeant in pręſenti, & gloriã in futuro videant ſeculo. Et Eccleſiaſticus in procemio ſuo ipſe hunc librum ſe illis ſcripſiſſe teſtatur, qui volunt animum intendere & diſcere, quemadmodùm mores debeat inſtituere is, qui ſecundùm legem Domini vitam agere propoſuerit.

PARTITIO. TABVLA 131.

IN HOC LIBRO *tria maximè ſunt obſeruãda:*

- ENCOMIA *ſiue commendationes ſapientiæ,* } *promiſcuè à principio vſque ad cap. 44.*
- PRAECEPTA *ſiue ſententiæ prudentum, tam de ſapientiæ, quàm alijs virtutum ſpeciebus.* } *promiſcuè à principio vſque ad cap. 44.*
- EXEMPLA *ſapientum, à d. cap. 44. vſque in finem.*

DE SAPIENTIAE DIVINAE ENCOMIIS & laudibus. TABVLA 132.

ENCOMIA SAPIENTIÆ *non vno traduntur in loco, ſed ipſis virtutum præceptis ſparsìm ſunt inſerta. Præcipuæ verò ſapientiæ commendationes, quarum in hoc libro peculiaris habetur tractatio, ſunt nouem. Quæ attinguntur in Capite*

- PRIMO, *in verſ. Omnis ſapientia à Domino &c.*
- MEDIO *cap. 4. verſ. Sapientia filijs ſuis vitàm inſpirat.*
- SEXTO, *in verſ. Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam.*
- CIRCA *finem 14. verſ. Beatus vir qui in ſapientia morabitur.*
- VIGESIMOQVARTO, *verſ. Sapientia laudabit animam ſuam.*
- CIRCA *medium 32. verſ. Qui timet Deum, accipiet doctrinam.*
- PRINCIPIO *cap. 36. verſ. Miſerere meî Deus.*
- TRICESIMONONO, *verſ. Sapientiam omnium antiquorum requiret ſapiens, &c.*
- CIRCA *finem 42. commendat ſapientiam*
  - *In genere, verſ. Memor ero igitur operum Domini.*
  - *In ſpecie verò, cap. 43. per totum.*

DE PRÆ-

DE PRAECEPTIS SENTENTIAE PRVDENTVM, SIVE LOCI communes, explicantur hoc libro LII. TABVLA 133.

QVORVM

PRIMVS EST DE

TIMORE *Dei, De quo agitur circa medium cap.1. verſ. Timor Domini gloria &c. vſque in fin.*

II. DE

PATIENTIA, *toto cap.2. quod incipit, Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.*

III. DE

PIETATE *erga Parentes, in princip. cap.3. vſque ad verſ. Fili, in manſuetudine opera tua perfice.*

IIII. DE

HVMILITATE, *d. cap.3. à loco citato, vſque ad verſ. Ignem ardentem extinguit aqua, &c.*

V. DE

ELEEMOSYNA *& commiſeratione erga pauperes, à fin. cap.3. vſque ad medium quarti, verſ. ſcilicet, Sapientia filijs.*

VI. DE

VERITATE *& iuſtitia, à d. loco vſque in finem cap.4.*

VII. DE

DETESTATIONE *peccati, & conuerſione ad pœnitentiam, à princip. cap.5. vſque ad verſic. Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei.*

VIII. DE

TACITVRNITATE, *à d. verſ. Eſto manſuetus, vſque in fin. cap.5.*

IX. DE

AMICITIA *vera, quæ cum virtute ſit coniuncta, à princip. cap.6. vſque ad verſ. Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam.*

X. DE

PRVDENTIA *gubernandi familiam, cap.7. per totum. Vbi varia traduntur officia Patrisfamiliâs, tam erga domeſticos, quàm extraneos.*

XI. DE

TRANQVILLITATE *& concordia, toto cap.8. incipiente: Non litiges cum homine potente.*

XII. DE

CASTITATE *& pudicitia, à princip. cap.9. vſque ad verſ. Non derelinquas amicum tuum.*

XIII. DE

CONSTANTIA, *maximè in amicitia retinenda, indè vſque ad verſ. In manu hominum artificum opera laudabuntur, & principes populi in ſapientia, eod.*

XIIII. DE

PRVDENTIA *adminſtrandi Remp. d. verſ. In manu, cap.9. & tot. cap.10.*

XV. DE

POENITENTIA, *per tot. cap.12. quod incipit, Si benefeceris, ſcito cui benefeceris.*

XVI. DE

AFFABILITATE *& ſocietate honeſta, toto cap.13.*

XVII. DE

LIBERALITATE, *à primo verſ. cap.14. Beatus vir qui non eſt lapſus. vſque ad verſ. Beatus vir qui in ſapientia morabitur*

XVIII. DE

FIDVTIA *in Deum, cap.16.17. & partim 18. vſque ad verſ. Fili, in bonis non des querelam.*

XIX. DE

SVAVILOQVENTIA *ſeu lingua curiali, à præfato verſiculo vſque in finem cap.18.*

XX.

XX.

Suſpicio fugienda. NON *facinora tantùm, ſed leuem etiam culpam, atque adeò facinorum ſuſpicionem omnem eſſe fugiendam, à princip. cap. 19. vſque ad verſ. Eſt prudentiæ nequitia.*

XXI.

INTER *prudentiam verum & falſam eſſe diſtinguendum, à d. verſ. vſque in finem eiuſdem cap. 19.*

XXII.

VT CAVENDVM *ſit ab omni peccato, cap. 21. à principio: Fili, peccâſti? non adijcias iterùm &c. vſque ad verſ. Non erudietur, qui non eſt ſapiens in bono.*

XXIII.

IN *verbis & geſtibus ſeruandam eſſe modeſtiam & maturitatem, indè vſque in finem d. cap. 21.*

XXIIII.

PRO *ſtrenuitate contra pigritiam, agitur cap. 22. vſque ad verſ. Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.*

XXV. DE

DISCIPLINA *filiorum, ab allegato verſ. vſque ad verſ. Pungens oculum, deducet lachrymas.*

XXVI. DE

PROHIBITA CONtumelia *verborum, tam erga*
- AMICOS, *à d. verſ. Pungens, vſque in fin. cap. 22.*
- QVAM *in Deum, cap. 23. à principio vſque ad verſ. Eſt & alia loquela.*
- ET *quoſcunque homines, vſque ad verſ. Homini fornicario, eiuſd. cap. 23.*

XXVII. DE

FORNICATIONE, *à fine cap. 23. vſque ad verſ. Sapientia laudabit animam ſuam, cap. 24.*

XXVIII. DE

MVLIERE *bona, & mala, circa finem cap. 24. iuncto cap. 25. & 26. per totum.*

XXIX.

DIVITIAS *vix abſque iniquitate comparari, cap. 27. à principio, Multi deliquerunt propter inopiã, vſque ad verſ. Qui denudat arcana amici, eod.*

XXX. DE

AMORE *proximi & fide amicorum, à d. verſ. vſque in finem cap. 27.*

XXXI. DE

VINDICTA *prohibita, cap. 28. per tot. Vbi etiam agitur de lingua tertia & nequam.*

XXXII. DE

GRATITVDINE *& ingratitudine, cap. 29. à principio, Qui facit miſericordiam, vſque in finem.*

XXXIII. DE

LIBERORVM *educatione atque correctione, cap. 30. à principio vſque ad verſ. Melior eſt pauper &c.*

XXXIIII. DE

AVARITIA *& cupiditate lucri, à dict. verſ. in finem cap. 30. & in cap. 31. vſque ad verſ. Super menſam.*

XXXV. DE

TEMPERANTIA *& ſobrietate, à præfato loco vſque in finem d. cap. 31.*

XXXVI. DE

OFFICIIS *ſenum atque iuuenum præſidentium, cap. 32. à principio vſque ad verſ. Qui timet Deũ, excipiet doctrinam.*

XXXVII. DE

INSTITVTIONE *Patrumfamiliâs, quales eſſe debeant erga filios, vxorem, ſeruos & amicos, cap. 33. à verſ. Audite me magnates, vſque in fin.*

XXXVIII.

XXXVIII. DE

AVGVRIO *ex ſomnijs & alijs præſtigijs prohibitis, cap. 34. à principio, Vana ſpes & ſomnia extollunt imprudentes: vſque ad verſ. Spiritus timentium Deum quæritur.*

XXXIX. ADHVC DE

VANITATE *eorum, qui ſpem ſuam in ſomnijs potiùs, vel in prudentia, quàm in Deo ponere conſueuerunt, à prædicto verſ. vſque ad verſ. Miſerere noſtrî, cap. 36.*

XL. DE

VIRI *& vxoris legitima coniunctione atque ſocietate, circa finem dict. cap. 36. verſ. Omnem eſcam.*

XLI. DE

CONSILIO *& conſiliario bono, quanti ſint facienda, cap. 37. à principio vſque ad verſ. Fili, in vita tua. circa fin.*

XLII. DE

SANITATE *corporali tuenda per abſtinentiam, à fine cap. 37. vſque ad verſ. Fili, in mortuum produc lachrymas, cap. 38.*

XLIII. DE

PRAEPARATIONE *ad mortem, quomodò fieri debeat. à citato loco vſque ad verſ. Sapientiam ſcribe in tempore vanitatis.*

XLIIII. DE

ARTIFICVM *operis, earumque vtilitatibus, à d. verſ. vſque ad cap. 39. Quod octauam continet Sapientiæ commendationem.*

XLV. DE

MISERIA *vitæ humanæ, cap. 40. à principio, Occupatio magna creata hominibus. vſque ad verſ. Omne munus.*

XLVI. DE

ARMIS *& quibuſdam quaſi remedijs contra prædictam miſeriam. à verſ. præfato vſque in finem d. cap. 40.*

XLVII. DE

MORTIS *recordatione amara, cap. 41. à principio vſque ad verſ. Noli metuere iudicium mortis &c.*

XLVIII. DE

REMEDIIS *contra timorem mortis, à prædicto loco vſque ad verſ. Curam habe de bono nomine. eodem.*

XLIX. DE

BONI *nominis adquiſitione & honeſtæ famæ conſeruatione, & quibus ea rebus parari queant, à præallegato verſ. Curam habe: vſque ad verſic. Veruntamen in his, eod.*

L. DE

VERECVNDIA, *vbì deceat, vel non deceat, à d. ver. finali cap. 41. vſque ad verſ. Non pro his omnibus confundaris, cap. 42. Ac ibì de differentia inter verecundiam veram & confuſionem.*

LI. ADHVC IN SPECIE.

DE *quibus rebus non ſit erubeſcendum. Indè vſque ad verſ. Filia patris abſcondita. eodem.*

LII. DE

CRIMINE *ſtupri, ab illo loco vſque ad verſic. Memor ero. eodem cap. 42. Nam cætera quæ ibì & in toto cap. 43. ſequuntur, vt in præcedenti dictum eſt ſchemate, ad nonam pertinent Sapientiæ commendationem.*

DE EX-

DE EXEMPLIS SAPIENTVM.

TABVLA 134.

IN TERTIA *parte Eccleſiaſticus nos ad Sapiẽtiæ virtutumq́ue omnium ſtudium allicere conatur, exemplis ſanctorum Patrum veteris teſtamẽti. Quorum omni ferè tempore aliq̀ his virtutibus ornati fuerũt, vt*

- ANTE *legem*
  - ENOCH,
  - NOE,
  - ABRAHAM,
  - ISAAC,
  - IACOB, &
  - DVODECIM *Patriarchæ.*
  - *De quibus agitur in cap.* 44.
- SVB *lege*
  - MOISES,
  - AARON,
  - PHINEES,
  - *Cap.* 45.
- POST *legem tempore ſcilicet Iudicum,*
  - IOSVE,
  - CALEPH,
  - SAMVEL, &
  - CAETERI *Iudices,*
  - *Cap.* 46.
- TEMPORE *Regũ*
  - NATHAN,
  - DAVID,
  - SALOMON,
  - *cap.* 47. *Vbi etiã fit mentio De*
    - *Roboam & Hieroboam, qui diviſerunt legem.*
    - *Helia, Eliſæo, Ezechia, & Eſaia, cap.* 48.
    - *Tandèm de Ioſia, Ieremia, Ezechiele, &* 12. *Prophetis agitur in cap.* 49. *vſque ad fin.*
- POST *Reges*
  - ZOROBABEL,
  - IESVS *ſacerdos magnus,*
  - NEHEMIAS, &
  - *Simõ filius Oniæ,*
  - *Circa fin. cap.* 49. *vſq. ad fin. cap.* 50.

EPILOGVS ECCLESIASTICI.

TABVLA 135.

TANDEM SEipſum *introducit Ieſus filius Sirach*

- SCRIBENTEM *Doctrinam ſapientiæ, in fin. cap.* 50.
- ORANTEM, *in princip. cap.* 51. *verſ. Confitebor tibi Domine Rex &c.*
- LABORANTEM *pro ſapientia adquirẽda, circa medium eiuſdem verſ. Cùm adhuc iunior ſum, quæſiui ſapientiam &c.*
- INVITANTEM *ad ſapientiam, verſ. Appropiate ad me indocti, vſque in finem Eccleſiaſtici.*

PARS VETERIS TESTAMENTI QVINTA, DE RERVM FVTVrarum reuelationibus diuinis.

ORDINIS SIVE COLLOCATIONIS RATIO.

ITA Deus Opt. Max. ſuam hactenùs inſtruxit Eccleſiam, vt nihil quidem homini, quod ad conſequendam perfectam pertineat ſalutem, vlla ratione deeſſe queat. Sed hoc Maieſtati ſuæ diuinæ videbatur parùm, niſi etiam eorum, qui à præmiſſarum legum obſeruatione, quoquo modo cecidiſſent, ſingularem haberet curã. Tanta eſt enim diuinæ naturæ ſuæ bonitas atque clementia, vt nullo vnquàm tempore mortem velit peccatoris, ſed magìs, vt cõuertatur & viuat. Ezechiel. 18. & 33.

HANC ſuam voluntatem humano generi per ſacroſancta prophetarum aperuit oracula. Nam etſi peccatorum pertinacia euſquè diuinam adigat iuſtitiam, vt pœnam totiès meritam decernere cogatur, non facilè tamen ſuã exequitur ſententiam, ſed inuitat priùs per prophetas ſuos ad pœnitentiam omnes, antequàm puniat. Origen. in Hieremiam homilia 1. Et hoc duobus ferè modis, pœnarum comminatione, niſi reſipiſcant: & promiſſione beneficiorum, ſi in viam redire ſtudeant.

ATQVE hic mos erat apud Iudęos vetus, vt prophetæ diuinitùs afflati, prędicerent illis quæ imminerent, ſiue bona eſſent, ſiue mala, authoritate licèt pari, voto tamen & conſilio longè diuerſo: Bona quidem, vt eueniant: mala verò, vt auertantur. Nam ſic & Chriſtus ipſe gehennam minatur, nè gehennam inferat. Quarè & nos, inquit D. Chryſoſtomus, verba terreant prolata, ſed rerum non contriſtet auſteritas. Chryſoſt. homil. De Iona Propheta.

ALIA CONTINVATIO.

HACTENVS actum eſt de lege, hîc nunc de legum interpretibus dicendum erit. Sunt enim prophetæ interpretes legis, vt apoſtoli interpretes ſunt vtriuſque & legis & prophetarum.

PARTITIO. TABVLA 136.

TRIA HOC *loco erunt explicanda:*
- QVID *ſit Prophetia.*
- PROPHETAE *qui dicantur.*
- QVAE *ſint eorum ſcripta.*

DE PROPHETIA, ET PRIMVM, QVID *ſit prophetare.*

PROPHETARE,nihil aliud eſt,quàm rerum futurarum p̄uidere ac pandere euentus.Chryſoſt.De verbis Eſaiæ,Vidi Dominum,homilia 2. Quæ verba quem myſticum habeant ſenſum, non minùs eleganter quàm piè D. explicat Bernardus: Non conſiderare,inquit,quæ videntur,ſed quæ non videntur,ſine dubio propherare eſt: ambulare in ſpiritu, ex fide viuere, quæ ſursùm ſunt quærere, non quæ ſuper terram,obliuiſci quæ retrò ſunt,& extendi in anteriora,ex magna parte ꝓphetare eſt.Alioquì quonam modo conuerſario noſtra in cęlis eſt?Bernardus in Sermone 2.ad fratres de altitudine & baſſitudine cordis. Atque hinc eſt,quod D. Paulus dixit,prętantius eſſe prophetare,quàm linguis loqui, 1.Corint.14. & ibi Ambroſ.

PROPHETIA QVID.

PROPHETIA eſt facultas illa pręuidendi ac prędicendi futura. Quæ ob id in ſacris literis communiter dicitur viſio. Hieron.lib.3.in Oſeam, cap. 12. Et in prophetam Amos,in principio.Breuiter prophetiam dicit Auguſtinus,quidquid in ſcripturis ſacris Chriſtum & futuram ſignificauit Eccleſiam. Auguſtinus contra Adimantum,cap.15.in fine.

ALIA DEFINITIO.

CASSIODORVS Prophetiam dicit eſſe diuinam inſpirationem, rerum euentus immobili veritate denunciantē.Nicolaus de Lyra in pręfatione ad Pſalmos. Dicitur etiam oraculum,id eſt,eloquium vel reſponſum diuinum. Gloſſ.in Prolog. Eſaiæ.

QVIBVS MODIS FIAT HAEC INSPIRATIO.

TABVLA 137.

FIT AVTEM *inſpiratio dicta Aut*
- GRATIA, *vt in Moiſe, & in cæteris bonis.*
- PERMISſione, *Vt in*
  - SIBYLLA *Vate.*
  - INFIDELIBVS *philoſophis.*
    - *Qui multa diuino inſtinctu prædixerūt. Beda in præfat. ad Pſalmos.*

ORIGO.

SPIRITVS SANCTI donum eſt Prophetia,quę non humana voluntate allata,ſed diuinitùs hominibus à Deo conceſſa eſt & infuſa,Rom.12.1. Cor.12.2.Pet.1. Nihil enim loq poteſt propheta Dei, niſi quod Deus in os eius poſuerit, vt docet Michęas 3.Reg.22.Vndè os Prophetarum,os plerũquè ipſius dicitur Domini. Hieron.in Quęſtion.Hebraicis in lib.Regum.

QVOT MODIS CONTINGAT HAEC INFVSIO.

PROPHETIS ſuis Deus olìm, aut in viſione, aut per ſomnium loquebatur: Soli autem Moiſi facie ad faciē locutus eſt.Num.12. Si quis inter vos,inquit,propheta fuerit,in viſione apparebo ei,aut per ſomniū loquar,

AN DIVIDATVR PROPHETIA.

ETSI Origenes dicat,Prophetias non eſſe diuiſas, ſed quaſi ex vno ſpiritu, quaſi ex vna anima & ex vna voce,conſenſu videlicet operante in eis,ſunt dictę & ſcriptæ.Origen.in Matthęum tractat.6. Sunt tamen,vt iam dictum eſt,varia prophetandi genera:quorum vnum eſt ſomniorùm,quale eſt in Daniele. Hieron. lib.4. in Hierem.ca.23.vbi ait:Sunt hodiè quoquè ſomniatores in Eccleſia, & maximè in noſtro grege,qui errores ſuos Domini iactant prophetiam.

DIVI.

DIVISIO PRIMA, EX BEDA.

TABVLA 138.

PROPHETIA *eſt diuina inſpiratio, qua rerum euentus demonſtratur aut per*

- VISIONES, *Vt*
  - EZECHIELI,
  - DANIELI,
  - BEATO *Ioanni*
  - → *In ecſtaſi poſitis diuina inſpiratio per quaſdam imagines futura præmonſtrauit.*
- FACTA, *vt in immolatione Abraham, qui monitus à Deo, proprium immolauit filium, qui Chriſti fuit figura.*
- DICTA, *vt quod in Moiſe de Chriſto legitur: Suſcitabo de fratribus veſtris Prophetam, tanquàm me, ipſum audite, & vt*
  - *Pſalterium, &*
  - *Quorundam dicta Prophetarum, Beda in Prolog. Pſalterij.*

SECVNDA DIVISIO, EX ORIGENE.

TABVLA 139.

EST PRO-*phetia alia*

- VETERIS, *Teſtamenti* — *Illa fit per verba, Hæc dicit Dominus.*
- NOVI *Teſtamenti* — *Hæc fit ad*
  - *Ædificationem,*
  - *Exhortationem,*
  - *Conſolationem,*
  - → *1. Cor. 14. & Origen. in cap. 12. epiſtolæ ad Romanos.*

TERTIA DIVISIO, EX CHRYSOSTOMO.

TABVLA 140.

PROPHE-*tia alia eſt ex*

- PRAESCIENTIA, *vt hæc: Eccè virgo concipiet, &c. Eſa. 7.*
- IVDICIO *operum: vt, Adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur: ſubintelligimus, niſi pœniteat. Ion. 3.*

DIF*ferunt duob⁹ modis:*

- *Tum quòd*
  - *Prior ſit immutabilis:*
  - *Altera verò mutari ſoleat, ſecundùm quod verba ſonant, non ſecundùm intellectum.*
- *Tum quòd* — *Illa impleatur Dei ſolummodò operatione, vt quòd virgo pareret, Hæc impleatur hominum adminiſtratione ſiue cooperatione, vt pœniteat, & ſic fiat ſuus. Chryſoſt. Matthæi 1. homilia 1. operis imperfecti.*

EADEM DIVISIO LATIVS EXPLICATA per D. Anſelmum. TABVLA 141.

ALIA PROphetia eſt ex

- PRAEDESTINATIONE *Dei, quod neceſſarium eſt omnibus modis euenire, vt ſine noſtro impleatur arbitrio: vt eſt, Eccè virgo concipiet &c. Eſa. 7.*
- PRAESCIENTIA *Dei, cui noſtrum admiſcetur arbitriũ, & cooperante gratia, conſequimur præmium: vel ab ea iuſtè relicti, tormentum.*
- NON *ex præſcientia, ſed eſt quædam quaſi comminatio more humano facta: ſicut illud, Morieris tu, & non viues, Eſa. 38. item; Adhuc* XL. *dies, & Niniue ſubuertetur, Ion. 3. Quod intelligendum eſt, niſi corrigamur. Anſelmus in Matthæi cap. 1.*

QVARTA DIVISIO. TABVLA 142.

ADHVC ALIA *Prophetia eſt De*

- PRAETERITO, *vbi de caſu primi angeli dicitur: Quomodò de cælo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Eſa. 14.*
- FVTVRO, *vt, Dominus ad iudiciũ veniet cum ſenioribus populi ſui. Eſa. 3.*
- PRAESENTI, *Cuius exemplum eſt in verbis Apoſtoli 1. Cor. 14. Occulta cordis eius manifeſta fiunt. Vbi ſpiritus non prædicit, quod futurum eſt, ſed quod eſt oſtendit. Anſelmus 1. Cor. 14.*

QVA RATIONE PROPHETIA PRAETERITO AVT pręſenti tempori poſſit accommodari. TABVLA 143.

PRO DECI- *ſione huius non ineptæ dubitationis, notandum eſt, quod innuit hac de re, B. Gregor. ſuper Ezechielē homil. 1. Duplicē videlicet eſſe Prophetiæ ſignificationem.*

- PROPRIAM *& ſtrictam, quandò prædicuntur futura. Ea enim eſt Prophetiæ natura, multò antè tempore prædicere, quæ certò euentura ſunt. Chryſoſto. in Eſaiam.*
- LARGAM, *quandò non tantùm prædicuntur futura, ſed produntur occulta. Et ſic prophetiæ tẽpora ſunt tria, vt rectè dicatur, Prophetiam aliam eſſe De tempore*
  - FVTVRO: *vt, Eccè virgo concipiet & pariet filium, Eſa. 7.*
  - PRAETERITO: *vt, In principio creauit Deus cælum & terram. Vbi de illo tempore dixit homo, quo non erat homo, Geneſ. 1.*
  - PRAESENTI: *Quandò apoſtolus Paulus in proximè citato loco dicit, Occulta eius manifeſta fiunt &c. Et hæc dicitur Prophetia, non quòd prædicat ventura, ſed quia prodit occulta. Anſel. vbi ſuprà.*

QVO-

QVOMODO OCCVLTORVM INTERPRE-*tatio, dici poſsit Prophetia.*

EIVS rationem idem Gtcgorius reddit eam: Rem quippe, ait, quamlibet, ſicut ab oculis noſtris in futurum ſubtrahunt tempora, ità ab oculis noſtris in pręſenti ſubtrahit cauſa. De hac Prophetia, hoc eſt, de interpretatione ſcripturarum, dicit Eccleſiaſticus: Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, Eccl. 24.

PROPHETIA QVID DIFFERAT A DIVINATIONE.

ALIVD apud ſcripturas diuinas Prophetia, aliud diuinatio habetur. Prophetia enim ex inſtinctu Spiritusſancti proficiſcitur, diuinatio autem dęmonum fit miniſterio. Origen. ſup. Num. cap. 22. homil. 13.

DE SPIRITV PROPHETICO.

AVGVSTINVS in lib. De Geneſi ad literam 12. cap. 9. diſertè probat, Prophetiam ad mētem pertinere potiùs, q̃ ad nudam viſionem. Proindè, inquit, quibus ſigna per aliquas rerum corporalium ſimilitudines demonſtrantur in Spiritu, niſì acceſſiſſet mentis officiū, vt etiam intelligerētur, non erat Propheta: magisq́; propheta erat qui interpretabatur quod alius vidiſſet, q̃ ipſe qui vidiſſet. Vndè appáret, magìs ad mētem pertinere Prophetiam, q̃ ad iſtum ſpiritum, qui modo quodam proprio vocatur ſpiritus, vis animæ quędam mente inferior, vbì corporaliū rerū ſimilitudines exprimuntur. Itaq; magìs Ioſeph propheta, qui intellexit, quid ſignificarent ſeptē ſpicę & ſeptem boues, q̃ Pharao, qui eas vidit in ſomnis. Illius enim ſpiritus informatus eſt, vt videret: huius mens illuminata, vt intelligeret.

QVOS AFFICIAT SPIRITVS PROPHETIAE.

HABERE prophetiam, & malis contingere poteſt: Inuenimus enim Saulem Regem habuiſſe prophetiam. Perſequebatur ſanctum Dauid, & impletus eſt ſpiritu Prophetiæ, & prophetare cœpit. Auguſtinus in Epiſtolam B. Ioan. tractatu 7.

QVOMODO AFFICIAT. TABVLA 144.

SPIRITUS Prophetiæ, vt D. ſcribit Auguſtinus, afficit aut
- SCIENTES, & quidem alios per
  - *Informationē Spiritûs, duobus modis: Aut per*
    - SOMNIVM, *ſicut non ſolùm plerique ſancti, ſed & Pharao & Nabuchodonoſor: vterque vidit quod nemo eorum intelligere valebat, ſed tamen vterque videre poterat.*
    - DEMONSTRATIONEM, *in ecſtaſi, quod nonnulli ſtuporem interpretantur, ſicut Danieli demonſtratum eſt, quod nō intelligebat. Et Petro illud vas ſummiſſum de cælo quatuor linteis: Nam & ipſe, quid illa demonſtratio figuraret, poſteà cognouit.*
  - FRVCTVM *mentis ad intelligētiam aut*
    - CVM *hæc ipſa, quæ demonſtrantur imaginibus, quid ſignificēt, & quò pertineant, reuelantur: quæ certior prophetia eſt: nam magìs ipſam Apoſtolus vocat Prophetiam, ſicut Ioſeph meruit intelligere, quod Pharao non niſì videre: & Daniel exponit regi, quod ille cernit & neſcit.*
    - QVANDO *verò ità mens afficitur, vt non rerum imagines cōiecturali examinatione intelligat, ſed res ipſas intueatur, ſicut intelligitur ſapientia & iuſtitia, omnisq́; incommutabilis & diuina ſpecies, ad prophetiam de qua nunc agimus, non pertinet.*
  - VTRAQVE *inſpiratione, id eſt, vtroq; munere Prophetiæ donantur hi, qui & rerum imagines in ſpiritu vident, & quid valeant, ſimul intelligunt: aut certè manifeſtis locutionibus in ipſa demonſtratione informantur, ſicut in Apocalypſi quædam exponuntur.*
- NESCIENTES *autem afficit prophetiæ ſpiritus, ſicut Caiphas cùm eſſet Pontifex, prophetauit de Domino, quòd expediret vnum mori pro tota gente, cùm aliud in verbis quæ dicebat, attenderet, quæ non ſe à ſeipſo dicere, neſciebat. Auguſtimus ad Simplicianum de ſolutione quarundam Quæſtion. lib. 2. quæſtion. 1.*

QVO TEMPORE AFFICIAT. TABVLA 145.

VT NON VNO *modo, ità nec ſemp* Pro*phetiæ Spiritus, Prophetę attingit animum, ſed attingit aliquandò ex*

- PRAESENTI, *nec tamen ex futuro.*
- FVTVRO, *nequaquàm verò ex præſenti.*
- PRAESENTI, *& futuro.*
- PRAETERITO, *præſenti, & futuro.*
- PRAETERITO, *non autem ex futuro.*
- FVTVRO, *nec tamen ex præterito.*
- IN *præſenti, ex parte, & ex parte non.*
- IN *futuro, ex parte, & ex parte non.*

Exempla ſingulorum vide apud Gregorium ſuper Ezechielem in principio. Et partim in præfatione Nicolai de Lyra ad Pſalmos.

QVIS PROPHETIAE SIT FINIS.

PROPHETICA oracula non in hoc edebantur, vt Iudæi futura vtcunquè prænôſſent: ſed vt per ea quæ didiciſſent, lucrum luculentũ reportarent, ac proindè redderentur modeſtiores, timore perculſi propheticæ comminationis, & pollicitatione bonorum ad obeundam virtutẽ efficerentur alacriores, & vt vtraq; ex parte edocerentur & potentiam Dei, & erga eos ipſius prouidẽtiam. Et nè exiſtimarent, quæ futura prædicebantur, ea temerè aut fortuito caſu euentura, ſed vt certiſſimè ſcirent, Dei hæc ſupremo fieri Decreto. Chryſoſt. in Eſa, cap. 7.

QVANDO COEPERIT.

TEMPORE primi templi Prophetæ diſcurrebant per Iudæam, populum à malis retrahendo. Tempore verò ſecundi templi, non leguntur habuiſſe niſi Aggæum, Zachariam, & Malachiam, qui prophetauerunt tempore ædificationis templi ſecundi. Sed poſteà populus Iudaicus caruit prophetis eiuſmodi per 300. annos & ampliùs, vſque ad tempus Ioannis Baptiſtæ, Qui cœpit prædicare pœnitentiam, & Chriſti enunciare aduentum. Lyranus in Eſa. cap. 35.

QVANDIV DVRAVERIT.

PROPHETIA, vt tradunt Iudęi, ceſſauerat ante finem ſecundi templi per 42. annos: Quod tempus cõcurrit cum paſſione Chriſti. Burgenſis in Addit. ad Lyran. 1. in cap. 1. ad Hebr.

DE GRADIBVS PROPHETIAE, EX LYRANO.

TABVLA 146.

EX PRAE*dictis ſanctorum Patrũ ſentẽtijs, colligĩtur Prophetiæ quatuor quaſi gradus:*

- PRIMVS, *quandò cum viſione alicui communicata datur viſionis intelligentia, ſicut Ieremias vidit ollam ſuccenſam, & facies eius à facie aquilonis, vt habetur Ierem. 1. cap. Per quam viſionem intellexit ſignificari exercitum Regis Babylonis venturum ad comburendam ciuitatem Hieruſalem.*
- SECVNDVS, *quandò non fit talis viſio ſeu apparitio, ſed auditur vox inſtruens de aliquo ſupernaturali, ſicut 1. Reg. 2. Samuel audiuit vocem Domini ſibi loquentis, nec tamen vidit aliquam effigiem ſibi apparentem.*
- TERTIVS, *quãdò non ſolùm auditur vox inſtruens, ſed etiam cum hoc appáret perſona aliqua loquens, Aut*
  - HOMINIS *ſancti, ſicut 2. Mach. 15. habetur cap. quòd Onias iam defunctus apparuit Iudæ Machabæo, dicẽs ei de Hieremia propheta ſimiliter apparente: Hic eſt qui multùm orat pro populo &c.*
  - ANGELI, *quales ſunt veteris ac noui teſtamenti reuelationes ferè omnes.*
  - DEI, *vt Eſa. 6. vbi dicitur: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum &c.*
- QVARTVS, *quandò ſine apparitione alicuius figuræ vel ſigni ſenſibilis, capitur veritas intelligibilis, de occultis per diuinam reuelationem, quo modo factæ ſunt reuelationes Dauidi. Lyranus in præfatione ad librum Pſalmor.*

DE PRO-

DE PROPHETIS.

QVID PROPHETA SIT.

PROPHETA Dei, iuxta ſententiam Auguſtini, aliud eſt nihil, quàm enunciator verborum Dei, hominibus qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire. Auguſtinus ſuper Exodum quæſtione 17.

VNDE SIC DICTVS.

A PRAEVIDENDO nomen habet propheta. vt enim Prophetias viſiones appellari dictum eſt, ità Prophetæ Videntes dici conſueuerunt, 1. Reg. 9. Hieron. lib. 3. In Oſee, cap. 12. Et in prophetam Amos, in princip.

ALIA ETYMOLOGIA. TAB. 147.

PROPHETA SECVNdùm nominis interpretationẽ, dicitur quaſi procùl fans, quia denũciat ea, quæ p o. ùl à natura ſeu remota ſunt à cognitione humana: Idque propter difficultatem

- RERVM cognoſcẽdarum, quæ naſcitur ex
  - *Eminentia rerum diuinarum.*
  - *Occultis myſterijs, quæ ſoli Deo ſunt cognita.*
  - *Diſtantia*
    - *Loci*
    - *Tẽporis*
      - *Præſentis,*
      - *Præteriti,*
      - *Futuri.*
- PERSONAE *cognoſcentis myſteria Prophetiæ.*
- MODI *intelligendi & cognoſcendi ſigna Prophetica.*

Exempla, quibus illuſtratur hæc tabella, vide in præfatione NIcolai de LYra in *Pſalmos.*

PROPHETARVM APPELLATIONE QVI contineantur.

PROPHETARVM appellatione continentur non veri tantùm prophetæ, ſed etiã falſi: Hîc nunc de veris, pòſt etiam de falſis dicendum erit.

QVOT MODIS DICATVR ALIQVIS Propheta. TABVLA 148.

PROPHETA *iuxta Britonem in prologum Galeatum ad verb. ſecundùm ordinem prophetarũ dicitur tripliciter:*

- OFFICIO, *quandò aliquis eligebatur, qui in dubijs conſuleret Dominum, ſicut Moiſes & Ioſue.*
- MISSIONE, *ſicut ille quem mittebat Dominus, ad denũciandum, quæ ei inſpirauerat, vt Ionas.*
  - *Hi ꝓpriè dicũtur prophetæ.*
- GRATIA, *ſicut ille qui per inſpirationẽm noticiam aliquorum dabat, quæ nec natura, nec diſciplina aliqua dari poterat, ſicut Dauid & Daniel. Hi quia nec electi fuerant, neque miſſi, inter prophetas non numerabantur.*

VERI PROPHETAE QVI.

TAB. 149.

VERI PROphetæ ſunt omnes, qui à Deo miſsi ſunt & inſtructi, vt futura prædicerent, quales non illi tantùm ſunt,

- QVI LIBROS de ſuis viſionibus reliquerunt,
  - ESAIAS, *Hieremias, Baruch, Ezechiel,*
  - DANIEL, *Oſee, Iohel, Amos,*
  - ABDIAS, *Ionas, Michæas, Nahum,*
  - ABACVC, *Sophonias, Aggæus,*
  - ZACHARIAS, *Malachias,*
  - *De his tãtùm in hac quinta agitur parte.*
- SED *etiam quorum non extant quidem monumenta, & ob id inter prophetas non numerantur: (Viues ſuper Auguſt. de ciuitat. Dei lib. 17. ca. 1.) ſed tamen habent ſua in ſacris literis teſtimonia, vt*
  - PATRIarchæ
    - *Adam, primus & homo & propheta. Qui myſterium Chriſti vidit in ſopore.*
    - *Enoch.*
    - *Noe.*
    - *Abraham. Gene. 20.*
    - *Iſaac.*
    - *Iacob & cæt.*
  - DVCES, *Reges, & alij: vt*
    - *Moiſes.*
    - *Aaron Ex. 7.*
    - *Septuaginta ſeniores Numer. 11.*
    - *Samuel.*
    - *Dauid.*
    - *Nathan.*
    - *Gad.*
    - *Salomon.*
    - *Abias.*
    - *Addo.*
    - *Elias.*
    - *Eliſæus.*
    - *Hanani.*
    - *Iehu filius Hanani.*
    - *Iahaziel.*
    - *Semeias.*
    - *Azarias filius Obed.*
    - *Vrias & cæt.*
  - *Horum tẽpora, vitam, prophetias, & res geſtas ſtudioſi ex priuata lectione ipſi obſeruare poterũt.*
- *Et quidem*
  - *Hi cẽs typi fuerunt Chriſti. Hieron. in Hieremiam cap. 11.*
  - *Longè tamen adhuc plures, fuiſſe ꝓphetas patet ex eo, quòd ſcriptura teſtetur, Abdiã prophetas centum abſcondiſſe in ſpelũca, nè occiderẽtur ab Iezabel domina ſua. 3. Reg. 18.*

QVOTV-

QVOTVPLICES SINT PROPHETAE.

TABVLA 150.

PROPHETAE *ex ſententia D. Auguſtini cõtra Fauſt. Manichæum li. 19. cap. 2. ſunt triplices. Alij enim ſunt*

- IVDAEORVM: *Veri enim Prophetæ ex Iudæorum tantùm proſapia. Auguſt. in epiſtola ad Rom. inchoata. Oportebat enim vt ex illa gente orirentur Chriſti prænunciatores, ex qua gente carnem aſſumpturus erat, quem prænunciabant. Et hi Parẽtes habuerũt*
  - *Matrem, Sapientiam. Origen. in Hieremiam Homil. 11.*
  - *Patrem, Deum ſpiritumſanctũ, Idem in Euangel. Ioan. Tom. 30. in fin.*
- GENTIVM, *de quibus ſi quis ambigat, inquit Auguſtinus, audiat Paulum qui ſcribens ad Titum de Cretenſibus, dicit: Dixit quidam proprius eorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri &c.*
- VERITATIS, *nam & hãc habere ſuos prophetas, ſignificant*
  - *Tam Chriſtus Matt. 23. Eccè ego mitto ad vos prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occidetis et crucifigetis &c.*
  - *Quàm idem Paulus Epheſ. 4. Ipſe Dominus conſtituit primùm Apoſtolos, deindè Prophetas.*
  - *Atque hi reuerà prophetæ noui ſunt teſtamenti, non quòd Iudæorum prophetæ omnes fuerint falſi, ſed quòd Chriſtum, quem illi prædicabãt, hi digitis demõſtrauerint, vt Ioan. Eccè agnus Dei. Ioã. 1.*

ALIA DIVISIO. TABVLA 151.

PROPHETARVM *porrò alij ſunt teſtamenti*

- VETERIS, *quales ſolos ſancta ſcriptura nuncupat eos, qui prænunciauerunt aduentum Chriſti, vel ad quos ſermo factus eſt de aduentu Chriſti. Rupert. Abb. in cap. 1. Oſeæ. Licèt enim omnia ſancta Moiſes & prophetæ conſcripſerint, tamen ad comparationem Prophetiæ, in qua Saluatoris aduentum prophetârunt, humilia ſunt cætera. Hieron. in commentar. in Michææ. cap. 4.*
- NOVI, *non qui vaticinantur futura, quales in veteri legimus teſtamento, ſed qui infideles & imperitos arguant atque dijudicent. Hiero. lib. 2. in epiſtolam ad Epheſ. cap. 4. Qui etiam doctores & interpretes ſcripturarum dici ſolent, ſicut prophetia interdùm facultatem ſignificat interpretandi ſacras ſcripturas, 1. Cor. 14. Quin etiam vt Moiſes olim optabat omnes prophetare, Num. 11. ità Chryſoſtomus hanc appellationem ad omnes homines quodammodo extendere videtur, dum ait: Prophetæ dicuntur, non tantùm qui prophetârunt de Chriſto, ſed etiam qui interpretantur ea, quæ de Chriſto ab antiquis fuerant prophetata, id eſt, Doctores eccleſiarum. Sed & omnes Chriſtiani prophetæ dicũtur, qui in regnum, & in ſacerdotium, & in prophetiam vnguntur. Nec enim poteſt quis propheticos interpretari ſenſus, niſi habeat ſpiritum Prophetiæ. Chryſoſt. Matth. 7. Homil. 19. operis imperfect.*

PROPHE-

PROPHETARVM NOVI TESTAMENTI ſubdiuiſio.

PROPHETAS ergò duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & ſcripturas reuelãtes. Quanuis ſint & Apoſtoli Prophetæ, quia primus gradus omnia ſubiecta habet. Ambroſ. 1. Cor. 12.

TYPVS PROPHETARVM.

SICVT Moiſes olim legem, ſic Helias prophetam ſignificabat. Chryſoſtomus in Marcum homil. 10. Porrò vt prophetæ per Heliam ſignificantur, Hieron. in Malachiam cap. 4. circa finem: ità propheta quilibet perſonam gerit Heliæ, Auguſt. lib. 2. De doctrina Chriſtiana. cap. 16.

PROPHETA ET VATES QVID DIFFERANT.

HOC vatis propriũ eſt, mente commoueri, & neceſſariò compelli, & trahi tanq̃ furijs percitum. Propheta autem non eiuſmodi eſt, ſed ſobria mente, & modeſta, & firma, quæ loquitur, omnia vt decet, nouit. Chryſoſt. 1. Cor. 12. homil. 29.

QVO IN LOCO PRAE CAETERIS CELEBRES fuerint prophetæ.

NON eſt quidem prophetia alligata loco, ſed omnibus ferè communis. Hieron. tamẽ in Eſaiam lib. 5. cap. 22. tradit, Sion ſeminarium fuiſſe prophetarum, in qua extructum templũ, & viſiones Domini multiplicatæ ſunt. Hebræi in ea ſunt hæreſi, q̃ omnes prophetæ fuerint in monte Sinai, & ibi à Deo acceperint prophetias ſuas, ſicut Moiſes legem. Sed hoc falſum eſſe, vel indè conſtare poterit, quòd Eſaias 600. annis pòſt fuerit primùm natus, quem demùm ſecuti ſunt Hieremias, Ezechiel, Daniel, Aggæus, Zacharias, & alij. Lytan. in Eſaiæ 48.

QVO TEMPORE CELEBRES FVERINT Prophetæ.

PROPHETAE nòn ſolùm fuerunt ante Chriſti aduentum, ſed etiam poſt Chriſti aſcenſionem. De prophetis porrò, qui poſt aſcenſionem fuerunt, ſcribit Paulus 1. Cor. 12. Et quoſdam conſtituit in Eccleſia, primùm quidem apoſtolos, deindè prophetas: (de quibus non dictum eſt, Lex & prophetæ vſq; ad Ioannem: ſed de ijs qui primum Chriſti aduentum prophetauerunt) Quos qui vult nôſſe, Actus apoſtolorum legat, & illud 1. Cor. 14. Prophetæ duo vel tres loquantur, &c.

CVIVS INSTINCTV DOCVERINT PROPHETAE.

NON vt Montanus cum inſanis fœminis ſomniat, Prophetæ in ecſtaſi ſunt locuti, vt neſcirent, quid loquerentur: & cùm alios erudirent, ipſi ignorarent quid dicerent: Sed iuxta Salomonem, qui loquitur in Prouerbijs, Sapiens intelligit quæ profert de ore ſuo, & in labijs ſuis portabit ſcientiam: etiam ipſi ſciebãt quid dicerent. Hieron in prolog. Commentarior. in Eſaiam. Vbi hanc ſententiam multis probat argumentis. Ex quibus tandèm manifeſtum euadit quod dixit B. Petrus: Non enim voluntate humana allata eſt aliquandò prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines, 1. Pet. 2.

QVOMODO PROPHETAE VIDERINT DEVM.

DEVM viderunt Prophetæ, non in ſubſtantia: ſic enim nemo vidit eum vnq̃, 1. Ioan. 4. ſed in figuris. Chryſoſt. de incompræhenſibili Dei natura, homilia quarta.

QVOT SINT VISIONVM GENERA. TAB. 152.

TRIA SVNT *viſionum genera:*

- CORPORALE, *quo videmus cælum & terram, & huiuſmodi.*
- SPIRITVALE, *quo ſicut in ſomnis, imagines rerum videmus & hominum.*
- INTELLECTVALE, *quod eſt in ratione, per quod creatorem cognoſcimus, & ſpiritu ſancto reuelante intelligimus quodlibet. Gloſſa ordinaria Eſa. cap. 1.*

VT PROPHETARVM VISIONES SINT multiplicatæ. TABVLA 153.

DEVM, TESTE *Chryſoſt. in Geneſ. cap. 12. homilia 32. vidit*
- ESAIAS *ſedentem, Eſa. 6.*
- DANIEL, *vt antiquum dierum, Daniel. 7.*
- ZACHARIAS *autem aliter eum contuitus eſt, Zachar. 1.*
- SED *& Ezechiel aliter, vndè dicebat: Ego viſiones multiplicaui, hoc eſt, vnicuique apparui pro ſua dignitate. Ezechiel. 1.*

CVR PRAEMISSI SINT PROPHETAE.

PRAEVIDENS Dominus Ieſus Chriſtus impios quoſdam futuros, qui miracula eius calumniarentur, magicis artibus ea tribuendo, prophetas antè præmiſit. Nunquid enim ſi magus erat, & magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, magus erat antequàm natus? Prophetas audi ô homo mortue, & vermeſcendo calumnioſe. Prophetas audi, lege: audi qui ante Dominum venerunt. Auguſt. in Euangel. Ioan. Tractat. 35. cap. 8.

DE OFFICIIS PROPHETARVM.

TABVLA 154.

OFFICIORVM, *quæ ad propheras pertinent, ſtudioſi ex priuata lectione per ſe varia colligere poterũt: Præcipua tamẽ ex quibus cætera etiã pendere videntur, hæc ſunt:*

- ARGVERE *populum de peccato, eumque ad pœnitentiam excitare. Exod. 23. Num. 14. 1. Reg. 2. 12. & 13. Eſa. 2. 58.*
- PRAEDICERE *futura, ſiue læta ſint, ſiue triſtia. Orige. in lib. Regnor. homil. vnica poſt princip. An autem & quandò proſpera nuncient, vel triſtia prophetæ, ex titulis eorum depræhendi dicit Hieron. lib. 4. in Hiere. cap. 23. vbi hac de re tradit Regulas duas:*
  - *Vbicunquè graue eſt, quod Dominus comminatur, & plenum ponderis ac laboris & importabile, in titulo quoquè ἆρμα, hoc eſt, pondus ſiue aſſumptio dicitur.*
  - *Vbicunquè autem proſpera Dominus pollicetur, ſiue poſt comminationem meliora promittit, ibi Viſio dicitur, vel certè Verbum Domini.*
- ORARE *pro populo, vt eueniant bona & proſpera. Auguſtinus in Quæſtion. ex veter. teſtam, cap. 46.*
- DOCERE eũdẽ &
  - VERBO, & OPERE. *Illis enim prophetica fuit*
    - *Non tantùm lingua,*
    - *Sed etiã*
      - *Vita Auguſtinus cõtra Fauſt. manichæum, lib. 22. cap. 24.*
      - *Facta, quæ omnia ſunt myſtica. Auguſt. eod. cap. 8.*
    - *Vt ſic verba & opera eorũ nobis ſint exemplo.*
- CONSOLARI *afflictos, & promiſſionibus mitigare pœnarum rerumque aduerſarum ſeueritatem, vt 1. Reg. 12. Oſee 11.*

PROPHE-

PROPHETARVM SCOPVS.

PROPHETARVM ſcopum Chriſtum eſſe,D.Auguſti. declarat ſuper Ioan.tractar. 9.in hæc verba:Lege libros,inquit,Propheticos omnes,non intellecto Chriſto, quid tam inſipidum & fatuum inuenies?Intellige ibi Chriſtum, non ſolùm ſapit quod legis,ſed etiam inebriat,mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiſcens,in ea quæ antè ſunt,extēdaris.|Quod clariùs exprimens D.Bernard.in epiſtola 106.in hæc prorumpit verba:Propheticæ lectiōis ſenſus,Chriſtus eſt: quem citiùs ſequendo,quàm legendo,conſequi potes. Quid enim quæris verbum in verbo,quod iam caro factum,pręſtò eſt oculis?Iam enim de latibulo ꝓphetarū, egreſſus eſt ad oculos piſcatorum.

DE PSEVDOPROPHETIS.

NON OMNES ESSE PROPHETAS, QVI SE oſtentant Prophetas,ex Origene.

ATQVI, inquit,ſi aliquis quidem propheta eſt,prophetat:Sin verò quis prophetat,non continuò etiam eſt propheta.Nam & Balaam prophetauit Num.23. Perſpicuum tamen eſt,quòd propheta non erat: Augurem enim fuiſſe,ſcriptum eſt. Origen.in Euangel.Ioan.tom.30.

PSEVDOPROPHETA QVIS DICATVR.

PSEVDOPROPHETAM à vero propheta præcipuè vocatio diſtinguere videtur. Reuerà enim Pſeudoprophetæ ſunt illi,qui ſibi hoc munus non vocati arrogant, & genuinum prophetæ ſenſum,ſub ſpecie veri ſubuertere nituntur. De quibus Deus alibi ipſe conqueritur.Non miſi eos,& non præcepi eis : viſionem mendacem,& diuinationem fraudulentam,& ſeductionem cordis ſui prophetāt vobis, Hierem.14.Item cap.23.Non mittebam prophetas,& ipſi currebant: non loquebar ad illos,& ipſi prophetabant.Et iterùm Ezechiel.13.Vident vana,& diuinant mendacium,dicentes,ait Dominus,cùm Dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem.

ALIA INTER VERVM ET FALSVM PROphetam differentia.

PROPHETAE veri à falſis differunt:Quia veri,ſi quid de ſuo ſpiritu dicūt,per ſpiritum edocti,citiùs illud corrigunt: Falſi autem & falſa denunciant,& in ſua falſitate perdurant. Grego.ſuper Ezechiel. Homil.1. & Hieron.in 4.Commentar.in Ezechiel.cap.13.Cùm prophetarum,inquit,non ſecundùm regulam ſcripturarū bonis maliſque commune ſit,in eo differunt,quòd boni Prophetæ eſſe dicūtur ſapientes,mali autem ſtulti & inſipientes.Hieron.

PSEVDOPROPHETARVM ORIGO.

TABVLA 155.

EX PATRE *diabolo ſunt Pſeudoprophetæ,q vbiq; diſſeminauit zizania.Nā cùm eſſent*	PROPHETAE, APOSTOLI, CHRISTVS, DOGMATA *ſana,*	*Ipſe ſub borum ſpecie excitauit*	*Pſeudoprophetas, Pſeudoapoſtolos, Pſeudochriſtos, Corrupta dogmata.*	*De quibus vide Chryſoſtomum ſuper Lucam, cap.16.De Lazaro concione quarta.*

PSEV-

PSEVDOPROPHETAE QVI ET QVOT SINT.

TABVLA 156.

FALSORVM PROphetarum ſemper infinitus ferè fuit numerus: p̄cipui verò, quorum in ſacris literis fit mentio, ſunt

- BAAL *quadringenti quinquaginta,* } *Qui ſe omnes vni opponebant Eliæ, 3. Reg. 18.*
- LVCORVM *quadringenti,* }
- SEDECHIAS *cum alijs quadringentis, qui bellum conſulunt Regi Achab contra Ramoth Galaad, diſſuadente Michæa ſolo Dei Propheta, 3. Reg. 22.*
- PROPHETAE *Samariæ, & prophetæ Hieroſolymitani, Hierem. 22.*
- HANANIAS, *Hierem. 28.*
- AÇHAB *& Sedechias, Semeia Nehelamites, Hierem. 29.*

CVR DEVS PERMITTAT FALSOS PROphetas in Eccleſia graſſari.

CAVSAM, cur in Eccleſia Dei nouæ ſubindè naſcantur hæreſes, diuinus Moiſes docet inprimìs hanc eſſe, quòd diuina eius maieſtas ſic ſuos tentare soleat, vt palàm fiat, vtrùm diligant eum, an non, in toto corde & in tota anima ſua, Deut. 13. Et B. Paulus 1. Cor. 11. Oportet, inquit, hæreſes eſſe, vt hi qui probati ſunt, manifeſti fiant. Qua de re latiùs apud Vincentium Lirinenſem contra nouationes.

PSEVDOPROPHETARVM IMPOSTVRAS, quantumuìs ſignis & portentis phaleratas, ſemper tamen eſſe fugiendas. TAB. 157.

CVM NVLLA VEræ religioni peſtis ſit pernicioſior quàm falſa doctrina, ideò Deus ipſe tam ſolicitè & paternè hortatur filios ſuos fideles & pios oēs, vt ſibi à fœtido caueant Pſeudoprophetarum fermento: idque

- CVM *in veteri teſtamento per os miniſtri ſui Moiſis: Si ſurrexerit in medio tuî Prophetes, inquit, aut qui ſe ſomnium vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atq; portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur deos alienos, (quos ignoras) & ſeruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, &c. Deut. 13.*
- TVM *in nouo, ex ore dilectiſſimi filij ſui Saluatoris noſtri* DOmini *Ieſu Chriſti, dicētis: Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ità vt in errorem ducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere, &c.*

QVI SPIRITVS SINT EX DEO.

REGVLAM huius rei nemo nec breuiorem, nec commodiorem vnquàm ſtatuere poterit, quàm beatus apoſtolus Ioannes in prima ſua epiſtola poſt ſe ſcriptam reliquit: Chariſſimi, inquit, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt: Quoniam multi pſeudoprophetæ exiērunt in mundum. In hoc (autem) cognoſcitur ſpiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum (tunc venturum) in carne (iam) veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo nō eſt. &c. Sed dicas, Pelagiani & Donatiſtæ olìm, & nouæ ſectæ modò confitentur Chriſtum in carne veniſſe, & tamen non ſunt ex Deo: quia alijs erroribus pernicioſis tenentur. Reſpondet Ambroſius Catharinus, quòd ſi conſiderentur verba dilecti iuxta profundiorē ſenſum, agnoſcemus totā in eis fidem noſtrā comprœhendi: vt quicunq; in vno quouis articulo pertinaciter errauerit, non verè confiteatur hunc, Chriſtum videlicet, in carnè veniſſe. Qui enim credit Chriſtum, etiam doctrinam eius euangelicam, & quæcunq; ipſe vel per ſeipſum docuit eſſe credenda, vel mandauit obſeruanda: aut per apoſtolos, & ſucceſſiuè per eos qui in Eccleſia poteſtatem & authoritatem ab ipſo per ſpiritumſanctum 1. Ioan. 4.

accipiunt,reuerenter ac ſyncera fide recipit & confitetur, idque non ſolùm corde,ſed etiam opere.

FALSVS PROPHETA QVOMODO A vero ſit dinoſcendus.

Qvanvis Chryſoſt.in epiſtolã Pauli ad Corinth.priorem,cap.12.homil.29.hoc iudicium putet eſſe difficilimum,quis nimirùm mundo,& quis immũdo loquatur ſpiritu,tum quòd prophetarum dicta in futurum plerunquè ſint concepta, nec ante id tempus facilè cognóſci queat,quiſnam prophetet, aut quis mentiatur:tum quòd etiam pſeudoprophetæ ſuadent ſigno,eadem facientes in ſimulatione,quæ faciunt fideles in veritate.Nam quãdoquè caſtitati ſtudent, & ieiunia celebrant,& eleemoſynas faciunt, & omnem eccleſiaſticum ſupplent canonem. Chryſóſt.in Matth.cap.24.homil.49. Vtcunquè tamen ſe ex hac difficultate extricare poterit, quiſqs ſpiritus malos à bonis dijudicare didicerit, & duas B. Vincentij Lirinenſis obſeruauerit quaſi regulas.

REGVLA PRIMA.

Moises poſtq̃ à falſis prophetis cauendum eſſe docuiſſet,ipſe hanc quæſtionẽ mouit in hæc verba:Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodò poſſum cognoſcere verbum,quod Dñs non eſt locutus?& ſtatim ſubdit: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit,& non cuenerit,hoc Dñs non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit, & idcireò non timebis eũ. Deut.18.

SECVNDA REGVLA.

Contra verò,&ſi interdùm eueniant quę falſi prędixerint prophetę,non tamen ſequitur eos propterea veros dici prophetas,aut eorum doctrinam ob id ſolùm, vt veram,mox eſſe amplectendam,maximè ſi expreſſo Dei repugnet verbo, eiuſdem ſcripturę probarur authoritate,q̃ hîc iam ex 18.Deute.cap.adducta fuit, vbi expreſsè dicitur:Si prædixerit ſignum & portentũ, & euenerit quod locutus eſt, non audies verba prophetæ illius. Ratio eſt,quia pſeudo ille propheta deos docuerat alienos,& tentat vos Dominus Deus veſter. Vincentius Lirinenſis.

Quamobrem hac in re nos cautos eſſe volens,Ille, inquit,eſt verus & germanus Catholicus,qui veritatem Dei,qui eccleſiam,qui Chriſti corpus diligit: qui diuinæ religioni,qui catholicæ fidei nihil præponit,non hominis cuiuſpiam authoritatem,non amorem,non ingenium,non eloquentiam,non philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens,& in fide fixus & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitùs eccleſiam catholicam tenuiſſe cognouerit,id ſolum ſibi tenendum credendumq́; decernit:quicquid verò ab aliquo deinceps vno,præter om̃es vel contra omnes ſanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit,id non ad religionem,ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.Ità ille.

PSEVDOPROPHETARVM NOTAE, SIVE mores hæreticorum.

Eos ità deſcripſit Paulus:Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi,parentibus non obedientes,ingrati,ſceleſti,ſine affectione, ſine pace, criminatores,incontinentes,immites,ſine benignitate,proditores,proterui,tumidi,& voluptatum amatores magìs q̃ Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quemadmodùm autem Iamnes & Mambres reſtiterunt Moiſi,ità & hi reſiſtunt veritati,homines corrupti mẽte,reprobi circa fidem. Quorum inſipientia manifeſta erit omnibus, 2.Timoth.3. Nec minùs luculenter Vincentius:Hoc apud omnes hæreſes quaſi ſolenne eſt ac legitimum, vt ſemper prophanis nouitatibus gaudeant,antiquitatis ſcita faſtidiãt, & per oppoſitiones falſi nominis ſciẽtiæ,à fide naufragent. Siue apud ſuos,ſiue alienos:ſiue priuatìm,ſiue publicè:ſiue in ſermonibus,ſiue in libris:ſiue in cõuiuijs,ſiue in plateis:nihil vnq̃ penè de ſuo proferũt,quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conētur. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros,ſi nudi & ſimplices exhalẽtur:atq; idcircò eos cęleſtis eloqj velut quodã aromate adſpergũt:vt ille q̃ humanũ facilè deſpiceret errorẽ,diuina nõ facilè cõtemnat oracula,&c. FAL-

FALSORVM PROPHETARVM POENAE.

Malis prophetis diuina ſcriptura non vno in loco peſſimè minatur. Nã in Hieremia cap. 14. hæc dicit Dominus de pſeudoprophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi: in gladio & fame conſumentur prophetæ illi: & populi quibus prophetant, erunt proiecti in vijs præ fame & gladio. Sic Ezechielis 13. Dominus falſos prophetas ipſe eſt allocutus: Quia locuti eſtis vana, inquit, & vidiſtis mendacium, idcò eccè ego ad vòs: Et erit manus mea ſuper prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium. In conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domûs Iſrael non ſcribentur, nec in terram Iſrael ingredientur. Deniq; Moiſes, Deut. 13. & 18. falſum prophetam interficiendum eſſe ſtatuit.

DE LIBRIS PROPHETICIS.

PROPHETARVM APPELLATIONE QVI libri contineantur.

Sicvt legis appellationẽ aliquãdò vniuerſaliter cum Prophetis & Pſalmis, interdùm verò & propriè, præter Pſalmos & Prophetas eam tantùm quæ per Moiſen data eſt, accipere ſolemus: ità etiam communiter prophetæ ſimul cum Pſalmis, propriè verò per ſe abſque Pſalmis hoc nomine appellantur. Auguſt. de Trinita. lib. 15. cap. 17.

AN DAVID FVERIT PROPHETA.

Non ſolùm propheta fuit Dauid, ſed prophetis alijs non paucis potior habetur & excellentior. Nicolaus de Lyra in præfatione ſuper Pſalterium.

QVA RATIONE PSALMORVM LIBER INTER prophetas numerari poſſit, aut non poſſit. TAB. 158.

Librum pſalmorũ ponunt	Hebræi	inter	*Hagiographa,*	*Vtraq; opinio ſuos habet defenſores. Cõciliatur autẽ iſta controuerſia hac diſtinctione, quòd aliquis propheta dicatur, vel*	*Actu & non officio, vt Dauid, Iob, & alij cõplures.*	*Dauid ergò inter prophetas*	*Primo modo numerari & poteſt, & debet.*	*Matthias Doringius in primũ caput Hieremiæ.*
	Latini		*Libros propheticos. Nicolaus de Lyra in pfatione pſalmor.*		*Officio, & nõ actu, vt multi ſummi põtifices, & ſic Helchias.*		*Secundo autẽ modo & 3. non poteſt.*	
					Vtroq; modo, actu ſcilicet & officio, vt Eſaias, Hieremias.			

AN EXTENT OMNIA PROPHETARVM SCRIPTA.

Non extare omnia de rebus geſtis prophetarum ſcripta, aut q̃ ab illis fuêre compoſita, ſatis clarè oſtendit Chryſoſto. in Matt. ca. 2. homil. 9. Multa, inquit, ex propheticis periêre monumentis, quod ex hiſtoria Paralipomenon videre licet. Deſides enim cùm eſſent Iudæi, & crebrò in impietatem laberentur, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et hoc quidem Hieremias, illud verò author quarti libri Regum aſſerunt: Quoniã poſt multum temporis vix Deuteronomij volumen ſit repertum, defoſſum quodam in loco ac penè deletum. Si autem priuſquàm barbarus miles graſſaretur, adeò libros neglexerunt, multo magis, barbaris ingruentibus, id factum eſt.

NVM ILLA SALTEM QVAE EXTANT PROPHEtarum oracula, ſint integra.

Non omnes integræ extant conciones propheticæ, ſed tantùm fragmenta & ſelecta aliquot eorum capita, quæ iudicata ſunt eccleſijs maximè profutura, & ex quibus reliqua poſſunt intelligi. In libr. de rectè formand. Theolog. ſtudio reſtituto per Laurentium à Villauicentio, lib. 2. cap. 13. Obſeruat 4.

AN VNO EODEM'QVE TEMPORE SVA prophetæ ediderint oracula.

Neqvaqvam. Liquet enim, vt D. hac de re ſcribit Chryſoſtomus, nõ vno & continẽti tẽpore ꝓphetas ſua oracula ediſiſſe omnia: ſed ꝓ diuerſa qualitate tẽporis (dum numine adſpirarentur) quaſdã enunciabant inciſiones, q̃ tandèm conſcriptæ, librũ vnum, ſua omni parte abſolutũ, perfecerunt. Chryſoſt. in Eſaiæ 2. cap.

VTRVM EODEM ORDINE PROPHETARVM conciones ſint ſcriptæ, quo fuerunt habitæ.

Nec id quidem. Nam Origenes in Cantica canticorum homil. 1. Prophetica dicta non temporibus, ſed ratione dicit eſſe penſanda. Quod clariùs ediſſerens D. Hieron. Notandum eſt, inquit, q in Prophetis, maximeq; in Ezechiele & Hieremia, nequaq̃ regum & temporũ ordo ſeruetur: ſed præpoſterè quod iuxta hiſtoriã poſteà factum ſit, priùs referri: & quod priùs geſtum ſit, poſteà. Aliud enim eſt hiſtoriam, aliud prophetiam ſcribere. Hieron. in Hierc. cap. 21. Et in ſcriptis propheticis prçipua ratio haberur eorum, ad quos inſtituta eſt prophetia, quid auditoribus & lectoribus debeat proficere. Gloſſ. ord. Hierem. 25. in princip.

CVR IN PROPHETIS PLERAQVE TAM obſcurè ſint tradita.

In Prophetis, inquit, D. Hieron. difficultas eſt, vt non facilè pateat ſanctum canibus, & margaritæ porcis, & prophanis ſancta ſanctorum, Hieron. in Nahum ca. 3.

QVAE RES PROPHETARVM SCRIPTA faciant obſcura, ratio prima.

Inter multas & varias cauſas, quæ tam obſcura faciunt atq; difficilia prophetarũ oracula, præcipua ferè hæc eſt: Quià ꝓphetia omnis ænigmatibus & præciſis ſententijs inuoluitur. Dum enim de alio loquitur, tranſit ad aliud, nè ſi ordinẽ ſcriptutæ conſeruet, non ſit vaticinium, ſed narratio. Hiero. in Nahum 2. Cuius generis eſt, quòd in eo ipſo propheta Nahum, ad finem capitis primi dicuntur læta ad Iudam: protinùs verò ca. 2. dicuntur triſtia, ſed ad Niniuen referenda.

RATIO SECVNDA.

Sic Chryſoſt. in Matth. ca. 2. homil. 8. Hanc dicit eſſe quaſi legem prophetiæ, vt multa ſæpè de alijs dicantur quidẽ, ſed in alijs impleantur, vt illud quod de Simeone & Leui dicitur: Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael. Hoc enim non ipſis, ſed in eis etiam factum eſt, qui de filiorum ſtirpe proceſſerunt. *Gene. 49.*

TERTIA RATIO.

Aliam huius rei rationem reddit Euthymius in Pſal. 117. vt nimirùm ipſæ Prophetiæ, vmbra quadam ac velamine obtegantur, nè ſi apertiùs traderentur, maius ſacris literis immineret ab inimicis periculum.

QVAE IN PROPHETARVM LECTIONE in primis ſint aduertenda, regula prima.

In prophetis hiſtoriæ veritas quærenda primùm, deindè allegoria, Hiero. in Zachar. lib. 3. cap. 14. Hoc eſt, poſt hiſtoriæ veritatem ſpiritualiter omnia ſunt intelligenda. Idem in procem. Commentar. in Eſaiam. Quam ſententiam latiùs explicans in Eſa. lib. 4. cap. 11. Prudens & Chriſtianus lector, inquit, hãc habeat repromiſſionum prophetalium regulam, vt quæ Iudæi & noſtri, immò non noſtri, Iudaizantes carnaliter futura contendunt, nos ſpiritualiter iam tranſacta doceamus, nè per occaſionem iſtiuſmodi fabularum & inextricabilium (iuxta Apoſtolum) quæſtionum, Iudaizare cogamur. Hieronym.

SECVN-

SECVNDA REGVLA, EX IOAN. DRIEDO.

SED hîc obſeruandum eſt, nè in vniuerſum omnia ꝓphetarum dicta & facta, ità referamus ad tempora futura, vt interìm negligamus hiſtoriæ veritatem, quam propheta nuñc vt præſentem, nunc vt præteritam inſinuat. Mos eſt ꝓphetarum, ſpiritu Prophetico tranſire de litera ad ſpiritum, & recitare hiſtoriam rerum tam præſentium, quàm geſtarum, velut vmbram, typum ſeu figuram eorum, quæ futuræ ſunt. lib. 3. de eccleſiaſticis ſcripturis, tractatu 2. cap. 5.

TERTIA REGVLA D. GREGORII.

INTER cætera prophetiæ miracula, hoc quoquè mirandum habent libri ꝓphetarum, quòd ſicut in eis res verbis, ità nonnunquàm verba rebus exponuntur: vt eorũ nõ ſolùm dicta, ſed etiam res geſtę, prophetiæ ſint. Gregor. 22. Moralium, capit. 21. & ſuper Ezechiel. homil. 11.

EORVM RROPHETARVM ORDO ET NOmina, quorum monumenta ad nos vſq; peruenerunt. TAB. 159.

Prophetarum libri alio ordine ſunt

EDITI, vt	POSITI IN CANONE, vt
ABDIAS.	ESAIAS.
IONAS.	HIEREMIAS.
AMOS.	BARVCH.
MICHAEAS.	EZECHIEL.
OSEAS.	DANIEL.
ISAIAS.	OSEE.
IOHEL.	IOHEL.
NAHVM.	AMOS.
ABACVK.	ABDIAS.
SOPHONIAS.	IONAS.
HIEREMIAS.	MICHAEAS.
DANIEL.	NAHVM.
EZECHIEL.	ABACVK.
AGGAEVS.	SOPHONIAS.
ZACHARIAS.	AGGAEVS.
MALACHIAS.	ZACHARIAS.
	MALACHIAS.

DE TEMPORIBVS PROPHETARVM.

TEMPORVM inueſtigationem ad intelligenda prophetarum oracula non vtilẽ tantùm, ſed etiam neceſſariam docet Hieron. his verbis: Proindè qui neſcit tempora eorum quę dicta ſunt, quæ've euenerunt, quî poterit homini contentioſo demonſtrare Prophetiæ certitudinem?

PROPHETARVM LIBROS NON TANTVM IPSIS PHIloſophis, ſed etiam nomine philoſophorum eſſe antiquiores.

AVGVSTINVS verò de ciuit. Dei lib. 18. ca. 37. propheticam authoritatem Græcię ſapientum ac philoſophorũ ſcriptis probat longè eſſe antiquiorẽ. Tempore, inqt, noſtrorum prophetarum, quorum iam ſcripta ad notitiam ferè omniũ gentium peruenerunt, philoſophi gentium nondùm erãt, qui hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit à Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Iudæorũ ſolura eſt captiuitas, cœpit excellere atq; cognoſci. Multo ergò magìs cæteri philoſophi poſt ꝓphetas reperiũtur fuiſſe. Quã ſententiã multis argumẽtis cõfirmant Ioſephus cõtra Apionẽ, Euſebius in Euãgelica ꝑparatiõe, & Iuſtinus martyr ad gẽtes.

QVAE FVERINT ILLA TEMPORA, SVB QVIBVS prophetarum cœpit doctrina. TAB. 160.

PROPHETARVM *iuxta doctrinã Hieron. in Hierem. in principio, & Gloſſ. Hier. 1. alij prophetârunt*

- ANTE *captiuitatem decẽ tribuum Iſrael, ſiue duarum tribuum Iudæ & Beniamin, vt*
  - ESAIAS,
  - OSEE,
  - IOEL.
- POST *captiuitatẽ, vt*
  - DANIEL,
  - AGGAEVS,
  - ZACHARIAS.
- IMMINENTE *captiuitate, vt*
  - HIEREMIAS *ĩ terra Iuda,*
  - EZECHIEL *in Babylone.*

Vltimi
- *Aggæus,*
- *Zacharias,*
- *Malachias.*

Intermedij omnes inter
- *Legem*
- *Et Chriſtũ. Gregor. Nazianzenus in Apologetico.*

VNDE COGNOSCERE LICEAT, QVO *tempore Prophetarum quiſque ſuo perfunctus fuerit officio.*

EADEM re Ludouicus Viues talem tradidit regulam: Nuſquàm certiùs, inquit, colliguntur tempora, quàm ex ipſis eiſdem prophetis, ſi ſub quibus ſcripſcrint, teſtificentur. Ideò, cùm eorum teſtimonia, ac veluti ſyngraphas habuerimus, aliorũ adducere ſuperuacaneum fuerit. Vide hac de re, ac de vniuerſis Prophetarũ temporibus pulchrè multa apud Auguſt. de ciuit. Dei. lib. 18. cap. 27. cum ſequentib. & ſcholijs Ioan. Ludouic. Viuis.

LIBRORVM PROPHETICORVM DIVISIO SEcundùm materiam ſubiectam. TAB. 161.

EPIPHANIVS IN *lib. de menſuris & ponderibus, (Pag. mihi 611.) libros prophetarum à priſcis teſtatur partitos fuiſſe in 9. ſpeculationes, ſeu potiùs in locos communes: nempe in*

- DOCTRINAS,
- SPECVLATIONES,
- EXHORTATIONES,
- MINAS,
- LVCTVS,
- CONSOLATIONES,
- PRECES,
- HISTORIAS,
- PRAEDICTIONES

DE PRAE-

DE PRAEDICTIONVM PARTITIONE.

TABVLA 162.

PRAEDICTIONŪ *porrò quadruplices ſunt differentiæ:*

- PRIMO, *aliæ ſunt De*
  - REIECTIONE *legis ſecundùm carnem,*
  - NOVO *teſtamento legi ſucceſſuro.*
- SECVNDO, *aliæ iterùm ſunt De*
  - DEPOSITIONE *prioris populi,*
  - VOCATIONE *Gentium.*
- TERTIO, *aliæ De*
  - PROMISSIONIBVS *ad Patres factis,*
  - CHRISTO *peculiariter,*
  - ECCLESIA.
- QVARTO, *nonnullæ ſunt Contra*
  - PROVINCIAS *& certas perſonas,*
  - OMNES *in vniuerſum impios. Villauicent. De Theolog. ſtud. rectè formando, lib. 2. cap. 13. obſeruat. 7.*

ALIA PROPHETICORVM LIBRORVM diuiſio.

TABVLA 163.

PROPHETARVM, *qui primi fuerunt verbi diuini Doctores, dicuntur alij*

- MAIORES, *ob magnam ſententiarum plenitudinem.*
- MINORES, *quòd non tanta ſit in eis ſententiarum plenitudo, vt ait Petrus Aureolus.*

DE PROPHETIS MAIORIBVS, AC PRImùm quarè ſic dicantur.

TABVLA 164.

PROPHETARVM *primò aliqui dicũtur maiores, vel quia*

- CAETERIS *ſunt principaliores, & Spiritusſanctus illis adfuit in magna latitudine & plenitudine ſententiarum, vt habet idem Aureolus.*
- PROLIXIORA *volumina condiderunt, comparatione ſcilicet eorum, quorum ſermones ſunt breues. Auguſt. De Ciuitat. Dei, lib. 18. cap. 29.*

QVI ET QVOT HVIVS CLASSIS ſint Prophetę.

TABVLA 165.

QVATVOR SVNT *Prophetæ, qui à Patribus numerantur inter maiores.*

- ESAIAS, *id eſt, Salus Domini,*
- HIEREMIAS, *id eſt, excelſus Domini, cui adiunctus eſt amanuenſis eiuſdem Baruch, id eſt, benedictus.*
- EZECHIEL, *id eſt, robur vel imperium Domini.*
- DANIEL, *id eſt, iudicauit me Dominus.*

QVO ORDINE HI PROPHETAE INTER ſe cohæreant. TABVLA 166.

MAIORES Prophetæ ſecundùm ipſius captiuitatis & exilij, cuius denunciãdi gratia miſſi fuêre Prophetæ, tempus diſtinguũtur. Eius aũt tẽporis quinq; ſunt partes, nẽpè

- PRAECONCEPTAE atq; definitæ, quo Deus Iſraelitis propter peccatorum multitudinẽ atq; pertinaciam eijciendos ſtatuit de terra ſancta. Id quod ſic futurum eſſe ex iuſſu diuino denunciauit Eſaias.
- EXECVTIONIS p̃fatæ diffinitiuæ, in quod tempus incidit Hieremias.
- TRANSMIGRATIONIS primæ Babylonicæ, quo tempore in Chaldæa prædicauit, & conſolatus eſt captiuos Ezechiel.
- DESOLATIONIS, quo tempore ab Hieremia miſſus eſt Baruch.
- REVOCATIONIS. quo Deus populi ſui miſertus, captiuos reducere dignatus eſt in terram promiſſionis. Ac eo quidem nomine miſſus fuit Daniel, Qui denunciauit deſtructionem regni Chaldæorum, & introductionem regni Medorum, ac deindè etiam regni Græcorum. Hæc ferè Petrus Aureol.

QVAE q; dẽ omnia cõtigerũt ſub temporibus Regum, partim

- Oziæ, Achaz & Ezechiæ.
- Ioſiæ, Ioachim, & Sedechiæ.
- Ioachin.
- Sedechiæ: qui omnes reges Iudæ fuêre.
- Cyri Regis Perſarum.

PROPHETIA ESAIAE, LIBER BIBLIAE XXVII, PARTIS QVINtæ Primus.

QVIS HVIVS LIBRI SIT AVTHOR.

LIBRI quatuor Prophetarum maiorum, & duodecim minorum, ſinguli ſuorum authorum nominibus ſunt inſcripti. Ioan. Driedo. Quod hîc ſemèl pro ſemper annotâſſe conuenit, nè in ſequentibus idem totiès repetere ſit opùs.

ESAIAS QVIS FVERIT.

ESAIAS, cuius Prophetia duodecim prophetis, iuxta numerũ verſuũ, aut maior eſt, aut ęqualis, filius fuit Amos, vt patet ex primis huius Prophetię verbis. Hieron. in Prolog. Commentar. in Eſaiã, Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. 18. ca. 27. Amos autem pater Eſaię, non vt pleriq; autumant, tertius duodecim Prophetarum eſt, ſed alius, diuerſisq; apud Hebręos ſcribuntur literis. Idem Hieron. Eſa. 1. in princip. Dicitur fuiſſe auunculus ipſius Manaſſę ex parte matris. Vndè illum generis nobilitatem duxiſſe ferunt. Gloſſ. 4. Reg 21 circa finem.

QVALIS FVERIT.

VIR nobilis & vrbanæ erat eloquentię, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admiſtum, non tam Propheta, quàm Euangeliſta dicendus. Ità enim vniuerſa Chriſti Eccleſięq; myſteria ad liquidum proſecutus eſt, vt nõ eum putes de futuro vaticinari, ſed de pręteritis hiſtoriam texere. Hieron. in Prolog. ad Eſaiã. Cui Auguſtinus tale dedit teſtimonium, quòd Euangelij vocationisq; gentium prænunciator prę cęteris fuerit apertior. Auguſt. lib. Confeſſ. 9. cap. 5.

QVO IN LOCO PROPHETAVERIT.

PROPHETAVIT autem Eſaias in Hieruſalem & Iudęa, hoc eſt, tribubus Beniamin & Iudæ. Hieron. in Prolog. in Eſaiam.

QVAN-

QVANDO FACTA FVERIT HAEC PROPHETIA.

Texvit Eſaias hoc oraculum, decem tribubus necdùm in captiuitatem ductis, hoc eſt, ſub Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia regibus Iuda, Eſai. cap. 1. in princip. & Hiero. in Prolog. Tempore enim Regis Oziæ cœpit prophetare. Licèt autem & tempore Manaſſę filij Ezechiæ prophetauerit, nullam tamē de illius tempore fecit mentionem: tum quia peſſimus fuit in cultu idolorum, & in occiſione & perſecutione innocentum, vt habetur 4. Reg. 21. Tum quia ab eo occiſus fuit, eò quod peccata ipſius & populi arguebat; Lyra in Eſa. cap. 1.

QVOS HABVERIT CONTEMPORANEOS.

Vno atq; eodem tempore, Eſaiam, Oſee, Iocl, & Amos prophetâſſe, ex Regibus, qui ponuntur in titulo, cognoſcimus. (Sic enim Eſaias ſuam auſpicatur prophetiam: Viſio Eſaiæ filij Amos, quā vidit ſuper Iudam & Hieruſalē, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechię Regum Iuda &c.) Sed principium verbi Domini fuit in Oſee filio Beeri. Hieron. hic in principio.

AD QVOS FACTA SIT ISTA PROPHETIA.

Prophetavit Eſaias contra Iudęam & Hieruſalem. Deindè etiam contra gētes, videlicet Babylonem & Philiſtęos & Damaſcum. Viſionē vidit contra Aegyptum, contra Idumęam, contra Phalanga Sion, contra Tyrum, & cōtra Quadrupedia in ſolitudine. Exponit & exodum Sennacherib, & arrogantiam Rapſacis, & vtriuſq; caſum ac perditionem, &c. Deniquè etiam de Eunuchis prophetauit & gentibus, & in calce de die Iudicij. Athanaſ. in Synopſi.

QVIBVS DE REBVS.

De vtroq; agit regno, id eſt, X. tribuum Iſrael, & duarum Iuda & Beniamin, nunc cōmixtìm, nunc ſeparatìm. Et cùm interdùm ad prȩſentem reſpiciat hiſtoriā, & poſt Babylonię captiuitatē, reditū populi ſignificet in Iudęā: tn̄ omnis eius cura de vocatione gentium, & de aduentu Chriſti eſt. Hieron. in Prologo ad Eſaiam.

FVSIOR HVIVS ARGVMENTI EXPLICAtio, ex eod. Hieronymo:

Nvllvs, inquit, me putet, voluminis iſtius argumentum breui cupere ſermone comprȩhendere, cùm vniuerſa Domini Sacramenta præſens ſcriptura contineat: & tam natus de virgine Emanuel, quàm illuſtriū patrator operum atq; ſignorum, mortuus ac ſepultus, & reſurgēs ab inferis, & Saluator vniuerſarum gentiū prædicetur. Quid loquar de phyſica, Ethica & logica? Quicquid ſanctarū eſt ſcripturarum, quidquid poteſt humana lingua proferre, & mortalium ſenſus accipere, iſto volumine continetur. Hieron. in Procem. Commentar. in Eſaiam.

DE EODEM, EX AVGVSTINO.

Esaias inter illa, quæ iniqua arguit, & iuſta præcepit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto & Eccleſia, hoc eſt, de rege, & ea, quam cōdidit, ciuitate multo plura quàm cæteri, prophetauit: ità vt à quibuſdam Euangeliſta, quàm propheta, potiùs diceretur. Auguſtinus de Ciuitat. Dei. lib. 18. cap. 29.

DE SEVERITATE VITAE.

Hic Propheta corporis caſtigatione plerîſque iam ſuperatis, nudus & diſcalceatus ad tertium annum inceſſit. Origen. contra Celſum lib. 7.

DE MORTE EIVSDEM.

A Manasse rege Iuda, vt Hebręi ferunt, ſerra lignea ſerratus, & in duas Partes diſſectus eſt. Vndè quod ad Hebræos 11. de Sanctorum ſupplicijs legitur, ſerrata ſunt, ad Eſaiam referri ſolet. Hieron. in Eſa. lib. 15. cap. 57. Sic Euſebius: Manaſſes impius, inquit, Eſaiam interfecit, ſtatuámq; ſuam poſuit quinq; facies habentem. Sepultus eſt ſub Quercum Rogel, iuxta tranſitum aquarum, quas olìm Ezechias Rex iacto obſtruxerat puluere. Idem Hieron. in ſuo ad hunc librum argumento, vt refert Ioan. Ludou. Viues in Auguſt. De Ciuitat. Dei lib. 18. cap. 24.

DE CAVSIS, CVR SIT OCCISVS ESAIAS ex Origene primùm.

Aivnt Eſaiam ideò eſſe ſectum à populo, quaſi legem prævaricantem, & extra ſcripturas

Exod. 33. ſcripturas annunciantem. ſcriptura enim dicit, Nemo videbit faciem meam, & viuet. Iſte verò ait, Vidi Dominum Sabaoth. Moiſes, aiunt, non vidit, & tu vidiſti?
Eſa. 6. Et propter hoc eum ſecuerunt, & condemnauerunt eum vt impium. Non enim ſciebant, quia duabus alis velauerũt faciem Dei Seraphim. Vidit Dominum, ſed faciem non vidit Eſaias: nec Moiſes vidit. Poſteriora vidit, vt ſcriptum eſt, Moiſes. Origenes in Eſaiam Homilia 1.

DE EISDEM, EX HIERONYMO.

Eſa. 1. Exod. 33. Eſa. 6. Hebraei dicunt, duas ob cauſas interfectum Eſaiam: Quòd Principes Sodomorum & populum Gomorrhæ eos appellauerit, & quòd Domino dicente ad Moiſen, Non poteris videre faciem meam: iſte auſus ſit dicere, Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum, & eleuatum &c. Hieron. in Eſa. lib. 1. cap. 1. Hoc autem quòd viderit Dominum, ſcripſit Eſaias eo contigiſſe anno, quo mortuus eſt rex Ozias. Idem Hieron. in Quæſtiõ. ſeu tradition. Hebraicis in Paralipomenõ.

QVAE IN HAC PROPHETIA SINT obſeruanda.

Ea tradit Hieron. in Procemio ſuorum Commẽtariorum in Eſaiam, his verbis: Vndè poſt hiſtoriæ veritatem, inquit, ſpiritualiter accipienda ſunt omnia: . Et ſic Iudęa & Hieruſalẽ, Babylon & Philiſtijm, Moab & Damaſcus, Aegyptus & deſertum mare, Idumęa & Arabia, ac vallis Sion, vel vallis viſionis, & ad extremũ Tyrus, & viſio quadrupedum, intelligenda ſunt, vt cuncta quæramus in ſenſu: & in omnibus his quaſi ſapiens architectus Paulus Apoſtolus iaciat fundamentum,
1. Cor. 3. quod non eſt aliud pręter Chriſtum Ieſum.

PARTITIO. TABVLA 167.

PROPHETIA *Eſaiæ diuiditur in duos principales tractatus,*

- TRAGICVM, *qui multifarias cõtinet exprobrationes & comminationes, quibus Propheta præcipuè populum Iudaicum perſtringit, & à peccandi libidine abſtrahere ſtudet, à princip. huius lib. vſque ad cap. 40. Aliàs hæc pars oraculum triſte dicitur & flebile.*
- COMICVM, *qui crebras habet tum exhortationes, tum conſolationes, à d. cap. 40. vſque in fin. libri. Et lætum appellatur nuncium. Petrus Aureol.*

TRACTATVS PRIMVS. TABVLA 168.

DIVIDITVR *in quinq; partes. Perſtringit enim Propheta ſuis comminationibus gentem modò*

- IVDAICAM, *nempe regnum duarum tribuum Iudæ & Beniamin, idq; per tredecim capita.*
- FINITIMAM *totam: Vbi vicinis nationibus in vniuerſum omnibus, varias minatur pœnas & aduerſitates, per 11. capita.*
- VNIVERSAM *mundi machinam ſimul & ſummatim, per 4. capita.*
- RELIQVAS *X. tribus & ſimul etiam duas antè dictas coniunctim, per 4. itidèm capita.*
- RVRSVS *gentem Iudaicam, id eſt, duas tribus ſeparatim, per capita octo. Petrus Aureol.*

PARS

PARS PRIMA ADVERSVS DVAS TRIBVS regni Iudaici. TABVLA 169.

IN PRIMA *parte huius Prophetiæ Eſaias duplicem videtur habuiſſe reſpectū: vnū videlicet ad populū Iudaicum, & alterum ad Chriſtum. Vndè capita ſub ea cōpræhenſa, partim*

- AD POpulum referūtur Iudaicū. Atq; ſic ſub hoc veluti mēbro tractatûs primi, continētur
  - EXPROBRATIO *flagitiorum, propter quorum multitudinē & atrocitatem, legis antiquæ fit euacuatio & abrogatio, cap. 1. & 2. Vbi inter cætera dicitur: Nè offeratis vltrà ſacrificium fruſtrà &c. Et, Incenſum abominatio eſt mihi, &c.*
  - NOVAE *legis introductio, & noui gregis electio, cap. 2. Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domûs Domini &c.*
  - COMMINATIO *multiplicis ſupplicij, præcipuè ob necem Chriſti, cap. 3. &c.*
  - NOVI *gregis ab ijs pœnis præſeruatio, cap. 4.*
  - POENA *populo comminata, iuſta oſtenditur, cap. 5.*
  - IMPOSITIO *officij Prophetici, & purgatio labiorum eius per calculum, quem Seraphin forcipe tulerat de altari. Quæ iuxta Hebræum, viſio Eſaiæ prima eſt, cap. 6. verſ. In anno quo mortuus eſt &c.*
  - LIBERATIO *populi Iſraelitici, & ſpeciatim Achaz, de manibus duorum Regum, Raſin ſcilicet Regis Syriæ, & Phacee filij Romeliæ Regis Iſrael, cap. 7. & 8.*
  - LIBERATIO *item Regis Ezechiæ de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum, à duobus filijs ſuis interfecti, cap. 9. & 10.*
  - GRATIARVM *actio & Canticum laudis, cap. 11. & 12.*
- AD CHRIſtum, Cuius reſpectu populo prædicit
  - ABOLITIONEM *legalium ſacrificiorum, rituum, &c. cap. 1.*
  - EVANGELII *ſubſtitutionem, & gentium vocationem, cap. 2.*
  - DESTRVCTIONEM *Hieruſalem & Synagogæ, cap. 3.*
  - ECCLESIAE *nouæ ædificationem, cap. 4.*
  - COMPOSITIONEM *cātilenæ de Synagoga repudiata, ca. 5.*
  - DESTINATIONEM *filij Dei, cap. 6. ibi, Vade, & dices populo huic.*
  - EIVSDEM *filij incarnationem, conceptionem, & natiuitatē ex virgine, cap. 7. Eccè virgo concipiet & pariet.*
  - DISCIPVLORVM *& credentium collectionem, & aliorum ſcandalum & offenſionem, cap. 8.*
  - PASSIONEM *Chriſti, & regni eius inchoationem, cap. 9.*
  - CONVERSIONEM *filiorum Iſrael ad Chriſtum, cap. 10.*
  - RESVRRECTIONEM *Chriſti glorioſam, & Eccleſiæ ex diuerſis populis adunationem ſub vno paſtore Chriſto, cap. 11.*
  - SACRAMENTORVM *efficaciam, & gratiarum diffuſionem per totam Eccleſiam, cap. 12. Confiteor tibi Domine, &c. Vbi dicitur, Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.*

PARS

PARS COMMINATIONVM SECVNDA AD-uerſùs finitimas nationes. TABVLA 170.

SECVNDA *Pars Comminationum, decem continet onera, Quibus Propheta minatur,*

1. BABYLONIIS, *quorum deſtructio facta eſt per Cyrum & Darium, cap. 13. & 14. Vbi interiectis quibuſdam de Chriſto, inuebitur in Nabuchodonoſor Regem Babylonis.*
2. PHILISTAEIS, *circa finẽ ca. 14. ibi, Nè læteris Philiſtæa omnis tu, &c.*
3. MOABITIS, *cap. 15. & 16. iterùm interiecta Prophetia de Chriſto venturo ex Ruth Moabitide, à princip. cap. 16. vſque ad verſ. Emitte agnum Domine.*
4. DAMASCO *& Syris, tot. cap. 17.*
5. AETHIOPIBVS *& Aegyptijs, cap. 18. 19. & 20. Vbi iterùm multa interſerit Propheta de Chriſto.*
6. ASSYRIIS, *ſiue rursùm Babylonijs, cap. 21.*
7. IDVMAEIS, *circa finem eiuſdem cap.*
8. ARABIBVS, *in eod. cap. ibi. Onus in Arabia &c.*
9. HIEROSOLYMIS, *maximè Principibus & Præpoſitis templi, cap. 22. Onus vallis &c.*
10. TYRIIS, *cap. 23. Onus Tyri &c.*

PARS COMMINATIONVM TERTIA, AD-uerſùs totam mundi machinam. TABVLA 171.

PRAENVN- *ciat excidiũ totius orbis terrarũ, agitq́; De*

- IVDICIO *extremo, totius terræ diſſipatione, & ſententia proferenda in dæmones & homines malos.*
- IVSTITIA *diuina, quam prædicat, adhibita etiam gratiarum actione.*
- PRAEMIO *ſiue gloria bonorum, cap. 26.*
- SVPPLICIIS *damnatorum, cap. 27.*

PARS COMMINATIONVM QVARTA, AD-uerſùs duas, itemq́; X. tribus Iſrael coniunctìm. TABVLA 172.

HAEC *Pars comminando dicit, Væ*

- POPVLO *Iſraelitico, id eſt, X. tribubus, cap. 28. Væ coronæ ſuperbiæ &c.*
- GENTI *Iudaicæ, id eſt, duabus tribubus, cap. 29. Væ Ariel.*
- RELIQVIIS, *quas Nabuzardan voluit eſſe ſub manu Godoliæ, volentibus dehortante Hieremia deſcendere in Aegyptum, cap. 30. Væ filij deſertores.*
- EIS *qui deſcendunt in Aegyptum, cap. 31. Væ qui deſcendunt. Vbi iterùm Propheta ſe vertit ad Chriſtum, ac de eo multa identidèm vaticinatur.*

PARS

PARS COMMINATIONVM QVINTA ADuerſùs Gentem Iudaicam, id eſt, duas Tribus ſeorsìm. TABVLA 173.

IN POSTREMA *tractatûs primi parte, propheta ꝓcedit duobus modis:*

- PRIMO, *obſcurè & prophetice, De*
  - EZECHIA *& eius perfectione, ſub cuius figura agit de Chriſto, cap. 32.*
  - SENNACHERIB, *& eius deſtructione, cap. 33.*
  - ROMANIS, *& Iudæorũ ab illis facta vaſtatione ſub Tito & Veſpaſiano, & hoc (vt dicunt Magiſtri Iudæorum) ſub figura Idumææ & Boſræ, cap. 34.*
  - ECCLESIAE *propagatione & florido ſtatu, cap. 35.*
- SECVNDO, *dilucidè & ferè hiſtoricè, introducẽs*
  - SENNACHERIB *ſuperbientem, cap. 36.*
  - EZEchiam
    - *Ad Deum clamantem, & Dominum illum eripientem, cap. 37.*
    - *Infirmum conualeſcentem, cap. 38.*
    - *Vanè gloriantem, oſtendendo Babylonijs diuitias ſuas. Vndè Eſaias comminando concludit, Captiuitatem futuram, & omnia deportanda in Babylonem.*

TRACTATVS ESAIAE SECVNDVS, QVI CONſolatorius eſt, & populo Iſrael nunciat liberationem. TABVLA 174.

CVM POPVLVS IVDAICVS IN *afflictionibus ſuis etiam à Regibus ſuis eſſet derelictus, introducit Propheta perſonam Chriſti, populi ſui miſerentis, ac ità pro conſolatione afflictarum mentium, agit in ſumma De liberatione populi facta per*

- CHRISTVM
- CYRVM,
- ITERVM *per Chriſtum,*

à

- *Peccato,*
- *Exilio,*
- *Peccato.*

DE LIBERATIONE CHRISTI, PRIMA ſecundi tractatûs parte. TABVLA 175.

IN HAC PRIMA *parte inuehitur ſubindè ꝓpheta in idololatriam, idq́; nè putent homines cultum Chriſto impenſum, eſſe idololatriam, quod hodieq́; Iudæi ſentiunt. Agit verò De*

- PRAECVRSORE *Ioanne Baptiſta, & eius p̄dicatione, cap. 40. verſ. Vox clamantis in deſerto.*
- VNIONE *naturarũ in Chriſto, & humanitatis aſſumptione ex ſemine Abrahæ, cap. 41. verſ. Et tu Iſrael ſerue meus, ſemen Abrahæ.*
- INCARNATI *verbi conuerſatione, cap. 42. verſ. Non clamabit &c.*
- VOCATIONE *teſtium, ſcilicet Apoſtolorum, cap. 43. verſ. Educ forâs populum cæcum &c.*
- SPIRITVSANCTO, *Apoſtolis in die Pentecoſtes diuinitùs inſpirato, cap. 44. verſ. Effundam Spiritum meum &c.*

DE CYRI LIBERATIONE, PARS SECVNDA.

TABVLA 176.

OSTENDIT *Propheta, quomodò liberatio facta ſit per Cyrum, nimirùm non ex ſua aut idolorum virtute, ſed Potentia diuina, quæ Cyro vſa ſit ceu inſtrumēto. Itaque commemorat hîc*

- DIVINAE *liberationis organum ſeu inſtrumentum, Regem ſcilicet Cyrũ, cuius tamen occaſione ſe vertit ad ipſum Chriſtum, cùm ait: Rorate cæli deſupèr &c. Item, Tantùm in te eſt Deus, & non eſt præter te Deus, cap.45.*
- LIBERATOREM *præcipuum, ſcilicet Deum. Vndè ait, Ego feci, & ego feram, cap.46.*
- LIBERATIONIS *modum, qui conſiſtit in deſtructione Babylonis & regni eius, cap.47.*
- CAVSAM *huius prædicationis, nè ſcilicet Iudæi liberationem ſuam aſſcriberent idolis, cap.48. verſ. Prædixeram tibi ex tunc.*

ITERVM DE CHRISTO, PARTE SECVNDI tractatûs Tertia.

TABVLA 177.

REDIT ITERùm *ad liberationē Chriſti Eſaias, ac deincèps quaſi Euãgeliſta & Apoſtolus, expromit myſteria fidei noſtræ, quæ ad Chriſtũ potiſſimùm pertinent, de quo dũ agit, iſthæc duodecim proſequitur:*

- INFANTIAM *& abſconſionē Saluatoris, quam per annos ferè triginta quaſi ignotus latuit, cap.49.*
- MVLTIFARIAS *iniurias & perſecutiones in hoc mundo perpeſſas, cap.50. verſ. Corpus meum percutientibus dedi, &c.*
- SAPIENTIAM *& doctrinam ſiue prædicationem Chriſti, cap.51. & 52. Vbì dicit, Audite me, qui ſequimini quod iuſtum eſt, &c.*
- PASSIONEM *& mortem, atque in his omnibus ſummam patientiam ac tolerantiam, circa fin. cap.52. verſ. Eccè intelliget ſeruus meus, & per totũ ca.53. Vbì dicitur: Non eſt ſpecies ei neque decor.*
- ECCLESIAM, *& ipſius formationē ex latere Chriſti, cap.54. & 55. Vbì etiã*
  - OSTENDIT, *Eccleſiam non arctari ad vnum aliquẽ populum, ſed ſparſam eſſe per vniuerſum orbem, cap.56.*
  - PRAECEPTA *habet moralia, quibus Eccleſia inſtruitur, cap.57. & 58.*
- GLORIAM *& reſurrectionem, cap.59. & 60. ibì, Eccè non eſt abbreuiata manus Domini.*
- FAMAM *& exiſtimationem, per totum orbem diffuſam, idque apoſtolorum prædicatione.*
- NOMINIS *Chriſtiani, noui ſanè & glorioſi, impoſitionem, quo credentes ornantur, cap.62. verſ. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit &c.*
- ASSCENSIONEM *Triumphalem, & glorioſum ingreſſum in cælum, cap.63. Quis eſt iſte qui venit &c.*
- IVDAEORVM *nequitiam & excæcationem, circa medium 63. verſ. Miſerationum Domini recordabor. Vbì reducit in memoriam beneficia Dei, præcipuè illud, quo educti ſunt Iudæi ex Aegypto, & beneficium aduentûs Chriſti, cap.64.*
- REVERSIONEM *Iudæorum ad Chriſtum & eius miſericordiam, cap.65.*
- IVDICIVM *extremum, ac ibì iterùm de bonorum præmijs & pænis malorum, cap.66.*

PRO-

PROPHETIA HIEREMIAE, LIBER BIBLIAE XXVIII, PARTIS QVINtæ Secundus.

HIEREMIAS VNDE SIT ORIVNDVS.

Hieremias & Sacerdos & Propheta. Author operis imperfecti in Mat. cap. 22. homil. 41. Tertullian. aduerſ. Gnoſticos. Auguſtinus eum Gentium dixit Prophetam, in lib. De quæſtion. ex veter. teſtament. cap. 44. Anathothites fuit, & de genere Sacerdotum. Greg. 1. Reg. cap. 13. Eſt autem Anathoth viculus, tribus ab Hieroſolymis diſtans millibus. Hieron. hîc in Prolog.

QVIS EIVS FVERIT PARENS.

Pater Hieremiæ, Helkias ſacerdos ille magnus, qui librū legis inuenerat tempore Ioſiç. Hieron. in quçſt. Hebraicis in 1. Paralipomenon: & ipſe propheta fuit. Quod patet ex primis huius Prophetiæ verbis: Filij Helciç &c. Tradūt enim Hebrçi, cuiuſcunque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipſos quoquè Prophetas fuiſſe. Hieron. in Sophon. in princip. & Gloſſa hîc cap. 1. in princip. Regula, quorū Prophetarū parentes fuerint prophetæ.

NATIVITAS EIVS.

Sacerdos ex ſacerdotibus, & in matris vtero ſanctificatus, virginitate ſua Euāgelicum virum Chriſti Eccleſiç dedicans. Hieron. hîc in Prolog. & in Apologia aduersùs Ruffi. Auguſt. epiſtola 57. Vndè in Sermone de natiuitate S. Ioan. Bapt. quem quidam D. Bernardo, alij alteri adſcribunt, ità legimus: Et Hieremiç quidem admiranda ſanctificatio: Quia & ſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antè enim quàm exiret de vētre, ſanctificatus eſt, nec poterat naſci non ſanctus, qui in vtero matris erat ſanctificatus, &c.

QVANDO ACCEPERIT SPIRITVM PROPHETIAE.

Sacra ſcriptura teſtatur ipſa, Hieremiam & Danielem ſpiritum prophetiç percepiſſe adhuc pueros, Hiere. 1. & Daniel. 13.

QVIBVS ET QVID PROPHETAVERIT.

Prophetavit in Hieruſalem, De futura ſiccitate, & contra gentes Aelam. Repræhendit iniuſtitias Hieruſalem in multis. & de aduētu Regis Babylonij, ad excidendum terram Aegypti, & aduersùs Babylonem &c. Athanaſ. in Synopſi, vbi fuſiùs hinc agitur.

VBI PROPHETAVERIT.

In Iuda tantùm & in Beniamin prophetauit, & Ciuitatis ſuæ ruinas quadruplici planxit alphabeto, (id eſt, quatuor lamentationibus, quarum ſinguli verſus, ſingulis reſpondent Hebræorum literis.) Hieron. in Prçfatione in Hieremiam.

QVIBVS TEMPORIBVS PROPHETAVERIT, ſententia Origenis.

Inter Eſaiam & Hieremiam interceſſerunt anni 150. Hieron. in Eſaiā lib. 9. cap. 30. in princip. Cœpit autē prophetare in diebus Ioſiç filij Amon regis Iuda, vſq; ad annum tertiumdecimum regni eius: Deindè prophetauit in diebus Ioachim filij Ioſiç regis Iuda, vſque ad conſummationem vndecimi anni Sedechiæ filij Ioſiç regis Iuda, ità vt eius prophetia per tres Reges contexta ſit vſque ad captiuitatem Hieruſalem in quinto menſe. Origen. Homil. 1. in Hieremiam.

DE EODEM AVGVSTINVS.

Hieremias Propheta de maioribus eſt, ſicut & Eſaias. Prophetauit autē regnāte Ioſia in Hieruſalem, & apud Romanos Anco Martio, iam propinquāte captiuitate Iudçorum. Tetendit autem prophetiam ſuam vſq; ad quintū menſem captiuitatis, ſicut in eius literis inuenitur. Prophetauit ergò non ſolùm Anci Martij, verùm etiam Tarquinij Priſci tēporibus. Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. 18. ca. 33.

EADEM DE RE TESTIMONIVM HIERONYMI.

Hieremias cùm eſſet adhuc puer, prophetare cœpit anno 13. Ioſię filij Amon Regis Iudæ, Prophetauitq́; in Imperio eius annis decem & nouem: & poſteà ſub Ioachin filio eius annis 11. & ſub Sedechia, qui vltimus fuit Regum Iuda, annis 11. vſq; ad 5. menſem, quādò à Babylonijs capta eſt Hieruſalē. Ac per hoc ab exordio Prophetiæ ſuæ, vſq; ad captiuitatē Hieruſalē, in qua & ipſe captus eſt, prophetauit annis 41. pręter illud tēpus, quando ductus eſt in Aegyptū. Ibiq́; prophetauit in Taphnis, vt hoc ipſo volumine cōtinetur. Hieron. lib. 1. in Hier. cap. 1. in princ.

QVI. HVIVS PROPHETAE FVERINT CONTEMPORANEI.

Sophonias & Hieremias contemporanei fuerunt. Athanaſius in Synopſi. Auguſt. De Ciuitat. Dei lib. 18. cap. 33.

QVO GENERE MORTIS INTERIERIT HIEREMIAS.

Ioſephus lib. 10. cap. 10. teſtatur, Hieremiā in cœno fuiſſe dimerſum, Diuus porrò Hieron. in ſummario ſiue argumento in Hieremiā, & Author operis imperfecti in Matth. cap. 22. Homil. 41. dicūt eum poſt multas iniurias tandem apud Taphnas in Aegypto à populo lapidibus obrutum occubuiſſe.

DE SEPVLTVRA EIVS MIRACVLIS CELEBRI.

Iacet verò in eo loco ſepultus, quo dudùm Pharao Rex habitauerat. Et quoniā poſtulatione ſua defugatis ab eodem loco ſerpentibus, Aegyptios à tactu aſpidū facit eſſe ſecuros, magna cum ibi religione Aegyptij venerantur. Idem Hieron. hic in ſummario.

DE LIBRIS HIEREMIAE COMBVSTIS, EX IOSEPHO.

Propheta Hieremias omnes Prophetias ſuas conſcribens, ieiunante populo, & in Eccleſiam congregato, in templo mēſe nono quinti anni Regis Ioachin, relegit librum, quem de futuris rebus ciuitati & populo temploq́; conſcripſiſſe videbatur. Audientes itaq; principes, tulerunt ab eo librū: iuſſeruntq́; eum, & ſcribam Baruch, de medio tolli, nè quibuſdam fierent manifeſti. Ipſum verò librum portantes, regi dederunt. Qui pręſentibus amicis iuſſit ſcribam ſuum relegere, & audiens quæ ſcripta noſcebantur in libro, iratus Rex dirupit eum, & igne cremauit: & requiſitos Hieremiam & Baruch, iuſſit ad ſe puniendos adduci. Illi ſiquidē eius tunc iram declinauerunt. Ioſephus Antiq. lib. 10. cap. 8.

DE EISDEM LIBRIS ITERVM RESTITVTIS.

Postquam aūt combuſſerat Rex volumē, & Sermones quos ſcripſerat Baruch ex ore Hieremiæ, factū eſt verbum Domini ad Hieremiā, dicens: Rurſus tolle volumen aliud, & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, quod combuſſit Ioachin Rex Iuda &c. Et paulò poſt: Hieremias aūt tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Nerię ſcribæ: qui ſcripſit in eo ex ore Hieremiæ omnes Sermones libri, quem cōbuſſerat Ioakim Rex Iuda igni: & inſuper additi ſunt ſermones multo plures, quàm anteà fuerant, Hier. 36. ca. circa finem.

DE GENERE ORATIONIS, QVA HAEC prophetia eſt perſcripta.

Sermone quidem hic propheta, apud Hebręos Eſaia & Oſee & quibuſdam alijs prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt, quippe qui eodem ſpiritu ꝓphetauerit. Hieron. in Prolog. Hieremiæ: Et in proœmio lib. 6. in Hier. Qui quārùm in verbis, ait, ſimplex videtur & facilis, tantùm in maieſtate ſenſuum profundiſſimus eſt. Compaſſione certè hic Hieremias inter prophetas habetur præcipuus. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ſubditos timore perculſos.

PROPHETIA HIEREMIAE IN QVOT diuidatur libros. TABVLA 178.

DVO SVNT HVIus *Prophetæ volumina:*	CONCIONVM *propheticarum vnum:* ALTERVM *Threnorū, ſiue Lamentationum.*	*Quibus adnectitur Oratio Hieremiæ.*

SACRA-

SACRARVM CONCIONVM HIEREMIAE partitio. TABVLA 179.

ETSI AVTHOR COMPENDII *Biblici Petrus Aureolus hunc librũ in ſedecim diſtribuerit Partes, faciliorem tamen eius explicationem futuram eſſe iudicauimus, ſi has cõciones diuideremus in ea, q̃ contigerũt partim*

- ANTE *publicationem iniunctæ Prophetiæ,*
- IN *ipſa prædicatione ſeu executione legationis,*
- POST *factam executionem.*

Atq; ſic in

- *Antecedentia,*
- *Adiuncta,*
- *Conſequentia.*

PRIMA PARS PROPHETIAE EX ANTEcedentibus. TABVLA 180.

ANTEcedentia p̃dicationem Hieremiæ, explicant

- CONDITIONEM *& qualitatem Legati, hoc eſt, ipſius Prophetæ Hieremiæ legalitatem atque ſufficientiam, cap. 1. verſ. Priuſquàm te formarem, nôui te.*
- FORMAM *ſiue tenorem mãdati, ſub his verbis: Tu ergò accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos, eodem.*
- IVSTIFICATIOnem *decretæ pœnæ. Qua demonſtratũr, cauſam huius legationis, licèt ſeuerioris, fuiſſe iuſtã atq; pernéceſſariam. Id quod probat Ab*
  - INGRATITVDINE *Iudæorum, & culpa grauiſſima in Deum, cap. 2.*
  - SVMMA *clementia Dei, ſub figura ſponſi contempti, volentis ſponſam etiam ipſum ſpernentem, ad ſe recipere, cap. 3.*
  - FACILITATE *veniæ conſequendæ, cap. 4. verſ. Si conuerteris Iſrael, &c.*
  - PRAEVARICATIONE *omnium, vt nec facilè inueniretur vnus qui faceret iudiciũ, cap. 5. Circumite vias Hieruſalẽ, &c.*
  - PERVERSIONE *ſacerdotum & Prophetarum, cap. 6. verſ. A propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum, &c.*
  - PROPHANATIONE *templi & ſacrificiorum, cap. 7. verſ. Nolite confidere.*
  - MENDACIIS *& impietate ſcribarum & hominum doctorum, cap. 8. verſ. Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum, &c.*
  - INTERIECTA *Lamentatione, cap. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?*
  - CAECITATE *& ignorantia Iudæorum, qua verſi erant ad idololatriam, cap. 10. Audite verbum.*
  - PACTO *Domini cum filijs Iſrael, quod Iudæis reducit in memoriam, vt ex his omnibus illorum culpa aggrauetur &c. ca. 11.*
- DIFFICVLTATEM *atque periculum huius legationis, verſ. Tu autem Domine, d. cap. 11. & cap. 12. per tot. Vbi conqueritur propheta de malis, quæ præuidit ſe ex hac legatione ſubiturum. Cuius rei occaſione addita etiam his inuenies multa de Paſſione Chriſti.*

SECVNDA PARS HVIVS PROPHETIAE
exadiunctis. TABVLA 181.

PRAEDICATIONIS *munus adgreditur Propheta*
- CONTRA *Hieruſalem & Iudæam,*
- IN *rectores vrbis eiuſdem,*
- ADVERSùs *eos, qui alijs in Babylonem tranſmigrantibus, remanſerant in Hieruſalem,*

PRAEDICATIO PRIMA. TABVLA 182.

IN PRAE- *dicatiōe Prophetiæ primæ conſideranda ſunt*
- FORMA *ſub metaphoris*
  - LVMBARIS *linei, quod computruit, cap.13.*
  - SERMONVM *ſiccitatis, cap.14.*
  - MOISIS *& Samuelis, qui etſi aliâs exauditi ſint, nunc tamen exaudiri non poſsint, cap.15.*
  - EVNVCHI *& hominis ſterilis, cap.16.*
  - STYLI *ferrei & adamantini lapidis, cap.17.*
  - FIGVLI *& confracti vaſis, cap.18.*
  - LAGVNCVLAE *& teſtei vaſis, cap.19.*
- EFFECTVS, *qui alius ferè nō erat, quàm quòd Propheta perſecutioni fuit ſubiectus, atque ſic pro beneficio prædicationis accepit iniurias. cap.20.*

PRAEDICATIO SECVNDA TABVLA 183.

HVIVS *quoquè prædicationis duplex habetur ratio:*
- VNA *circa formā, qua prophetizat contra*
  - VRBEM *Hieruſalem, cap.21.*
  - REGEM, *cap.22.*
  - MALOS *prophetas atque Doctores, cap.23. Vbi agit etiam De aduentu Chriſti, verſ. Eccè dies venient.*
- ALTERA *circa effectum, quiest Duplex:*
  - PRIMO *enim narrantur quædam ità eueniſſe, vt prædixerat Hieremias, maximè quo ad primam tranſmigrationē Iechoniæ & principum eius in Babylonem: ibiq́ proſpera promittuntur tranſmigrantibus, remanentibus verò aduerſa, cap.24. & 25.*
  - ITERVM *perſecutiones fert Propheta ob veritatis prædicationem à*
    - *Populo, cap.26.*
    - *Falſis prophetis, ca.27. & 28.*

TERTIA PRAEDICATIO. TABVLA 184.

HIC VE- *rò conſiderantur Quinque:*
- CONSOLATIO, *quam præmittit Propheta tertiæ prædicationi ad egreſſos in Babylonem, à cap.29. vſque ad cap.34. Vbi multa itidèm de Chriſto habentur.*
- IPSA *Prophetia, qua prædicitur captiuitas Sedechiæ, & remanentibus in Hieruſalem deſolatio, cap.34.*
- ADDITIO *de libro Hieremiæ primùm confecto, deindè combuſto, ac tandèm iterùm refecto, per tot. cap.35. & 36. Et fit in cap.35. mentio obedientiæ Rechabitarum erga Ionadab de non bibendo vino.*
- TERTIA *Prophetæ perſecutio, qua capitur & incarceratur, cap.37. & 38.*
- HISTORIA *de captiuitate Hieruſalem & combuſtione templi atq́ muri, cap.39. Vbi etiam agitur de liberatione Hieremiæ.*

PARS

PARS TERTIA CONCIONVM HIEREMIAE ex conſequentibus. TABVLA 185.

HAEC PARS *tria continet membra*

- PRIMO *enim narratur, quanta beneuolentia Hieremias populum ſecum vnà liberatum, & reliquias ſuperſtites, contra conſilium deſcēdentes in Aegyptum vſque, prophetando ſit proſecutus, à cap, 40. vſque ad cap. 46.*
- DEINDE *hæc Prophetia etiam ad alias procēditur nationes, vtputà contra*
  - *Aegyptios,*
  - *Palæſtinos,*
  - *Moabitas,*
  - *Ammonitas,*
  - *Babylonios.*
  - *à cap. 46. vſque ad cap. 50.*
- TANDEM LAMENtatur *propheta pro concluſione*
  - *Combuſtionem templi,*
  - *&*
  - *Deprædationem vaſorum.*
  - *cap. 52.*

PROPHETIAE HIEREMIAE

PARS ALTERA, SIVE LAMENtationes *Hieremiæ, quæ Græcè dicuntur Threni.*

CONTINVATIO. TAB. 186.

DVPLEX *eſt continuandæ huius partis cum præcedētibus ratio:*

- VNA *remota, à triplici ſacræ ſcripturæ poëſeos differentia, qua antè vbi de Pſalmis agi cæptum fuit, omnem ſacræ ſcripturæ cantum, in Pſalmos, Cantica & Threnos, ſiue Lamentationes partiti ſumus. Cùm ergò de Pſalmis & canticis, ſuo dictum ſit ordine, æquum fuit vt, nacta occaſione tam opportuna, tandèm etiam vel ſemèl ageretur de Threnis.*
- ALTERA *propinqua, quæ cum materia ſuſcepta omninò cohæret. Hactenus enim de futura actum fuit clade, hîc de præſenti agitur calamitate: ac vt ſe pœnam anteà longè decretam prædixiſſe teſtaretur inuitum, ſic eo vehemētius nunc deplorat irrogatam. Ex mente Gloſſæ hîc in principio.*

DE LIBRI HVIVS TITVLO.

Hic liber apud Hebręos eſt ſine nomine, niſi q̄ à prima dictione, qua incipit, vocant eum Echa, id eſt, Quomodò. In cōmentarijs tamen appellant eum Cinoth, id eſt, Lamentationes: LXX. autem, Threnos, quod etiam Lamentationes ſiue fletus ſignificat. Atq; hunc ipſum librum, iidem Hebræi, putant eſſe eum, quem Ioakim rex Iuda, ab initio legiſſe, & mox in ignem proieciſſe dicitur, Hiere. 36.

QVAE SIT HVIVS LIBRI SVMMA.

DEPLORAT propheta ruinam peruerſi populi, & ſubuerſionem perfidæ ciuitatis, quæ ſemper contraria Domino ſuo ſentiebat, & præceptis ſuis aduerſabatur, ingrata beneficiorum Dei, Prophetas eius ipſumque hæredem nouiſſimè trucidabat. Vndè in manus hoſtium tradita, deuaſtata eſt ità, vt quæ priùs diuerſis gētibus & prouincijs imperabat, poſtmodùm dura ſeruitute premeretur. Hieron. in Threnor. cap. 1. ſtatim in princip.

DE HORVM MYSTICA INTERPRETATIONE.

Mystice autem plangitur anima fidelis hominis, quæ quondàm plena fuit numeroſitate virtutum, & imperabat diuerſis affectibus, dominans concupiſcentijs carnis: poſteà autem à malignis ſpiritibus flammis libidinis ſucceſſa, deſtituta angelorum ſolatio, & carens diuino cõſortio, tot ſeruit ſceptris dedita, quot vitijs. Idem ibidèm.

DE GENERE ORATIONIS.

Lamentationes Hieremię in Hebræo, ſcriptæ ſunt metris, id eſt, verſib⁹, quorum ſinguli per ordinem, à ſingulis auſpicantur Alphabeti literis. Quale genus carminis tum fortè, tempore ſcilicet Hieremiæ, vſitatum fuit: ſic vt primus verſus inciperet à prima litera Aleph, ſecundus à Beth, tertius à Gimel, & ſic de cęteris. Quibus Paſchaſius hunc Prophetam non ob id vſum fuiſſe teſtatur, vt metris vel ornatu luderet, ſed quòd ſapientia humana vltrò diuinæ ſeruiat ſapientiæ. Gloſſ. in Lamentat. Hierem. cap. 2. in princip.

QVOT LIBRI HVIVS SINT PARTES.

TAB. 187.

DIVIDITVR *hic liber in duas partes, videlicet in*
- QVATVOR *planctus ſiue Lamentationes & totidē capita, quibus Propheta deplorat deſtructionem*
  - CIVITATIS *Hieruſalem, quæ erat caput regni.*
  - ISRAEL *& totius regni.*
  - AVT
    - *Populi* / *Chriſti* — *Secūdum ſenſū* — *Iudaicū* / *literalē.*
  - SANCTVARII *& templi.*
- ORATIONEM *Hieremiæ ad Deum, quo eius implorat auxilium & miſericordiam, vt afflictis opituletur.*

De q̄bus agitur in cap. 1. 2. 3. 4.

SVBDIVISIO.

Singula capita totidem conſtant verſibus, quot ſunt literę apud Hebręos, quę (vt dictum eſt) ſingulæ ſingulis præponuntur verſibus. Atque hinc eſt, quòd D. Hieron. dixit in prologo Hierem. hunc prophetam ciuitatis ſuæ ruinas quadruplici planxiſſe alphabeto. Idem in epiſtola ad Paulinum de libris ſacris, huius libri hiſce meminit verbis: Et quadruplex diuerſis metris nectit alphabetum. Et in proœm. Ezechiel. de Hieremia loquens, ſic ait: Qui in Lamentationibus ſuis ſub typo Hieruſalem, 4. plagas mundi quadruplici plangit alphabeto.

AN LITERAE SINGVLIS VERSIBVS PRAEfixæ, hoc loco aliquid ſignificent.

Refert hîc Lyranus quoſdam in ea fuiſſe opinione, quòd exiſtimarent literas, quibus Lamentationes Hieremiæ diſtinctæ ſunt, ad ſignificandam verſuum ſententiam huc eſſe appoſitas. Quam opinionem falſam eſſe aliquot docet rationibus & argumentis. Interìm tamen negari non poteſt, Hebræorum literas per ſe poſitas, ſuas habere interpretationes, nec earum connexiones omninò eſſe ocioſas, ſed ſua habere myſteria. Hieron. in proœm. Lamẽtationum. Quæ vel ſemèl rectè intellexiſſe, cùm magni ſit momenti, & operæ valdè precium, ea quàm fieri poteſt breuiſſimè, ex ſanctorum patrum in hunc librum commentarijs, huc aſſcribere lubet.

DE INTERPRETATIONE LITERARVM Hebraicarum. Hieron. in procem. Lamentationum ad Euſebium. TAB. 188.

	ALEPH,		*Doctrina,*
	BETH,		*Domûs,*
	GIMEL,		*Plenitudo,*
	DALETH,		*Tabularum,*
	HE,		*Iſta,*
	VAV,		*Et,*
	ZAIN,		*Hæc,*
	HETH,		*Vita,*
	TETH,		*Bonum,*
	IOD,		*Principium,*
LITERARVM *apud Hebræos ſunt xxij.*	CAPH,	INTER- *pretantur*	*Manus,*
	LAMED,		*Diſciplinæ, ſiue cordis,*
	MEM,		*Ex ipſis,*
	NVN,		*Sempiternum,*
	SAMECH,		*Adiutorium,*
	AIN,		*Fons ſiue oculus,*
	PHE,		*Os, (oris)*
	ZADE,		*Iuſtitiæ,*
	COPH,		*Vocatio,*
	RES,		*Capitis,*
	SIN,		*Dentium,*
	THAV.		*Signa.*

DE CON

DE CONNEXIONE SIVE DE ORDINE INTELligentiæ iſtarum literarum, ex cod. Hieron. TAB. 189.

CONnexiões literarum Hebraicarũ ſunt ſeptem: Quarum eſt

- PRIMA literarũ quatuor,
  - ALEPH, *doctrina*
  - BETH, *domûs:*
  - GIMEL, *plenitudo*
  - DALETH, *tabularum:*
  - *Doctrina domûs, plenitudo tabularũ: quòd videlicet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum.*
- SECVNDA quatuor,
  - HE, *iſta*
  - VAV, *&*
  - ZAIN, *hæc*
  - HETH, *vita*
  - *Iſta & hæc vita. Quæ enim alia poteſt eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum, per quam etiam ipſe CHRISTVS cognoſcitur, qui eſt vita credentium?*
- TERTIA duarum,
  - THET, *bonum,*
  - IOD, *principium.*
  - *Bonum principiũ: Quia quanuis nunc ſciamus vniuerſa quæ ſcripta ſunt, tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nunc per ſpeculum videmus in ænigmate. Cùm autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles angelis fuerimus, tunc librorũ doctrina ceſſabit.*
- QVARTA duarum,
  - CAPH, *manus*
  - LAMED, *cordis ſiue diſciplinæ.*
  - *Manus cordis, ſiue diſciplinæ. Manus intelliguntur in opere: cor & diſciplina interpretãtur in ſenſu: Quia nihil facere poſſumus, niſi quæ priùs facienda ſint, fecerimus.*
- QVINTA triũ,
  - MEM, *ex ipſis*
  - NVN, *ſempiternum*
  - SAMECH, *adiutoriũ.*
  - *Ex ipſis ſempiternũ adiutoriũ. Hoc explanatione nõ indiget, ſed omni luce manifeſtius eſt, ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrari.*
- SEXTA trium,
  - AIN, *fons*
  - PHE, *oris*
  - ZADE, *iuſtitiæ.*
  - *Fons ſiue oculus oris iuſtitiæ, ſecundùm illud quod in tertio numero expoſuimus.*
- SEPTIMA quatuor.
  - COPH, *vocatio*
  - RES, *capitis*
  - SIN, *dentium*
  - THAV, *ſigna.*
  - *Per dentes articulata vox promitur, & his ſignis ad caput omnium, qui eſt CHRISTVS, itur: per quem venitur ad regnũ ſempiternum.*

HVIVS CONNEXIONIS VSVS.

Ex quibus Hieron. infert: Verùm hęc idcircò inſeruimus, vt inſtruant lectorem, quò ſciat non fruſtrà iuxta ſeriem literarum à Propheta hæc eſſe edita, ſed vniuerſa quæ ſcripta ſunt, ad Chriſti & Eccleſiæ pertinere ſacramenta.

DE PRI.

DE PRIMO ALPHABETO SIVE LAMENTATIONE HIEREMIÆ.

ARGVMENTVM.

PRIMI Threni ciuitatis, potiſſimùm Hieruſalem, deplorant excidium, quæ antè, Dauidis maximè tempore & Salomonis, Domina fuerat gentium ſibi ſubiectarum, vt habetur 2.Regum & 3.at nunc facta fuerat quaſi vidua, hoc eſt, dignitate Regni & Sacerdotij deſtituta. Vide hinc Gloſſ.ordinariam.

PARTITIO LAMENTATIONIS PRIMAE.

TABVLA 190.

EIVS LAMENTATIONIS *duo ſunt mẽbra.*
- PRIMO *ſeipſum alloquitur Propheta, & ſumma quaſi cum admiratione ipſius vrbis Hieruſalem, quæ in vaſtiſſimum creuerat Regnum, miſerandam deplorat deſolationem, à princip. vſque ad verſ. O vos omnes qui tranſitis &c.*
- DEINDE *ciuitas ipſa lamẽtatur ſeipſam, à d. verſ. O vos omnes vſq; in fin.cap.primi.*

MEMBRVM PRIMVM. TABVLA 191.

HAEC PARS *vndecim habet verſus. Quibus (vt dictu eſt) vrbis ipſius Hieruſalem deplorat iacturam atque amiſsionẽ priſtinæ*
- AVTHORITATIS, *cap.1.verſ. Quomodò ſedet ſola &c.*
- LAETITIAE *& iocunditatis, verſ. Plorans plorauit &c.*
- SECVRITATIS, *verſ. Migrauit Iuda.*
- CELEBRITATIS *& ſolẽnitatis multiplicis Dñi, verſ. Viæ Sion lugent &c.*
- PACIS *& tranquillitatis, verſ. Facti ſunt hoſtes eius &c.*
- FORTITVDINIS *& bellicæ probitatis, verſ. Egreſſus eſt à filia Sion &c.*
- PROSPERITATIS *& rerum omnium affluentiæ, verſ. Et recordata eſt Hieruſalem dierum &c.*
- LAVDIS *& famæ, verſ. Peccatum peccauit Hieruſalem, &c.*
- PVLCHRITVDINIS *atq; formæ, verſ. Sordes eius in pedibus eius &c.*
- DIVINI *cultûs & ſanctitatis cæremoniarum, verſ. Manum ſuam miſit hoſtis.*
- SATIETATIS *& ſaturitatis, verſ. Omnis populus quærens panem. eod. ca. 1.*

SECVNDVM MEMBRVM LAMENTATIONIS PRIMÆ. TAB. 192.

SECVNDVM *membrũ quatuor habet partes, in quibus ciuitas*
- DEPLORAT *magnitudinem & immenſitatem miſeriæ ſuæ, idq; quatuor verſiculis, quorum primus eſt, O vos omnes qui tranſitis &c.*
- LAMENTATVR *implacabilitatẽ iræ diuinæ, verſ. Idcircò ego plorans, & ſequenti.*
- CONFITETVR *ſuam culpam & laudat iuſtitiam Dei, verſ. Iuſtus eſt Dominus &c.*
- SOLATVR *ſeipſam, atque diuinam ſibi affuturam ſperat clementiam, verſ. vltimo.*

LAMENTATIO HIEREMIAE SECVNDA.

IN hac lamentatione ſecunda, Propheta admirãdo quæritat, quomodò pulcherrima habitatio Siõ, & inclyta Iſraelitarum gens, quæ angelico miniſterio ſuffulta, per ipſius Domini ducatum, de terra Aegypti, per mare rubrum tranſlata eſt, & in deſerto multis miraculis, ac diuinis ſolatijs, diutiſſimè per Moiſen & Aaron educata, ità vt vocabulo ſcabelli pedum Domini, propter ſtatum diuini cultûs, qui in ipſa plebe tunc præcipuus erat, meritò nũcuparetur: nunc de ſumma felicitate, in maximam miſeriam, in die furoris Domini, & vindictæ in eam prolatæ, quaſi de cælo in terram proiecta & conculcata ſit. Hieronymus in Lamentat. ca. 2. in principio.

DIVISIO SECVNDAE LAMENTATIONIS.

TABVLA 193.

A CAPIT. THRENORVM *ſecundo incipit ſecunda Lamentatio: in qua propheta terræ Iſraël atq; adeò totius regni deſtructionem deplorat. Diuiditur autem hic planctus in quatuor partes. Nam*

- PRIMO *Propheta, ſicut homo deſolatus, loquitur ad ſeipſum, ca. 2. verſ. Quomodò obtexit caligine &c. in princ.*
- SECVNDO *ſermonem conuertit ad terram atque regnum Iſraël, verſ. Cui comparabo te &c. eod.*
- TERTIO *vtile & ſalutare adhibet remedium ſiue conſilium, verſ. Clamauit cor eorum ad Dominum, &c.*
- QVARTO *inſtituit orationẽ, piumq́; texit oraculum, verſ. Vide Domine, vſque in fin. cap. 2.*

DE PRIMA SECVNDAE LAMENTATIONIS parte.

TABVLA 194.

HIC PLANctus *ſiue ſoliloquiũ duodecim continet partes, in quibus propheta intuetur priorẽ regni Iſraël ſtatum: atque in ea cõtemplatione percurrit duodecim felicitatis gradus, quibus hoc regnum alia regna antecellere videbatur. Nam &*

FERTILITATE *ſoli hoc regnum præcipuum erat: adeò vt diceretur terra ſancta, terra promiſſionis, terra inclyta, & terra fertilis atq; pinguis. d. cap. 2. verſ. Quomodò obtexit caligine &c.*

ALIA *regna ſuperabat principum nobilitate atque præſtantia. Stirps enim Dauid regnabat in Iſraël. verſ. Præcipitauit Dominus, nec pepercit.*

MILITVM *robore præ cæteris valebat plurimùm. verſ. Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſraël &c.*

VENVSTATIS & *amœnitatis eorum quæ gignit humus, laudem alijs regnis facilè omnibus præripiebat. verſ. Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus &c.*

VRBES *habebat munitiſſimas & fortia caſtella ac propugnacula. verſ. Factus eſt Dominus velut inimicus.*

LOCVS *ipſe rerum ſacrarum dignitate ſanctiſſimus erat. Nam in hoc regno ſolo Dei reſidebat tabernaculum. verſ. Et diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum &c.*

SACRIFICIORVM *quoquè frequentia alijs præcellebat, & Dei altare ibì fuit erectum. verſ. Repulit Dominus altare ſuum &c.*

AVXERAT *huius regni dignitatem atq; præſtantiam ipſius vrbis Metropolitanæ, Hieruſalem ſcilicet, nobilitas & excellentia, quæ iſtius regni caput erat atque ſolium. verſ. Cogitauit Dominus diſſipare murum.*

NVLLIBI *amplior fuit cœtus hominum doctorum, diuina ſapientia atque prophetiæ dono illuſtrium. Nullum enim aliud Regnum receperat legem Dei, habebátve prophetas Dei. verſ. Defixæ ſunt in terra: item in verb. Reges eius & principes.*

REGNI *huius populus, honore atque reuerentia alijs dignior erat, tum ob ſenes & virgines vtriuſque ſexûs, tum ob vitæ ſanctimoniam &c. verſ. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes &c.*

A MVLTITVDINE *infantium commendabatur hoc regnum, Deo Opt. Max. præ cæteris nationibus multiplicante ſemen filiorum Iſraël, ſicut Abrahæ promiſerat Geneſ. 15. verſ. Defecerunt præ lachrymis oculi mei &c.*

ANNONAE & *victûs copia, ac cæteris naturæ beneficijs, vitæ terminus huic populo eouſquè plerunquè prorogatus fuit, vt iuxta benedictionem diuinã filios viderent filiorum. verſ. Matribus ſuis dixerunt, Vbi eſt triticum?*

SECVN.

SECVNDA PARS LAMENTATIONIS SECVNDAE.

TABVLA 195.

EA PARS PRO- *phetiæ, in qua propheta ſermonem ſuum dirigit ad populum Iſrael, quinque obtinet verſiculos, in quibus ipſi populo quinque ob oculos ponit. Nimirum*

- VT *conſideret magnitudinem pœnæ & miſeriæ ſuæ. verſ. Cui comparabo te? dict. cap. 2.*
- ORIGINEM *ſuæ culpæ & malitiæ: Quæ origo fuerunt Prophetæ non aperientes filijs Iſrael iniquitatem ſuam, vt eos ad pœnitentiam prouocarent. verſ. Prophetæ tui viderunt tibi falſa &c.*
- QVAM *nemo è vicinis gentibus ipſi compatiatur. verſ. Plauſerunt ſuper te &c.*
- EXVLTATIONEM *& gaudium gentis aduerſariæ & nationis inimicæ. verſ. Aperuerunt ſuper te os ſuum inimici.*
- HOC *non eſſe factum caſu, ſed potiùs ſecundùm præfinitionem iuſtæ ſententiæ Dei. verſ. Fecit Dominus quæ cogitauit &c.*

SECVNDAE LAMENTATIONIS PARS tertia.

TAB. 196.

PRO REMEDIO *& conſilio his malis adhibendo, Propheta populum Iſrael ad Deum recurrere monet. à quo vt eo faciliùs & auxilium conſequantur, & ſalutem, ſex res docet eos obſeruare. Quæ ſunt,*

- ORARE *cum clamore. verſ. Clamauit cor eorum. eod. cap. 2.*
- PLORARE. *eod. verſ. in verb. Deduc quaſi torrentem.*
- IN *plorando perſeuerare, eod. verſ. in verb. Non des requiem.*
- NOCTV *in oratione vigilare. verſ. Conſurge, lauda in nocte &c.*
- COR *ſuum humiliare, & ſicut aquam effundere. ibidèm in verb. Effunde ſicut aquam cor tuum &c.*
- LEVATIONE *manuum ad Deum, & alijs geſtibus ipſum placare. eod. verſ. Conſurge, in verb. Leua ad Dominum manus tuas.*

QVARTA PARS LAMENTATIONIS SEcundæ.

TABVLA 197.

IN VLTIMA PAR- *te Lamentationis ſecundæ, Propheta textum ponit precatiõis ad Deum: qua nititur diuinam permouere miſericordiam, allegando*

- DIVINAM *magnificentiam, & vilitatem propriam. verſ. Vide Domine & conſidera, quem vindemiaueris ità &c. d. cap. 2.*
- INFELICITATEM *multam iam perpeſſam, videlicet Quòd*
  - *Mater comederit filios.*
  - *Propheta & ſacerdos occiſi ſint in ſanctuario.*
  - *Nulli ætati pepercerit gladius.*
- HOSTIVM *& aduerſariorum immanitatem atq; malitiã. Quo magis Deus compatiatur. verſ. Vocâſti quaſi ad diem ſolennem. vſque in finem, cap. ſecundi.*

PLANCTVS HIEREMIAE TERTIVS.

ARGVMENTVM.

HAEc pars primùm calamitatem gentis Iudææ, ſeu potiùs humani generis deflẽdo pronunciat: Deindè ſacramentum Dominicæ incarnationis ac paſſionis maniſeſtè exprimit: vbì Iudæorum perſecutio, & innocentis Chriſti pœna, ac mors deſcribitur. Hieron. in procem. 2. lib. Commentar. in Lamentation. & in ipſo libro Commentar. 2. in cap. 3. ſic ait: Conqueritur ergò populus fidelis paupertatem ſuam in correptione indignationis Domini: Quia plurimos à ſtatu rectæ fidei & ſtudio bonorum operũ in tenebras erroris & vitiorum barathrum cernit deuolui. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Dicit autem idem Hiero. hoc alphabetum trimetro ſcriptum, & à ternis literis, ſed eiſdem, ternos verſus incipere. Hieron. in d. Procem. *Matt. 20.*

PARTITIO LAMENTATIONIS TERTIAE.

TAB. 198.

HVIVS LAMENTA-*tionis duplicem tradunt intellectũ:*

- VNVM, *quòd deploret hoc in loco Propheta ipſius populi captiui afflictionem, vel ſuam ipſius in carcere & lacu conſtituti.*
- ALTERVM *literæ magis conſonum & appoſitum, quòd Chriſti potius lugeat paſſionem.*

SECVNDVM PRIMVM INTELLECTVM.

TAB. 199.

PROPHETA *induit perſonã, modò*

- DEPINGENTIS *& deplorantis ſuam miſeriam, cap. 3. à verſ. 1. Ego vir videns. vſque ad verſ. Et dixi, Recordare paupertatis &c.*
- EXPECTANTIS *& implorantis Dei auxilium atque clementiam. à d. verſ. Recordare. vſque ad verſ. Pars mea Dominus &c.*
- CONFIDENTIS *firmiter & expectantis Dei beneuolentiam. à d. verſ. Pars mea. vſque ad verſ. Quis eſt iſte qui dixit &c. Vbi ad longum oſtendit, bonum eſſe, Dei cauſa opprobrijs ſaturari, nec ideò minùs ſperandum eſſe.*
- REPROBANTIS *falſum iudicium atque ſententiam eorum, qui hæc caſu potiùs huic populo, quàm Dei ordinatione & iuſta animaduerſione contigiſſe autumant. à d. verſ. Quis eſt iſte, vſque ad verſ. Scrutemur vias noſtras &c.*
- CONFITENTIS *& pœnitentis ſuper iram, malitiam & culpam. à d. verſic. Scrutemur. vſque ad verſ. Inuocaui nomen tuum Domine &c.*
- ADSPICIENTIS *ſeu inuenientis atque iamiam captantis conſolationem diuinam. à d. verſ. Inuocaui. vſque in fin. Lamentationis tertiæ.*

IVXTA SECVNDVM INTELLECTVM.

TAB. 200.

CONVER-*tit ſe ad Chriſtum, ac illius acerbiſſimam iuxtà & indigniſſimam deplorat paſſionem. Quã ſexdecim perſequitur articulis, quibus agit de*

- DENVDATIONE *ſeu ſpoliatione, qua exuerunt eum omnibus veſtimentis atque ornatu. cap. 3. verſ. Ego vir videns &c.*
- CAPTIVITATE *& vinculis, quibus noctu à cohorte & tribunis alligatus eſt. verſ. Me minauit & adduxit in tenebras &c.*
- VEXATIONE, *qua per totam noctem in domo Annæ & Caiphæ fuit à Iudæis vexatus. verſ. Tantùm in me vertit &c.*
- PEDVM *ſuorum confoſſione. verſ. Circunædificauit aduersùm me &c.*
- VOCIFERATIONE, *qua clamauit in cruce, nec tamen exaudiri viſus eſt. verſ. Sed & cùm clamauero.*
- ILLVSIONIBVS *& blaſphemijs. verſ. Vrſus inſidians factus eſt mihi &c.*
- CIBATIONE *& potatione, ex vino myrrhato cum felle mixto. verſ. Repleuit me amaritudinibus &c.*
- SOLITVDINE *& deſtitutione ſiue defectione omnium, excepto latrone, de cuius conuerſione agit in verſ. Memoria memor ero &c.*
- COLAPHIS *& verberibus. verſ. Dabit percutienti ſe maxillam.*
- EFFVSIONE *lachrymarum in cruce, verſ. Oculus meus afflictus eſt.*
- MORTE, *ſepultura & lapidis obuolutione, verſ. Venatione ceperunt me &c.*
- EIVLATIONE *& fletu mulierum. verſ. Inundauerũt aquæ.*
- DESCENSIONE *ſua ad limbum. verſ. Inuocaui nomen tuum de lacu &c.*
- RESVRRECTIONE *ſua, verſ. Appropinquâſti in die &c.*
- MALITIOSA *Iudæorum machinatione, qui poſt reſurrectionem dederũt pecuniam militibus, vt dicerent corpus Ieſu à diſcipulis eius ſublatum eſſe. verſ. Vidiſti Domine iniquitatem illorum aduersùm me.*
- SVMPTO *propter illud peccatum à Iudæis ſupplicio, quo in hodiernum vſque diem affliguntur. verſ. Perſequeris in furore tuo &c.*

LAMENTATIO HIEREMIAE QVARTA.

ARGVMENTVM.

In hoc alphabeto, quod ſicut primum & ſecūdum, Sapphico metro decurrit, vt in cæteris caſum populi Iudaici, atque vaſtationem vrbis lamentabili voce propheta hiſtorialiter deplorat: ſpiritualiter autem lapſum animæ fidelis, atque ruinam in peccatis miſerabiliter plangit. Hierony. in proœm. lib. 3. Commentar. in Lamentat. Hierem.

IDEM dicto lib. 3. cap. 1. in princip.

Licet hæc hiſtorialiter, inquit, vrbis Hieroſolymitanæ deſtructionem, & templi cōcremationem videantur ſonare, vbi totus ille ornatus veterū diſſipatus eſt, & ad nihilum redactus: tamen altiori ſenſu templi myſtici deiectionem ſignificat, quod quotidie in reproborum vita & moribus obfuſcatur atque deſtruitur.

PARTITIO QVARTAE LAMENTATIONIS.

TABVLA 201.

PLANCTVS *quartus, quo propheta templi & diuini cultûs luget deſolationem, in 3. diuiditur partes:*
- DEPLORAT *templi & diuini cultûs deſolationem: à princip. cap. 4. vſq; ad verſ. Non crediderunt Reges &c.*
- INQVIRIT *cauſam huius deſolationis, & inueſtigat rationes. à dict. verſ. Non crediderunt.*
- PRAEDICIT *lætabundus futuram conſolationem. verſ. Gaude &c.*

PARS PRIMA LAMENTATIONIS QVARTÆ.

TABVLA 202.

IN PRIMA PARTE, *hoc eſt, in ipſius templi deploratione, Propheta luget quatuor:*
- APPARATVM, *quo ipſum templum erat inſtructum atque exornatum, d. cap. 4. verſ. 1. Quomodò obſcuratum eſt aurum, &c.*
- COETVM *atque frequentiam eorum, partim nobilium &c. qui in illud ingredi conſueuerant. verſ. Filij Sion inclyti &c.*
- NAZARAEORVM *ritus atque cælibatum, quo oblectabatur. verſ. Candidiores Nazaræi &c.*
- STRVCTVRAE *atque totius fabricæ ſtatū flammis penitùs abſumptum. verſ. Compleuit Dominus furorem ſuum &c.*

SECVNDA PARS QVARTAE LAMENTATIonis, quæ malorum iſtorum reddit cauſas.

TAB. 203.

CAVSAS AVTEM *huius deſolationis templi oſtendit fuiſſe has:*
- EFFVSIONEM *ſanguinis iuſti & innocentis Prophetarum, Zachariæ, Eſaiæ & aliorum. verſ. Propter peccata Prophetarum eius.*
- PRAESTOLATIONEM *humani, putà Aegyptiaci, auxilij potius quàm Dei. verſ. Cum adhuc ſubſiſteremus.*
- MORTEM & *interfectionem Chriſti. verſ. Spiritus oris noſtri Chriſtus.*

LAMENTATIONIS QVARTAE PARS TERTIA.

TABVLA 204.

CIRCA CONſolationem duo facit propheta:

- IRONICE *loquitur ad nationes vicinas & Idumæos. verſ. Gaude & lætare filia Edom &c.*
- VERISSIME *conſolatur Iudæos de reditu à captiuitate Babylonis. Quod tamen iuxta literam rectiùs accipiemus de cõuerſione Iudæorum ad fidem Ieſu Chriſti, quæ erit ſub finem mundi. verſ. vltimo, Completa eſt iniquitas tua.*

PARS THRENORVM SECVNDA,
id eſt, Oratio Hieremiæ.

ARGVMENTVM.

POST Lamentationem ergò (quæ literis Hebraicis ſecundùm ſeriem earundem literarum quadruplicem, opportunis locis, vt diximus, prænotata eſt) ſequitur oratio Prophetę, quæ vaſtationem vrbis Hierusalem, & caſum populi Iudęorum hiſtorialiter deplorat: Et ſpiritualiter ruinam animarum fidelium, & vaſtationem, quam paſſæ ſunt à nequitijs ſpiritualibus, flebiliter commemorat. Ad extremum verò, ipſius Domini opem & miſericordiam ſubuenire afflictis humiliter deprecatur. Hieron. hîc in proœm.

ORATIONIS HIEREMIAE ARTIFICIVM SIVE Methodus. TAB. 125.

CAPVT HOC *Quintum, & huius voluminis vltimũ, Orationem Prophetæ continet pro populo afflicto. In qua ità progreditur:*

- DEVM *ad clementiam & miſericordiam admodum piè commouet. verſ. Recordare Domine, capite quinto.*
- EXPONIT *multiplicem calamitatem & afflictionem Iudæorum. verſ. Hæreditas noſtra.*
- REÇITAT *iniurias multifarias, ab aduerſarijs illatas captiuis. verſic. Mulieres Sion &c.*
- DEPLORAT *priſtinam dignitatem atque conſolationem, quòd defecerit eos ſapientia cum rerum omnium excellẽtia & iucunditate. verſ. Senes defecerunt de portis.*
- AGNOSCIT *culpam, & iuſtam fatetur punitionem. verſ. Væ nobis quia peccauimus.*
- PRAEDICAT *diuinam maieſtatem, in æuum omne permanſuram. verſic. Tu autem Domine in æternum &c.*
- ITERVM *confugit ad benignitatem diuinam, quam pro celeri implorat populi reductione & reditu. verſic. Quarè in perpetuum obliuiſceris &c. ſeu ꝑ conuerſione ad fidem Chriſti. verſ. Conuerte nos Domine &c.*
- CONTEMPLATVR *diuinam ſeueritatem, atque indè cernit nõ ità celeriter ſuas admitti preces. verſ. Sed proijciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer. d. cap. 5. & vltimo.*

PROPHETIA

PROPHETIA BARVCH, LIBER BIBLIAE XXIX, QVINTAE PARTIS TERTIVS.

CONTINVATIO.

Si ordinem reſpiciamus temporum, hic liber proximum obtinet locum poſt hiſtoriam Tobiæ, quæ temporibus Ezechiæ contigit. Fuit autem Baruch ſcriba Hieremiæ, & librum hunc, dempta epiſtola Hieremiæ, poſt Hieroſolymorum deſtructionem conſcripſit. adiunxitque ad verba Hieremiæ, quæ anteà ſcripſerat, Vide Lyranum in cap. 1.

BARVCH QVIS FVERIT.

Filivs erat Neriæ filij Maaſiæ, hîc cap. 1. & à tempore Ioakim filij Ioſiæ, ſcriba ſiue notarius fuit prophetæ Hieremiæ, 36. Hiere. Refert hoc ipſum beatus etiam Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 18. cap. 33.

MYSTICA HVIVS NOMINIS INTERpretatio D. Hieronymi.

Barvch, in lingua noſtra benedictus dicitur, qui erat filius Neri, qui interpretatur lucerna mea, dicente propheta: Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen ſemitis meis ardens, Pſal. 118. Neri quoquè pater Baruch, filius Maaſiæ, id eſt, factura & operis Domini. Animaduertamus ergò, quantis virtutum priuilegijs diſcipulus Baruch Hieremiæ miniſtrauerit, dicente Dauid: Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat, Pſal. 100. Hieron. in 32. cap. Hieremiæ.

QVO TEMPORE PROPHETAVERIT.

Hiervsalem per Chaldæos iam deſtructa, deſcendit cum Hieremia Baruch in Aegyptum, poſt interfectionem ſcilicet Godoliæ, Hier. 43. atque tunc ſcripſit ea, quæ per quinque habentur huius libri capita. Nam epiſtolæ illius, quæ in ſexto continetur capite, Baruch non author, ſed ſcriptor tantùm fuit ante Hieroſolymæ excidium. Vide Lyranum in Baruch cap. 1. & 6.

IVDICIVM DIVI HIERONYMI DE PROPHETIA Baruch, in præfatione ad Hieremiam.

Libellvm autem Baruch, qui vulgò editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, & ψευδέγγραφον epiſtolam Hieremiæ, nequaquàm cenſui diſſerẽdam. Quibus verbis apertè indicat, id quod communiter dicitur, librum iſtum, qui Baruch nomine prænotatur, in Hebræo canone non haberi, ſed tantũ in vulgata editione, ſimiliter & epiſtolam Hieremiæ. Propter notitiam tamen legentiũ hîc ſcripta eſſe, quia multa de Chriſto nouiſſimisque temporibus indicant, vt habet Præfatio in Baruch.

CENSVRA DE EODEM, IOAN. LVdouici Viuis.

Sed Ioannes Ludouicus Viues, vir noſtra ætate doctiſſimus, in Auguſtin. De ciuitate Dei lib. 18. cap. 33. hunc librum in Eccleſia receptum eſſe teſtatur, in hæc verba: Hieremias, inquit, in libro ſuorum vaticiniorum, Baruch ſcribam & miniſtrum fuiſſe ſuum ſignificat: cuius extat breuis prophetia, quam Eccleſia recepit, quoniam de Chriſto & poſtremis temporibus pleraque continet. Viues.

SANCTI PATRES, QVORVM TESTImonijs hic liber probatur Authenticus. TAB. 206.

EPIPHANIVS.

BARVCH *propheticæ, ſub nomine ac titulo Hieremiæ Prophetæ, quaſi nullam inter vtrunque differentiam conſtituens, meminit Epiphanius contra hæreſim trigeſimam, quæ eſt Ebionæorum, illo loco, quo de Chriſto inquit: Homo eſt, & quis cognoſcet eum?*

AMBROSIVS.

MEMINIT *eiuſdem Ambroſius in Pſalm. 118. Sermone 18. illo loco, Proficiſcimini &c.*

CYRILLVS.

ITEM *Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianũ Apoſtatam, illo loco, In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

PARTITIO PROPHETIAE BARVCH.

TAB. 207.

DIVIDITVR *hic liber in*
- PROPHETIAM *ipſius Baruch,*
- ET *Epiſtolam Hieremiæ.*

DE PARTIBVS PROPHETIAE BARVCH.

TAB. 208.

HVIVS *Prophetiæ hæ ferè ſunt partes:*
- PRIMO *omnium propheta commemorat populi captiui in Babylonè ſtudium placandi Deum per*
  - OBLATIONEM *& ſacrificia, à princip. cap. 1. vſque ad verſic. Et dicetis Domino Deo &c.*
  - CONFESSIONEM *omnium peccatorum ſuorum & iuſtitiæ diuinæ. à dict. loco vſque ad verſic. Auerte iram tuam à nobis, cap. 2.*
  - ORATIONEM *& ſupplicationem feruentem. indè vſque ad verſ. Audi Iſrael, cap. 3.*
- DEINDE *ſubijcit propheta ſalutarem admonitionem, ab illo loco, Audi Iſrael, vſq. ad, Obliti eſtis &c.*
- POSTEA *habet querelam ſiue Lamẽtationem ciuitatis Hieruſalem ſub figura nutricis, deſiderantis reditum captiuorum. verſ. Obliti enim eſtis. vſque ad verſ. Animæquior, circa finem cap. 4.*
- QVIBVS *tandèm pro conſolatione adijcit, Promiſſionem iocundam, regalem atque diuinam mox Hieroſolymæ aduenturam. à d. verſ. vſque in finem cap. 5.*

DE EPISTOLA HIEREMIAE ET EIVS partibus.

TABVLA 209.

IN HAC EPISTOLA *q̃ habetur in 6. & vltimo huius libri capite, Hiere. inſtruit captiuos in Babylone. Quæ in 3. ſubdiuiditur partes. In q. bus*
- B) PROHIBETVR *idololatria, verſ. Nunc autem videbitis &c. eod.*
- A) NARRATVR *captiuitatis huius cauſa, à princip. cap. 6. vſque ad verſ. Nunc autem &c.*
- C) DETEGITVR *idolorũ falſitas & ignominia. verſ. Nam ligna ipſorum polita à fabro &c. eod.*

PROPHETIA EZECHIELIS, LIBER BIBLIAE XXX, QVINTAE PARTIS *Quartus.*

QVIS FVERIT HIC PROPHETA

Ezechiel(quem GregoriusNazianzenus in oratione ad Hieronem inter Prophetas admirandum dicit & ſubtiliſſimum,in Apologetico verò magnorum vocat inſpectorem, & myſteriorum ac viſionum interpretem) & Propheta erat & Sacerdos. Author operis imperfecti in Matthæũ 22.Homil.41. Interpretatur aũt hoc nomen Ezechiel,fortitudo Dei. Gregor.in Ezechiel.Homil.2.

CVR EI FRONS DATA FVERIT ADAMANTINA.

Data ei fuit frons adamantina, quòd dura quæ ventura erant, locuturus eſſet, Ezech.3.Vndè & ſibi & alijs dicitur fuiſſe durus. Gregor.in 1.Regum cap.9.lib.4.

VBI PROPHETAVERIT.

Simul cum Daniele in captiuitate fuit populi Iudaici in Babylone,quod ex eius ſcriptis apertè colligitur.Auguſt.in Pſal.64.& in lib.18.De ciuitat.Dei,cap.34.ac ibi etiam Viues.

QVANDO PROPHETAVERIT.

Secutus eſt Hieremiam,& prophetare cœpit anno quinto tranſmigrationis Iechoniæ:qui idem annus regni erat Sedechię.Hieron.in Hierem. lib.5. cap.29. triceſimo ætatis ſuę anno. Idem Hieron.hîc in Prolog.Abſoluit autem Prophetiam ſuam annis 20. Gregor.in Ezechiel.homil.13.

DE MYSTICA EIVS AETATIS INTERPRETATIONE.

Non fruſtrà in trigeſimo anno prophetat Ezechiel. Nam & nomen eius figura Chriſti eſt. Interpteratur quippe Ezechiel imperium Dei.imperium autem Dei, nullus eſt,niſi Chriſtus Ieſus. Filius quoquè Buzi ſcribitur, quod interpretatur contemptus.Si venias ad hæreticos,& audias eos ſpernentes,& pro nihilo ducètes creatorem, & inſupèr etiam criminantes, videbis iuxta illos contemptiſſimi creatoris filium Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum.Origenęs in Ezech. Hom.1.

DE PROPHETIS SIBI CONTEMPORANEIS.

Contemporaneus ei fuit,vt dictum eſt,Daniel,& confirmat hoc idem Auguſtinus de Ciuitat.Dei,lib.18.cap.34.In ipſa porrò captiuitate Babylonica, inquit, Daniel & Ezechiel prophetauerũt priùs,alij ſcilicet duo ex maiorib[9] prophetis.

QVIBVS PROPHETAVERIT.

Patet hoc ex verbis D.Hieron.quibus auſpicatus eſt ſuum in hunc prophetam prologum.Ezechiel propheta,inquit,cum Ioachim Rege Iuda captiuus ductus eſt in Babylonẽ,ibiq; eis,qui cum eo captiui fuerant, prophetauit pœnitentibus quòd ad Hieremiæ vaticinium ſe vltrò aduerſarijs tradidiſſent,& viderent adhuc vrbem Hieroſolymam ſtare,quam ille caſuram eſſe prędixerat.Hæc Hieron.Prophetauit etiam contra Prophetas Iſraelis,& conteſtatus eſt Hieruſalem de iniquitatibus & peccatis ipſius. Vide hinc plura apud Athanaſ.in Synopſi.

QVID PROPHETARIT.

Evndem ferè habet concionis ſuæ ſcopum,quē habuit Hieremias.Nam & Hieruſalem prædicit vaſtationem atque abductionem populi,& cauſas mõſtrat huius mali,ac ſedulò ſuos concaptiuos,ad ſeriam hortatur pœnitentiam,vt ex infrà poſita patebit tabula.

DE GENERE MORTIS.

AVTHOR operis imperfecti in Matthæum, cap.23. Homilia 46. refert, hunc Prophetam ſuper lapides tractum, excerebratum eſſe.

DE PROPHETAE HVIVS DIFFICVLTATE.

HVIVS prophetę difficultatẽ Hebræorum probat traditio. Nam niſi quis apud eos ætatem ſacerdotalis miniſterij, id eſt, triceſimum annũ impleuerit, nec principia Geneſeos, nec Canticum canticorum, nec huius voluminis exordium & finem legere permittitur, vt ad perfectam ſcientiam & myſticos intellectus, plenũ humanę naturę tempus accedat. Hieron. in Procemio lib. 1. Commẽtar. in Ezechielem.

PARTITIO PROPHETIAE EZECHIELIS.

TABVLA 210.

OPVS *huiꝰ Prophetæ, ſeptẽ habet Partes:*

- ORACVLVM *ingens de præpotente Deo, ſedente ſuper thronum poſitum ſuper firmamentum, quod imminebat quatuor animalibus, quibus quatuor monarchiæ ſignificabantur, cap. 1.*
- MISSIONEM *Ezechielis Prophetæ, demandatumq́ illi grande munus pdicandi, cap. 2. verſ. Fili hominis, mitto ego te, & toto 3. cap.*
- COMMINATIONEM *iudicij, & pœnarum, quæ nũciat Iudæis obuentura, videlicet*
  - OBSIDIONEM *& famem Hieruſalem, cap. 4.*
  - CAPTIVITATEM *atque diſperſionem populi, cap. 5.*
  - DEPOPVLATIONEM *ac deſolationem regionis, cap. 6. & 7.*
  - ENVMERATIONEM *abominationem atque ſcelerum, quæ fiebant Hieroſolymæ & in templo, cap. 8.*
  - EVERSIONEM *ciuitatis ac templi cõbuſtionem, cap. 9. & 10.*
  - ANIMADVERSIONEM *in Principes, Reges & Prophetas, cap. 11. 12. & 13.*
  - EXCLVSIONEM *omnis de ferẽdo remedio cõſolationis, ca. 14.*
- MVLTITVDINEM PECCATORVM *vrbis Hieruſalem, atque totius Iudaici populi, quibus tot tantaque ſupplicia commeruëre, cap. 15. Quæ innuit ſub parabolis*
  - VITIS, *cap. 15.*
  - SPONSAE *deformis, cap. 16.*
  - AQVILAE *grandis, cap. 17.*
  - VVAE *acerbæ & agreſtis, cap. 18.*
  - LEAENAE *& leonis, cap. 19.*
  - SALTVS *& nemoris comburendi, cap. 20.*
  - GLADII *elimati, cap. 21.*
  - SCORIAE *ſtanni, ferri & æris, cap. 22.*
  - DVARVM *vnius fœminæ filiarum, cap. 23.*
  - OLLAE *æneæ, & pinguis animalis, cap. 24.*
- DENVNCIATIONEM *excidij etiam aliarũ nationum*
  - *Ammonitarũ,*
  - *Tyriorum,*
  - *Aegyptiorũ.*
  - *à cap. 26. vſque ad cap. 33.*
- PROMISSIONEM *futuræ conſolationis, & populi captiui ab exilio reuocationem, à cap. 33. vſque ad cap. 40.*
- STRVCTVRAM *ſolemnis tabernaculi & noui templi, à cap. ſcilicet 40. vſq. in finem Ezechielis.*

PRO-

PROPHETIA DANIELIS, LIBER BIBLIAE XXXI, QVINTAE PARTIS *Quintus*.

DE DANIELIS ORIGINE, EX EPIPHANIO.

Daniel Propheta ex tribu quidem fuerat Iuda, genere optimatum, Regię adminiſtrationis filius, adhuc infans puſio, è Iudæa in Babylona perductus eſt. Prognatus autem in Bethebero ſuperiore, haud procùl à Hieroſolymis. Epiphanius De Prophetarum vita & interitu.

DE EADEM, EX HIERONYMO.

Daniel fuit de genere Dauid, ſi tamen, vt Hebræis placet, de ſemine regio fuit. Hieron. in Danielem poſt principium, & de filijs fuit Iuda, non ſacerdos, ſicut in fine Belis fabula continet. Idem in Daniel. cap. 2.

DE VOCATIONE EIVS AD MVNVS PROPHETANDI.

Qvoniam, inqt Auguſtinus, cùm eſſet ſpiritu Dei plenus, & prophetiæ munere cōdonatus, q̄ hominibus cęteris fiebāt incognita, ipſi Deus demōſtrabat. Auguſtinus De mirabilibus ſacrę ſcripturę, lib. 2. cap. 30. Quæ deſumpta vidētur ex Antiquitatibus Ioſephi, lib. 10. cap. 12. vbì ſic ait: Pręcipuè tamē Daniel ſapiētia erat idoneus, & ad ſomniorū interpretatiōes exptus, eiq; reuelabatur aptè diuinitas.

DE FORMA HVIVS PROPHETAE, ET moribus eiuſdem.

Vir adſpectu quidem aridiſſimus, ac ſqualore obſitus, in fauore autem ac gratia Domini perquàm ſpecioſus. Epiphanius de prophetar. vita. De cuius vita, pietate, ieiunijs & alijs dotibus præclaris, ſi quis plura nôſſe cupiat, Ioan. videat Chryſoſto. De incompræhenſibili Dei natura, Homil. 3. Gregor. certè de illo loquens in Moralibus in Iob, lib. 1. cap. 13. Quid per Danielem, inquit, (cuius mira abſtinētia deſcribitur) niſì continentium vita figuratur?

DE EIVS SAPIENTIA ET AVTHORITATE.

Maximo in precio habitus eſt ſapientię nomine à Balthaſare vltimo Chaldęorum Rege, & deindè apud Darium Medum gratioſiſſimus, vt in libro ipſius Danielis & Ioſephi de Antiquitatibus 10. legimus. Ioan. Lud. Viues ſuper Auguſt. de Ciuitar. Dei lib. 18. cap. 34.

DE NOMINIS SVI MVTATIONE.

Ex Daniele Balthaſar vocatus eſt. Et hoc nomen illi inditū fuit, vel (vt Ioſephus refert, lib. 10. cap. 12.) à Rege Nabuchodonoſor, vel (vt putat Ioannes Lud. Viues in Auguſt. De ciuitar. Dei, lib. 18. cap. 34.) ab eunucho regio, cui puerorum erat demādata cura. Hoc certū eſt, illū in Babylonia Balthaſarē fuiſſe dictū. Origenes in Num. cap. 31. homi. 25. Ab archāgelo aūt Gabriele, vir dicitur deſideriorū, ſiue amabilis & Dei amore dignus, Dan. 9. & ibì Hieron. Quo nomine etiamnū in hodiernū diē apud ſanctos Patres appellari ſolet. Orig. in epiſt. ad Rom. lib. 6. cap. 8.

VBI ET QVANDO PROPHETAVERIT.

Ivxta ſentētiam ſacræ hiſtoriæ communem, Daniel tempore captiuitatis prædicauit in Babylone. Cui etiam ſuffragatur B. Auguſtinus: Quo, inquit, tempore (captiuitatis putà Babylonicæ) Daniel, quem in primordio captiuitatis vnum de obſidum numero poſuimus, in Babylone ex Iudæorum ſtirpe, illuſtri fama clarebat. Auguſt. De mirabilibus Sacrę ſcriptur. lib. 2. cap. 30.

QVID ET QVIBVS PROPHETAVERIT.

Eidem populo p̄dicauit Iudaico, cui contēporaneus ſuus prophetauit Ezechiel: ac impijs quidē p̄dicit deſtructionē, pijs verò certā promittit, ac digito quaſi demōſtrat liberationē. Quo aūt hoc faciat ordine, & qua occaſione, infrà ſcripta latiùs declarabit Partitio.

GENVS

GENVS MORTIS, EX EPIPHANIO.

Tvnc igitur Babylone ex hac vita diſceſſit Daniel vir ſanctus in pace. Et humatus eſt in anguſta cauerna honoribus magnis. Extat monumentum ipſius vſque ad hoc ſeculum noſtrum,in Babylone cunctis notiſſimum. Epiphanius De Prophetar.vita & interitu,in vita Danielis,in fine.

DE SCRIPTIS DANIELIS, ET AN LIBER eius ſit Authenticus.

D. Hieronymvs Porphyrium negare dicit hunc librum eſſe Danielis,in præfatione Commentar.in Daniele. Porrò in Apologia aduersùs Ruffinum ait ſe non negâſſe Danielem eſſe prophetam,vt quem ſtatim in fronte prologi prophetam eſſe confeſſus ſit:ſed quid Hebręi dicerent,& quibus argumentis ſuam niterērur probare ſententiam,voluiſſe monſtrare:& docuiſſe lectorē,eccleſias Chriſti hūc Prophetam,iuxta Theodotionem legere,& non iuxta ſeptuaginta tranſlatores. Et poſt pauca: Quòd autem refero,inquit,quid aduersùm Suſannę hiſtoriam, & hymnū trium puerorū,& Belis draconisq; fabulas, q̄ in volumine Hebraico non habentur,Hebręi ſolcanr dicere:qui me criminatur ſtultū,ſe ſycophantā probat. Non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſoleant, explicaui. Hæc Hieron.

ALIVD D. HIERONYMI DE HOC LIbro teſtimonium.

Illvd in præfatione cōmoneo,nullum Prophetarū tam apertè dixiſſe de Chriſto. Non enim ſolùm ſcribit eum eſſe venturū,quod eſt cōmune cum cęteris, ſed etiam quo tempore venturus ſit, docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat,ac manifeſtiſſima ſigna prænunciat. Idem.

DE GENERE ORATIONIS, ET QVO STYLO editus ſit hic liber.

Liber Danielis vſque ad capitulum octauum,Chaldaico Syriacoque ſermone conſcriptus eſt, Cętera quę ſequuntur vſque ad finem voluminis,Hebraicè legūtur. Hiero.in Daniel.cap.7.in fine.

DE TRANSLATIONIBVS EIVSDEM.

Hieronymvs in dicta Apologia aduersùs Ruffinum tradit quatuor huius libri in promptu eſſe editiones,Aquilæ,Symmachi,Septuaginta,& Theodotionis. Ex quibus Eccleſię receperūt Theodotionis interpretationem, qui vtiquè poſt aduentum Chriſti incredulus fuit:illa interìm,quæ illis 70. aſſcribitur viris,poſthabita:eò ꝙ à veritate multùm diſcordet, & ob id recto iudicio ſit repudiata. Vide Hieron.in Pręfatione Commētar.in Danielē,& in alia Pręfatione in ipſum Danielem.

CAVSA, CVR LXX. INTERPRETVM editio à vero aberrauerit.

Idem Hieron.in prologo huic lib.præfixo monet,Danielem maximè & Eſdram Hebraicis quidem literis,ſed ſermone Chaldaico conſcriptos. Iam an ipſi LXX. noluerint Chaldaicæ linguæ lineas in tranſlatione ſeruare, an verò ſub nomine eorum,ab alio non ſatìs Chaldęam linguā ſciente editus ſit liber, ignorare ſe dicit:ſe tamen Eccleſiæ iudicium ſecutum confitetur. In citato priùs loco aduerſ. Ruffinum.

PARTITIO PROPHETIAE DANIELIS.

TABVLA 211.

PROPHETIAE HVIus Pars alia eſt iuxta Hebræos
- canonica, *quæ in Hebræorum Canone inter Sacros numeratur libros.*
- apocrypha, *quæ non itidèm in Hebræorum Canone comprehenſa eſt.*

PRIMÆ

PRIMAE PARTIS SVBDIVISIO.

TABVLA 212.

IN PARTE *huiꝰ Prophetiæ prima, ſunt in ſumma hæc tria.*

- OSTENDITVR *Danieli collatum*
  - DONVM *intellectûs & ſapientiæ, cap. 1. verſ. Dedit autem Deus Danieli.*
  - VT *poſſit intelligere*
    - *Somnia, cap. 2.*
    - *Viſiones, cap. 3.*
    - *Audita, cap. 4.*
    - *Scripta, cap. 5.*
- PROBATVR *ſanctimonia Danielis, dum iuſſu Regis, quòd eum adorare nollet, in lacum leonum proiectus, ſaluus & incolumis euadit, cap. 6.*
- EXPROmitur *prophetia de*
  - SVCCESSIONE *quatuor monarchiarum & regnorum ſub ſpecie quatuor beſtiarum, itemque de regno Chriſti tanquàm quinto, cap. 7.*
  - DESTRVCTIONE *regni Medorum, & erectione ſiue introductione regni Græcorum ſub figura arietis & hirci, cap. 8.*
  - REDVCTIONE *Iudæorum ex captiuitate, & ibi, tam de aduentu, quàm morte Chriſti ſub myſterio 70. hebdomadarum, cap. 9.*
  - DEVASTATIONE *regni Græcorum, & perſecutione Machabæorum, vbi etiam agitur de Antichriſto, cap. 10. & 11.*
  - RESVRRECTIONE *& Iudicio ſupremo, cap. 12.*

DE SECVNDA HVIVS PROPHETIAE PARTE.

TABVLA 213.

HIERONYMVS IN *dicto Prologo in Danielem, huius partis dicit eſſe*

- HYMNVM *trium puerorum,*
- HISTORIAM *Suſannæ,*
- BELIS *& draconis fabulas.*

De quibus agitur in cap. III. XIII. XIIII.

DE VA-

DE VARIIS ADVERSVS HAEC SCRIPTA *Calumnijs.*

MVLTA aduerſùs hunc librum ſcripſit impius Porphyrius. Vt autem eius calumnijs per Euſebium, Apollinarium & Methodium abundè ſit occurſum, vide ipſum Hieron. in vtroque Prologo, tam in Danielē, quàm in ſuos ſuper eo commentarios.

QVOD D. HIERONYMI DE HIS PARTIBVS fuerit Iudicium.

QVAE verò ipſius hac de re ſententia fuerit Hieronymi, id abundè ſatis, grauiſſima eius declarat aduerſùs Ruffinum Apologia, vbi ſic ait, quemadmodùm etiam paulò ſuprà commemoratum eſt: Quòd autem refero, quid aduerſùm Suſannæ hiſtoriam, & hymnum trium Puerorum, & Belis draconiſque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi ſoleant dicere: Qui me criminatur ſtultum, ſe ſycophātam probat. Non enim, quid ipſe ſentirem, ſed quid illi cōtra nos dicere ſoleant, explicaui &c. Atque ſic intelligenda eſt etiam D. Auguſtini de his capitibus ſententia, cùm ait: De lacu verò iterùm, & Abacuc tranſlato in Belis & draconis fabula, idcircò in hoc ordine nō ponitur, quòd in authoritate ſcripturæ diuinę (ſecundùm Hebręos videlicet) non habentur. Auguſtin. de mirabilibus ſacrę ſcripturę, lib. 2. cap. 32.

ADHVC ALIA DE EISDEM SCRIPTVRIS TEſtimonia, & primùm de Hymno trium Puerorum, ex Concilio Toletano.

TRIVM puerorum hymnum, in quo vniuerſa cęli & terræ creatura Deum collaudat, vt docet Concilium Toletanum quartū, Eccleſia tota Catholica per totum orbem diffuſa celebrat. Vide etiam hinc duas B. Chryſoſt. homil. Tom. 1.

DE HISTORIA SVSANNAE, TESTImonium Origenis.

HISTORIAM Suſannę, Hebręi de Catalogo diuinorum voluminum deſecârūt. Nos autem & ſuſcipimus & opportunè contra eos proferimus. Auguſtinus certè hanc hiſtoriam, atq; adeò totū caput 13. Danielis, exponit Tractat. 36. in Euangelio Ioannis.

DE BELIS DRACONISQVE HISTORIA.

MERSIO Danielis in lacum leonum, adducitur ab Ambroſio ſermone 18. in Pſal. 118. Medina de recta in Deum fide, lib. 6, cap. 9.

DE MINORIBVS PROPHETIS, ET PRIMVM,

QVARE HOC NOMINE APPELLENTVR.

TABVLA 214.

RELIQVI DEHINC PROphetarum, *communiter dicuntur minores,*
- PROPTER *breuitatem voluminum, vt ait Auguſtinus in ſpeculo de Prophetis minoribus: & quòd eorum ſermones ſint breues, in eorum comparatione, qui maiores vocãtur. Idem Auguſtinus de ciuitate Dei, lib. 18. cap. 29.*

VERISIMILE *eſt enim, pro Concionum vel magnitudine vel breuitate, Prophetas alios maiores, alios verò dictos fuiſſe minores, potiùs quàm à gratia vel abundantiori vel minori. Conſtat enim, poſteriores Prophetas, quales aliqui ſunt, etiam ex minoribus non minùs luculẽtas habuiſſe reuelationes de Chriſto, quàm priores. Vide Auguſtinum de ciuitat. Dei, lib. 18. cap. 29. & in ſpeculo de Prophetis minoribus.*

DE NVMERO ET ORDINE PROPHEtarum minorum.

TABVLA 215.

PROPHETAS *minores eſſe duodecim, inter omnes conuenit. Non idem tamen eorum eſt apud omnes ordo: ſed aliter eos numerant*

- SEPTVAGINTA *interpretes, qui ponunt*
  - PRIMVM *Oſee.*
  - 2. *Amos.*
  - 3. *Michæam.*
  - 4. *Ioel.*
  - 5. *Abdiam.*
  - 6. *Ionam.*
  - 7. *Nahum.*
  - 8. *Abacuc.*
  - 9. *Sophoniam.*
  - 10. *Aggæum.*
  - 11. *Zachariam.*
  - 12. *Malachiam.*
- HEBRAEI, *qui collocãt Prophetas minores hoc ordine, quos Hieron. ſequitur:*
  - 1. *Oſeam.*
  - 2. *Ioel.*
  - 3. *Amos.*
  - 4. *Abdiam.*
  - 5. *Ionam.*
  - 6. *Michæam.*
  - 7. *Nahum.*
  - 8. *Abacuc.*
  - 9. *Sophoniam.*
  - 10. *Aggæum.*
  - 11. *Zachariam.*
  - 12. *Malachiam.*

  QVOS *nos iuxta interpretationẽ D. Hieron. in prologo Commentari. in Ioel, poſſumus dicere*
  - 1. *Saluatorem.*
  - 2. *Incipientem.*
  - 3. *Portantem.*
  - 4. *Seruum Domini.*
  - 5. *Columbam.*
  - 6. *Quẽ quaſi, aut, quẽ veluti.*
  - 7. *Conſolationem.*
  - 8. *Amplexantẽ, ſiue luctantẽ.*
  - 9. *Arcanum Domini.*
  - 10. *Feſtiuum, ſiue ſolemnẽ.*
  - 11. *Memoriam Domini.*
  - 12. *Nuncium meum.*

N O T A.

EX his poſteriores ad tempus Chriſti appropinquantes, habuerunt clariores reuelationes de Chriſto, quàm priores. Gloſſ. 1. Reg. 3.

DE NVMERO ET ORDINE REGVM Iſrael & Iuda. TABVLA 216.

REGVM NOMINA SVNT ALIA.

DECEM TRIBVVM,	DVARVM TRIBVVM.
HIEROBOAM.	ROBOAM.
NADAB.	ABIA.
BAASA.	ASA.
HELA.	IOSAPHAT.
ZAMRI.	IORAM.
AMRI.	OCHOZIAS.
ACHAB.	ATHALIA.
OCHOZIAS.	IOAS.
IORAM.	AMASIAS.
IEHV.	OZIAS, *ſeu Azarias.*
IOACHAZ.	IOATHAM.
IOAS.	ACHAZ.
HIEROBOAM.	EZECHIAS.
ZACHARIAS.	MANASSES.
SELLVM.	AMON.
MANAHEM.	IOSIAS.
PHACEIA.	IOACHAZ.
PHACEE.	IECHONIAS, *qui & Ioakim.*
OSEE.	IOACHIN.
	SEDECHIAS.

DE VARIIS TRIBVVM APPELLATIONIBVS, DEq; carũ in prophetis minoribus vſu Regulę tres. ex Prolog. in lib. 12. Prophetarũ.

PRIMA REGVLA.

QVOTIESCVNQVE *ad X. tribus tenditur Prophetia, ſub his nominibus deſignantur, id eſt,*
- *Ephraim.*
- *Samaria.*
- *Iſrael.*
- *Ioſeph.*
- *Iezrael.*
- *Bethel.*
- *Bethauen.*
- *Et interdum Iacob.*

SECVNDA REGVLA.

QVANDO AVTEM AD *duas loquitur tribus, ſub his nominibus ſermo profertur, id eſt,*
- *Iuda.*
- *Hieruſalem.*
- *Beniamin.*
- *Domus Dauid.*
- *Et interdum Iacob.*

TERTIA REGVLA.

ALIQVOTIES *Iſrael ad totas duodecim Tribus refertur.*

QVOD LIBER XII. PROPHETARVM MINORVM, vnum ſit volumen.

VOLVMEN duodecim Prophetarum minorum, vnus eſt liber: vel, vt eſſent apud Hebræos tot libri quot ſunt literæ Alphabeti: vel ſecundùm Iſidorũ propter ſermonum breuitatem. Vndè etiam, vt notatum fuit, dicuntur Minores, quòd breues ſint, & ſibi inuicèm ea cauſa connexi. In expoſitione Prologi ad librum Oſeæ.

MINORVM PROPHETARVM OFFICIA diſtributa.

TABVLA 217.

PROPHEtarum, quos minores dicere ſolemus, alij funguntur ferè officio

- COMMINANtis captiuitatem &c. Vt ſunt
  - OSEE, IOEL, AMOS, MICHAEAS.
  - Qui comminantur
    - Vtrique regno, Iſraelitico & Iudaico.
    - Duabus tantùm tribubus, ſeu (vt ait Hieronymus) Regno Iudaico.
    - Non iſtis duobus tantùm Regnis, ſed vicinis etiam Regnis omnibus.
    - Regno principaliter Iſraelitico, eò q alteri regno fuerit cauſa erroris.
- CONSOLANTIS, quo ad Iudæos, (reliqu enim nationibus fuerũt & biminaces) Quorũ ſimiliter ſunt quatuor:
  - ABDIAS, IONAS, NAHVM, ABACVC.
  - QVI ꝓphetias, ſuas texũt contra
    - Regnum Idumæorum, qui nati erãt de Eſau, & æmuli Iſraelitarum.
    - Niniuen & Regnum Aſſyriorum.
    - Eoſdem, à pœnitentia ad prædicationem Ionæ ſuſcepta, iterùm declinantes, & x. tribus in captiuitatẽ abducentes.
    - Nabuchodonoſor & Regnũ Chaldæorum, à quibus captæ ſunt duæ tribus reliquæ.
- REVOCANTIS à captiuitate Babylonica. Quorũ itidèm ſunt quatuor:
  - SOPHONIAS, AGGAEVS, ZACHARIAS, MALACHIAS.
  - Qui ꝓdicauerunt liberationem. Et quidem
    - Primus, Futuram.
    - Secundus verò & tertius præſentem, & ob id exhortãtur populum, ad exitum è Babylone, & inſtaurationem Hieroſolymæ.
    - Quartus præteritam, hortans ad ſtudium pietatis.

HIERON. AD PAVLINVM.

DVODECIM Prophetæ in vnius voluminis anguſtias coarctati, multò aliud quàm ſonant in litera, præfigurant.

PROPHETIA OSEAE, LIBER BIBLIAE XXXII, QVINTAE PARTIS SEXTVS.

DE PROPHETAE HVIVS ORIGINE.

Osee Propheta filius Beeri, in Belomoth, vel ſecundùm Gloſſam in Botſchemetz, de proſapia tribûs Iſachar progenitus. Epiphan. De vita & interitu Prophetarum. Cuius nominis interpretationem Origenes annotauit his verbis: Oſeas filius Beeri, inquit, interpretatur ſeruatus: Beeri autem vox, ſonat puteos. Efficitur enim quilibet eorum, qui ſeruantur, Putei filius, quia ſapiētia Dei ex profundo ſcaturit &c. Hieron. vt dictum eſt, interpretatur eum ſaluatorem, in Prologo Commentar. in Iohelem.

HVNC PROPHETAM NON VERBO TANTVM propheta̅ſſe, ſed eius etiam facta, fuiſſe prophetica.

Qvòd Oſeas Dei iuſſu fornicariam duxerit in vxorem, in eo figuram gerit Chriſti: qui Patris iuſſa exequens, ex Gentiū fornicatione accepit in corpore ſuo Eccleſiam. Gloſſ. hîc cap. 1. poſt Principium. Quarè autē Deus Opt. Max. interdùm ea, q̄ſpeciem habent mali, fieri aut pręcipiat, aut permittat, vide elegantem diſputationem D. Hieron. in Prolog. Commentar. in noſtrum hunc Oſeam. Vbi cum eo ipſo Propheta ſic concludit: Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & cognoſcet ea?

VBI ET QVANDO PROPHETARIT. TAB. 218.

IN IVDAEA *& Hieruſalē prophetauit in diebus Regū*
- IVDA
  - OZIAE,
  - IOATHAM,
  - ACHAZ,
  - EZECHIAE:
  - Id eſt
    - *Fortitudinis Domini,*
    - *Conſummationis atque perfectionis,*
    - *Virtutis,*
    - *Imperij Domini.*
- ISRAEL, *Ieroboam, id eſt, moræ vel temporalitatis, filij Ioas, Regis Iſrael, cap. 1. hîc in princip. & ibi Hieron.*

SVPPVTATIO HORVM TEMPORVM, EX COMmentar. Hieron. in hunc Prophetam.

Azarias, qui vocatur & Ozias, de ſtirpe Dauid, regnauit in Hieruſalē ſuper duas tribus, quę appellabantur Iuda, annis 52. Cui ſucceſſit in Regnum filius eius Ioatham: Qui & ipſe regnauit annis ſedecim. Cuius anno vndecimo decem tribus, q̄ appellabantur Iſrael, captę ſunt à Salmanaſar rege Chaldæorum, & in Medorum montibus collocatę. Poſt Achaz regnauit filius eius Ezechias annis 28. Eo autē tempore, quo Ozias regnare cœpit ſuper Iudam, duodecimum annū ſuper Iſrael regnabat Hieroboam pronepos Iehu, cui Dominus repromiſerat vſq; ad quartā generationem ſobolem illius regnaturam, eò quòd percuſſiſſet duos Reges impios Iuda & Iſrael. Hieronymus in 1. cap. Oſeę.

DICTORVM VTILITAS PRIMA.

Haec ideò obſeruanda eſſe, tradit idem Hieron. vt intelligamus Oſee prophetā, & ante captiuitatem Iſrael, & poſt captiuitatem eius vaticinatum, & tam vicinā, quàm pręſentem & pręteritam, & denunciâſſe venturam, & luxiſſe ingruentem, & in emendationem Iudę retexuiſſe pręteritam. Idem loco memorato.

SECVNDA VTILITAS.

Deinde, vt perſpicuum fieret, prophetante Oſee regnum X. tribuum eſſe finitū: quod à primo Rege Hieroboam vſque ad vltimum Oſee permanſit, annis ducētis & quinquaginta. Idem.

SYN.

SYNCHRONI OSEAE QVI FVERINT.

CONTEMPORANEI eius fuerunt Eſaias, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, & Michęas. Hæc omnia ferè Hieron. in Oſeam, cap. 1. poſt principium.

QVID ET QVIBVS PRAEDICAVERIT.

IVDAEOS prædixit in vltimo tempore ad Chriſtum rediturus. Prophetauit autē contra decem tribus de corū fornicatione & de interitu Samariæ, pauca de duabus loquens reliquis. Gloſſ. in principio capitis 1.

QVOD SIGNVM DEDERIT DE ADVENtu Chriſti.

PRAEDIXIT porrò Dominum cælitùs venturum in terram. Cæterùm hoc fore indicium aduētùs eius: Si quercus illa in Selom findatur à ſeipſa in portiones bis ſenas, & fierēt totidem quercus: & accidit ità. Epiphanius de prophetar. vita &c.

DE MORTE ET SEPVLTVRA.

VITAM cùm poſuiſſet in pace, propria terra humatus eſt. Epiphanius ibidèm.

PROPHETIAE EIVS PARTITIO.

TABVLA 219.

OSEAE PROPHETIA *etſi difficilè poteſt continuari, reſpectu tamen ipſius prophetæ, in quinq; diſtribuitur partes, eò quòd is hanc prophetiam ediderit ſub perſona modò*

- VATIS, *futura in ſeipſo antè, quàm fiant, præſignificantis, cap. 1. 2. & 3.*
- IVDICIS, *& in iudicio contendentis cum eis, contra quos prophetabat. à cap. 4. vſque ad cap. 8.*
- PRAECONIS, *ſeu tubæ ſonitu clangentis, cap. 8. & 9.*
- PATRIS, *expoſtulantis cum filijs ob declaratam erga accepta beneficia ingratitudinem, à cap. 10. vſque ad cap. 14.*
- AMICI, *familiariter & amãter conſulentis, ca. 14. & vlt.*

SVB PERSONA, VATIS. TABVLA 220.

PRAEdicit Filijs Iſrael

- POENAM *venturam ſuper Iſrael & domum regiam, ſub primo portento filij nati de fornicaria, à loco illo, Vade, ſume &c. cap. 1. vſque ad ver. Et concepit adhuc &c.*
- CAPTIVITATEM
  - DVARVM *quidem tribuum temporalem,*
  - DECEM *verò perpetuã,*
  - *Sub portento ſecundo, De filia quæ vocata eſt, Sine miſericordia. d. verſ. Et concepit, &c.*
- CAECITATEM *atque duritiem cordis vtriuſque gentis, ſub tertio portento, De filio qui dictus eſt, Non populus meus vos: Quod hodiè licet cernere in Iudæis vſq; ad verſ. Et erit in loco vbì dicetur. eodem.*
- ILLVMINATIONEM *reliquiarum ex Iudæis, videlicet Apoſtolorum & Iudæorum in Chriſtum credentium. à d. verſic. vſque in fin. cap. 1.*
- CAPTIVITATEM *prædictam fuiſſe iuſtam, interpellat iudicium eorum, qui ſalui facti, & miſericordiam conſecuti ſunt. à principio cap. 2. vſque ad verſ. Propter hoc eccè ego &c.*
- PROSEQVITVR *illuminationem reliquiarum promiſſam, à d. verſ. Propter hoc, vſq; in finem, cap. 2.*
- APERIT *aliam conuerſionem filiorum Iſrael, quæ tum demùm ſit futura, cùm plenitudo gentium intrauerit, ſub portento de muliere adultera &c. cap. 3. Vbì concluditur, Futuros quidem filios Iſrael per multos dies ſine Rege, ſine Sacrificio & ſine altari: ſed tandèm reuerſuros ad Dominum Deum, & Dauid Regem ſuum, ſcilicet Ieſum Chriſtum. Ibidèm.* Rom. 11.

SVB PERSONA IVDICIS. TABVLA 221.

PROSEquitur propheta octo prædicationis ſuæ mẽbra, in quibus

- INTROducit
  - DOMINVM *volentem ſubire iudicium, iuſtène an iniuſtè populum, tam grauiter multiſque modis peccantem, punire ſtatuerit, à princip. ca. 4. vſque ad verſic. Veruntamen &c.*
  - POPVLVM *iudicium eiuſmodi ſubire nolentem. d. verſic. Veruntamen.*
- IVDICIO *ſic recuſato Propheta X. tribubus comminatur ſupplicium propter duo peccata*
  - IGNORANTIAE *& oblitæ legis Dei, verſicul. Noſle feci tacere &c. eodem.*
  - IDOLOLATRIAE, *verſ. Fornicati ſunt &c. vſque in finem. cap. 4.*
- INGREDITVR *iudicium, excluſo toto populo, cum cœtu Sacerdotum, Principum & Maiorum. à princip. cap. 5. vſque ad verſ. Ruet etiam Iudas &c.*
- ETIAM *duabus reliquis comminatur tribubus, conſilium ſuum negligentibus, ab eo loco, vſque ad verſic. Ephraim in deſolatione erit &c. eod.*
- REPRAEHENDIT *Iſraelitas, quòd afflicti non confugiant ad Deum, ſed ſubſidium vanum & inutile, quærant à Rege Aſſyriorum. Indè vſque ad verſic. Vadens ad locũ meum, &c. eodem.*
- OSTENDIT *eos olim ad Chriſtum reuerſuros, & eius opem imploraturos. à d. verſ. Vadens, vſque in finem cap. 5. & per totum ferè 6. Vbi etiam de Chriſti æterna generatione, temporali natiuitate, & reſurrectione habentur nonnulla.*
- MISERICORDIAM
  - PROMITTIT *duabus Tribubus,* — *Circa finem cap. 6.*
  - NEGAT *eandem decem reliquis.* — *Circa finem cap. 6.*
- REDDIT *eius rei rationem, cur nimirùm miſericordia illis præſtita, his verò negata ſit. Quæ eſt, quòd nulli ex regibus Iſrael ad Deum reuerſi ſint, cùm tamen reges Iuda ad eum redierint. Per totum cap. 7.*

SVB PERSONA PRAECONIS. TAB. 222.

DESCRIBIT *bis*

- **DVAS**
  - **CVLPAS**
    - *Tranſgreſſionem legis, à princip. cap. 8. vſque ad verſ. Ipſi regnauerunt.*
    - *Aſſumptionem regis Hieroboam, & omnium eorum qui regnârunt deincèps in 10. tribubus contra voluntatem diuinam, d. verſ. Ipſi regnauerunt &c. Vbi etiam deridet vitulū, quem fecerunt deum. eod.*
  - **POENAS,**
    - *Perſecutionem factam ab Aſſyrijs tempore Phul, Theglatphalaſar, Salmanaſar & Semacherib. verſ. Deuoratus eſt Iſrael. eod. Quæ pœna correſpondet aſſumptioni regis.*
    - *Aliam perſecutionē illatam ab Aegyptijs. verſ. Qui multiplicauit &c. vſque in fin. cap. 8. Quæ correſpondet tranſgreſſioni legis.*
- **SEX** *mutationes filiorū Iſrael, de ſtatu proſpero in aduerſum, vt de*
  - *Opulentia & lætitia, in famem & triſtitiam, ac ſterilitatē opulentiæ contrariam, à princip. cap. 9. vſque ad verſ. Scitote Iſrael &c.*
  - *Sapientia & prophetia, qua præditus fuit populus Iſrael, in ſtultitiam & amentiam. d. verſ. Scitote.*
  - *Sanctitate, quam in pluribus habuit, in peccata & ſpurcitias. verſ. Quaſi vuas in deſerto &c. eod.*
  - *Fæcunditate filiorum, in ſterilitatem. verſ. Ephraim quaſi auis auolauit. &c. eod.*
  - *Dignitate, in ignominiam & opprobrium. verſ. Ephraim, vt vidi. eodem.*
  - *Præelectione, in abiectionem. verſ. Abijciet eos &c. in fin. d. cap. 9.*

SVB PERSONA PATRIS. TAB. 223.

ARGVIT INGRA-*titudinem filiorum Iſrael, erga collata illis beneficia, præſertim quatuor:*

- POSSESSIONEM *terræ vberrimæ, cap. 16. per tot.*
- EDVCTIONEM *atq; liberationē ab Aegyptiaca ſeruitute, per tot. c. 11.*
- PROTECTIONEM *Iacob patris ſui, in peregrinatione illius in Meſopotamiam Syriæ, toto cap. 12.*
- CONSERVATIONEM *totius populi in deſerto & ſolitudine, per cap. 13. integrum.*

SVB PERSONA AMICI CONSVLENTIS.

TABVLA 224.

PROPHETIAM *ſuam tandèm concludit, dum*

- EXPRIMIT *ſuam indignationem contra filios Iſrael, quòd Deum ſuum dereliquerint, verſ. 1. cap. 14.*
- SVAM *ſubdit conſolationem, verſ. Conuertere Iſrael. eod.*
- CVI *deindè adijcit promiſſionem diuinam, verſic. Sanabo contritionem eorum. eod.*
- ANIMVM *legentis excitat ad attentionem diligentem eorum, quæ hoc libro ſunt propoſita, verſ. Quis ſapiens. d. cap. 14. & vltimo.*

PROPHETIA IOHELIS, LIBER BIBLIAE XXXIII, QVINTAE PARTIS *ſeptimus.*

QVIS ET VBI NATVS FVERIT IOHEL.

IOHEL propheta filius Phatuel,de tribu Ruben,natus dicitur in agro Bethorō, vbi etiam in pace mortuus eſt & ſepultus.Hic in prologo,& Epiphan. De vita & interit.Prophetar.

QVO TEMPORE FLORVERIT.

AVGVSTINVS de ciuit.Dei lib.18.cap.27.dicit ſe huius & Ionæ Prophetæ tempora non in illorum ſcriptis,ſed in Chronicis inuenire potuiſſe, Iohelem tunc prophetâſſe,cùm iam regnaret Ioatham.Quod tempus Hieronym.extendit etiā ad Achaz,Ezechiam & Ieroboam.Tempora quoque,ait,in quibus prophetauit, eadem debemus accipere,quæ & in Oſee legimus, in diebus ſcilicet Oziæ, Ioathan & Achaz & Ezechiæ Regum Iuda,&in diebus Ieroboā filij Ioas regis Iſrael. Hieron.in 1.cap.Iohelis. Sed Nicolaus de Lyra,ſequitur opinionem Rabini Salom.qui Iohelem putat tempore potiſſimùm Ioram Regis prophetâſſe Iſrael.

AD QVOS HAEC PROPHETIA FVERIT inſtituta.

SICVT in Oſee ſub nomine Ephraim ad decem tribus cōfertur vaticinium, quæ vel Samaria,vel Iſrael ſæpè memorantur: ſic in hoc Propheta omne quod dicitur,ad tribum Iuda,& ad Hieruſalem pertinere credendum eſt,& nullam omninò Iſraelis,id eſt,decem tribuum,in hoc fieri mentionem. Hieron.in Commentar.cap.1.

SVMMA EIVS PROPHETIAE QVAE SIT.

Act.2. DESCRIBIT terram duodecim tribuum,æruca,brucho,locuſta,rubigine vaſtante cōſumptam,& poſt euerſionem prioris populi effuſum iri ſpiritū ſanctū ſuper ſeruos Dei & ancillas,id eſt,ſuper centū viginti credētium nomina,& effuſum iri in cœnaculum Sion. Qui centum viginti ab vno vſque ad quindecim plaulatim & per incrementa ſurgentes,quindecim graduum numerum efficiunt,qui in Pſalterio myſticè continentur. Prologus in hunc Prophetam tertius.

PARTI.

PARTITIO PROPHETIAE IOHELIS.

TABVLA 225.

DVAS *hîc propheta sũpſit ſibi partes, in quarum*

- PRIMA *minatur*
  - TOTI *regioni Iudææ deuaſtationem, cap. 1. per tot.*
  - SION *& Regiæ ciuitati*
    - *Obſidionem, capit. 2. verſ. Canite tuba in Sion &c.*
    - *Perturbationem. verſic. ante faciem eius. eod.*
    - *Depopulationem & captiuitatem. verſ. Vrbem ingreditur. eod.*
- SECVNDA *cõſolatur iterũm,*
  - HORTANDO *ad pænitentiam. verſic. Nunc ergò dicit Dominus &c. d. cap. 1.*
  - REPROMITTENDO
    - *Beneuolentiam & abundantiam poſt reditum de captiuitate, verſ. Zelatus eſt Dominus. eodem.*
    - *Spiritusſancti gratiam in filios Iudæorum effundendã. Quod debet referri ad apoſtolos poſt conuerſionem populi prioris. verſ. Erit poſt hæc. eod.*
    - *Vindictam diuinitùs exercendam in iudicio in omnem gentẽ, cap. 3. in principio.*
    - *Bonis gloriam, malis pœnam à iudicio æternam, verſ. Et erit in die illa. vſque in fin. cap. 3. & vltimi.*

PROPHETIA AMOS, LIBER BIBLIAE XXXIIII, QVINTAE PARTIS VIII.

AMOS VNDE SIT ORIVNDVS.

AMOS propheta, è Theeue oppido oriundus eſt, de tribu Zabulon. Epiphan. de vit. & interi. prophet. Quem Deus de grege captarum ſumptum, ſpiritu ſuo inſtruxit, & ad propheticam dignitatem extulit. Baſi. Magn. epiſtola 55. Sic enim de ſeipſo in 7. fatetur capite, paſtorem ſe vel armentarium fuiſſe, indè diuinitùs ablatum atq; miſſum, vt Dei populo prophetaret. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana, lib. 4. cap. 7. Non eſt ergò, vt ſuprà monuimus, Pater hic Eſaiæ: quanquàm & ille propheta extiterit. Hieron. hîc & alijs pluribus in locis. Sed is eſt, quem ablatum de numero paſtorum, miſit Dominus, vt in Samaria prophetaret. Idem hîc in Prolog.

AMOS CVR SE PROPHETAM ESSE NEGARIT.

QVOD autem Amaſiæ ſacerdoti Bethel in d. cap. 7. De ſeipſo loquens, reſpondit: Non ſum Propheta, neq; filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros: id eum B. Gregor. lib. 2. Moralium, cap. 41. in Iob, ideò feciſſe putat, vt oſtenderet prophetiæ ſpiritum ſibi deeſſe ſenſiſſe, cùm hæc diceret.

QVO TEMPORE PROPHETAE OFFIcio functus fuerit.

PROPHETARE cœpit ſub Ozia, quandò & Eſaias prophetiæ ſuæ habuit exordium, vt ait Hieron. in Eſa. lib. 3. cap. 7. Ità enim de ſuo tempore ſcribit ipſe 1. cap. Et refert hoc idem Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 27. vbi ait, Amos quoquè in diebus Oziæ regis ſe prophetâſſe ſcribit. Prophetauit tamẽ etiam ſub Ieroboam filio Ioas regis Iſrael. Hieron. in 1. cap. Amos. Porrò in prologo 3. dicitur, eum aliquantulùm exorſum eſſe ante Iſaiam.

CONTRA QVOS PROPHETAVERIT.

PROPHETAVIT in gentes, ait Hierony. quæ lectione, id eſt, ipſa operis narratione compræhenſæ ſunt in d. prolog. Videlicet contra Damaſcum, Gazam, Aſcalon, Azotum, Accaron, Tyrum, Idumæã, Theman, filios Ammon & Moab: Athanaſius in ſynopſi. Maximè enim contra x. tribus locutus eſt, interſerens pauca de duabus. Et eſt hic Amos primus, qui prophetauit contra Iſrael, dicens: Iſrael autem captiuus ducetur de terra ſua. Hieron. in Eſaiam lib. 3. cap. 7. ex ſentẽtia Hebræorum.

DE QVIBVS REBVS PROPHETAVERIT.

IMPERITVM Hieron. ſcribit hunc prophetam fuiſſe ſermone, ſed non ſciẽtia: Ad Pãmachum hîc in prolog. Còmmentar. vt qui ruborum mora diſtringẽs, repentè propheta effectus ſit. Idem ad Heliodorum de vita ſolitaria. Denunciat autem gentibus prędictis iram Dei, ob cauſas quas memorauit. Hieron. hîc in prolog. 1.

DE PROPHETAE HVIVS MORTE.

HVNC Amaſias ſacerdos frequenter plagis afflixit, tandèm filius eius Ozias vecte per tempora transfixit. Poſt hæc ſemiuiuus in terram ſuam euectus, poſt aliquot dies dolore vulneris expirauit: ſepultusq́; eſt cum patribus ſuis. Epiphan. de prophet. & in prolog. 3. in Amos.

PARTITIO PROPHETIAE AMOS.

TABVLA 226.

HAEC PROphetia ferè tota verſatur in minis: In qua propheta vltionem minatur

- PRIMVM — capit. 1.
  - DAMASCO,
  - GAZAE, *vel Philiſtæis,*
  - TYRO,
  - EDOM,
  - FILIIS *Ammon.*
- DEINDE — *cap. 2. & ſequentib.*
  - MOAB,
  - IVDAE, *id eſt, duabus tribubus.*
  - ISRAEL, *id eſt, decem tribuum populo.*
- RVRSVS SPECIAliter *filijs Iſrael propter peccatum*
  - *Idololatriæ, cap. 3.*
  - *Impœnitentiæ, cap. 4.*
  - *Iniuſtitiæ, violentiæ & rapinæ, cap. 5.*
  - *Laſciuiæ & ſuperbiæ, cap. 6.*
  - *Malitiæ & affectatæ ignorantiæ, cap. 7.*
  - *Auaritiæ, cui delicto pro pœna præmittit viſionem vncini pomorum, cap. 8.*
- POSTREmò
  - COMMINATVR *Iſraelitis in peccato obſtinatis negationẽ miſericordiæ Dei. cap. 9. Vidi Dominum.*
  - ALIIS *duabus tribubus, præſertim reliquijs in Chriſtum credituris. promittit miſericordiam. ibid.*
  - INTRODVCIT *Chriſtum & in eum credituros, dum ait: In die illo ſuſcitabo tabernaculum Dauid, &c.*

PROPHETIA ABDIAE, LIBER BIBLIAE XXXV, QVINTAE PARTIS IX.

DE PROPHETAE HVIVS ORIGINE.

ABDIAS propheta, qui interpretatur ſeruus Domini, ex famulatu Dei nomē accepit. Hieron. in epiſtolam Pauli ad Titum poſt principium. Originem duxit ex Sichen, agroq; Betachamar. Epiphan. de vita prophet. Secundùm doctores Hebraicos & Latinos, diſpēſator domûs Achab regis Iſrael. Lyranus hîc in princip. Pòſt, relicta aula, Heliæ ſe adiunxit diuinatori, & eius factus eſt diſcipulus, cuius gratia, plurimùm ſuſtinens, ſeruatus eſt. Idem Epiphan. ibidèm. Paruus eſt hic propheta, verſuum ſupputatione, non ſenſuum: Alioquì ea videt, ea audit, quæ prophetali digna ſunt ſeruitute. Hieron. in cap. 1. huius, alludens ad nomen Abdiæ, quod, vt diximus, ſignificat ſeruum Domini.

QVOMODO AD PROPHETIAE MVNVS PERVENERIT.

CVM Iezabel ad necem vſque perſequeretur prophetas Domini, Abdias centum ex his pauit in ſpecubus, qui non curuauerunt genu Baal: & de 7. millibus erant, quos Helias arguitur ignoràſſe: Pro quo pietatis officio gratiam accepit prophetalem, & de duce exercitûs, fit dux Eccleſiæ. Tunc in Samaria paruum gregē pauerat, nunc in toto orbe Chriſti paſcit eccleſias. Hierony. cap. 1. hîc in princip. & in Epitaphio Paulæ ad Euſtoch. Vt vel hinc intelligere liceat, veriſſimum eſſe, quod Saluator noſter Chriſtus apud Matthæ. in 10. dixit capite: Qui prophetam recipit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Eius autem pars magna in Hieremiæ volumine continetur. Idem Hieron. hîc d. cap. 1.

QVO TEMPORE DOCVERIT.

HVIVS prophetæ tempus D. Auguſtin. de ciuitate Dei lib. 18. cap. 31. neq; ex ſuis, nec aliorum ſcriptis chronicis ſatis liquere aſſerit, his verbis: Tres, inquit, prophetæ de minoribus, Abdias, Nahum & Abacuc, nec ſua tempora dicunt ipſi, nec in Chronicis Euſebij & Hieronymi, quandò prophetâtint, inuenitur. Abdias enim poſitus eſt quidem ab eis cum Michæa, ſed non eo loco vbi notantur tempora, quandò Michæam prophetâſſe ex eius literis cōſtat. Quem Euſebij locum ità hîc ſuper Auguſtinū explicat Ioannes Ludou. Viues: Abdiam Euſebius Michęę coniungit, regno Ioſaphat. de Abdia rectè: de Michæa verò contra ſuum Michææ ipſius teſtimonium, quod Auguſtinus annotauit. Quippe Michęas ſe viſionē vidiſſe perhibet ſub Regibus Ioathan, Achaz & Ezechia, multò poſterioribus Ioſaphat. Fuit ergò hic propheta vetuſtior quouis ſuperiorum ætate Ioſaphat regis Iuda, rege Latinorum Tiberino Syluio.

ADVERSVS QVOS PROPHETAVERIT.

VISIONEM annunciat contra Idumæam & finem eius, & contra gentes, quę Iſraēli inſultabant. Prædicit enim futurum, vt domus Eſau à poſteris Iacob expugnetur. Athanaſ. in ſynopſi.

QVO GENERE MORTIS INTERIERIT ABDIAS.

SVVM autem diem obiens, in agro Betachamar cum patribus ſuis capulum obtinuit. Epiphanius de vita Prophet. Sepulcrum eius eſt in Samaria, vbi etiam Heliſæus & Ioannes Baptiſta ſepulti ſunt. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Euſtoch.

ARGVMENTVM.

COMPLECTITVR D. Hierony. huius Prophetiæ ſummam, paucis hiſce verbis ad Paulinum de diuinis ſacræ ſcripturæ libris. Abdias, ait, qui interpretatur ſeruus Domini, perſonat contra Edom ſanguineū, terrenumq; hominem: fratris quoq; Iacob ſemper æmulum, haſta percutit ſpiritali.

QVIS HORVM VERBORVM SIT SENSVS.

SENSVM iſtorum verborum lariùs explicat prologus, quem quidam D. Hierony-mo tribuũt: Iacob, inquit, Patriarcha fratrem habuir Eſau, qui ob ruborem corporis ſui, Edom hebrea lingua appellatus eſt, quod Latinè ſanguineus dicirnr vel rufus. In memorarum frarrem ſuum, (qui Iſrael nomen accepetat) graui odio commorus, interimere conatus eſt. Qua de cauſa omnes qui populum Iſrael, id eſt, filios patriarchæ Iacob, prædicti Eſau odium imitati, perſecuri ſunr, Eſau & Edom appellati ſunt. Hæc ibì. Arque ſic à Iacob Iſraelitæ, id eſt, viri videntes, & ab Eſau ſiue Edom, Idumæi ſunt appellari. Idumæa aurem caro eſt, quæ pugnat aduersùs ſpiritum, vt quibuſdam placere ait D. Hieronym.

PARTITIO PROPHETIAE ABDIAE.

TABVLA 227.

VNICVM HAbet hæc Prophetia caput, in quo Propheta Abdias
- INVEHItur in Idumæos propter eorum
  - SVPERBIAM & *arrogantiam, verſ. Superbia cordis tui extulit te &c.*
  - SCIENTIAM *vanam & mundanam, verſ. Non eſt prudentia in eo &c.*
  - INVIDIAM & *malitiam erga fratrem ſuum Iacob, verſ. Propter interfectionem &c.*
- PROMITTIT *filijs Iacob, quantùm ad tribum Iuda, durationẽ perpetuam, & Ieſu Chriſti Saluatoris præſentiam in monte Sion, verſ. Et in monte Sion erit ſaluatio, &c.*

PROPHETIA IONAE, LIBER BIBLIAE XXXVI, PARTIS QVINTAE decimus.

DE ORIGINE, STATV, ET CONDITIONE IONAE.

IONAS propheta, qui columba interpretatur & dolens, reſte Hieron. in cap. 1. Ionæ, parria fuit ex rerra Cariathamaum, haud porrò ab Azoto vrbe Græcorum mari vicina. Epiphan. de vita prophet. Filius Amarhi prophetæ, id eſt, veritatis, qui fuïr de Gerh, quæ eſt in Opher. Tradunt autem Hebræi, hũc eſſe filium viduæ Sarepranæ, quem Helias propheta mortuum ſuſcitauit. Porrò Geth, in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodiè appellarur Diocæſarea, eũtlbus Tiberiadẽ, haud grandis eſt viculus. Vbi & ſepulcrum eius oſtendirur. Quòd autem additur, quæ eſt in Opher, ad diſtinctionem aliarum eius nominis Geth fir vrbium. Hieron. in procemio in Ionam. Er Auguſt. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, lib. 2. cap. 17.

QVO TEMPORE IONAS DONVM ACCEperit Prophetiæ.

TEMPORIBVS Ieroboam regis Iſrael, filij Ioas, Ionam prophetam fuiſſe, quartus liber Regum indicare videtur. Traduntque Hebræi, Oſee & Amos & Eſaiam ac Ionam, ijſdem prophetâſſe temporibus. Hieronymus ibid.

QVIBVS

QVIBVS ET QVID PROPHETAVERIT.

CONCIONATVS eſt Niniuitis, quibus futuram vrbis prædicauit ſubuerſionem, quam pœnam vt effugiant, hortatur illos ad pœnitentiam; vt videre licet per totum hunc librum.

SVMMA TOTIVS PROPHETIAE.

AD prophetam Ionam factum eſt verbum Domini, vt abiret in Niniuen, ibique prædicaret quòd poſt triduum ſubuertenda eſſet Niniue. Ille verò prædicationẽ hanc fugiens, nauem conſcendit: ex qua poſteà, cùm vrgeret tempeſtas, eiectus & à cete marino deuoratus eſt. Poſt tres autem dies eiecit cete Ionam viuẽtem, atque ità ſecundò factum eſt ad eum verbum Domini. Quo facto, abijt, & prędicauit in Niniue. Illi audita hac prædicatione, pœnitentiam egérunt, & amouit ab illis Dominus iram ſuam. Athanaſ. in Synopſi.

SCOPVS HISTORIAE HVIVS QVIS SIT, ET de ſenſu eius myſtico.

IONAS autem propheta non tam ſermone Chriſtum, quàm ſua quadam paſſione prophetauit: profectò apertiùs, quàm ſi eius mortem & reſurrectionem voce clamaret. Vt quid enim exceptus eſt ventre beluino, & die tertio redditus, niſì vt ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertio rediturum? Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 18. cap. 30. Sic enim Saluator noſter hanc prophetiam Iudęis ipſe interpretatus eſt, atque pro ſigno ſuæ reſurrectionis certiſſimo, eorum obiecit incredulitati. Matthæi 12. & Lucæ 11. Sicut enim Ionas, inquit, fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

PARTITIO PROPHETIAE IONAE.

TAB. 228.

DESCRIBIT *Ionas*
- SEIPSVM
  - DOMINI *Imperio reſiſtentem, à principio capitis primi vſque ad verſ. Dominus autem miſit &c.*
  - EAM *ob cauſam in mare proiectum, à d. loco vſque in finem cap. 1.*
  - DE *vtero ceti magno miraculo prodeuntem. tot. cap. 2.*
  - DIVINO *mandato & imperio tandèm obedientem, cap. 3. à princip. vſque ad verſ. Et crediderunt viri Niniuitæ &c.*
  - DE *non impleto oraculo ſuo dolentem, & quaſi de mendacio erubeſcentem. à princip. cap. 4. vſque ad verſ. Et præparauit Dominus Deus.*
- REGEM *& populum Niniuæ, prophetæ dictis commotos, egiſſe pœnitentiam, d. cap. 3. verſ. Crediderunt. vſque in finem eiuſdem.*
- DOMINVM *ſub quodam portento & iudicio lenientem & demulcentem, ſub ſigno ſcilicet hederæ viridis, quæ percuſſa exaruit, à d. verſ. Et præparauit, vſque in finem capit. quarti & vltimi.*

PROPHETIA MICHAEAE, LIBER BIBLIAE XXXVII, PARTIS QVINTAE vndecimus.

DE PERSONA MICHAEAE.

MICHAEAS Moraſthites, qui interpretatur humilis & cohæres Chriſti, Propheta de tribu Ephraim oriundus. Epiphan. de vit. Prophetar. Qui tanto ardore complexus eſt ſuos, vt anathema eſſe optârit pro fratribus. Hieron. in Michæam lib. 1. cap. 2.

QVO TEMPORE IN NVMERVM ADSCITVS ſit Prophetarum.

ETSI hic Propheta coætaneus fuerit eorum, qui ſub Ozia rege prophetârunt, vt ſunt Oſee, Amos & Eſaias, Hieron. tamen in cap. huius libri primi, à principio ſtatìm tradit, Michæā Oziæ tēporibus non propheta̋ſſe, ſed filij eius Ioatham, poſt quem regnauit Achaz, Ezechia in patris Achaz imperium ſuccedente: Sub quo decem tribus ab Aſſyrijs in captiuitatem ductæ ſunt. Concordat cum hac ſupputatione Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. ca. 27. Michæas, inquit, etiam eadem ſuę prophetiæ commemorat tempora poſt dies Oziæ.

AD QVOS PERTINEAT HAEC PROPHETIA.

PROPHETAVIT contra Hieruſalem & Samariam, & cōtra prophetas populi ſeductores, & contra Achab. Athanaſ. in ſynopſi.

QVID PRAEDIXERIT.

PRAENVNCIAVIT etiam aduētum ſeruatoris, dicens: In poſterioribus diebus illuſtris erit mons domûs Domini. Athanaſius ibidèm.

DE PROPHETAE HVIVS MORTE.

MICHAEAS, quem in maxillam percuſſit Sedechias filius Canaan, 3. Regum 22. quum plurima deſignâſſet ille Achab regi Iſrael, ab eiuſdem filio, cui nomen Ioram, præcipitatus occubuit, eô quòd de iniquitatibus ſuis, progenitorumq́; ſuorum, quas perpetrauerant, redarguiſſet. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra planè ſolitarius, tumulum iuxta Polyandrium ſortitus eſt. Et eſt quidem monumentum ipſius, in hodiernum vſque tempus, nobiliſſimum. Epiphanius de vita & interitu prophetar.

PARTI.

PARTITIO PROPHETIAE MICHAEAE.

TABVLA 229.

- DIVIDItur hæc ꝓphetia in duas partes, videlicet in
  - COMMINAtiones, quibus comminatur filijs Iſrael propter
    - PECcatum
      - *Idololatriæ commiſſum in Deum, cap. 1. verſ. In ſcelere.*
      - *Calumniæ & iniuſtitiæ erga proximum, in princip. cap. 2.*
      - *Incredulitatis & contumaciæ erga cœtum prophetarum, verſ. O Iſrael. eodem.*
    - CVLPAM *Principum, cap. 3. in princip.*
    - IMPOSTVRAS *& ſeductiones Pſeudoprophetarum verſ. Hæc dicit Dominus. eodem.*
    - COMMVNIA *delicta, tam principum, quàm prophetarum atq; ſacerdotum. verſ. Audite hoc principes. d. cap. 3. vbi propheta iu hæc concludit verba: Propter hoc cauſa veſtrî Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidũ erit, & mons templi in excelſa ſyluarũ.*
  - CONSOLAtiões à promiſſionibus Diuinis ſumptas. *Quibus iterùm ſolatur eũdem populum, dum prædicit illi*
    - SALVTEM *atque redemptionẽ Chriſti fore vniuerſalẽ, id eſt, omnibus cõmunem, cap. 4. Vbi agit de*
      - VOCAtione
        - *Gentium, verſ. Et erit in nouiſſimo.*
        - *Iudæorum multorum, verſ. In die illa.*
      - *Regni Chriſti poteſtate, id eſt, Eccleſia primitiua futura in Sion, vbi Apoſtoli cũ alijs ſpiritumſanctum receperunt, ibid.*
      - *Exilio Chaldæorum & Babyloniorum, quod, conſilio diuino neglecto, ſubire coacti. ſunt, verſ. Dole & ſatage &c. d. cap. 4.*
    - NOBILITAtem *Chriſti, tot. cap. 5. Ibiq; agit de*
      - *Patientia Chriſti, verſ. In virga &c.*
      - *Eiuſdem ortum in Bethleẽ, ver. Et tu Bethleem &c.*
      - *Generatione Chriſti à patre æterna, verſ. Et egreſſus eius à principio &c.*
      - *Eius matre virgine, verſ. Propter hoc &c.*
      - *Apoſtolorum*
        - *Vocatione, verſ. Et ſuſcitabimus &c.*
        - *Diſperſione per orbem, verſ. Et erunt reliquiæ &c.*
        - *Triumpho, ver. Et erit in die illa &c.*
    - LEGIS *Chriſti ſuauitatem, capit. 6. Quo loco Propheta*
      - *Commemorat partim beneficia diuina, verſ. Popule meus.*
      - *Excludit legis antiquæ onera. verſ. Quid dignũ offeram.*
      - *Subſtituit nouæ legis ſuauia conſilia, verſ. Indicabo tibi homo.*
      - *Aperit filijs Iſrael & ſcelera ſua, & flagella, verſ. Audite tribus.*
    - SCANDALVM *& occæcationẽ Iudæorum. cap. 7. In qua parte Michæas*
      - *Miratur Iudæorum nequitiam, malignitatem & cæcitatem, verſ. Non eſt botrus.*
      - *Suam declarat fidem & credulitatem. verſ. Ego autem ad Dominum.*
      - *Orat feruenter Chriſtum, vt reuertatur ad ſuum gregem & hæreditatem ſuam, verſ. Paſce populum tuum &c. vbi concludit, Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham &c.*

PROPHETIA NAHVM, LIBER BIBLIAE XXXVIII, PARTIS QVINTAE

Duodecimus.

CVIAS SIT PROPHETA NAHVM.

NAHVM Propheta(qui Conſolator interpretatur)natus erat ab Elkeſi,trãs Iordanem fluuium,verſùs Begabar,de tribu Simeon. Atque hic eſt propheta ille, q̃ poſt Ionam oſtentum ac prodigium dedit ſuper Niniue, quod ab aquis dulcibus igneq́; terreno,olìm vaſtaretur. Id quod tandèm contigit,q̃ppe eam ex terrę motu igne vndiquè ambiente,mox etiam aqua de ſolitudine ſuperueniens, ſublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit. Epiphan.de vit.Prophet.

HELKESAEVS QVIS FVERIT, EX HIERONYMO.

QVIDAM putant Helkeſęum patrem eſſe Nahum,& ſecundùm Hebręam traditionem,etiam ipſum prophetam fuiſſe,cùm Helkeſæi vſque hodiè in Galilæa viculus ſit paruus quidem,& vix ruinis veterum ędificiorum indicans veſtigia: ſed tamen notus Iudæis,& mihi quoquè à circunducente monſtratus. Hieron.in p̃œm.huius prophetæ ad Paulam & Euſtoch.

QVO TEMPORE PRAEDICAVERIT.

QVÒD D.Hieron.hìc in Prologo, hunc prophetam ex rraditione Hebræorum ante aduentum regis Aſſyriorum,qui populum Iſrael captiuum in ſuas regiones tranſtulerat,fuiſſe confirmat:id gloſſa eiuſdem prologi,non ità intelligendũ eſſe monet,quòd tum etiam prophetauerit: Sed prophetâſſe illum potiſſimùm tempore Ezechiæ,eo ſcilicet,quo etiam Michęas prophetâſſe perhibetur. Ioſephus autem libro antiquitatum 9.cap.12.ſcribit,hũc fuiſſe tempore Ioatham regis Iuda. Expirauit animam in pace,& in Begabar ſedibus ille ſuis placidus in morte q̃eſcit. Epiphan.

QVID ET QVIBVS PRAEDICAVERIT.

ARGVMENTO conuenit hic liber cum prophetia Ionæ,quòd vterq; Niniue Aſſyriorum metropoli,quę nunc vocatur Ninus,texat vaticinium. Nam vbì Niniuitæ,accepta clementia diuina,qua illis pœna per Ionam prędicta, tam benignè fuerat remiſſa,ità eſſent ſecuri,vt in antiqua & longè grauiora relaberẽtur vitia, hic propheta ſpiritu perfuſus ſancto,eiſdem Niniuitis ac omnibus Iſraelis perſecutoribus,iudicium Dei & interitum denunciat venturum. Quomodò autẽ ſint impleta,quæ prędixit illis Nahum,ex ipſo contextu cognoſcere licebit.

DE PROPHETIAE HVIVS TITVLO.

INSCRIBITVR hæc prophetia Onus Niniuę,eô quòd eam,aduerſùs quam videtur,premat, nec ſinat eleuare ceruicem. Hieron. hìc ad Paulam & Euſtochium. Sunt autem quatuor in duodecim prophetarum volumine,è quibus tres in principio λῆμμα,id eſt, Pondus,titulum habent,Nahum,Abacuc,& Malachias. Zacharias in medio & circa finem bis habet hunc titulum. Hieron. in prologo in prophetam Abacuc ad Chromatium.

DE SENSV HVIVS PROPHETIAE MYSTICO.

IN procemio in hunc prophetam B.Hieron.hanc prophetiam ſecũdùm ἀναγωγὴν texi ait de conſummatione mundi,in conſolationem ſanctorum, vt quæcunque in mundo videnr,quaſi pręrereunria & caduca contemnant, & præparent ſe ad iudicij diem,vbì vltor aduerſùm veros Aſſyrios futurus, Dominus eſt.

PAR-

PARTITIO PROPHETIAE NAHVM.

TABVLA 230.

- TRIA POtiſsimion exeqtur in hoc libr. Propheta Nahum. Nam &
  - MINATVR
    - IN vniuerſum omni nationi, legem diuinam tranſgredięti, pœnam. à princip. cap. 1. vſque ad verſ. Bonus Dominus.
    - IN SPEcie,
      - *Regi Aſſyriorum Sennacherib mortem, d. verſ. Bonus Dominus &c. Quæ ſecuta eſt tempore Ezechiæ, quo liberata fuit Hieruſalem.*
      - *Niniuæ ciuitati depopulationẽ, tot. c. 2. vbi propheta ĩtroducit*
        - *Nabuchodonoſor*
          - *Proficiſcentem contra Niniuen, verſicul. Aſſcendit qui &c. eodem.*
          - *Oppugnantem eam, verſ. Aſſcendent muros eius &e.*
        - *Niniuen & Regem Aſſyriorum ſuccumbentes atque fugientes, verſicul. Et Niniue quaſi &c. eodem.*
        - *Iterùm Nabuchodonoſor eius opes diripientem, verſic. Diripite argentum. eodem.*
  - CAVSAM *huius mali aſsignat, multitudinem fornicationum, atque ità culpam omnem in ipſam transfert ciuitatem Niniuen, cap. 3. vſque ad verſ. Et erit: omnis qui viderit &c.*
  - *Prædicit Niniuen omnibus gentibus fore ludibrio, quæ anteà cunctis fuerat terrori, d. verſ. Et erit &c. Vbi ſic concluditur hæc prophetia: Regni Aſſyriorum gloriam, ſicut locuſtæ auolant, tranſituram.*

PROPHETIA
ABACVC, LIBER
BIBLIAE XXXIX, PARTIS QVINTAE XIII.

VNDE ORIVNDVS SIT ABACVC.

ABACVC propheta ex agro Bexzochar, è tribu Simeon oriũdus. Epiphan. de vita prophet. Qui vel ex eo, quòd amabilis Domini eſt, vocatur amplexatio: vel ꝙ in certamen & luctam, & vt ità dicam, amplexum cum Deo congreditur: amplexantis, id eſt, luctantis ſortitus eſt nomẽ. Hieron. hîc in prologo ad Chromatiũ.

QVO TEMPORE PROPHETHAE OFFICIO functus fuerit.

EO tempore fuit Habacuc, quo iam duæ tribus, quæ vocabantur Iuda, ductę erãt in capriuitatẽ, vt probatur ex hiſtoria Daniel. c. 14. vbì Habacuc ꝓpheta miſſus, ac ab angelo deportatus fuit cum cibo ad Danielem in lacum leonum, qui erat in Babylone. Atq; vel hinc patet, tũc vaticinatum eſſe Abacuc, cùm Iuda & Beniamin iam in captiuitatem abijſſent, à Nabuchodonoſore ductæ, in quem & Babylonem hęc ſua diriguntur vaticinia. Ioannes Ludou. Viues partìm ſup. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 31. Vide Hieronymi prologum in hunc prophetam.

QVID ET QVIBVS FVERIT VATICINATVS.

PROPHETIA cius eſt contra Babylonem & Nabuchodonoſor regem Chaldęorum: vt quomodò prior propheta Nahũ, quem Habacuc ſequitur, vaticiniũ habuit contra Niniuen & Aſſyrios, qui vaſtauerunt decem tribus, quæ vocabantur Iſrael: ità Habacuc prophetiam habeat aduersùs Babylonem & Nabuchodonoſos, à quibus Iuda & Hieruſalem, templumque ſubuerſa ſunt. Hierony. in eodem prologo.

DE MORTE HABACVC.

Cvm de aduentu Domini non pauca vaticinatus eſſet, biennium antequàm populus à Babylone redijſſet, mors eum occupauit, & magnis honoribus in agro ſuo ſepultus eſt. Epipha.

PROPHETIAE HVIVS SVMMA.

Svmmam huius prophetiæ D. Auguſt. de ciuit. Dei, lib. 18. cap. 31. his paucis complexus eſt verbis: Habacuc, inquit, de quo alio, quàm de Chriſti aduentu, qui futurus erat, intelligitur dicere, Et reſpondit Dominus ad me, & dixit: Scribe viſum apertè in buxo, vt aſſequatur, qui legit ea: Quia adhuc viſio ad tempus, & orietur in fine, & non in vacuũ: Si tardauerit, ſuſtine cũ: Quia veniet, & non morabitur.

PARTITIO PROPHETIAE ABACVC.

TABVLA 231.

CONtinet hic liber tria, nempe

- QVERELAM *Propheta, admodùm confidenter ex Deo perquirẽtis, cur ſinat pios ab impijs opprimi, & adeò creſcere viribus regem Nabuchodonoſor, cap. 1. idq́; duas ob cauſas. Sic enim*
  - REGEM *illum & eius exercitum fore inuictum, verſ. Adſpicite in gentibus. eodem.*
  - SVAM *potentiam illum non Deo, ſed ſuo aſſcripturum idolo, verſic. Ter mutabitur ſpiritus eius. ibid.*
- RESPONSVM *diuinum, cap. 2. per totum. In qua parte propheta*
  - PARAT *ſe ad audiẽdum diuinum reſponſum, verſ. Super cuſtodiã.*
  - PROMITTIT *illud reſponſum fore luculentum, verſ. Et reſpondit mihi Dominus.*
  - PRAEDICIT *deſtructionem regni Chaldæorum. verſ. Et quomodò vinum, eodem cap. 2.*
  - DISCVRRIT *per vitia, quibus hoc regnum meruit excindi, qualia ſunt*
    - *Violentia, qua alia regna oppreſsit, verſ. Væ ei qui multiplicat.*
    - *Auaritia, verſ. Væ qui congregat.*
    - *Cædes & malitia, verſ. Væ qui ædificat.*
    - *Ebrietas & crapula, in qua Rex Balthaſar eſt interfectus, verſ. Væ qui dat potum.*
    - *Idololatria, verſ. Væ qui dicit ligno. d. cap. 2.*
- GRATIARVM *actionem prophetæ cantico comprehenſam, tot ca. 3. in quo prophetiam texit de*
  - INCARNATIONE *& prædicatione Chriſti, cũ deſignatione*
    - *Temporis, verſ. In medio annorum.*
    - *Loci, verſ. Deus ab auſtro.*
    - *Modi, verſ. Operuit cælos, &c.*
  - PASSIONE *eiuſdem, verſ. Splendor eius.*
  - DESTRVCTIONE *mortis, & Chriſti reſurrectione, verſ. Ante faciem eius.*
  - SPOLIATIONE *inferni, verſ. Egredietur diabolus.*
  - CONVERSIONE *totius orbis, à ritu gẽtili & peruerſo, ad Chriſtum, verſ. Adſpexit & diſſoluit.*
  - IVDICIO *extremo, verſ. Suſcitans ſuſcitabis.*
  - LIBERATIONE *populi à captiuitate Chaldaica, cauſa venturi Chriſti, & deſtructione regis Babylonis. verſ. Egreſſus es in ſalutem populi.*
  - NOMINE *& titulo Chriſti, verſ. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo, d. cap. 3. & vltimo.*

PRO-

PROPHETIA SOPHONIAE, LIBER BIBLIAE XL, PARTIS QVINTAE *Decimusquartus.*

DE SOPHONIAE ORIGINE.

Sophonias Propheta Sarabathides,ſiue à mõte Sarabatha, è tribu ac proſapia erat Simeon,teſte Epiphan.Qui nomine prophetico & glorioſa Maiorum ſuorũ ſtirpe generatus eſt. Habuit enim patrem Chuſi, auum Godoliam,proauũ Amariam,atauum Ezechiam,omnes prophetas:iuxta regulam qua aiunt,omnes Maiores quos in titulo nominat propheta aliquis,etiam Prophetas fuiſſe: & talem quadrigam ipſe velut extremus auriga compleuit. Hieron.ferè cap. 1. commentariorum in hunc Prophet.in princip.

VNDE HOC NOMINE FVERIT APPELLATVS.

Nomen Sophoniæ alij ſpeculam,alij arcanum Domini trãſtulerunt. Siue igitur ſpecula,ſiue abſconditũ Domini interpretetur,vtrunq; Prophetæ conuenit. Dicitur enim ad Ezechiel: Fili hominis, ſpeculatorem te poſui domui Iſrael. Idem ibidèm.

DE MYSTICA HORVM NOMINVM interpretatione.

Filivs erat Chuſi,q interpretatur humilitas,vel Aethiops meus.Habebat quoquè auum Godoliam,qui dicitur magnitudo Domini: & proauum Amariam, q & ipſe vertitur in Sermonem Domini:& atauum Ezechiam,qui ſonat fortitudinem Domini.De fortitudine itaque Domini,natus eſt ſermo Domini: & de ſermone Domini,nata eſt magnitudo Domini:& de magnitudine Domini,nata eſt humilitas:vt cùm peruenerit aliquis ad perfectum,dicat:Non ſum dignus vocari Apoſtolus,1.Cor.15. Et illud in Pſal.Domine,non eſt exaltatum cor meum,neq; elati ſunt oculi mei.Pſal.130.Hieron.vbì ſuprà.

QVO TEMPORE HIC PROPHETA FVERIT celebris.

In diebus Ioſiæ filij Amon Regis Iudæ,ſe prophetâſſe Sophonias teſtatur ipſe ca. huius lib. 1. Vide Auguſt. De ciuitat.Dei lib.18.cap. 33. Atque ſic patet eum ante tempus prophetâſſe captiuitatis Babyloniææ.Lyranus in d.cap.1.

QVID ET QVIBVS CONCIONATVS SIT.

Prophetavit in Hieruſalem & vniuerſa Iudæa, prędixitque diem,in quo demolienda eſſent omnia idola & nemora,futuruſque eſſet fletus multus ac planctus.Prophetat autem & de Seruatore,& de reſurrectione eius,quam noſtrì gratia fecit. Deindè & contra Gazam,& Aſcalon,& Azoton, & Accaron, & contra Moab & Ammon,& Damaſcum,& Niniuen, & Aethiopas. Athanaſ.in Synopſi.

DE EIVS MORTE.

Vitam cum morte cõmutauit in Apocalypſi Domini, & ſolitarius in aruo ſuo funeratus eſt.Epiphan.

PROPHETIA IOHELIS, LIBER BIBLIAE XXXIII, QVINTAE PARTIS *ſeptimus.*

QVIS ET VBI NATVS FVERIT IOHEL.

Iohel propheta filius Phatuel,de tribu Ruben,natus dicitur in agro Bethorō, vbi etiam in pace mortuus eſt & ſepultus.Hic in prologo,& Epiphan. De vita & interit. Prophetar.

QVO TEMPORE FLORVERIT.

Avgvstinvs de ciuit.Dei lib.18.cap.27.dicit ſe huius & Ionæ Prophetæ tempora non in illorum ſcriptis,ſed in Chronicis inuenire potuiſſe, Iohelem tunc prophetâſſe,cùm iam regnaret Ioatham.Quod tempus Hieronym.extendit etiā ad Achaz,Ezechiam & Ieroboam.Tempora quoquè,ait,in quibus prophetauit, eadem debemus accipere,quæ & in Oſee legimus, in diebus ſcilicet Oziæ, Ioathan & Achaz & Ezechiæ Regum Iuda,&in diebus Ieroboā filij Ioas regis Iſrael. Hieron.in 1.cap.Iohelis. Sed Nicolaus de Lyra,ſequitur opinionem Rabini Salom.qui Iohelem putat tempore potiſſimùm Ioram Regis prophetâſſe Iſrael.

AD QVOS HAEC PROPHETIA FVERIT inſtituta.

Sicvt in Oſee ſub nomine Ephraim ad decem tribus cōfertur vaticinium, quæ vel Samaria,vel Iſrael ſæpè memorantur: ſic in hoc Propheta omne quod dicitur,ad tribum Iuda,& ad Hieruſalem pertinere credendum eſt,& nullam omninò Iſraelis,id eſt,decem tribuum,in hoc fieri mentionem. Hieron.in Commentar.cap.1.

SVMMA EIVS PROPHETIAE QVAE SIT.

Act.2. Describit terram duodecim tribuum,æruca,brucho,locuſta,rubigine vaſtante cōſumptam,& poſt euerſionem prioris populi effuſum iri ſpiritū ſanctū ſuper ſeruos Dei & ancillas,id eſt,ſuper centū viginti credētium nomina,& effuſum iri in cœnaculum Sion. Qui centum viginti ab vno vſque ad quindecim plaulatim & per incrementa ſurgentes,quindecim graduum numerum efficiunt,qui in Pſalterio myſticè continentur. Prologus in hunc Prophetam tertius.

PARTI

PARTITIO PROPHETIAE IOHELIS.

TABVLA 225.

DVAS *hic propheta ſũpſit ſibi partes, in quarum*

- PRIMA *minatur*
  - TOTI *regioni Iudææ deuaſtationem,cap.1.per tot.*
  - SION *& Regiæ ciuitati*
    - *Obſidionem,capit.2.verſ.Canite tuba in Sion &c.*
    - *Perturbationem.verſic.ante faciem eius.eod.*
    - *Depopulationem & captiuitatem. verſ.Vrbem ingreditur.eod.*
- SECVNDA *cõſolatur iterum,*
  - HORTANDO *ad pœnitentiam.verſic. Nunc ergò dicit Dominus &c. d. cap. 1.*
  - REPROMITTENDO
    - *Beneuolentiam & abundantiam poſt reditum de captiuitate,verſ.Zelatus eſt Dominus. eodem.*
    - *Spiritusſancti gratiam in filios Iudæorum effundendã. Quod debet referri ad apoſtolos poſt conuerſionem populi prioris.verſ.Erit poſt hæc.eod.*
    - *Vindictam diuinitus exercendam in iudicio in omnem gentẽ, cap.3.in principio.*
    - *Bonis gloriam,malis pœnam à iudicio æternam,verſ.Et erit in die illa.vſque in fin.cap.3.& vltimi.*

PROPHETIA AMOS, LIBER BIBLIAE XXXIIII, QVINTAE PARTIS VIII.

AMOS VNDE SIT ORIVNDVS.

AMOS propheta,è Theeue oppido oriundus eſt, de tribu Zabulon. Epiphan. de vit.& interi.prophet. Quem Deus de grege captarum ſumptum, ſpiritu ſuo inſtruxit,& ad propheticam dignitatem extulit. Baſi.Magn.epiſtola 55. Sic enim de ſeipſo in 7.fatetur capite,paſtorem ſe vel armentarium fuiſſe, indè diuinitùs ablatum atq; miſſum,vt Dei populo prophetaret. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana,lib.4.cap.7. Non eſt ergò,vt ſuprà monuimus, Pater hic Eſaiæ:quanquàm & ille propheta extiterit. Hieron.hîc & alijs pluribus in locis. Sed is eſt,quem ablatum de numero paſtorum,miſit Dominus vt in Samaria prophetaret. Idem hîc in Prolog.

AMOS CVR SE PROPHETAM ESSE NEGARIT.

QVOD autem Amaſiæ ſacerdoti Bethel in d.cap.7. De ſeipſo loquens,reſpondit: Non ſum Propheta,neq; filius Prophetæ,ſed armentarius ego ſum,vellicans ſycomoros:id eum B. Gregor.lib.2. Moralium,cap.41.in Iob, ideò feciſſe putat, vt oſtenderet prophetiæ ſpiritum ſibi deeſſe ſenſiſſe,cùm hęc diceret.

QVO TEMPORE PROPHETAE OFFICIO functus fuerit.

PROPHETARE cœpit ſub Ozia, quandò & Eſaias prophetiæ ſuæ habuit exordium,vt ait Hieron.in Eſa.lib.3.cap.7. Ità enim de ſuo tempore ſcribit ipſe 1. cap. Et refert hoc idem Auguſtin.de ciuit.Dei lib.18.cap.27. vbì ait, Amos quoquè in diebus Oziæ regis ſe prophetâſſe ſcribit. Prophetauit tamẽ etiam ſub Ieroboam filio Ioas regis Iſrael. Hieron.in 1.cap.Amos. Porrò in prologo 3.dicitur, eum aliquantulùm exorſum eſſe ante Iſaiam.

CONTRA

CONTRA QVOS PROPHETAVERIT.

PROPHETAVIT in gentes, ait Hierony. quæ lectione, id eſt, ipſa operis narratione compræhenſæ ſunt in d. prolog. Videlicet contra Damaſcum, Gazam, Aſcalon, Azotum, Accaron, Tyrum, Idumæã, Theman, filios Ammon & Moab: Athanaſius in ſynopſi. Maximè enim contra x. tribus locutus eſt, interſerens pauca de duabus. Et eſt hic Amos primus, qui prophetauit contra Iſrael, dicens: Iſrael autem captiuus ducetur de terra ſua. Hieron. in Eſaiam lib. 3. cap. 7. ex ſentẽtia Hebræorum.

DE QVIBVS REBVS PROPHETAVERIT.

IMPERITVM Hieron. ſcribit hunc prophetam fuiſſe ſermone, ſed non ſciẽtia: Ad Pãmachum hîc in prolog. Cõmmentar. vt qui ruborum mora diſtringẽs, repentè propheta effectus ſit. Idem ad Heliodorum de vita ſolitaria. Denunciat autem gentibus prędictis iram Dei, ob cauſas quas memorauit. Hieron. hîc in prolog. 1.

DE PROPHETAE HVIVS MORTE.

HVNC Amaſias ſacerdos frequenter plagis afflixit, tandèm filius eius Ozias vectè per tempora transfixit. Poſt hæc ſemiuiuus in terram ſuam euectus, poſt aliquot dies dolore vulneris expirauit: ſepultusq; eſt cum patribus ſuis. Epiphan. de prophet. & in prolog. 3. in Amos.

PARTITIO PROPHETIAE AMOS.

TABVLA 226.

HAEC PROphetia ferè tota verſatur in minis: In qua propheta vltionem minatur

- PRIMVM — capit. 1.
  - DAMASCO.
  - GAZAE, *vel Philiſtæis,*
  - TYRO,
  - EDOM,
  - FILIIS *Ammon.*
- DEINDE — *cap. 2. & ſequentib.*
  - MOAB,
  - IVDAE, *id eſt, duabus tribubus.*
  - ISRAEL, *id eſt, decem tribuum populo.*
- RVRSVS SPECIA*liter filijs Iſrael propter peccatum*
  - *Idololatriæ, cap. 3.*
  - *Impœnitentiæ, cap. 4.*
  - *Iniuſtitiæ, violentiæ & rapinæ, cap. 5.*
  - *Laſciuiæ & ſuperbiæ, cap. 6.*
  - *Malitiæ & affectatæ ignorantiæ, cap. 7.*
  - *Auaritiæ, cui delicto pro pœna præmittit viſionem vncini pomorum, cap. 8.*
- POSTRE*mò*
  - COMMINATVR *Iſraelitis in peccato obſtinatis negationẽ miſericordiæ Dei. cap. 9. Vidi Dominum.*
  - ALIIS *duabus tribubus, præſertim reliquijs in Chriſtum credituris. promittit miſericordiam. ibid.*
  - INTRODVCIT *Chriſtum & in eum credituros, dum ait: In die illo ſuſcitabo tabernaculum Dauid, &c.*

PRO-

PROPHETIA ABDIAE, LIBER BIBLIAE XXXV, QVINTAE PARTIS IX.

DE PROPHETAE HVIVS ORIGINE.

Abdias propheta,qui interpretatur ſeruus Domini,ex famulatu Dei nomẽ accepit. Hieron.in epiſtolam Pauli ad Titum poſt principium. Originem duxit ex Sichen,agroq; Betachamar. Epiphan.de vita prophet. Secundùm doctores Hebraicos & Latinos,diſpẽſator domûs Achab regis Iſrael. Lyranus hîc in pricip. Poſt,relicta aula,Heliæ ſe adiunxit diuinatori,& eius factus eſt diſcipulus, cuius gratia,plurimùm ſuſtinens,ſeruatus eſt. Idem Epiphan.ibidem. Paruus eſt hic ꝓpheta,verſuum ſupputatione,non ſenſuum: Alioquì ea videt,ea audit, quæ prophetali digna ſunt ſeruitute. Hieron. in cap.1.huius, alludens ad nomen Abdiæ, quod,vt diximus,ſignificat ſeruum Domini.

QVOMODO AD PROPHETIAE MVNVS PERVENERIT.

Cvm Iezabel ad necem vſque perſequeretur prophetas Domini,Abdias centum ex his pauit in ſpecubus,qui non curuauerunt genu Baal:& de 7.millibus erant, quos Helias arguitur ignoràſſe: Pro quo pietatis officio gratiam accepit ꝓphetalem,& de duce exercitûs,fit dux Eccleſiæ. Tunc in Samaria paruum gregẽ pauerat,nunc in toto orbe Chriſti paſcit eccleſias. Hierony.cap.1. hîc in princip. & in Epitaphio Paulæ ad Euſtoch. Vt vel hinc intelligere liceat, veriſſimum eſſe, quod Saluator noſter Chriſtus apud Matthæ.in 10.dixit capite: Qui prophetam recipit in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet. Eius autem pars magna in Hieremiæ volumine continetur. Idem Hieron.hic d.cap.1.

QVO TEMPORE DOCVERIT.

Hvivs prophetæ tempus D.Auguſtin.de ciuitate Dei lib.18.cap.31. neq; ex ſuis, nec aliorum ſcriptis chronicis ſatis liquere aſſerit,his verbis: Tres,inquit, ꝓphetæ de minoribus,Abdias,Nahum & Abacuc,nec ſua tempora dicunt ipſi, nec in Chronicis Euſebij & Hieronymi,quandò prophetâtint,inuenitur. Abdias enim poſitus eſt quidem ab eis cum Michæa, ſed non eo loco vbi notantur tempora, quandò Michæam prophetâſſe ex eius literis cõſtat. Quem Euſebij locum ità hîc ſuper Auguſtinũ explicat Ioannes Ludou.Viues: Abdiam Euſebius Michęę coniungit,regno Ioſaphat. de Abdia rectè: de Michæa verò contra ſuum Michææ ipſius teſtimonium,quod Auguſtinus annotauit. Quippe Michęas ſe viſionẽ vidiſſe perhibet ſub Regibus Ioathan,Achaz & Ezechia,multò poſterioribus Ioſaphat. Fuit ergò hic propheta vetuſtior quouis ſuperiorum ætate Ioſaphat regis Iuda,rege Latinorum Tiberino Syluio.

ADVERSVS QVOS PROPHETAVERIT.

Visionem annunciat contra Idumæam & finem eius,& contra gentes,quę Iſraëli inſultabant. Prædicit enim futurum,vt domus Eſau à poſteris Iacob expugnetur. Athanaſ.in ſynopſi.

QVO GENERE MORTIS INTERIERIT ABDIAS.

Svvm autem diem obiens,in agro Betachamar cum patribus ſuis capulum obtinuit. Epiphanius de vita Prophet. Sepulcrum eius eſt in Samaria,vbi etiam Heliſæus & Ioannes Baptiſta ſepulti ſunt. Hieron.in Epitaphio Paulæ ad Euſtoch.

ARGVMENTVM.

Complectitvr D.Hierony. huius Prophetiæ ſummam, paucis hiſce verbis ad Paulinum de diuinis ſacræ ſcripturæ libris. Abdias, ait, qui interpretatur ſeruus Domini,perſonat contra Edom ſanguineũ,terrenumq; hominem: fratris quoq; Iacob ſemper æmulum,haſta percutit ſpiritali.

QVIS

QVIS HORVM VERBORVM SIT SENSVS.

Sensvm iſtorum verborum latiùs explicat prologus, quem quidam D. Hierony. mo tribuũt: Iacob, inquit, Patriarcha fratrem habuit Eſau, qui ob ruborem corporis ſui, Edom hebręa lingua appellatus eſt, quod Latinè ſanguineus dicitur vel rufus. In memoratum fratrem ſuum, (qui Iſrael nomen acceperat) graui odio commotus, interimere conatus eſt. Qua de cauſa omnes qui populum Iſrael, id eſt, filios patriarchæ Iacob, prædicti Eſau odium imitati, perſecuti ſunt, Eſau & Edom appellati ſunt. Hæc ibì. Atque ſic à Iacob Iſraelitæ, id eſt, viri videntes, & ab Eſau ſiue Edom, Idumæi ſunt appellati. Idumæa autem caro eſt, quæ pugnat aduersùs ſpiritum, vt quibuſdam placere ait D. Hieronym.

PARTITIO PROPHETIAE ABDIAE.

TABVLA 227.

VNICVM HAbet hæc Prophetia caput, in quo Propheta Abdias

- INVEHItur in Idumæos propter eorum
  - SVPERBIAM & arrogantiam, *verſ. Superbia cordis tui extulit te &c.*
  - SCIENTIAM *vanam & mundanam, verſ. Non eſt prudentia in eo &c.*
  - INVIDIAM *& malitiam erga fratrem ſuum Iacob, verſ. Propter interfectionem &c.*
- PROMITTIT *filijs Iacob, quantùm ad tribum Iuda, duratione͂ perpetuam, & Ieſu Chriſti Saluatoris præſentiam in monte Sion, verſ. Et in monte Sion erit ſaluatio, &c.*

PROPHETIA IONAE, LIBER BIBLIAE XXXVI, PARTIS QVINTAE decimus.

DE ORIGINE, STATV, ET CONDITIONE IONAE.

Ionas propheta, qui columba interpretatur & dolens, teſte Hieron. in cap. 1. Ionæ, patria fuit ex terra Cariathamaum, haud porrò ab Azoto vrbe Græcorum mari vicina. Epiphan. de vita prophet. Filius Amathi prophetæ, id eſt, veritatis, qui fuit de Geth, quæ eſt in Opher. Tradunt autem Hebræi, hũc eſſe filium viduæ Sareptanæ, quem Helias propheta mortuum ſuſcitauit. Porrò Geth, in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodiè appellatur Diocæſarea, eũtibus Tiberiadẽ, haud grandis eſt viculus. Vbi & ſepulcrum eius oſtenditur. Quòd autem additur, quæ eſt in Opher, ad diſtinctionem aliarum eius nominis Geth fit vrbium. Hieron. in proœmio in Ionam. Et Auguſt. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, lib. 2. cap. 17.

QVO TEMPORE IONAS DONVM ACCEperit Prophetiæ.

Temporibvs Ieroboam regis Iſrael, filij Ioas, Ionam prophetam fuiſſe, quartus liber Regum indicare videtur. Traduntque Hebræi, Oſee & Amos & Eſaiam ac Ionam, ijſdem prophetâſſe temporibus. Hieronymus ibid.

QVIBVS

QVIBVS ET QVID PROPHETAVERIT.

Concionatvs eſt Niniuitis,quibus futuram vrbis prædicauit ſubuerſionem, quam pœnam vt effugiant,hortatur illos ad pœnitentiam;vt videre licet per totum hunc librum.

SVMMA TOTIVS PROPHETIAE.

Ad prophetam Ionam factum eſt verbum Domini, vt abiret in Niniuen, ibiq́ue prædicaret quòd poſt triduum ſubuertenda eſſet Niniue.Ille verò prædicationē hanc fugiens,nauem conſcendit;ex qua poſteà, cùm vrgeret tempeſtas, eiectus & à cete marino deuoratus eſt.Poſt tres autem dies eiecit cete Ionam viuētem, atque ità ſecundò factum eſt ad eum verbum Domini.Quo facto,abijt, & prędicauit in Niniue.Illi audita hac prædicatione,pœnitentiam egérunt,& amouit ab illis Dominus iram ſuam.Athanaſ.in Synopſi.

SCOPVS HISTORIAE HVIVS QVIS SIT, ET de ſenſu eius myſtico.

Ionas autem propheta non tam ſermone Chriſtum, quàm ſua quadam paſſione prophetauit: profectò apertiùs,quàm ſi eius mortem & reſurrectionem voce clamaret.Vt quid enim exceptus eſt ventre beluino,& die tertio redditus,niſi vt ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertio rediturum? Auguſtinus de ciuit.Dei lib.18.cap.30.Sic enim Saluator noſter hanc prophetiam Iudęis ipſe interpretatus eſt,atque pro ſigno ſuæ reſurrectionis certiſſimo, eorum obiecit incredulitati.Matthæi 12.& Lucæ 11.Sicut enim Ionas,inquit, fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus,ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

PARTITIO PROPHETIAE IONAE.

TAB. 228.

DESCRIBIT *Ionas*
- SEIPSVM
  - DOMINI *Imperio reſiſtentem, à principio capitis primi vſque ad verſ. Dominus autem miſit &c.*
  - EAM *ob cauſam in mare proiectum, à d.loco vſque in finem cap. 1.*
  - DE *vtero ceti magno miraculo prodeuntem.tot. cap.2.*
  - DIVINO *mandato & imperio tandèm obedientem,cap. 3. à princip.vſque ad verſ.Et crediderunt viri Niniuitæ &c.*
  - DE *non impleto oraculo ſuo dolentem, & quaſi de mendacio erubeſcentem. à princip. cap. 4. vſque ad verſ. Et præparauit Dominus Deus.*
- REGEM *& populum Niniuæ, prophetæ dictis commotos, egiſſe pœnitentiam, d. cap.3.verſ.Crediderunt.vſque in finem eiuſdem.*
- DOMINVM *ſub quodam portento & iudicio lenientem & demulcentem, ſub ſigno ſcilicet hederæ viridis,quæ percuſſa exaruit,à d.verſ.Et præparauit,vſque in finem capit.quarti & vltimi.*

PROPHETIA MICHAEAE, LIBER BIBLIAE XXXVII, PARTIS QVINTAE vndecimus.

DE PERSONA MICHAEAE.

MICHAEAS Moraſthites, qui interpretatur humilis & cohæres Chriſti, Propheta de tribu Ephraim oriundus. Epiphan. de vit. Prophetar. Qui tanto ardore complexus eſt ſuos, vt anathema eſſe optârit pro fratribus. Hieron. in Michæam lib. 1. cap. 2.

QVO TEMPORE IN NVMERVM ADSCITVS ſit Prophetarum.

ETSI hic Propheta coætaneus fuerit eorum, qui ſub Ozia rege prophetârunt, vt ſunt Oſee, Amos & Eſaias, Hieron. tamen in cap. huius libri primi, à principio ſtatìm tradit, Michæā Oziæ tēporibus non prophetâſſe, ſed filij eius Ioatham, poſt quem regnauit Achaz, Ezechia in patris Achaz imperium ſuccedente: Sub quo decem tribus ab Aſſyrijs in captiuitatem ductæ ſunt. Concordat cum hac ſupputatione Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. ca. 27. Michæas, inquit, etiam eadem ſuę prophetiæ commemorat tempora poſt dies Oziæ.

AD QVOS PERTINEAT HAEC PROPHETIA.

PROPHETAVIT contra Hieruſalem & Samariam, & cōtra prophetas populi ſeductores, & contra Achab. Athanaſ. in ſynopſi.

QVID PRAEDIXERIT.

PRAENVNCIAVIT etiam aduētum ſeruatoris, dicens: In poſterioribus diebus illuſtris erit mons domûs Domini. Athanaſius ibidèm.

DE PROPHETAE HVIVS MORTE.

MICHAEAS, quem in maxillam percuſſit Sedechias filius Canaan, 3. Regum 22. quum plurima deſignâſſet ille Achab regi Iſrael, ab eiuſdem filio, cui nomen Ioram, præcipitatus occubuit, eô quòd de iniquitatibus ſuis, progenitorumq́; ſuorum, quas perpetrauerant, redarguiſſet. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra planè ſolitarius, tumulum iuxta Polyandrium ſortitus eſt. Et eſt quidem monumentum ipſius, in hodiernum vſque tempus, nobiliſſimum. Epiphanius de vita & interitu prophetar.

PARTITIO PROPHETIAE MICHAEAE.

TABVLA 229.

DIVIDItur hæc prophetia in duas partes, videlicet in

- COMMINAtiones, *quibus comminatur filijs Iſrael propter*
  - PECcatum
    - *Idololatriæ commiſſum in Deum, cap. 1. verſ. In ſcelere.*
    - *Calumniæ & iniuſtitiæ erga proximum, in princip. cap. 2.*
    - *Incredulitatis & contumaciæ erga cœtum prophetarum, verſ. O Iſrael. eodem.*
  - CVLPAM *Principum, cap. 3. in princip.*
  - IMPOSTVRAS *& ſeductiones Pſeudoprophetarum verſ. Hæc dicit Dominus. eodem.*
  - COMMVNIA *delicta, tam principum, quàm prophetarum atq; ſacerdotum. verſ. Audite hoc principes. d. cap. 3. vbi propheta in hæc concludit verba: Propter hoc cauſa veſtrî Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidũ erit, & mons templi in excelſa ſyluarũ.*
- CONSOLAtiões *à promiſſionibus Diuinis ſumptas. Quibus iterum ſolatur eũdem populum, dum prædicit illi*
  - SALVTEM *atque redemptionẽ Chriſti fore vniuerſalẽ, id eſt, omnibus cõmunem, cap. 4. Vbi agit de*
    - VOCAtione
      - *Gentium, verſ. Et erit in nouiſſimo.*
      - *Iudæorum multorum, verſ. In die illa.*
    - *Regni Chriſti poteſtate, id eſt, Eccleſia primitiua futura in Sion, vbi Apoſtoli cũ alijs ſpiritum ſanctum receperunt, ibid.*
    - *Exilio Chaldæorum & Babyloniorum, quod, conſilio diuino neglecto, ſubire coacti ſunt, verſ. Dole & ſatage &c. d. cap. 4.*
  - NOBILITAtem *Chriſti, tot. cap. 5. Ibiq́ agit de*
    - *Patientia Chriſti, verſ. In virga &c.*
    - *Eiuſdem ortum in Bethleẽ, ver. Et tu Bethleem &c.*
    - *Generatione Chriſti à patre æterna, verſ. Et egreſſus eius à principio &c.*
    - *Eius matre virgine, verſ. Propter hoc &c.*
    - *Apoſtolorum*
      - *Vocatione, verſ. Et ſuſcitabimus &c.*
      - *Diſperſione per orbem, verſ. Et erunt reliquiæ &c.*
      - *Triumpho, ver. Et erit in die illa &c.*
  - LEGIS *Chriſti ſuauitatem, cap. 6. Quo loco Propheta*
    - *Commemorat partim beneficia diuina, verſ. Popule meus.*
    - *Excludit legis antiquæ onera. verſ. Quid dignũ offeram.*
    - *Subſtituit nouæ legis ſuauia conſilia, verſ. Indicabo tibi homo.*
    - *Aperit filijs Iſrael & ſcelera ſua, & flagella, verſ. Audite tribus.*
  - SCANDALVM *& occæcationẽ Iudæorum. cap. 7. In qua parte Michæas*
    - *Miratur Iudæorum nequitiam, malignitatem & cæcitatem, verſ. Non eſt botrus.*
    - *Suam declarat fidem & credulitatem. verſ. Ego autem ad Dominum.*
    - *Orat ferventer Chriſtum, vt reuertatur ad ſuum gregem & hæreditatem ſuam, verſ. Paſce populum tuum &c. vbi concludit, Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham &c.*

PROPHETIA NAHVM, LIBER BIBLIAE XXXVIII, PARTIS QVINTAE *Duodecimus.*

CVIAS SIT PROPHETA NAHVM.

Nahvm Propheta (qui Conſolator interpretatur) natus erat ab Elkeſi, trãs Iordanem fluuium, verſus Begabar, de tribu Simeon. Atque hic eſt propheta ille, q poſt Ionam oſtentum ac prodigium dedit ſuper Niniue, quod ab aquis dulcibus igneq; terreno, olim vaſtaretur. Id quod tandem contigit, qppe eam ex terrę motu igne vndiquè ambiente, mox etiam aqua de ſolitudine ſuperueniens, ſublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit. Epiphan. de vit. Prophet.

HELKESAEVS QVIS FVERIT, EX HIERONYMO.

Qvidam putant Helkeſęum patrem eſſe Nahum, & ſecundùm Hebręam traditionem, etiam ipſum prophetam fuiſſe, cùm Helkeſæi vſque hodiè in Galilæa viculus ſit paruus quidem, & vix ruinis veterum ędificiorum indicans veſtigia: ſed tamen notus Iudæis, & mihi quoquè à circunducente monſtratus. Hieron. in pœm. huius prophetæ ad Paulam & Euſtoch.

QVO TEMPORE PRAEDICAVERIT.

Qvòd D. Hieron. hîc in Prologo, hunc prophetam ex traditione Hebræorum ante aduentum regis Aſſyriorum, qui populum Iſrael captiuum in ſuas regiones tranſtulerat, fuiſſe confirmat: id gloſſa eiuſdem prologi, non ità intelligendũ eſſe monet, quòd tum etiam prophetauerit: Sed prophetâſſe illum potiſſimùm tempore Ezechiæ, eo ſcilicet, quo etiam Michęas prophetâſſe perhibetur. Ioſephus autem libro antiquitatum 9. cap. 12. ſcribit, hũc fuiſſe tempore Ioatham regis Iuda. Expirauit animam in pace, & in Begabar ſedibus ille ſuis placidus in morte q. eſcit. Epiphan.

QVID ET QVIBVS PRAEDICAVERIT.

Argvmento conuenit hic liber cum prophetia Ionæ, quòd vterq; Niniue Aſſyriorum metropoli, quę nunc vocatur Ninus, texat vaticinium. Nam vbi Niniuitæ, accepta clementia diuina, qua illis pœna per Ionam prędicta, tam benignè fuerat remiſſa, ità eſſent ſecuri, vt in antiqua & longè grauiora relaberẽtur vitia, hic propheta ſpiritu perfuſus ſancto, eiſdem Niniuitis ac omnibus Iſraelis perſecutoribus, iudicium Dei & interitum denunciat venturum. Quomodò autẽ ſint impleta, quæ prędixit illis Nahum, ex ipſo contextu coguoſcere licebit.

DE PROPHETIAE HVIVS TITVLO.

Inscribitvr hæc prophetia Onus Niniuę, eô quòd eam, aduersùs quam videtur, premat, nec ſinat eleuare ceruicem. Hieron. hîc ad Paulam & Euſtochium. Sunt autem quatuor in duodecim prophetarum volumine, è quibus tres in principio λῆμμα, id eſt, Pondus, titulum habent, Nahum, Abacuc, & Malachias. Zacharias in medio & circa finem bis habet hunc titulum. Hieron. in prologo in prophetam Abacuc ad Chromatium.

DE SENSV HVIVS PROPHETIAE MYSTICO.

In procemio in hunc prophetam B. Hieron. hanc prophetiam ſecũdùm ἀναγωγὴν rexi ait de conſummatione mundi, in conſolationem ſanctorum, vt quæcunque in mundo videnr, quaſi prętereuntia & caduca contemnant, & præparent ſe ad iudicij diem, vbi vltor aduersùm veros Aſſyrios futurus, Dominus eſt.

PAR.

PARTITIO PROPHETIAE NAHVM.

TABVLA 230.

TRIA PO- *tiſſimùm exequtur in hoc libr. Propheta Nahum. Nam &*

- MINATVR
  - IN *vniuerſum omni nationi, legem diuinam tranſgredièti, pœnam, à princip. cap. 1. vſque ad verſ. Bonus Dominus.*
  - IN SPECIE,
    - *Regi Aſſyriorum Sennacherib mortem, d. verſ. Bonus Dominus &c. Quæ ſecuta eſt tempore Ezechiæ, quo liberata fuit Hieruſalem.*
    - *Niniuæ ciuitati depopulationē, tot. c. 2. vbi propheta i̅troducit*
      - *Nabuchodonoſor*
        - *Proficiſcentem contra Niniuen, verſicul. Aſſcendit qui &c. eodem.*
        - *Oppugnantem eam, verſ. Aſſcendent muros eius &c.*
      - *Niniuen & Regem Aſſyriorum ſuccumbentes atque fugientes, verſicul. Et Niniue quaſi &c. eodem.*
      - *Iterùm Nabuchodonoſor eius opes diripientem, verſic. Diripite argentum. eodem.*
- CAVSAM *huius mali aſſignat, multitudinem fornicationum, atque ità culpam omnem in ipſam transfert ciuitatem Niniuen, cap. 3. vſque ad verſ. Et erit: omnis qui viderit &c.*
- *Prædicit Niniuen omnibus gentibus fore ludibrio, quæ anteà cunctis fuerat terrori, d. verſ. Et erit &c. Vbi ſic concluditur hæc prophetia: Regni Aſſyriorum gloriam, ſicut locuſtæ auolant, tranſituram.*

PROPHETIA ABACVC, LIBER

BIBLIAE XXXIX, PARTIS QVINTAE XIII.

VNDE ORIVNDVS SIT ABACVC.

ABACVC propheta ex agro Bexzochar, è tribu Simeon oriūdus. Epiphan. de vita prophet. Qui vel ex eo, quòd amabilis Domini eſt, vocatur amplexatio: vel ꝙ in certamen & luctam, & vt ità dicam, amplexum cum Deo congreditur: amplexantis, id eſt, luctantis ſortitus eſt nomē. Hieron. hîc in prologo ad Chromatiū.

QVO TEMPORE PROPHETHAE OFFICIO functus fuerit.

EO tempore fuit Habacuc, quo iam duæ tribus, quæ vocabantur Iuda, ductę erāt in captiuitatē, vt probatur ex hiſtoria Daniel. c. 14. vbì Habacuc ꝓpheta miſſus, ac ab angelo deportatus fuit cum cibo ad Danielem in lacum leonum, qui erat in Babylone. Atq; vel hinc patet, tūc vaticinatum eſſe Abacuc, cùm Iuda & Beniamin iam in captiuitatem abijſſent, à Nabuchodonoſore ductæ, in quem & Babylonem hęc ſua diriguntur vaticinia. Ioannes Ludou. Viues partìm ſup. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 31. Vide Hieronymi prologum in hunc prophetam.

QVID ET QVIBVS FVERIT VATICINATVS.

PROPHETIA eius eſt contra Babylonem & Nabuchodonoſor regem Chaldęorum: vt quomodò prior propheta Nahū, quem Habacuc ſequitur, vaticiniū habuit contra Niniuen & Aſſyrios, qui vaſtauerunt decem tribus, quæ vocabantur Iſrael: ità Habacuc prophetiam habeat aduersùs Babylonem & Nabuchodonoſor, à quibus Iuda & Hieruſalem, templumq́ue ſubuerſa ſunt. Hierony. in eodem prologo.

PROPHETIA SOPHONIAE, LIBER BIBLIAE XL, PARTIS QVINTAE

Decimusquartus.

DE SOPHONIAE ORIGINE.

Sophonias Propheta Sarabathides,ſiue à mõte Sarabatha, è tribu ac proſapia erat Simeon,reſte Epiphan. Qui nomine prophetico & glorioſa Maiorum ſuorũ ſtirpe generatus eſt. Habuit enim patrem Chuſi, auum Godoliam,proauũ Amariam,atauum Ezechiam,omnes prophetas:iuxta regulam qua aiunt,omnes Maiores quos in titulo nominat propheta aliquis,etiam Prophetas fuiſſe: & talem quadrigam ipſe velut extremus auriga compleuit. Hieron.ferè cap. 1. commentariorum in hunc Prophet.in princip.

VNDE HOC NOMINE FVERIT APPELLATVS.

Nomen Sophoniæ alij ſpeculam,alij arcanum Domini trãſtulerunt. Siue igitur ſpecula,ſiue abſconditũ Domini interpretetur,vtrunq; Prophetæ conuenit. Dicitur enim ad Ezechiel: Fili hominis, ſpeculatorem te poſui domui Iſrael. Idem ibidèm.

DE MYSTICA HORVM NOMINVM interpretatione.

Filivs erat Chuſi,q interpretatur humilitas,vel Aethiops meus.Habebat quoquè auum Godoliam,qui dicitur magnitudo Domini: & proauum Amariam, q & ipſe vertitur in Sermonem Domini:& atauum Ezechiam,qui ſonat fortitudinem Domini. De fortitudine itaque Domini,natus eſt ſermo Domini: & de ſermone Domini,nata eſt magnitudo Domini:& de magnitudine Domini,nata eſt humilitas:vt cùm peruenerit aliquis ad perfectum,dicat:Non ſum dignus vocari Apoſtolus,1.Cor.15. Et illud in Pſal.Domine,non eſt exaltatum cor meum,neq; elati ſunt oculi mei.Pſal.130.Hieron.vbi ſuprà.

QVO TEMPORE HIC PROPHETA FVERIT celebris.

In diebus Ioſiæ filij Amon Regis Iudæ,ſe prophetâſſe Sophonias teſtatur ipſe ca. huius lib. 1. Vide Auguſt. De ciuitat.Dei lib.18.cap. 33. Atque ſic patet eum ante tempus prophetâſſe captiuitatis Babylonicæ.Lyranus in d.cap.1.

QVID ET QVIBVS CONCIONATVS SIT.

Prophetavit in Hieruſalem & vniuerſa Iudæa, prędixitque diem,in quo demolienda eſſent omnia idola & nemora,futuruſque eſſet fletus multus ac planctus.Prophetat autem & de Seruatore,& de reſurrectione eius,quam noſtri gratia fecit. Deindè & contra Gazam,& Aſcalon,& Azoton, & Accaron, & contra Moab & Ammon,& Damaſcum,& Niniuen, & Aethiopas. Athanaſ.in Synopſi.

DE EIVS MORTE.

Vitam cum morte cõmutauit in Apocalypſi Domini, & ſolitarius in aruo ſuo funeratus eſt.Epiphan.

PARTITIO PROPHETIAE SOPHONIAE.

TABVLA 232.

QVINque habet hæc Prophetia partes:

- COMMINATIONEM *generalem ad omnes populos, cap.1. verſ. Congregans congregabo.*
- CASTIGATIOnem *ſpecialem ad*
  - HABITATORES *Hieruſalem & Iudæos, verſ. Et extendam, eod.*
  - SACERDOTES, *verſ. Et diſperdam. eod.*
  - REGES *& Principes, verſ. Et erit, in die hoſtiæ.*
  - HABITATORES *omnes, verſ. Et erit in die illa.*
  - LATITANTES, *verſ. Et erit in tempore illo.*
  - QVIBVS *addit magnitudinem & acerbitatem tribulationis. Ibi, Iuxtà eſt dies magnus. vſque in fin. d. cap.1.*
- EXHORTATIONEM *ad Pœnitentiam, cap. 2. verſ. Quærite Dominum, quærite iuſtum.*
- EXTERMINIVM *etiam aliarum gentium, tot. ca.2. putà*
  - *Philiſtinorum, præſertim ciuitatum* { *Gazæ, Aſcalonis, Azoti, Accaronis.* } *Verſ. Quia Gaza. eod.*
  - *Moabitarum & Ammonitarum, ver. Audiui opprobrium Moab. eod.*
  - *Aethiopum, verſ. Sed & vot Aethiopes. eod.*
  - *Aſſyriorum & Babyloniorum. verſ. Et extendet manum ſuper &c. vſque in finem cap.*
- CONSOLATIOnem *maximam adfuturam liberatæ ciuitati Hieruſalem, cap. 3. per tot. Qua in parte Propheta*
  - *Ab exprobratione incipit, vt oſtendat illos conſolatione indignos. verſ. Væ prouocatrix. eodem.*
  - *Deindè præſentiam Chriſti promittit, verſic. Dominus iuſtus in medio eius. eod.*
  - *Iudæos malos ad præſentiam Chriſti occæcatum iri prædicit, ver. Neſciuit iniquus.*
  - *Quoſdam Iudæos oſtendit credituros, verſ. Dixi: attamen timebis me, &c.*
  - *Multas gentes Iudæis in Chriſtum credentibus adiungendas docet. verſ. Quapropter expecta me, eod.*
  - *Tandèm huius nouæ Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia, ex gentibus & Iudæis collecta, gloriam & exultationem prædicit, verſ. Lauda Sion. vſque in fin. cap.3. & vltimi.*

PRO-

PROPHETIA AGGAEI, LIBER BIBLIAE XLI, QVINTAE PARTIS *Decimusquintus.*

VNDE SIC DICTVS SIT AGGAEVS.

Aggaevs,qui(vt refert Epiphanius)etiamdùm iuuenis ad prophetię munus vocatus eſt,& re & nomine feſtiuus ſiue ſolēnis interpretatur & lętus. Hier. in Prolog. Commentarior.in Prophetiam Ioelis,& in Epiſtola ad Paulin.de diuinis ſacræ ſcripturæ libris.

QVANDO FLORVERIT.

Qvo tempore Aggæus in ordinem cooptatus fuerit Prophetarum, breuiſſimè oſtēdit Auguſt.de ciuitat.Dei lib.18.in principio ſtatim capitis 35. Vbi ſic ait: Reſtant tres minores Prophetæ, qui prophetauerunt in fine captiuitatis, Aggæus, Zacharias,Malachias. Gloſſa Lyrani hoc loco dicit eum prophetâſſe poſt reditū captiuitatis Babylonicę,regis Darij anno ſecundo,menſe eiuſdem anni ſexto,ca. 1.*Aggæi.*

QVID ET QVIBVS PROPHETAVERIT.

Sermo ſibi fuit pręcipuè ad Zorobabel & Ieſum filium Ioſedech,& deindè ad totum populum,qui erat in Iuda & Hieruſalem, quibus pręcepit vt reædificarent templum Domini. Gloſſ. Lyrani hîc in princip.cap.1.

DE SCRIBENDAE HVIVS PROPHETIAE occaſione.

Occasio huius Prophetiæ deſcribitur ad longum in 2. Paralipomenon. Nam ibi Nabuchodonoſor rex Chaldæorum,Sedechiam regem Iuda, propter violatā fidem & factam ab eo diſceſſionem,cum omni populo in Babyloniam duxit captiuum,temploque accenſo,totam deſtruxit ciuitatem Hieruſalem. Mortuo autem Nabuchodonoſore, & filio eius Balthaſare, vt in Danielis 5. habetur capite, interfecto,Darius Medus ſucceſſit in regnum vnà cum Cyro rege Perſarum.

Is vero Cyrus primo regni ſui anno,cum vaſis à Nabuchodonoſore ablatis,miſit in Hieruſalem circiter quinquaginta millia Iudæorum,quibus præfecit Zorobabel filium Salathiel,& Ieſum filium Ioſedech,eiſq; præcepit, vt templum Domini iterùm ædificarent. Illi præcepto Regis incumbendo, altari extructo, fundamenta iecerunt templi,1.Eſd.3. Verùm cùm intereà Cyrus vita decederet, eiq; Artaxerxes in regno ſuccederet,gentibus quæ erant circa Hieruſalem,mandauit nè templum inſtaurari permitterēt,1.Eſd.4.& 5. Quam ob rem opus ſuſceptum, vſque ad annum Darij filij Hyſtaſpis ſecundum,manſit imperfectum.

Qvo anno Aggæus & Zacharias Prophetæ,nec regis curantes edictum, nec populorum adiacentium timentes inimicitias, & Zorobabelem & totum hortati ſunt populum,vt templi reædificationem proſequerentur,atque ad finem vſque perducere ſtuderent,eô quòd tempus,quo Hieremias templum reædificandum eſſe prædixerat,iam adeſſet. Gloſſa in 1.cap.huius Prophetæ.

ARGVMENTVM EX D. HIERONYMO in Epiſt. ad Paulinum.

Aggaevs feſtiuus & lętus,qui ſeminauit in lachrymis,vt in gaudio meteret,deſtructum templum ędificat,Deumque Patrem inducit loquētem: Adhuc vnum modicum eſt,& ego commouebo cælum & terram,& mare,& aridam, & mouebo omnes gentes,& veniet deſideratus cunctis gētibus. Aliam de occaſione huius Prophetię narrationem vide in Prologo D.Hieron.in hunc ipſum Prophetā,

ISTO.

ISTORVM OMNIVM SVMMA. TABVLA 233.

OMNIA AVtem quæ in textu huius prophetiæ continẽtur, pertinent vel ad
- REVERSIONEM *populi,*
- AEDIFICATIONEM *templi,*
- RENOVATIONEM *Ciuitatis,*
- OBSERVANTIAM *Sacerdotum,*
- INTERITVM *Regnorum gentium externarum.d.gloſſ.ſuper Epiſtolam Hieron.ad Paulin.*

DE GENERE MORTIS, QVO INterijt Aggæus.

AGGAEVS,qui vt oculis ſtructuram templi Hieruſalem vidit,ità primus omnium cecinit ibì Alleluia,quod eſt,Laudibus efferamus viuentem Deùm,Amen Amẽ, (quod, Fiat Fiat,interpretatur) codẽ loci vitam finiuit,& humo prope Sacerdotes,cum honore & gloria conditus eſt. Proindè etiamdùm hodiè pſallimus, Alleluia,qui hymnus Aggæi & Zachariç perhibetur.Ità Epiphanius.

PARTITIO PROPHETIAE AGGAEI.

TABVLA 234.

QVAE CONtinẽtur in hoc Propheta, in quatuor diuidũtur membra: In quibus
- REPRAEHENDITVR *torpor & negligentia eorum, qui poſtquàm de Babylonia rediĳſſent,magnifica ſibi extruebant ædificia, templi verò inſtaurandi prorſus nullam habebant curam.à princip.cap.1.vſque ad verſic. Et nunc hæc dicit Dominus.*
- DEO *hanc incuriã diſplicuiſſe,duplici confirmat ſigno:*
  - QVOD *ex templi neglectu ſecuta ſit paupertas & inopia,d.verſ.Et nunc.*
  - EX *inſtauratione verò templi, rerum omnium ſint habituri copiam,verſ.Aſſcendite in montem.eod.*
- EXHORTATVR *populum ad ædificationem templi,verſ.Et dixit Aggeus, vſque in fin.cap.1.*
- PROMITtitur
  - FILIIS *Iſrael*
    - *Chriſtus,à princip.cap.2.vſque ad verſ. In viceſima.in verb.Veniet deſideratus cunctis gentibus.*
    - *Succeſſus bonus & copia rerum temporalium,ſi templum inſtaurent.d.verſ.In viceſima. eod.*
  - ZOROBABELI, *Chriſtum ab eo deſcenſurum. verſ. Aſſumã te,vſque in fin.cap.2.*

PROPHETIA ZACHARIAE, LIBER BIBLIAE XLII, PARTIS QVINTAE Decimusſextus.

DE GENERE ET PARENTIBVS ZACHARIAE.

PROPHETA hic ſeipſum deſcribit, dum ſe mox in principio huius Prophetiæ Zachariam nominat, filium quidem Barachiæ, nepotem verò prophetæ Addo, cap. 1. hîc. Neque ambigi dicit quidam, quin hic Addo is ſit, qui iuxta Paralipomenon librum, miſſus eſt ad Ieroboā, filium Nabath, ſub quo altare diruptum eſt, & manus Regis aruit, rurſumq́ue ad preces illius reſtituta eſt. 3. Reg. 13.

2. Par. 12. ſit mentio Addo Videntis.

VERVM vt in Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 35. ſcribit Ioan. Ludouicus Viues, in neutro Sacrarum literarum loco, nominatur Addo. Nam in lib. Regum ſubticetur nomen Prophetę, in Paralipomenon nuncupatur Semeias: & propheta qui illis temporibus vixerit, non potuit ne atauus quidem eſſe hominis Iudaici Babylone captiui. Ità Viues: cum quo Gloſſ. Lyrani hoc loco concordat.

DE NOMINVM ISTORVM INTERpretatione.

ZACHARIAS, interpretatur memoria Domini: Barachia, benedictio Domini: Addo, teſtimonium eius. Quoniam ergò populus, qui ab ędificatione templi defecerat, adhuc Domini habebat memoriam, & propter memoriam benedictionem, & ob benedictionem teſtimonii, idcircò ad eum Zacharias filius Barachiæ, filij Addo, mittitur. Hieron. in 1. cap. Zachariæ.

QVOD PLVRES IN SACRIS LITERIS HOC nomine ſint appellati.

PLVRES in ſacra ſcriptura eſſe Zacharias, refert Hieron. in Matth. lib. 4. cap. 23. circa fin. Alius enim fuit Ioiadæ, alius Barachiæ, & alius Pater Ioannis Baptiſtæ. Eſtq́ue inter Doctores ſacros aliquanta controuerſia, qs ex his omnibus ille fuerit Zacharias, quem Iudæi, vt Matthæi 23. obiecit illis Chriſtus, inter templum occiderunt & altare: tum quibus ex cauſis fuerit occiſus. Quibus de rebus diuerſi diuerſa ſentire videtur. Quæ ſi quis plenè cognoſcere cupiat, poterit videre ea, quæ Origenes, Hieron. & Anſelmus in cap. Matth. 23. perſcripſerunt. Chryſoſtomum verò in cap. Matth. 1. homil. 1. & in Sermone de natiuit. Ioan. Baptiſtæ, ex Luc. cap. 1.

QVO TEMPORE FVERIT CLARVS.

HVNC Prophetam Aggęus duobus pręceſſit mēſibus. Cùm enim Aggæus anno Darij 2. menſe verò ſexto, die prima eiuſdem menſis prophetare incepiſſet, Zacharias menſe octauo eiuſdem anni fudit vaticinium. Vndè rectè iuxta ordinem duodecim prophetarum ille decimus, & hic vndecimus ponitur. Hieron. in 1. cā. huius.

DE EIVSDEM PROPHETAE EX HAC VITA diſceſſu.

DECESSIT vltima ſenectute in Iudæa, & proximè cum Aggęo Propheta humatus eſt. Epiphan. de vita & interit. prophetar.

QVAE

QVAE PROPHETAE HVIVS FVERIT Doctrina.

EANDEM quoquè habuit cum Aggæo prouinciam atque legationem. Vterque enim miſſus fuit, vt populum Dei ad templi animaret reparationem. Auguſt. De ciuitat. Dei lib. 18. cap. 35. de Zacharia loquens, Zacharias, inquit, De Chriſto prophetauit & Ecclesia, dum ait: Exulta valdè filia Sion, iubila filia Hieruſalem: eccè Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ: & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ &c. *Zach. 9.*

DE VISIONIBVS ZACHARIAE, ET TOtius prophetiæ Summa.

ZACHARIAS memor Domini ſui, multiplex in Prophetia, Ieſum veſtibus ſordidis indutum, & lapidem oculorum ſeptem, candelabrumq; aureum cum totidē lucernis, quot oculis, duas quoquè oliuas à ſiniſtris lampadis cernit, & dextris: & poſt equos varios, & rufos, & albos, & diſſipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, pauperem regem vaticinatur, & prædicat ſedentem ſuper pullum aſinç filium ſubiugalis. Hieron. hîc in argumento. Vide etiam Synopſim Athanaſij.

QVIS PROPHETIAE HVIVS FVERIT effectus.

EFFECTVS vtriuſque & Aggæi & Zachariæ concionum, breuiter deſcribitur in Prologo Zachariæ præfixo, his verbis: Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedech, & principes eius, inchoaueruntque ędificare domum Dei, quę eſt in Hieruſalem. Quibus cùm adeſſent Prophetæ, adiuuerūt eos ſua exhortatione.

PARTITIO PROPHETIAE ZACHARIAE.

TABVLA 235.

PROPHETIA *Zachariæ quatuor reſpicit tēpora, Nimirùm*

- PRAESENS *tempus, ſcilicet inſtaurationis templi, cap. 1. 2. 3. & 4.*
- FVTVRVM, *videlicet inhabitationis in Hieruſalem, cap. 5. 6. 7. & 8.*
- MACHABAEORVM, *cap. 9. & 10.*
- ROMANORVM, *à cap. 11. vſque in finem totius Prophetiæ.*

TEM-

CONTI*net Prophetias, quæ p*[er]*tinēt ad cō*[n]*fortationem*

- TOTIVS *populi, tot. ca. 1. Quo in loco*
  - ADMONENTVR *omnes, nè ſint increduli, verſ. Nè ſitis ſicut Patres veſtri.*
  - PROMITTITVR *conſolatio, verſ. In die viceſima.*
  - EXPLICÀTVR, *eadem conſolatio qualis ſit, verſ. Et dixit ad me.*
  - PRAEDICITVR 4. *regnorum, quæ Iudæos vexârunt, deſtructio, verſ. Et leuaui oculos meos. vſque in finem cap. 1.*
- AD CIVITATIS *& templi Hieruſalem ædificationem, cap. 2. per tot. Vbì*
  - PRAEMITTITVR *apparitio Angeli metiri volentis locum, in quo Hieruſalem debeat ædificari. In principio.*
  - INTRODVCITVR *apparitio alterius angeli probibētis* Hie*ruſalem metiri. verſ. Et eccè angelus.*
  - VOCANTVR *filij Iſrael toto orbe diſperſi ad habitandum in Hieruſalem reædificata. ver. O, ô, fugite de terra.*
  - OSTENDITVR, *filijs Iſrael etiam alios populos adiungendos. ver. Et applicabuntur gentes. Quæ omnia non tam de ipſa ciuitate Hieruſalem, quàm de regno Chriſti & tota Eccleſia ſunt intelligenda. vſque in fin. cap. 2.*
- IESV *Sacerdotis magni, qui venerat de Babylone ad ædificandum templum, cap. 3. Ibiq́ Propheta*
  - INTVETVR
    - *Ieſum in veſte ſordida, & Satanam ſibi aduerſantē, pro eo quòd vxorem duxerat alienigenam. in principio.*
    - *Culpam ipſi Ieſu remiſſam. ver. Qui reſpondit.*
  - AVDIVIT *promiſsionem ampliſsimam factam ipſi Ieſu. verſ. Et conteſtabatur angelus.*
  - CONVERTIT *Prophetiam ad Chriſtum naſciturum ex Zorobabele. verſ. Audi Ieſu Sacerdos magne. vſque in fin. cap. 3.*
- ZOROBABELIS *Ducis regni primarij. Per tot. cap. 4. Et ibì*
  - INQVIRITVR *myſterium aurei candelabri, quo ſignificabatur robur Spiritusſancti, cuius virtute, & non robore exercitûs, templum reſtitui deberet. ver. Et reſpondi.*
  - PRAEDICITVR *Chriſtus naſciturus ex Zorobabele. verſic. Quis tu mons magne.*
  - PETITVR *expoſitio duarum oliuarum, quæ deſignabant duos filios olei, Zorobabelem ſcilicet & Ieſum ſacerdotem magnum. vſque in fin. cap. 4.*

TEMPVS INHABITATIONIS. TABVLA 237.

IN DVO *partitur capita principalia, quę explicant*

- PROPHETIAM *eorum quæ infra tẽpus Zorobabelis & Machabæorum futura ſint. In qua parte prædicit quatuor, videlicet*
  - IDOLOLATRIAM *abolendã, cap. 5. Quã abolitionem tres declarant viſiones,*
    - *Vna de volumine maledictionis, in principio.*
    - *Altera de amphora & impietate ſedẽte ſuper ea, quæ ſignificat idololatriam. verſ. Et egreſſus.*
    - *Tertia duarũ mulierum, decẽ ſcilicet tribuum Iſrael, & duarũ Iuda, quæ illam impietatẽ tranſtulerunt ſecũ in Babylonẽ, ac ibi eã reliquerũt. Ad. ver. vſq; in fin. ca. 5.*
  - MEDORVM *monarchiã à Græcis diſtinguẽdam, cap. 6. ſub figura quadrigarum quatuor, quarum*
    - *Prima cum eqs rufis,*
    - *Secunda cum nigris,*
    - *Tertia cũ albis,*
    - *Quarta cũ varij coloris equis,*
    - *Significat monarchiam*
      - *Aſſyriorũ,*
      - *Medorum,*
      - *Græcorum,*
      - *Romanorũ, in princip.*
  - PRINCIPATVM *Ieſu magni illius ſacerdotis, futurum eſſe glorioſum, & poſt eum conſequentes, etiam alios Sacerdotes, fore Duces, vſque ad tempora Machabæorum, ver. Et ſumes aurum & argentum, vſque in fin. cap. 6.*
  - POPVLI *pacem atq; proſperitatem, cum explicatione q̃ſtionis: An, quemadmodum filij Iſrael tempore captiuitatis per annos XX. quinto quoquo menſe, diem illam, qua capta erat Hieruſalem, ieiunârunt: ità etiamnũ poſt reditum ſit eodem tempore ieiunandum, cap. 7. à verſ. Loquere ad omnem populum. vſque in finem eiuſdem.*
- PROMISSIONES *eorum, quæ de Pace & proſperitate filiorũ Iſrael, in 7. capite breuiùs tacta fuerunt per totum caput octauum. Vbi eis promittuntur,*
  - *Futura ſanctitas, verſ. Zelatus ſum Sion.*
  - *Aetatis longæuitas, verſ. Adhuc habitabũt ſenes.*
  - *Bonorum temporalium abundãtia & proſperitas. verſ. Vinea dabit fructum ſuum.*
  - *Benedictio & celebritas, verſ. Et erit.*
  - *Quæ tandèm omnia ad Chriſti refert tempora, à quo iſta Prophetia captura ſit effectum, verſ. Vſq; quò &c. Vbi caput hoc 8. ità concludit Propheta. Appræhẽdent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi.*

TEM-

TEMPVS MACHABAEORVM.

TABVLA 238.

- PROPHEtia huius temporis habet duo capita, in quibus agitur De Machabæorũ
  - PROBItate, inc. videlicet 9. Ob quã
    - PROMITTITVR eiſdẽ victoria cõtra finitimas ciuitates
      - *Tyri,*
      - *Sidonis,*
      - *Gazæ,*
      - *Aſcalonis, &*
      - *Reliquarum.*
      - *Verſ. Onus verbi Domini.*
    - DEINDE, nè Machabæum propter hanc virtutem habeant pro Deo, redit propheta ad Chriſtum, ac eius aduentum deſcribit 4. modis:
      - *Non fore illum bellatorem, neque ſuper equũ, ſed ſuper aſinam ingreſſurum, verſ. Eccè Rex tuus.*
      - *Nec habiturum arcum aut quadrigam, verſ. Et diſperdam.*
      - *Sed pace adquiſiturum dominium, verſ. Et loquetur pacem.*
      - *Non deniquè liberaturum populum per ſagittam & arcum, vt falsò expectant Iudæi, ſed p ſanguinem proprium ſuos redempturum, verſ. Tu verò in ſanguine teſtamenti. vſque in fin. d. cap. 9.*
  - PROSPERITAte, capit. 10. In qua parte Propheta
    - PROMITTIT *futuram illo tempore bonorum omnium copiam & abundantiam, verſ. Petite pluuiam &c.*
    - CONTRA *verò aliorum execratur idololatriam, quam, Antiocho duce, multi in Iſrael, tam Sacerdotes quàm alij, receperant. verſ. Quia ſimulacra. Item, Super paſtores iratus eſt furor meus.*
    - PRAEDICIT *Iudæos, qui, dum Machabæi rerum potirentur, aufugerunt, iterùm fore congregandos. verſ. Sibilabo, & congregabo eos. Vſque in fin. cap. 10.*

TEMPVS ROMANORVM. TABVLA 239.

CONTINET *deſtructionem Hieruſalem, ſimul ac diſperſionem Iudæorum per vniuerſum orbẽ, & captiuitatem eorũ æternam, quæ in hodiernum vſque durat diem. In qua parte agitur De*

- PECCATO *Paſtorum & Sacerdotum, quorũ malitia & inuidia Chriſtus circumuentus & interfectus eſt, Cuius rei cauſa poſt à Roman. capta eſt Hieruſalem. Quam propheta per totũ cap. vndecimum*
  - PRIMVM *deploras, verſ. Paſce pecora &c.*
  - DEINDE *ponit et cauſam, quæ fuit venundatio Chriſti, ſub parabola duarum virgarum, quæ deſignabant duo pacta, q̃ Deus iniit cum filijs Noæ, & cum patre Abraham, verſ. Et aſſumpſi mihi duas.*
  - OSTENDIT, *Chriſti doctrinam negligentibus dandum eſſe Antichriſtum. ver. Et dixit Dominus ad me. vſque in finem cap. 11.*
- PERSECVTIONE *fidelium & congregatione Iudæorum, q̃ poſt deſtructionem Hieruſalem à Romanis ſecuta eſt, tot. cap. 12. Vbi etiam agitur De*
  - COLLECTIONE *Eccleſiæ primitiuæ, In princip.*
  - PROTECTIONE *eiuſdem diuina, ver. In die illa, dicit Dominus.*
  - PLANCTVM *piorum ſuper paſſione & morte Chriſti. verſ. Et erit. Vbi ſequitur, Plangent eum. eod.*
- IVDAEORVM *& infidelium diſperſione, cap. 13. per totum. Ac ibi etiam prædicit*
  - SACRAMENTORVM *efficaciam, verſ. In die illa erit.*
  - CESSATIONEM *pſeudoprophetiæ & idololatriæ, verſ. Et erit in die illa, dicit Dominus. &c.*
  - FIDELES *veritatem & fidem ſuã zelaturos, ità vt configant etiam filios ſuos, ſi eos inuenerint infideles. verſ. Et erit cùm prophetauerit, &c.*
  - PASSIONEM *Chriſti, à qua arguit, falſos prophetas illos longè iuſtiùs pati, quàm Chriſtũ. verſ. Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum. vſque in fin. d. cap. 13.*
- FINE & *conſummatione ſeculi. cap. 14. In quo zacharias conſequẽter agit De*
  - OBSIDIONE *Hieruſalem facta per Romanos, In princip.*
  - ADVENTV *Domini ad iudiciũ, verſic. Et egredietur Dominus.*
  - DIE *iudicij extremi, verſ. Et veniet Dominus, & in die illa non erit lux, ſed frigus & gelu.*
  - GLORIA *ſanctorum & Hieruſalem cæleſti, ver. Et erit, in die illa. exibunt.*
  - POENA *damnatorum, verſ. Et hæc erit plaga.*
  - FIDELIVM *congregatione, quæ eſt Eccleſia, ad quã multæ gentes ſint conuerſuræ. verſ. Sed & Iudas pugnabit.*
  - CONVERSIONE *Romani imperij ad Roma. Eccleſiam, verſ. In die illa erit, quod ſuper frenum &c. Id quod tẽpore contigit Conſtantini.*
  - SANCTITATE *ac deuotione gentium ad fidem conuerſarum, verſ. Et erunt lebetes in domo, vſque in finem ca. 14. & huius Prophetiæ vltimi.*

PROPHETIA MALACHIAE, LIBER BIBLIAE XLIII, QVINTAE PARTIS *Decimusſeptimus & vltimus.*

DE PROPHETAE HVIVS FAMILIA ET ORDINE.

MALACHIAS Propheta è tribu Zabulon emicuit. Hic poſt reditũ populi de Babylone, natus perhibetur in Sopha, in terra nempè Zabulon. Ob vitæ autem, qua prædirus erat, ſanctimoniam &, quam præ ſe ferebat, manſuetudinem, Malachil (id eſt, angelus) dici cœpit. Epiphan. De vit. Prophet. Hieronymus porrò eum nõ à forma angelum, ſed ab annunciando dici ſcribit: vt angelus dicatur, non quaſi formoſus, ſed annuncians Dominum. Vndè etiam ſcriptura hoc in loco ſacerdotes Dei omnes, angelos Dei eſſe teſtatur. Idem hîc, & in prologo ad Prophetam Iohel.

EADEM DE RE OPINIO ORIGENIS.

ORIGENES, cùm in hunc Prophetam ſcriberet, ſignificationem dedit ſe putare, eum reuerà fuiſſe angelum, iuxta id quod de Ioãne dicitur: Eccè mitto angelum meum ante faciem tuam. Sed hoc noſtri doctores omninò non recipiunt, quòd angelus de cęlo veniens, ſuſceperit corpus humanum, nè animarum ruinas de cęlo ſuſcipere cogamur. Gloſſ. hîc ex Hieronymo. Neque etiã nomina, cùm in alias linguas veniũt, ex etymologia mutanda ſunt. Nemo enim Platonem vocat latũ, aut Ariſtotelem optimum perfectum, vel Ioſue ſeruatorem, vel Athenas Mineruas. Sed relinquuntur nomina, vt cuique in proprio ſunt impoſita ſermone. Ludouicus Viues ſuper Auguſt. De ciuitat Dei, lib. 18. cap. 35.

HEBRAEORVM DE HOC PROPHETA iudicium.

HEBRAEI autem hunc ipſum Prophetam Malachiam, exiſtimant Eſdram eſſe Sacerdotem: tum, quòd omnia quæ in illius libro continentur, etiam hic Propheta commemorat, dicens: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt: tum, quòd vtriuſque & tẽpus, & titulus conueniat vtrique. Hieron. hîc in Prolog. ad Minerium & Alexandrum monachos. Videndus eſt omninò de hac opinione Auguſtinus, De ciuitat. Dei lib. 18. cap. 35. & lib. 20. cap. 25.

QVOMODO HIC PROPHETA TITVLO CVM Eſdra conuenire poſſit, cùm titulum omninò nullum habeat.

QVEMADMODVM de Pſalmis dici ſolet, qui titulos non habent, eorũ eſſe eredendos, quorum priores Pſalmi nominibus prẽnotati ſunt, ità & Malachi, id eſt, Eſdras, poſt Aggæum & Zachariam, qui ſub Dario prophetârunt, fuiſſe credendus eſt. Et propterea titulum ſeu inſcriptionem non habere, quia liber eius ſit pro titulo. Hieron. in præfat. Malachiæ ad Miner. & Alexandr, monachos.

QVANDO EDITA SIT HAEC PROPHETIA.

MALACHIAS cæteris prophetis poſterior, qui fuit poſt reditum è Babylone, ac

 poſt

poſt ciuitatis inſtaurationem,deque rebus noſtris,apertè vaticinatus eſt.Etenim poſteaquàm rediſſent,ac reſtituta ciuitate templum extruxiſſent, hanc illis præſentem narrat deſolationem, ac futuram denunciat ſacrificiorum ſublationem. Hieron.aduerſùs Iudæos orat.2.Id quod idem Hieron.hìc in Prolog. ad Miner. ſub Dario Hyſtaſpe factum eſſe teſtatur.

AD QVOS HAE CONCIONES FVEruNt perſcriptæ.

AD Iſrael ſiue ſuper Iſrael,& non cōtra Iſrael,locutus eſſe dicitur. Quod Hierō. in 1.huius prophetiæ capire aliquid putat habere conſolationis. Aliud eſt enim, quandò verbi gratia, ad illum vel illum ſcribimus: aliud, quandò contra illum & illum: Quia in altero pars amicitiæ,in altero inimicitiarum aperta eſt confeſſio. Hieron.in Malach.cap.1.

QVID DOCVERIT MALACHIAS.

ONVS ſiue pondus dicit graue,quo Iſraeli exprobrat tranſgreſſiones eius, & accuſat illum neglectarum decimarum, & omiſſæ communicationis cum Pauperibus.Prophetauit etiam de die iudicij & illuſtratione Seruatoris,Heliamq; ante aduentum eius mittendum prænunciat.Athanaſ.in Synopſi.

DE HISTORIAE HVIVS PERSCRIBENDAE OCcaſione. ex prologo in Malachiam in Biblijs.

Leuit. 21. & 22. DEVS per Moiſen populo Iſrael p̄ceperat Sacerdotes tabernaculi ſui omni corporali vitio liberos,hoſtias omni vitio vacuas ſibi offerre. Quibus leges ſuas ad populum regendum ob hoc dederat,vt per Sacrificiorum oblationem, internūcij Dei & hominum facti,populum præceptis cæleſtibus facerent obedire. Sed quia tanti muneris gratiam contemnentes, ſupradictus populus ac Sacerdotes, ſacrificia vitio deturpata,ipſi criminibus atque impietatibus maculati, Deo offerre cœperunt:ideò per Malachiam prophetam Deus populum ſuum Iſrael increpans repræhendit,ac diem iudicij venturi prænūciat, vt paulò antè fuit oſtenſum.

QVAE EIVS SIT SVMMA.

MALACHIAS apertè & in fine omnium Prophetarum dicit de abiectione Iſrael & vocatione gentium.Non eſt mihi,ait,voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum:& munus non ſuſcipiam de manu veſtra.Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum,magnum eſt nomen meum in gentibus:& in omni loco ſacrificatur,& offertur nomini meo oblatio munda. Ibidèm.

DE PROPHETAE HVIVS MORTE atque ſepultura.

ANTE diem adhuc iuuenis, Propheta hic noſter fato eſt functus, iuxtaque Maiores ſuos in proprio agello repoſitus eſt.Epiphan.De vita Prophetarum.

PAR-

PARTITIO PROPHETIAE MALACHIAE.

TABVLA 240.

MISSVS FVIT hic propheta, vt populo Iudaico annunciaret peccata ſua. Quod dumfacit, repræhendit in eis

INGRATITVDINEM cum exprobratione { Dilectionis Dei, Liberationis à captiuitate, Reſtaurationis vrbis ac tẽpli Hieruſalem, } à princip. cap. 1. vſque ad verſ. Dicit Dñs.

IMPIETATEM atque ſacrilegium, quo pro oblatis Deo animalibus ſupponebant viliora. d. verſ. Dicit Dominus. eod.

OB quam impietatem minatur illis amiſſionem ſacerdotij & ſacrificij: ac eius rei occaſione de vocatione gentium agit: Sacerdotio item & ſacrificio Chriſtiano, verſ. Non eſt voluntas mihi.

IMPVDENTIAM ſacerdotum, qui oblatis non contenti, obmurmurabant, dicendo, Eccè quale præmium habemus pro labore noſtro. verſ. Eccè de labore, vſque in fin. cap. 1.

TRANSGRESSIONEM pacti Dominici, initi inter Deum & Leui. Dum autem mentionem facit Leui, intelligit Aaron, Phinees, Moiſen & filios eius. cap. 2. in princip.

SVPERBIAM & contemptum tam ſacerdotum, quàm aliorum, verſ. Nunquid non pater. eod.

LASCIVIAM & voluptatem, cui vſqueadeò erant dediti, vt vxores ex captiuitatis moleſtia factas deformiores, commutarent pulchrioribus, ſicut appáret in lib. Eſdræ. verſ. Tranſgreſſus eſt Iuda. hîc eod. cap. 2.

DESPERATIONEM: cùm enim gentes exaltari, & ſe preſſos viderent, prouerbij loco in ore habebant impium illud dictum, quòd in conſpectu Dei, mali in eodem eſſent precio quo boni. verſ. Laborare feciſtis Dominum. vſq; in fin. cap. 2.

FALSAM eſſe hanc opinionem, oſtendit ex aduentu Chriſti, qui redditurus ſit cuiuis ſecundùm opera ſua. cap. 3. in princip.

AVARITIAM atque diffidentiam, q; temporibus paulò difficilioribus abſtinerent ab immolatione & ſacrificijs. verſ. Reuertimini ad me. eod.

BLASPHEMIAM in iuſtitiam diuinam. Obloquebantur enim Deo, quòd malos non modò non ſtatim puniret, ſed etiam præmijs afficeret, bonis interìm ſæpè afflictis. verſ. Inualuerunt ſuper me. vſque in fin. cap. 3.

CVI blaſphemiæ opponit { Diem iudicij, in quo nulli bono malè, nec malo cuiquam ſit benè futurum. cap. 4. in princip.
Ac demùm agit de præcurſore aduentûs vltimi & iudicij extremi, ſcilicet de propheta Helia, verſ. Eccè ego mittam vobis Heliam. vſque in finem dicti cap. 4. & vltimi. }

EPILOGVS PROPHETARVM.

TAB. 241.

VETE-riſteſta-mẽti ꝓphetæ, q diuino afflati ſunt ſpi-ritu, & quorum monu-mẽta ad nos vſq; peruene-rũt, ſunt xvij.

	Qui prophetârũt	De	Tempore
IONAS,	Niniuitis.	Subuerſione vrbis.	Oziæ regis anno 15. Ieroboam 30. Mũdi 3150.
OSEAS,	Cõtra Samariã, id eſt, decẽ tribus Iſrael.	Earum fornicatione, & interitu Samariæ.	Oziæ 18. Ieroboam 33. mundi 3153.
ABDIAS,	Cõtra Idumæos, & oẽs pſecutores filiorum Iſrael.	Veturis ſuper eos calamitatibus.	Tempore regis Ioſaphat, anno Oziæ 22. mundi 3157.
AMOS,	Contra gentes finitimas.	Ira Dei ſup illas vẽtura, & captiuitate 10. tribuum.	Anno Oziæ 23. mundi 3158.
ESAIAS,	In Iudæam & Hieruſalẽ, id eſt, tribui Bẽiamin & Iudæ.	Impœnitentium ira, pœnitentium verò gratia.	Ante captiuitatem ſub Ozia anno 28. mũdi 3163.
IOEL,	Eidem tribui Iudæ & Hieruſalem.	Terra 2. tribuũ, ante Sp. S. effuſionẽ, æruca, brucho, locuſta conſumenda.	Anno Oziæ 34. mundi 3169.
MICHæAS,	Cõtra Hieruſalẽ & Samariam.	Aduentu Saluatoris.	Circa annũ Ioatham 3. mundi 3190.
NAHVM,	Aſſyrijs & ꝓcipuè Niniuitis relapſis.	Iudicio & interitu illis obuenturo.	Eodem tempore quo & Michæas.
ABACUC,	Cõtra Babylonẽ & Nabuchodonoſor.	Aduentu Domini & Babylonici regni ſubuerſione.	Circa annũ Manaſſæ 37. mũdi 3283. quo tẽpore 2. tribus erant in captiuitate.
HIEREMIAS,	Ciuitati Hieruſalem.	Futura ſiccitate, & aduentu regis Babylonij.	Decimotertio anno Ioſiæ, mundi 3316.
BARUCH,	Populo in captiuitate Babylonica exiſtẽti.	Inuocatione nominis diuini, & ſpe futuræ liberationis.	Hieruſalem iam per Chaldæos deſtructa.
SOPHONIAS,	In Hieruſalẽ & vniuerſa Iudæa.	Idolorum deſtructione.	Ioſiæ anno 20. mundi 3323. adhuc anno captiu. Babylon.
EZECHIEL,	Concaptiuis ſuis cum Iechonia in Chaldeã abduct.	Deuaſtatione Hieruſalem & abductiõe populi.	Iechoniæ vel Ioachim anno 5. mundi 3350.
DANIEL,	Eidem populo Iudaico, cui & Ezechiel.	Deſtructione impiorum, & piorum liberatione.	Tempore capt. Baby. circa añ Nabuch. 23. mundi 3361.
HAGGæUS,	Toti populo, q erat in Iuda & Hieruſalem.	Reædificatione templi, quam illis ſeriò ꝓcipit.	In fin. capt. Bab. poſt reditũ Darij, añ Zorobabelis 18. mũdi 3444.
ZACHARIAS,	Eiſdem quibus & Aggæus.	Eadẽ quoq; de re, ſcilicet de reædificatiõe tẽpli, & aduẽtu Chriſti.	Duos tantùm menſes poſt Aggæum.
MALACHIAS.	Ad Iſrael.	Futura ſacrificiorũ ſublatione, & Helia aduentus Chriſti præcurſore.	Eiſdẽ tẽporibus quibus & Zacharias poſt reditũ à Babylone, & reſtaurationem ciuitatis.

PARS VETERIS TESTAMENTI SEXTA ET VLTIMA, DE PRAEPARAtione ad crucem,& viuo quodã afflictos conſolandi velut exemplo,quod continetur in duobus libris Machabæorum.

ORDINIS RATIO QVAE SIT.

LIBROS Machabæorum omninò eſſe hiſtoricos,ac ob id eos materiarum attẽta ſimilitudine,ad ſecundam potiùs teſtamenti partem,quàm ad vllam aliam referri & poſſe & debere,nullum eſt reuerà dubium:verùm ſi quis temporũ obſeruet ordinem,meritò hos libros poſt ſcripta prophetica poſitos eſſe depræhẽdet, cùm ea hiſtoria,quæ in hoc deſcribitur volumine, poſt captiuitatem Babylonicam,quæ prophetarum ſcriptis continetur,annis acciderit ferè trecẽtis & quadraginta octo.Is enim fuit annus,quo Iudas Machabæus, Dei præſidio fuſis tyranni illius copijs,templũ iterùm recupetauit,annò ſcilicet 3.poſtquàm ab Antiocho idolum in eo poſitum fuerat,ante natum Chriſtum 152.

ALIA CONTINVATIONIS RATIO.

CVM illa quæ in præcedentibus libris,de corrupta hominis natura, deq; tam varijs eccleſię illius antiquæ caſibus,& grauiſſimis rerum penè omnium mutationibus ſunt perſcripta,eò procul dubio pertineant omnia, vt animus humanus, neq; in ſecũdis rebus nimiùm efferatur, nec protinùs deijciatur in aduerſis, ſed regia ſemper & quaſi media tam erga Deum, q̃ proximum incedat via:rectè hic liber,cæterorum omnium veluti epilogus,in hunc poſtremum reſeruatus eſt locum,vt qui vtriuſq; exceſſus optimum contineat temperamentum.Quod ex varijs rerum humanarum afflictionibus,atq; diuinis conflatũ eſt conſolationibus. Nam ſicut plerunq; vtilis eſt ad retinendam æquabilitatem tentatio,vt agnoſcamus militiam eſſe hominis vitam ſuper terram,Iob 7.ità etiam ad tuendam in fide conſtantiam,neceſſaria ſemper eſt conſolatio, nè videamur derelicti. Fidelis enim eſt Dominus,qui non patietur nos tentari ſupra id,quod poſſumus,ſed faciet etiam cum tentatione prouentum,vt poſſimus ſuſtinere.1.Cor.10.cap.

DE MACHABAEORVM LIBRIS ET HISTORIA in genere,& primùm vndè ſic dicti.

VEL à Iuda Machabęo,primo Iudęorũ poſt captiuitatem Babylonicã duce,cuius hîc nobiles deſcribuntur triumphi,ſic dicti ſunt: vel à ſeptem fratribus Machabæis,qui ſub Antiocho rege,pro ſacris legibus dira tormenta paſſi ſunt.

DE PRIMA HVIVS INSCRIPTIONIS RATIONE.

INTERPRETATVR autẽ Machabæus,protegens vel protectio. Protegebat enim Iudæorum caſtra gladio ſuo,1. Machab.3. Ex cuius nomine hi libri nũcupati ſunt Machabæi. Brito ad Gloſſam in prolog.1.

PRO EADEM SENTENTIA OPINIO Gotfridi Viterbienſis.

MACHABAEVS,inquit,interpretatur nobilis vel triumphans. Ipſi Machabæi filij Matathiæ fuerunt quinq;:Ioannes,Simon,Iudas Machabæus, Eleazar, & Ionathas. Machabæi iſti quot triumphos geſſerint aduersùs gentem Perſarum, & de circunfinitimis nationibus,& quomodò pro legis obſeruantia ſint occiſi, manifeſta narrat hiſtoria. Idem Viterbienſ.in fin.lib.13.

DE SECVNDA EIVSDEM INTITVLAtionis ratione.

MACHABAEI 7.fratres,ab vna matre,Machabæa nomine,geniti,cuſtodientes legem,patris traditionem,non manducantes carnem porcinam,ob hoc ab Antiocho rege ſæuiſſimo in Antiochia,martyrij gloria coronati ſunt,atq; ſepulti cum magna veneratione ibi quieſcunt.prolog.2.in libros Machab.

DE HO-

DE HORVM NOMINIBVS EX IOSEPHO.

TABVLA 242.

NOMIna 7. fratrũ Machabæorum, ſunt	MACHABæus, ABER, MACHIR, IVDAS, ACHAS, ARETH, IACOB.	DE quorum	Supplicijs / Et conſtantia matris	Agitur		In libro 2. Machabæorum, cap. 7.
					Apud	Ioſephũ ĩ libello de impio ratiõis.
						Ambroſ. lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 11. & 12.
						Greg. Naziãz. in orat. de mach.
						Bernardum epiſt. 98.
						Chryſoſt. in ſermone de Macha.
						Euſeb. Emſenũ ſer. de 7. Mach.

VNDE, ORTI FVERINT MACHABAEI.

MODIM vicus iuxta Dioſpolim, vndè fuerunt Machabæi: quorum hodieque ibidèm ſepulcra monſtrantur. Hieron. de locis Hebraicis in litera M, circa fin.

VBI NVNC SINT SEPVLTI.

Vulgo ſũt Maccab. SED nunc ad Coloniam Agrippinam tranſlati referunter, vbì in Ecclesia ſanctimonialium, ad Machabęos dicta, coluntur. Eraſmus in præfatione ad dictum libellum Ioſephi de imperio rationis.

DE MACHABAEORVM FESTO, ET SACRO eius myſterio.

MACHABAEORVM 7. fratrum feſtum in ecclesia celebratur, idq́; propter ſingulare myſterium. Nam per numerum ſeptenariũ, vniuerſitas ſignificatur, cùm totidem diebus totum reuoluatur tempus. Hinc per 7. hos fratres, pro lege Moſaica duriſſimè cruciatos, vniuerſitas præfigurata fuit martyrio eorum, qui pro lege Chriſtiana ſunt paſſi. Per matrem autem ipſorum, quæ ſingulos hortabatur, vt cruciatus pro lege fortiter tolerarent, ſancta mater ſignificatur ecclesia, quæ filios ſuos hortatur vbiquè, pro lege Chriſti & iuſtitia conſtanter grauia ſuſtinere. Sic per hoc, ꝙ ipſa etiam paſſa eſt mater, ſignificatur, quòd ecclesia patiatur in filijs, ſicut & Chriſtus, eorum pater, pati dicitur in iſtis. Lyranus in 2. Mach. 7.

MACHABAEORVM LIBRI AN SINT AVTHENTICI.

DE rationibus, ob quas hi libri non à Iudæis tantùm, ſed ab alijs etiam in dubium ſunt vocati: & quibus ad eas fundamentis, pro aſſerenda illorum authoritate, ſit reſpondendum, ad longum pertractant Ioãnes Driedo lib. 1. cap. 3. part. 2. D. Melchior Canus epiſcopus Canarienſis, lib. 2. ca. 9. 10. 11. & D. Michael Medina, de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 9. 12. & 13. Quos hac de re diligenter euoluere, & vtile videtur, & neceſſarium.

D. AVGVSTINI DE HIS LIBRIS CENSVRA.

ET hanc quidem ſcripturam, quæ appellatur Machabęorum, non habent Iudæi, ſicut legem & prophetas & pſalmos, quibus Dominus teſtimoniũ perhibet, tanꝗ teſtibus ſuis, dicens: Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & ꝓphetis, & pſalmis de me, Luc. 24. ſed recepta eſt ab ecclesia non inutiliter, ſi ſobriè legatur vel audiatur, maximè propter illos Machabęos, qui pro Dei lege ſicut veri martyres à perſecutoribus tam indigna atq; horrenda perpeſſi ſunt: vt etiã hinc populus Chriſtianus aduerteret, quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, pro quibus paſſus eſt Chriſtus: ſi tanta patientiſſimè pertulerũt pro lege, quam dedit Deus per famulum hominibus illis, pro quibus nondùm tradiderat filium. Auguſt. contra ſecũdam Gaudentij epiſtolã, lib. 2. cap. 23. Item de ciuit. Dei lib. 18. cap. 36. Machabęorum libros, inquit, nõ Iudæi, ſed ecclesia pro canonicis habet, propter quorundã martyrum paſſiones vehementes atq; mirabiles, qui anteꝗ Chriſtus veniſſet in carnem, vſq; ad mortem pro Dei lege certauerunt, & mala grauiſſima atq; horribilia pertulerunt. Ità Auguſtinus. Quid multis? de librorũ horum authoritate canonica habemus totius orbis Chriſtiani conſenſum, in generali Tridentina ſynodo

Rom. 8.

ſeſſ.4.explicatum. Nec mirũ cùm etiam olim inter canonicos libros & ſcriptus ſanctas commemorati ſint ab iiſdem concilijs & S.patribus, qui Tobiam, Sapientiam & Eccleſiaſticum in ſacrorum voluminum catalogum retulerunt.

CATALOGVS PATRVM, QVI IN REBVS FIDEI ſua ex his libris adduxerunt argumenta. TAB. 243.

B. DIONYSIVS

ATHENIENSIS, *Pauli apoſtoli diſcipulus, dum angelicarũ virtutum ſigna, quibus in ſancta ſcriptura apparuerunt, enumerat, apparitionem equitis cataphracti, qui Heliodorum oppreſſit, adducit, 2. Machab.3.*

CYPRIANVS

LIBRO 3. *ad Quirinum, eius loci meminit: Abraham nónne in tentatione inuẽtus eſt fidelis, 1. Machabæo.2. Meminit quoq; in eodem illius: Iuſtum eſt, Deo ſubditũ eſſe. ibidèm. Libro etiam de exhortatione martyrij, latè tractat hiſtoriam matris, & 7. filiorum, & Eleazaris, 2. Machab.6. & 7. cap.*

AVGVSTINVS

CONTRA *literas Petiliani lib.1.cap.92. ex priori libro Machab. citat illud: Abraham in tentatione fidelis inuentus eſt, 1. Machab.2. Et illud: Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonũ, ibid. ex ſecundo libro, De anima & origine eius allegat illud: Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, 2. Machab.7. Et contra Gaudentij ſecundam epiſtolam, lib.3.cap.23. illud: Raxias vir amator ciuitatis, 2. Mach.14.*

QVAE TOTIVS HISTORIAE HVIVS SIT ſumma, ex Cypriano.

QVID in Machabæis beatorũ martyrum grauia tormenta, & multiformes 7. fratrum pœnæ, & confortans liberos mater in pœnis, & moriens ipſa quoquè cum liberis? Nónne magnæ virtutis & fidei documenta teſtantur, & nos ad martyrij triumphum ſuis paſſionibus adhortantur? Cyprianus epiſtola 6. lib.4.

DE CRVCE ET PERSECVTIONIBVS PIOrum, ſententia diui Pauli.

PER multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei, Act.14. Ac iterùm: Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiẽtur. 2. Tim.3.

DE VARIIS PERSECVTIONVM GENERIBVS.

TABVLA 244.

DVO SVNT perſecutionum genera:
- VNVM, *quo publicus turbatur Eccleſiæ ſtatus.*
- ALTERVM, *quo ſinguli tentantur homines.*

DE PRIVATIS SINGVLORVM TENTAtionibus.

QVAM diù in corpore viuimus, aut à diabolo, aut à ſenſuum noſtrorum concupiſcẽtia moleſtias pati neceſſè eſt. Propterea quidem in Eccleſiaſtico eſt ſcriptũ: Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Marulus lib.3. euangeliſtarij, cap.16. Ecci 2.

DE TRI-

DE TRIBVLATIONVM CAVSIS TAB. 245.

QVINQVE SVNT *(inquit Beda) differentiæ cauſarum, pro quibus in hac vita moleſtijs corporalibus affligimur: Aut enim ad*

- MERITA *augenda per patientiam iuſti corporis infirmitate grauātur, vt B. patres Iob & Tobias, & innumeri martyres in vtroq; teſtamento.*
- VIRTVTVM *cuſtodiam, nè ſuperbia tentante diſpereāt ſicut Apoſtolus Paulus, cui, nè magnitudine reuelationum extolleretur, datus eſt ſtimulus carnis ſuæ angelus ſatanæ qui eum colaphizaret, 2. Cor. 12.*
- PECCATA *noſtra intelligenda & corrigenda, ſicut Maria ſoror Aarō in eremo, ob verba temeritatis & ſupbiæ, lepra pcuſſa eſt. Nu. 12.*
- DEI *gloriam, ſicut cæcus natus in euangelio, qui neq; ipſe peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſtarētur opera Dei in illo. Ioan. 9. Sicut Lazarus, cuius infirmitas non fuit ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificaretur filius Dei per eam. Ioan. 11.*
- DAMNATIONIS *æternæ inchoationem: quod reproborum eſt propriū, ſicut Antiochus & Herodes, 2. Mac. 9. Act. 12. Bed. in 2. c. Marci.*

CVM QVIBVS HOSTIBVS PVGNANDVM SIT MIliti Chriſtiano, ſiue de tribus tentationum modis. TAB. 246.

TENtamur *aut à*

- DEO, *vt probemur: ſic tentati ſunt*
  - ABRAHAM, *vt obedientiſſimum ſibi oſtenderet.*
  - FILII *Iſrael 40. annos per deſertum deducti, vt manifeſta fieret illorum conſtātia in obſeruandis Dei mandatis.*
  - *Quæ tentatio probationis eſt, non malitiæ, neque præcipitationis.*
- DIABOLO, *vt vincamur, & præcipitemur.* Nam *hic eſt*
  - PHARAO *ille teterrimus, qui nos vetat exire de Aegypto, & Moiſen ſequi in deſertum.*
  - LEO *rugiens, qui circuit quærens quem deuoret.*
  - FVR *et latro, qui non venit, niſi vt furetur & mactet.*
  - LVPVS *rapax,* Dominico *ouili ſemper inſidians.*
  - *Qui nūc*
    - *Promiſſis allicit,*
    - *Minis terret,*
    - *Aſſentatione blanditur,*
    - *Verberibus compellit.*
- CARNE, *vt mācipia ſiamus diaboli.* Perpetuus *enim eſt inter hæc duo cōflictus, videlicet inter*
  - CARNEM, *cuius opera ſunt*
    - *Fornicatio,*
    - *Immunditia,*
    - *Luxuria,*
    - *Idolorum ſeruitus,*
    - *Veneficia,*
    - *Inimicitiæ,*
    - *Contentiones,*
    - *Aemulationes,*
    - *item*
      - *Iræ,*
      - *Rixæ,*
      - *Diſſenſiones,*
      - *Sectæ,*
      - *Inuidiæ,*
      - *Homicidia,*
      - *Ebrietates,*
      - *Comeſſationes, & his ſimilia, ad Gal. 5.*
  - ET *ſpiritū, cuius fructus ſunt*
    - *Charitas,*
    - *Gaudium,*
    - *Pax,*
    - *Patientia,*
    - *Longanimitas,*
    - *Bonitas,*
    - *Manſuetudo,*
    - *Fides,*
    - *Modeſtia,*
    - *Continentia,*
    - *Caſtitas. ad Galat. 5.*

Marcus Marulus lib. 3. euangeliſtarij, capite 17. & ſequentibus.

DE PER-

DE PERSECVTIONVM VTILITATE.

Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Paulus ad Rom.8. Et ad Corinthios: Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtrę, ſupra modum in ſublimitate ęternũ gloriæ pondus operatur in nobis, non contẽplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Autem certè cordis tribulatio aperit, quam ſæpè proſperitas huius mundi claudit. Gregor. in Moralibus. 2. Cor. 4.

NON SEMPER, NEC OMNES PRODESSE PERSEcutiones, ſed eas tantùm, quæ patienter ſuſcipiuntur & iniuſtè.

Haec eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiẽs iniuſtè. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè facientes, patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum, 1. Pet.2. Et in cap. quarto: Nemo autem veſtrũm, inquit, patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.

CVR INTERIM ETIAM PATIANTVR iuſti, ſententia Gloſſæ Ordinar.

Ne indignemini, ſi mali in hoc mũdo floreant, & vos patimini, quia nõ eſt Chriſtianæ religionis, in mundo exaltari, ſed deprimi: mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo. Sed ſpe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis. Gloſſa ſuper illud, Omne gaudium exiſtimate fratres. Hinc D. Paulus: Et in nullo terreamini, ait, ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis. Et hoc à Deo: Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, ad Philip.2. Iac.1.

QVID PIO HOMINI CONSIDERANDVM, ſi etiam iuſtos in hac vita affligi videat.

Qvvm recognoſco Iob in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum extenſum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio: cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ità durè affligit quos amat. Grego. in Moralib.

TRIBVLATORVM PRECES CVR NON ſemper exaudiantur.

Intelligat homo medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentũ eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus, vreris, ſecaris, clamas. Non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Auguſtinus ſuper Pſal.21. expoſitione 2.

TENTATIONES ET PERSECVTIONES homini Chriſtiano ad ſalutem eſſe neceſſarias.

Tentationes vincere poſſumus: nè autem tentemur, efficere non poſſumus. Vndè D. Paulo non fuit à Domino dictum, Non tenteris: ſed, Sufficit tibi gratia mea, 2. Cor.12. Alioquì Saluator noſter ipſe ſub crucem ſuam inuitat in vniuerſum omnes: Si quis vult poſt me venire, inquit, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me &c. Matth.16.

QVOT MODIS DICAMVR CRVCEM tollere.

Dvobvs modis crux tollitur, cùm aut per abſtinentiam affligitur corpus, aut pèr afflictionem proximi affligitur animus. Gregor. homil.32. ſuper illud euang. Si quis vult venire. Sed hæc de piorum cruce & perſecutionibus, pręcipuo huius partis ſcopo præfata ſufficiant: nunc iterùm ad ſuſceptam redeamus artificij & œconomiæ demonſtrationem.

DE HISTORIAE HVIVS PARTIBVS.

TAB. 247.

HISTORIA MA-*chabæorum ſecatur primùm in duos libros,*
- PRIMVM & SECVNDVM.
  - *Scriptus eſt autem, teſte Hieronymo,*
    - *Prior Hebraicè,*
    - *Alter verò Græcè: quod ex ipſa quoquè phraſi probari poteſt.*
      - Hieron. in *prologo galeato.*

MACHABAEORVM LIBER PRIMVS, BIBLIAE XLIIII, SEXTAE PARTIS primus.

De prælijs inter Hebræorum duces & gentes alias, ſiue de liberatione populi Iudaici, ſub Matathia, Iuda, Ionatha & Simone.

DE PRIMI HVIVS LIBRI AVTHORE, DRIEDO.

DE Machabæorum libris ſciendum eſt, quòd Machabæorum geſta ac facta, in his libris deſcripta, habebantur olim tanq̃ veriſſima apud veteres Hebræos, etiã ante Chriſtum, quanuìs non ab initio cum ſupputationibus temporum digeſta fuerant & ordinata, ſicut ſunt collecta poſtmodùm in duo hæc volumina, non ab eodem, ſed à duobus diuerſis authoribus, nobis quidem incertis: cuius indicium hoc eſt, ꝙ primus (ſi Hieronymo credimus) Hebraicè, ſecundus Græcè ſcriptus inuenitur. Item ſecundus epitome, id eſt, compendium ſiue breuariũ quoddam eſt cuiuſdam voluminis magni editi à Iaſone Cyrenæo, quẽadmodùm dicit eiuſdem libri author in capit. 2. Ab Iaſone, inquit, Cyrenæo quinq; libros compræhenſos, tentauimus vno volumine breuiare. Quis autem fuerit abbreuiator, quibus item temporibus ſcripſerit librum iſtum, certò non conſtat: niſi fortè fuerit Ioſephus, qui (vt inquit Hieron. in lib. de viris illuſtribus) conſcripſit librũ valdè elegantem, in quo Machabæorum digeſta ſunt martyria. Et plura quæ ibì ſequũtur. Ioann. Driedo de ſcriptur. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. Part. 2.

DE EODEM, D. MICHAEL A MEDINA.

MACHABAEORVM priorẽ, à quopiam ſcriba eorũ, qui Sanedrim conſtituebant, vel à toto eodẽ concilio, qui annales digerendi curã agebant, fuiſſe editum communiori doctiorum ſententia tenetur. Secũdam verò epitomen illorum quinq; librorũ, quos Iaſon Cyrenæus, eorum temporũ ſcriptor ediderat, fuiſſe, ex eiuſdem 2. cap. colligitur: q̃ epitome facta fuerit à Simone Machabæo ſacerdote maximo, in epiſtolæ modum, ad mittendum fratribus per Aegyptum diſperſis, vt ſolẽnia pro beneficijs receptis illic contenta concelebrarẽt. Neq; verò Iaſon, neq; ſcriba ille, neq; Simon Machabæus tantæ potuerunt eſſe vetuſtatis, vt à totius illius ſeculi hominibus, eorũ ſcripta in ordinẽ diuinorũ voluminum redigerẽtur, quanuìs vel propter authorũ ſanctitatem, vel geſtorum gloriam, vel ſtyli veritatẽ venerabiles eſſent. D. Michael Medina de recta in Deum fide lib. 6. cap. 12.

ARGVMENTVM PRIMI MACHABAEORVM libri.

TABVLA 248.

DESCRIBIT *hic liber*
- PRAELIA *inter*
  - *Hebræorum duces.*
  - *Genteſque Perſarum.*
- PVGNAM *Sabbatorum.*
- ET *nobiles Machabæi triumphos.*
- FOEDVS *quoquè amicitiarum cum Romanorum ducibus atque legationum. hic in prolog. ſecundo Bibliorum.*

ARGV-


ARGVMENTI HVIVS DECLARATIO, EX LYRANO.

Ad euidentiã autem hiſtoriç, aliquid eſt hîc p̃mittendum, ex prędicti regni (Syriç videlicet) ſucceſſione. Sciendũ igitur, ꝙ poſt mortem Alexandri Magni, eius monarchia in quatuor regna fuit diuiſa, Macedoniæ, Aſiæ, Aegypti, & Syriæ, ſicut Danielis 8. fuerat prophetatum. Hîc principaliter agitur de regno Syriæ, & occaſionaliter tantùm de regno Aegypti. Lyranus in Machab. 1. in principio.

PROCESSVS REGNI SYRIAE, EX EODEM.

Scienduм igitur, quòd mortuo Alexandro Magno, primus regnauit in Syria Seleucus, & alij quatuor poſt ipſum, & ſextus fuit Antiochus Magnus, qui duos habuit filios, ſcilicet Seleucum Philopatorẽ, qui ſibi ſucceſſit in regno tanq̃ primogenitus, & Antiochum Epiphanem, qui traditus fuit Romanis obſes, & audita morte patris, & inertia Seleuci ſui fratris, venit in Syriam, & ab aliquibus ciuitatibus receptus fuit, & tandèm Syriæ regnũ obtinuit. Propter quod inter poſteros eius, & poſteros fratris ſui, de Syriæ regno longa fuit concertatio: ità vt nũc vna, nunc altera pars præualeret, & Syriæ regnum de vna poſteritate tranſiret ad aliam: Quemadmodùm hic tranſitus & commutatio, in ſequenti arbore, per lineas tranſuerſim ductas, apertiùs oſtenditur. Idem eodem in loco.

EPITOME REGVM QVI PERPETVO AFflixerunt Iudæos.



ORDO SVMMORVM SACERDOTVM AD eos vſq;, quorum in libris Machabæorum fit mentio, & primò eorum qui fuerunt ante captiuitatem Babylonicam. TAB. 249.

PRIMVS *Sadoch, qui fuit Pontifex templi quod ædificauit Salomon.*

ANTE CAptiuitatem *Babylonicam poſt regnum Dauidis*	*Huic Sadoch*	*Succeſ-ſit*	*Achimaas eius filius.*
	Achimaæ		*Ioram.*
	Ioræ		*Auxieramus.*
	Auxieramo		*Nideas.*
	Nideæ		*Sudeas.*
	Sudeæ		*Hilus.*
	Hilo		*Ioathan.*
	Ioathan		*Vrias.*
	Vriæ		*Nerias.*
	Neriæ		*Odeas.*
	Odeæ		*Sellum.*
	Sellum		*Helchias.*
	Helchiæ		*Zara.*
	Zaræ		*Ioſedech, qui captiuus in Babyloniã adductus eſt.*

ISTI *ſiquidem omnes in Pontificatum filij patribus per ordinem ſucceſſerũt. Gloſſ. Ordinar. in cap. 3. Machab. 2.*

ORDO PON-

ORDO PONTIFICVM POST CAPTIVITATEM Babylonicam.

TABVLA 250.

POST CAptiuitatem Babylonicam,

SVMMO *Pontifici Ioſedech*	*Succeſſit*	*Ieſus eius filius, ſub quo templum reædificatum eſt.*
IESV		*Ioachim filius.*
IOACHIMO		*Ioannes filius.*
IOANNI		*Filius Iaddus, ſub quo Alexander rex Macedonum Hieroſolymam venit.*
IADDO		*Onias filius.*
ONIAE		*Simon filius, cognomento Iuſtus.*
SIMONI		*Eleazarus eius frater, qui Ptolemæo Philadelpho petente, 70. interpretes ad interpretandam legem diuinam tranſmiſit.*
ELEAZARO		*Manaſſes eius auunculus.*
MANASSAE		*Onias II. Simonis Iuſti filius.*
ONIAE II.		*Simon Oniæ filius, ſub quo Ieſus Sirach Sapiẽtiæ librum compoſuit.*
SIMONI		*Onias tertius, eiuſdem Simonis filius.*

Sub quo pontifice omnia hæc, quæ de Simone præpoſito templi narrantur, facta ſunt, regnante Syriæ & Aſiæ Seleuco Philopatore, cui ſucceſſit in regnum Antiochus Epiphanes. Simon autem præpoſitus templi Hieroſolymorũ, ad Apolloniũ Phœniciæ ducem confugiens, multis ei muneribus repromiſſis, Sacerdotium ſibi vendicare cœpit. Quo Seleucus audito Heliodorum mittit ad negocium peruidendum, qui cùm in Iudæam perueniſſet, iniquè dijudicans, & multa perperàm gerens, diuinis aduersùm ſe ſignis deterretur, & ad Seleucum reuertitur. Onias autem ſacerdos curauerat, vt Simon profugus fieret &c. dict. Gloſſ in 2. Mach. 3.

DE PARTIBVS LIBRI MACHABAEORVM primi, TABVLA 251.

IN LIB. I. RES *explicantur geſtæ pro tuẽda libertate populi Iudaici, maximè Syriæ ſub 4. ducibus*

- MATATHIA, *capit.1. & 2.*
- IVDA, *à capit. 3. vſque ad 9.*
- IONATHA, *à 9. cap. vſque ad 13.*
- SIMONE, *à cap.13. vſque in finem lib. primi.*

SERIES RERVM SVB MATATHIA PRO DEfenſione populi geſtarum contra Antiochum Epiphanem. TABVLA 252.

QVAE SVB *matathia geſta sũt, duobus continentur capitibus, in quorũ*

- PRIMO *agitur de perſecutiõibus Antiochi. Qui*
  - PRIMVM *Aegyptũ & Hieruſalem ſuæ ſubiecit ditioni, cap.1. verſ. Et paratum eſt reg.*
  - DEINDE *exuſta Hieruſalem, Dei tollit legem, ac in locum eius ſua obtrudit impia dogmata, ac ilum erigit ſuper altare Dei, idq́; ſub mortis pœna colendũ præcipit, verſ. Et conuertit Antiochus.*
  - DENIQVE *huic idolo repugnantes, morte plectuntur & ignominia afficiuntur: pueri verò circuncisi, à ceruicibus per domos ſuſpendebuntur vniuerſas. verſ. Et apud quemcunque.*
  - PII *verò multi in id conueniunt, ſe potiùs morituros, quàm cibis coinquinari immundis. verſ. Et multi de pop.*
- IN SECVNDO *verò capite narrantur tria,*
  - ZELVS *Matathiæ & filiorum eius, atque adeò totius populi fœderati ſtudium pro tuenda lege Dei: qui idolis ſacrificare magna conſtantia pernegant & recuſant. verſ. Hi viderunt mala.*
  - CONSILIVM *Iudæorum, quo ſe etiam ſabbatho defenſuros ſtatuunt. verſ. Et dixit vir prox.*
  - EXHORTATIO *Matathiæ morituri ad populum pro antiquæ religionis retinenda conſtantia. verſ. Et appropinquauerunt dies.*

DE RE-

DE REBVS SVB IVDA MACHABAEO, SEcundo Iudęorum Duce geſtis, quæ in ſex proximè ſequentibus continentur capitibus. TABVLA 153.

DESCRIbuntur quatuor inſignes *Iudæ machabæi expeditiones bellicæ. Contra*

- ANTIOCHVM *Epiphanẽ: ex quo bello quatuor celebres reportauit victorias, nimirùm aduersùs*
  - APOLLONIVM, *quem occidit. ver. Et cognouit Iudas. cap. 3.*
  - SERON *principem Syriæ, qui & ipſe cum toto exercitu profligatus & contritus eſt. Ibidèm. verſ. Et audiuit*
  - GORGIAM, *cuius inſidijs in ipſo occurrit tempore, ex cuius exercitu, vſq; ad tria ceciderunt millia virorum, cap. 4.*
  - LYSIAM, *quem magna profligauit dexteritate, cæſis quinque millibus de eius exercitu. Eodem cap. verſ. Quibus ille auditis.*
    - *Quib⁹ conſecutis, ꝑ gratiarũ actione*
      - *Templum purificat,*
      - *Altare dedicat,*
      - *Inſtituit Encænia.*
- GENTES *finitimas, quas Iſraelem perdere tentantes, auxiliantibus fratribus Simone & Ionatha, non tãtùm ad extrẽmum vſq; profligauit, vt in principio 5. habetur cap. ſed etiam hæc memoria præſtitit digna:*
  - CIVITATEM *Ephron euertit ob denegatum tranſitum, cap. 5.*
  - EXPVGNAVIT *filios Eſau. verſic. Et exiuit Iudas. eod.*
  - IDOLA *gentium igne exterminat atque ſuccendit. verſic. Et declinauit Iudas. d. cap. 5.*
- ANTIOCHVM *Eupatorem, Epiphanis illius filiũ. Qui*
  - VENIT *in Iudæam*
    - *Peditum centum millibus.*
    - *Equitum viginti millibus. verſic. Et cognouit Lyſias. cap. 6.*
  - VNICO *cum Iuda conflictu, 600. amiſit viros. verſ. Et appropinquauit, eod.*
  - EX *conſilio Lyſiæ init cum Iuda pacem, quam tamẽ mox iterùm violauit. verſ. Et audiuit Lyſias. d. cap. 6.*
- DEMETRIVM *filiũ Seleuci, quo tempore Iudas*
  - NICANOREM *interfecit, quo viſo, milites eius proijciunt arma, & aufugiunt. tot. cap. 7.*
  - PACEM *init cum Romanis. cap. 8. per tot.*
  - TANDEM *ex conflictu cum Bacchide & Alchimo Demetrij ducibus, ſtrenuè peracto, & ipſe cecidit. cap. 9.*

RERVM A IONATHA TERTIO IVDAEORVM Duce geſtarum ſumma. TABVLA 254.

- DVCATVS *Ionathæ, q fratri ſuo in cap.9. verſ. Et congregati ſunt &c. ſubſtituitur, in quatuor diſtinctus eſt tempora, totidem Regum Syriæ, nimirum*
  - DEMETRII, *ſub quo Ionathas tria præclara præſtitit facta:*
    - SVMIT *à Iambris pœnas propter captum ab illis fratrem ſuum Ioannem, verſ. Et cognouit Ionathas d. cap.9.*
    - BIS *graui conflictu oppugnatus ab Alchimo & Bacchide, ſemper euaſit victor incolumis. verſ. Et anno 153. eodem.*
    - PACEM *componit cum Bacchide, eique reſtituit omnem captiuitatem, verſ. Et cognouit Ionathas. vſque in finem ca.9.*
  - ALEXANDRI *filij Antiochi Eupatoris, quo tempore cupit Demetrius inire pactum cum Ionatha, quod is refellens, fœdus paciſcitur cum Alexandro, cap.10. Qui ſic fœderati, pro defenſione mutua duo ſuſcipiũt bella:*
    - VNVM *Alexander pro Ionatha contra Demetriũ, in quo is idem Demetrius etiam interimitur, cap.10. verſ. Et congregauit Rex &c.*
    - ALTERVM *Ionathas pro Alexandro contra Demetrium præfati Demetrij filium, in quo bello deuictus eſt illius Dux Apollonius cum toto exercitu, ex quo octo ferè millia virorũ occubuerunt. ver. In anno 165. vſque in fin. d. cap.10.*
  - DEMETRII *II. qui cum Ionatha fœdus confirmãs, Iudæã liberam permittit, cap.11. ſub quo Rege, Ionathæ 4. contigerunt memoria digna.*
    - DEMETRIVM *confœderatum liberat ab Antiocho Alexandri filio, quem in eum excitauerat Tryphon. verſ. Tryphon autem erat &c. eodem.*
    - SED *Demetrius liberatus, ictum priùs fœdus turpiter violat. verſ. Et mentitus eſt omnia quæ dixit. eod.*
    - EXPVLSO *Demetrio, pacem init cum Rege nouo Antiocho. verſ. Poſt hæc autem. eodem.*
    - EXTERAS *debellauit gentes. ver. Et exijt Ionathas. vſque in fin. d. cap.11.*
  - ANTIOCHI *filij Alexãdri, cuius temporis acta deſcribũtur cap.12. Et ſunt quæ Ionathæ hiſtoriam reſpiciunt, potiſſimùm tria:*
    - PRIMÒ, *confirmandi cum gentibus fœderis gratia, Ionathas legatos mittit Romam, & ad Spartiatas. d. cap.12. mox à principio.*
    - PRINCIPES *Demetrij compellit in fugã, verſ. Et audiuit Ionathas, quoniam regreſſi ſunt Principes. eod.*
    - TRYPHON *Ionathan prætextu ſimulatæ ſubiectionis & amicitiæ, dolo inducit, vt cum paucis militibus ingrederetur Ptolemaidam: Quo facto, ciues clauſerunt portas, & cõpræhenderunt eum: & omnes qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt, verſ. Et cùm cogitâſſet Tryphon. eodem. Quem poſteà Tryphon noua excogitata fraude, vnà cum filijs, pro eius liberatione cum pecunijs, in obſides miſſis, interficit, cap.13. vſque ad verſ. Tryphon autem &c.*

DE ACTIS SIMONIS, QVARTI POPVLI IVDAICI Ducis poſt captiuitatem Babylonicam. TABVLA 255.

QVAE A *Simone pro Iudaici populi ſalute geſta fuerunt, pertinent vel ad*

- DEFENSIONEM & *proſequutionem eorum quæ à Ionatha fuerant incepta, c.13. Vbi poſt initam cum Demetrio pacem,*
  - EXPVGNAT *Gazam, verſic. In diebus illis adplicuit Simon ad Gazam. eod.*
  - ARCEM *Sion occupat, verſ. Qui autem erant in arce. eod.*
  - IOANNEM *filium conſtituit Ducem, verſ. Et videns Simon Ioannem &c. d. cap. 12.*
- RENOVATIONEM *fœderũ cum*
  - SPARTIATIS & *Romanis, cap. 14. Vbi prædicatur ſumma ſub hoc Duce Simone in Iſrael quies.*
  - ANTIOCHO *vltimo Demetrij filio: Quod tamen Antiochus non multò poſt temerè iterum & iniuſtè violauit. cap. 15. Pro qua leuitate tamen & is tandèm à filijs Simonis profligatur. cap. 16. à principio.*
- MORTEM: *Nam in medio vltimi huius cap. 16. ſcribitur, quomodò Ptolemæus Abobi filius, Simonem cum duobus filijs interfecerit in conuiuio. ver. Et Ptolemæus, vſque in finem huius primi Machabæorum libri.*

MACHABAEORVM LIBER SECVNDVS, BIBLIAE XLV, SEXTAE

partis ſecundus, De tribulatione populi Iudaici, & liberatione eiuſdem per Iudam Machabæum.

CONTINVATIO.

In hiſtotijs ſcribitur, in ſecundo Machabæorum libro hiſtoriam non continuari, ſed tantùm repeti primo libro dicta. Brito in prologum lib. I. Machabæorum. Vbi docet nihil aliud eſſe ſecundum Machabæorum, quàm Epiſtolam, quam ſcribunt Iudas Machabęus & ſenatus Iudęorum Hieroſolymæ, ad illos Iudęos, qui hincindè in diuerſis Orientis Regionibus diſperſi erant. Idem ex ſententia Rabani dicit, quòd ſecundus liber, etſi nonnihil diuerſam à priore habeat narrationem, eadem tamen ſit hiſtoriæ veritas. Nec ramen ob id ocioſa eſt hęc narratio: nam præter prioris teſtimonia, multa narrantur hîc, ibì non compręhenſa.

DE LIBRI HVIVS SECVNDI AVTHORE, ET QVID eius narratio differat à priori.

SECVNDVS liber hiſtoriç Machabçorum, licèt breuior ſit priori eiuſdem operis libro in hiſtorica narratione, antiquiora tamen quodammodò continet tẽpora. Habet quoquè diuerſam à priore narrationem, ſed tamen hiſtoriæ non deſtruit veritatem: qui licèt multa prioris libri contineat teſtimonia, tamen plura interſerit, quç in illo non reperiuntur. Scriptus enim ab his videtur, qui morati ſunt in terra Iuda, ad eos qui in exteris fuerunt regionibus. Gloſſ. Ordin. in princip. libri ſecundi.

EADEM DE RE SENTENTIA MEDINAE.

FALLVNTVR Iudçi, dum duos Machabçorum libros vnam & eandem hiſtoriam exiſtimant, cùm prior integram vſque ad Ioannis Sacerdotium narrationem cõtineat, poſterior verò ſola Iudç facta, nec omnia recenſeat. Sunt illi duo libri duorum authorum: Prior ab eius gentis Concilio, quod annales conficiẽdi curam gerebat, compoſitus: Poſterior à Simone ſacerdote maximo, ex quinq; libris in epiſtolæ modum coactus. D. Michael Medina lib. 6. De recta in Deum fide, ca. 13.

ARGVMENTVM.

SECVNDVS liber Machabçorum de ciuitatis Hieruſalem deſolatione, per Antiochum facta primum, narrationẽ contexit: De Heliodoro quoquè volente templum ſpoliare, & diuina correptione flagellato, de ſignis cçleſtibus in aëre circa Hieruſalem apparentibus commemorat. Inſupèr de templi violatione iuſſu Antiochi facta, Iudæorumque compulſione ad legis prçuaricationem, de paſſione ſeptem fratrum Machabæorum & matris ipſorum, de Iuda Machabæo fortiter reſiſtente Antiochi ducibus proſequitur: de plaga quoquè diuino iudicio illata Antiocho, de ſera eius pœnitentia ac miſera morte, de templi emundatione per Iudam facta, de occiſione Iudæorum, qui idolorum donaria ſub tunicis abſportauerant, atque SACRIFICIO PRO DEFVNCTIS OBLATO: deniquè de Nicanoris morte, & eius capite in Hieruſalem delato, rem geſtam refert.

DE HVIVS LIBRI PARTIBVS.

TABVLA 256.

DVAS hic liber habet partes:
- PROOEMIVM, in quo Iudæi Hieroſolymitani eos qui in Aegypto habitabant,
  - HORTANTVR ad obſeruationẽ feſtorum
    - *Scenopegiæ, id eſt, Tabernaculorum, cap. 1. verſ. Et nunc frequentate.*
    - *Ignis, qui datus eſt, quandò Nehemias ædificato templo & altari, obtulit ſacrificia. verſ. Et diem ignis. eod.*
  - INSTRVVNT *de materia huius libri, cap. 2. verſ. De Iuda verò Machabæo. Vbi dicit ea, quæ à Iaſone Cyrenæo quinque libris compræhenſa fuerant, ſe in hoc breue coëgiſſe compendium.*
- NARRATIONEM *ſiue contextum totius hiſtoriæ De actis Iudæ Machabæi & ſociorum eius, à cap. 3. vſque in finem libri ſecundi.*

DE RE-

DE IPSIVS HISTORIAE PARTITIONE in Genere. TABVLA 257.

AGITVR IN HAC *Hiſtoria de*

- IVDA *Machabæo & fratribus.*
- TEMPLI *magni purificatione, & de aræ dedicatione.*
- PRAELIIS, *quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & eius filium Eupatorem.*
- ILLVMINATIONIBVS, *quæ de cœlo factæ ſunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ità vt quantumuis pauci vniuerſam vindicarent regionem.*
- IIS *ſummatim quæ ab Iaſone Cyrenæo quinque libris compræhenſa ſunt. cap. 2. verſic. De Iuda verò Machabæo &c.*

ALIA PARTITIO IN SPECIE, SIVE VBERIOR iſtorum omnium per ſingulas partes diducta explicatio.

TABVLA 258.

TOTO HOC *libro de liberatiōe agitur templi, facta per*

- ONIAM, *ex cuius hiſtoria obſeruandi ſunt hi veluti gradus:*
  - TEMPLI *honor & dignitas, in qua priùs fuerat, ſumma: quæ deſcribitur à Princip. cap. 3. vſque ad verſ. Simon autem.*
  - CONTEMPTVS *eiuſdem templi maximus, d. verſ. Simon autem. eod. cap.*
  - POENA *pro eodem contemptu cœlitùs inflicta, verſ. Heliodorus autem. eodem.*
  - EIVSDEM *pœnæ mitigatio per orationem Oniæ, ver. Tunc verò ex amicis. vſque in fin. cap. 3.*
  - INCOMMODA *& perſecutiones Iudæorū ſub Oniæ ſucceſſoribus, à cap. 4. vſque ad octauum.*
- IVDAM, *cap. 8. Et hoc partim tempore*
  - ANTIOCHI *Nobilis, cap. 8. vſque ad cap. 11.*
  - ANTIOCHI *Eupatoris, à cap. 11. vſque ad cap. 14.*
  - DEMETRII *Seleuci, d. cap. 14. & 15.*

DE REBVS IVDAE MACHABAEI GESTIS

tempore Antiochi Epiphanis. TABVLA 259.

- SVB ANtiocho, qui Epiphanes ſeu Nobilis appellabatur, hæc acciderunt:
  - MALA quibus afflicti ſunt Iudæi, ſunt
    - TENTATIONES *variæ per execrabilem Pontificum ambitionem, d. cap. 4.*
    - PERSEcutiones
      - PRAEVISAE *ex ſignis cæleſtibus, cap. 5. in princip.*
      - *Perpeſſæ, quandò*
        - IASON *perſecutus eſt cives ſuos, eod. verſ. Sed cùm falſus.*
        - *Antiochus ſpoliavit templũ, d. cap. 5. verſ. His itaque geſtis.*
        - *Iudæi legem Dei relinquere compellũtur, & templum multis violatur modis, tot. cap. 6.*
    - MARTYRIA *& ſupplicia ſeptem fratrum Machabæorum, cap. 7. per tot.*
  - LIBERATIO *ab eiſdem periculis miraculoſa.* Nam *induſtria & pietate Iudæ Machabæi,*
    - BELLO *ſatis dubio vincitur Nicanor, profligato toto Antiochi exercitu, tot. cap. 8.*
    - ANTIOCHVS *ipſe Perſepolim expoliare conatus, à Domino percutitur, ac tandèm moritur, cap. 9. per tot.*
    - CIVITATE *recuperata, templum purgatur ab idolis, ac Deo priſtina reſtaurantur Sacrificia, cap. 10. A princip. vſque ad verſ. Nunc autem de Eupatore &c. Vbi etiam apparatus & ſumma futuri deſcribitur belli contra dictum Eupatorem.*

ACTA

ACTA IVDAE SVB IMPERIO ANTIOCHI Eupatoris. TABVLA 260.

CONTRA *Eupatorem Iudas quatuor geſſit bel-la,cum*
- DVCIBVS *Antiochi tria, videlicet cum*
  - LYSIA, *quem auxilio cœlitùs demiſſo vertit in fugam, cap.11.*
  - TIMOTHEO, *qui in bello capitur, & rurſùs dimittitur illæſus, cap.12.*
  - GORGIA, *quẽ fugere compulit in Mareſa. verſ. Et poſt Pentecoſten, &c. eod. Vbi Iudas, oblato pro mortuis ſacrificio, ſpem oſtendit reſurrectionis futuræ, à d. loco vſque in fin. cap.12.*
- IPSO EV*patore vnũ, in quo bello*
  - IVDAS *quatuordecim hominum interficit millia in caſtris Antiochi, cap. 13. verſ. Quibus Iudas cognitis.*
  - RHODOCVS *Iudæorum proditor compræhenditur. ver. Enũciatis autem myſteria hoſtibus Rhod. &c. eod.*
  - ANTIOCHVS *cum Iudæis redit in gratiam. verſ. Iterùm rex ſermonem habuit, dict. cap.13.*

DE SVCCESSV RERVM IVDAE SVB Demetrio Seleuco. TABVLA 261.

DEMETRII SELEV-*ci tempore, Iudæ Machabæo duo fel*ĩ*citer acciderunt pro liberatione templi & populi Iudaici. Nam &*
- NICANOR *ad interficiendum Iudæos à Demetrio miſſus, pactum init cum Iudæis, quod tamen, rege impellẽte, iterùm ſoluit, tot. ca.14.*
- EIVS *perfidiæ Nicanor dignas luit pœnas. Nam exercitu ipſius Nicanoris proſtrato, Iudas Machabæus caput eius, cum manibus præſcindi iubet, & linguam particulatìm auibus dari, cap. 15. per totum.*

HISTORIAE SACRAE EPILOGVS.

POST mortem Simonis Machabei, & filij eius Ioannis Hyrcani, terminum accipiunr hiſtoriæ Machabæorum. Omnes etiam aliæ Canonicæ hiſtoriæ finem habent, ſola Romana hiſtoria remanenre. De Iudæis autem Ioſephus & Egeſippus, à tempore Machabæorum ſeriem ſcripſerunt, & non ſolùm Sacerdotes, ſed etiã reges poſteà, vſque ad Herodem, ſub quo Chriſtus natus eſt, fuiſſe demonſtrant. Vndè Iudei, qui in tranſmigratione Babylonis vnctionẽ regum ſuorum defeciſſe aſſerunt, mentiuntur: Quia poſt Machabeos regnauit Ioãnes Hyrcani filius, nomine Ariſtobulus, & Alexãder frater eiuſdem Ariſtobuli, & vxor Alexandri, nomine Alexandra, & poſteà Ariſtobulus filius Alexandri. Et poſt Ariſtobulum regnauit frater eius Hyrcanus, quem Hyrcanum Pompeius Magnus per violentiã fratri ſuo Ariſtobulo viuenti ſubrogauit, ipſumque Ariſtobulum captum in Hieruſalem, Romam vinctum tranſmiſit. Poſt quem poſteà Herodes alienigena, filius Antipatri Pagani, & matre Iudeus, per potentiam Romanorum ſucceſſit. Ex his omnibus paret, quia naſcente Chriſto, ablatum eſt ſceptrum & regnum de Iuda, ſecundùm Patriarcham dicentem: Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donèc veniat qui mittendus eſt, ſcilicet Chriſtus. Gotfridus Viterb. Part.12.

VETERIS TESTAMENTI SVMMA, EX DIOnyſio Areopagita, TABVLA 262.

QVAE SIT LIBRORVM *veteris teſtamenti ſumma, breuiter ità deſcribit Dionyſius Areopagita cap. 3. De Eccleſiaſtica Hierarchia. Tota ſcriptura, inquit, Canonica & Hagiographa deſcribit vel*

- RERVM *à Deo creatarum*
  - *Subſtantiam,*
  - *Ordinationem,*
  - *Gubernationem,*
  - *Quod fit (inquit Dionyſ. Carthuſ.) præſertim in Geneſi, Exodo, & alijs libris Moiſis.*

- LEGALEM *Hierarchiam, id eſt, principatum Iſraeliticæ plebis ſub lege: quod ſpecialiter fit in libro Numerorum.*

- DIVINI *populi hæreditatum diſtributiones & habitationes: quod fit præcipuè in Ioſuæ libro. Vbi deſcribitur, qualiter terra promiſſionis fuit ſorte diuiſa & diſtributa in hæreditatem duodecim tribuum, quæ tunc deditæ erant cultui veri Dei.*

- GVBERnationem
  - IVDICVM, *De quibus in libro agitur Iudicum.*
  - REGVM *ſapientum, De quibus in libris Regum & Paralipomenon.*

- INTELLIGENTIAM *Sacerdotum diuinorum. Vt fuerunt Eſdras ſcriba velox, & Hieremias, & Machabæi. De quibus in libris Eſdræ & Machabæorum.*

- GESTA *antiquorum virorum in multis & varijs anxietatibus, Iob videlicet & Tobiæ, vt patet in libris eorum.*

- IMMVTABILEM *in patientia philoſophiam, qua ſancti illi viri in rebus aduerſis fuerant vſi.*

- ACTIONVM *ſapientes Synagogas, id eſt, congregationes fideles in actibus ſtrenuas.*

- DIVINORVM *amorum Cantica, videlicet Cantica Canticorum.*

- DIVINAS *imagines, id eſt, Perſonas ſeu Typos ſpiritalis ſponſi ac ſponſæ, ſicut in Canticis.*

- FVTVRORVM *propheticas prædicationes, id eſt, vaticinia Prophetarum, tam quatuor Maiorum, quàm duodecim minorum. Vide Dionyſium Carthuſ. in caput 3. Eccleſ. hierarchi. B. Dionyſij Areopagitæ.*

ANACEPHALAEOSIS DE STATV TOTIVS orbis ſub Imperio Hebræorum, ex Chronicis Euſebij.

TABVLA 263.

- POPVLVS *Hebræorum Gens Dei electa,*
  - VIXIT *ſub tutela & imperio*
    - PATRIARCHARVM,
    - DVCVM,
    - IVDICVM,
    - REGVM,
    - ITERVM *Ducum, poſt captiuitatē ſcilicet Babylonicam.*
    - PONTIFICVM { *Ante* / *&* / *Poſt* } *captiuitatem.*
  - REM *habuit cum*
    - REGIBVS,
      - PERSARVM, *&c.*
      - AEGYPTIORVM,
      - SYRIAE,
      - ALIENIGENIS,
    - ET *Cæſaribus Romanis.*

DE PATRIARCHIS. TABVLA 264.

HEBRAEorum Patriarchæ fuerunt
- ABRAHAM, ISAAC — ANNIS
  - Centum.
  - Sexaginta.
- IACOB qui poſteà dictus eſt Iſrael, & FILIOS habuit 12. ex coniuge
  - Lia
    - Ruben,
    - Simeon,
    - Leui,
    - Iudam,
    - Iſachar,
    - Zabulon
  - Zelpha ancilla Liæ
    - Gad,
    - Aſer.
  - Rachel
    - Ioſeph,
    - Beniamin.
  - Bala
    - Dan,
    - Neptalim.
  - (Hi authores fuerunt & capita XII. tribuum Iſrael.)
  - Præfuit annis CXXI.
- IOSEPH dux Aegypti annis LXXX.

POST hos Hebræi ſeruiunt in Aegypto annis 144.

DE HE-

DE HEBRAEORVM DVCIBVS.

TABVLA 265.

DVCES HEBRAEORVM DVO, { MOISES / IOSVE } ANNIS ꝑfuit { XL. / XXVII.

DE IVDICIBVS. TABVLA 266.

IVDICES *præfuerũt Hebræis XIII. inter quos*

OTHONIEL	*Præfuit annis*	XL.
Aioth		LXXX.
Barach		XL.
Gedeon		XL.
Abimelech		III.
Thola		XXIII. vel XXVI.
Iair		XXII.
Iepthe		VI. vel VII.
Abeſan		VII.
Ahialon		X.
Abdon vel Labdon		VIII.
Samſon		XX.
Heli ſacerdos		XL.

REGNVM *Hebræorum duplex,*

VNITVM *ſub Regibus*

Rex	annis
Saul, cũ quo Samuel,	XL. vt habe-
Dauide,	XL. tur Act.13.
Salomone.	XL.

DIVISVM *in Regnum*

IVDAE *ſeu duarũ tribuũ, cui præfuerunt*

Rex	Annis
Roboam,	XVII.
Abias,	III.
Aſa,	XLI.
Ioſaphat,	XXV.
Ioram,	VIII.
Ochozias,	I.
Athalia regina,	VII.
Ioas	XL.
Amazias	XXIX.
Ozias	LII.
Ioathan	XVI.
Achaz	XVI.
Ezechias	XXIX.
Manaſſes	LV.
Amon	XII.
Ioſias	XXXI.
Ioachaz	Menſes III.
Ioachim	XI.
Iechonias vel Ioachin	III. Menſes.
Sedechias	XI.

ISRAEL *vel Samariæ, quod erat reliquarum decem tribuum Iſrael, eius Reges fuerunt*

Rex	annis
Hieroboam	XXII.
Nadab	II.
Baaſa	XXIIII.
Hela	II.
Amri	XII.
Achab	XXII.
Ochozias	II.
Ioram	XII.
Iehu	XXVIII.
Ioachaz	XVII.
Ioas	XVI.
Hieroboam	XLI.
Zacharias	VI.
Sellum	Dies xxx.
Manahen	X.
Phaceia	II.
Phacee	XX.
Oſee	IX.

POST hæc tempora ſecuta eſt tranſmigratio Babylonica & captiuitas Iudæorum, Vbi LXX. annis ſub Regibus fuerunt gentium.

DE HEBRAEORVM PONTIFICIBVS ET prophetis.

TABVLA 268.

SVB HAEC *tempora regum videlicet Iuda & Samariæ, fidei poſſimum rerumq́ ſacrarum curam habuerunt*

- PROPHETÆ
  - *Ionas, Oſeas, Abdias, Amos, Eſaias, Iohel, Michæas, Nahum, Abacuc, Hieremias, Baruch, Sophonias, Ezechiel, Daniel, Aggæus, Zacharias, Malachias*
  - *Qui claruerunt ſub regibus vtriuſq́ Regni*
    - *Tam Iuda,*
    - *Quàm Iſrael*
    - *Et maximè tranſmigratione Babylonica imminente.*
- PONTIFICES
  - *Sadoch, Achimaas, Ioram, Auxieramus, Nidæas, Sudæas, Hilus, Ioathan, Vrias, Nerias, Odæas, Sellum, Helchias, Zara, Ioſedech qui captiuus in Babylonē ductus eſt.*
  - *Qui oēs*
    - *Pontificatū filijs per manū tradiderunt,*
    - *Deindè ordine ſibi mutuo ſucceſſerūt*
    - *Vſq́ ad captiuitatem Babylonicam*

De reliquis Pontificibus qui fuerunt poſt captiuitatem, videatur Ioſephus lib. 20. antiq. cap. vltimo, & Euſeb. in Chron.

DE HEBRAEORVM DVCIBVS, QVI POST BAbylonicam captiuitatem in hiſtorijs ſacræ ſcripturæ cōmemorantur.

TABVLA 269.

DVCES *fuerunt*		*Annis*
	Iudas Machabæus	III.
	Ionathas	XIX.
	Simon	VIII.
	Hyrcanus	XXVI.

DE ALIARVM GENTIVM REGIBVS, ET PRIMO Perſarum. TABVLA 270.

PERSArum reges:	*Cyrus*	*Annis*	XXX.
	Cambyſes		IX.
	Fratres magi		VII. menſibus.
	Darius		XXXVI.
	Xerxes		XX.
	Artabanus		VII.
	Artaxerxes		XL.
	Xerxes		II. menſibus.
	Sogdianus		XVIII.
	Darius Nothus		XIX.
	Artaxerxes, qui & Memnon		XL.
	Artaxerxes Ochus		XXVI.
	Arſes		IIII.
	Darius Arſam filius		VI.

SVBVERSO *Perſarum regno, regnauit Alexander Magnus annis VI.*

DE POSTERIORIBVS REGIBVS IVDAEORVM. TABVLA 271.

REGES *Iudæorum*	*Naturales vel ex ipſorũ ſanguine*	*Ariſtobulus*	*annis*	I.
		Iannæus, qui & Alexander,		XXVI.
		Alexandra		IX.
		Hyrcanus pontifex		XXXIIII.
	Alienigenæ	*Herodes rex*		XXVII.
		Archelaus dux		IX.
		Herodes tetrarcha		XXIIII.
		Agrippa		VIII.
		Agrippa rex		XXVI.

HEBRAEORVM *regnum à Romanis eſt finitum.*

DE REGIBVS AEGYPTIORVM. TABVLA 272.

REGES *Aegypti poſt tempora Alexandri:*	*Ptolemæus Lagi filius*	*Annis*	XL.
	Ptolemæus Philadelphus		XXXVIII.
	Ptolemæus Euergetes		XXVI.
	Ptolemæus Philopator		XVII.
	Ptolemæus Epiphanes		XXIIII.
	Ptolemæus Philometor		XXV.
	Ptolemæus Euergetes		XX.
	Ptolemæus ſiue Soter		XVII.
	Ptolemæus Alexander		X.
	Ptolemæus Cleopatræ filius		VIII.
	Ptolemæus Dionyſius		XXX.
	Cleopatra		XXII.

POSTEA *regnârunt ibi Romani.*

DE REGIBVS SYRIAE ET ASIAE

TABVLA 273.

REGES Syriæ & Aſiæ fuerunt	*Seleucus, qui & Nicanor*	Annis	LII.
	Antiochus Soter		XIX.
	Antiochus, qui & Theos		XV.
	Seleucus Gallinicus		XX.
	Ceraunos		III.
	Antiochus Magnus		XXXVI.
	Seleucus, qui & Philopator		XII.
	Antiochus Epiphanes		XI.
	Antiochus Eupator		II.
	Demetrius Soter		XII.
	Alexander		X.
	Demetrius		III.
	Antiochus Sidetes		IX.
	Demetrius		IIII.
	Antiochus Gryphus		XII.
	Antiochus Cyzicenus		XVIII.
	Philippus		II.

DE CAESARIBVS ROMANIS.

TABVLA 274.

CAESAres cum q̄bus præcipuè rē habuerunt Hebræi, fuerunt	*Iulius Cæſar.*	Annis	IIII.	*Atque his temporibus abſoluitur vniuerſa Hebræorum hiſtoria.*
	Octauius Auguſtus		LVI.	
	Tiberius		XXIIII.	
	Caligula		III.	
	Claudius		XIII.	
	Nero		XII.	
	Galba	Menſibus	VII.	
	Otho		IIII.	
	Vitellius		VIII.	
	Veſpaſianus	Annis	IX.	
	Titus		II.	
	Hactenùs ex initio Chronicorum Euſebij.			

EPILO-

EPILOGVS DE AETATIBVS MVNDI.

TABVLA 275.

SEX SVNT ætates mundi, inquit Aug. quæſt. 49. ſuper Iudicum:

PRIMA ab Adam	vſq; ad	Diluuium.
SECVNDA à diluuio		Abraham.
TERTIA ab Abraham		Dauid.
QVARTA à Dauid		Tranſmigrationem in Babyloniam.
QVINTA à Tranſmig.		Chriſtum.
SEXTA à Chriſto		Huius ſeculi finem.

TEMPORVM SVPPVTATIO VSQVE AD CHRIſtum.

TAB. 276.

D V-rauit ætas

PRIMA	iuxta Hebr. annis	1656.	iuxta 70. interpr.	2242.	Vide Maſſæi Chronica.
SECVNDA		292.		1072.	
TERTIA		941.		94.	
QVARTA		473.		481.	
QVINTA		600.		584.	

SVMMAtim ergò numerantur à CONDITO mundo vſque ad CHRISTVM anni iuxta ſupputationem Hebr. 3962. / Septuag. 5328.

Euſeb. Cæſareen. in Chron. habet annos 5199. alij plures, pauciores alij.

DE RELIGIONVM VARIETATE ANTE CHRISTI ortum, ex Epiphanio.

TABVLA 277.

ANTE CHRISTI aduentum, teſte Epiphan. in præfation. operis contra Hereſes, viguit

- BARBARISMVS ante diluuium à tempore Adami.
- SCYTHISMVS poſt diluuium à diebus Noæ.
- GRAECISMVS ab idololatris cœpit, diuiſus poſteà in ſectam
  - Pythagoræorum.
  - Platonicorum.
  - Stoicorum.
  - Epicuræorum.
- IVDAISMVS à tempore Abrahæ: diuiſus tandèm in
  - Scribas.
  - Phariſæos.
  - Saducæos.
  - Hemerobaptiſtas.
  - Oſſæos.
  - Nazaræos.
  - Herodianos.
- SAMARITISMVS à tempore Nabuchodonoſor, diſſectus in
  - Gortbenos.
  - Sebuæos.
  - Eſſenos.
  - Doſithæos.

INTER

INTER OMNES PRISCORVM SECVLORVM gentes, ſolos Hebræos veram ſecutos fuiſſe fidem & pietatem, ex Euſebio.

SOLVM, inquit, Hebræorum genus, inter tot tantosq; errores (cùm anteà de variarum gentium impijs ſuperſtitionibus eſſet locutus) ab vno voluptatis collo, tanꝗ hydra in diuerſa capita profuſos, veram pietatem ſecutũ eſt. Hebręi enim ſoli pia ſanctaq; conſideratione primùm elementa, & quæ ab elementis compoſita ſunt, ſolem ſimiliter & lunam & cæteras ſtellas, & cælum ipſum, non ſolùm deos non eſſe, verùm etiam animæ penitùs experita iudicârunt.

Deindè, quoniam neq; à lapidibus caſu vnquàm ſine artifice domùs ędificari, nec pãnus abſq; texente fieri, nec nauis ſine gubernatore nauigare poteſt: cùm animalibus rationalibus atq; irrationalibus & ſubſtantijs animatis atq; inanimatis plenum hunc mundum viderent, non abſq; ſapientia Dei omnia facta putantes, à magnitudine atque pulchritudine creaturarum, puritate mentis, creatorem omnium immortalem cognouerunt.

Cùm autem non contemnendam totius partem, hominem eſſe viderẽt, partem eius præcipuam, animam videlicet, verum hominẽ: corpus verò, quaſi hominis indumentum, eſſe affirmârunt. Quarè maiorem curam cultui animæ afferre non dubitârunt, creatori hoc Deo placere arbitrãtes, qui à genere hominum non corporis robore, ſed animi ratione, omnia quæ in terris ſunt, gubernari conſtituit.

His fundamentis iactis, corpus quidem & quæ corpori ſuauia ſunt, non maioris ꝗ reliqua pecora, fecerunt. Animum autem, qui rationalis atque intellectiuus eſt, quiq; ad ſimilitudinem Dei creatus eſt, ſummo ſtudio excoluerũt, nec quidquam verum bonum, præter bonorum omnium largitorem Deum credẽtes, extremum finem, ſummamq; beatitudinem in cognitione atq; coniunctione Dei poſuerunt, qui ſolus humanæ vitæ rerumq; omnium cauſa eſt.

Quarè illum ſolum Deum cognoſcere, illi ſe ſoli vitæ puritate cõiungere studuerunt ac pietate, veraque in Deum religione, altiſſimi ſacerdotes, genus electum atq; regium, & gens ſancta, alijsq; ſimilibus appellatiõibus digni viſi ſũnt. Cur igitur reprehendendi nos ſumus, qui hæc Græcorum, Aegyptiorum, Phœnicum, cæterarumque gentium nugis præpoſuimus?

In tantum virtutis multi ex genere ipſorum peruenerunt, vt angelorum viſione diuiniſq; oraculis, non ſyllogiſmis neq; coniecturis inſtituerentur, vt quę futura erant, plerunquè Dei gratia repleti quaſi præſentia viderent. Hæc anteꝗ Græcorum nomen eſſet, immò verò etiam ante Moiſen à Iuda Iudæi appellati ſunt: Hebræi verò ab Hebero, à quo Abraham originẽ traxit. Multis ante Moiſen ſeculis, abſq; lege aliqua ſcripta piè ſanctéq; viuebant, abſq; doctrina legum, oraculis veritatem diuinis & mentis acumine, magnitudineq; animi conſecuti.

Primus verò apud eos eximius ille Theologus Moiſes ſcripta reliquit, qui diuinitùs antequàm leges poneret, Maiorum vitas animis hominum impreſſit. Ità bonorum præmijs, & impiorum ſupplicijs, ad amplexandam virtutem & fugiẽdam impietatem exhortatus, leges tandem in mediũ ꝓpoſuit. Iudicauit etiam, nè fortè difficilima legis præcepta Iudęi dicerent, atque ab illis reſilirẽt, priſcorum exempla eſſe proponenda, vt omnibus pateret, abſq; legum mandatis ſola ratione nixos, optimè Maiores Iudæorum vixiſſe, atq; ideò non eſſe ſibi difficile, vitas illorum imitari, ſi paria diuinitùs conſequi præmia deſiderarent. Euſeb. lib. 7. de Euangelica præparatione, cap. 2.

SVMMA

SVMMA TOTIVS HISTORIAE BIBLICAE,

quæ in ſeptem diuiditur partes. TABVLA 278.

PRIMA

CONTINET *ea, quæ ab orbe condito ſub patribus & patriarchis acciderunt, De quibus agitur in Geneſi, & in 1. Paralipomenon: item ab initio libri primi antiquitatum Ioſephi vſque ad cap. 6. libri 2. iuxta nouam tranſlationem.*

SECVNDA,

QVAE *ſub Moiſe & Ioſue ducibus, & poſt hos à iudicibus acta ſunt: eaq; in Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Ioſuæ & Iudicum libris habentur, Et in Ioſepho, à ſexto ſecundi, vſque ad caput ſextum libri ſexti.*

TERTIA,

QVAE *ſub Saule, Dauide, Salomone, in regno Hebræorum geſta ſunt. Et hæc explicant Primus, Secundus, Tertius vſque ad cap. xij. lib. 3. Regum, Duo Paralipomenon, Et Ioſephus à cap. 6. libri ſexti, vſque ad cap. 4. libri octaui.*

QVARTA,

HEBRAEI *regni diuiſionem in regnum Iudæ & regnum Iſrael, & quæ ſub vtriuſque regni Regibus ſunt facta, & huius tranſlationem: in Medos & Perſas, illius tranſmigrationem in Babyloniam, vt habet tertius & quartus liber Regum, Secundus Paralipomenon, & partim quidam prophetæ, Ioſephus verò cap. 4. octaui, vſque ad librum vndecimum.*

QVINTA,

REDITVS *Iudæorum ex Babylone, & quæ illis & ducibus ſuis ſub regibus Perſarum, Aegypti & Syriæ acciderunt: quorum multa à prophetis ſunt vaticinata, & in libris Eſdræ, Nehemiæ, Machabæorum, Iudith, in Ioſephi item vndecimo libro vſque ad caput 18. lib. 13. habentur.*

SEXTA,

IVDAEORVM *ſtatum ſub regibus alienigenis: (tunc enim appropinquante Meſſiæ aduentu, ſceptrum de Iuda fuit ablatum) De illo Ioſephus à cap. 18. lib. 13. deincèps.*

SEPTIMA,

HVMANAE *ſalutis aſſertorem Ieſum Chriſtum, Qui finis eſt & conſummatio legis Moſaicæ, item Apoſtolicam primæuam vitam, de quibus Euangeliographi & acta docent Apoſtolorum. Abbreuiator Ioſephi.*

FINIS.

SIT LAVS DEO,

AMEN.

PARTITIONVM THEOLOGICARVM LIBER TERTIVS,

CONTINENS

OECONOMIAM PRIORIS PARTIS NOVI TESTAMENTI, EVANGELII SCILICET IESV CHRISTI.

D. PAVLVS AD GALATAS III. ET IIII. & Titi II.

AT VBI VENIT FIDES, IAM NON SVMVS SVB PAEDAGOGO. *Hoc eſt: Poſtquàm venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

VT HVIVS LIBRI TRACTATIO CVM PRAECEDENTIBVS COHAEREAT.

Initivm Euangelij, finis eſt legis, D. ait Chryſoſt. in Euangeliũ Marci, hom. 1. Quaſi dicat: Vbi lex definit, ibi euangelium incipit: Ità vt lex vetus ſit quædam diſpoſitio ad nouam. Lyranus in præfatione in quatuor Euangeliſtas. Atq; hoc eſt, quod ſuperiùs ex eodem Auguſtino adduximus, vetus ſcilicet teſtamentum rectè intelligentibus, prophetiam noui eſſe teſtamenti. contra Fauſt. lib. 15. ca. 2. Quò etiam D. Paulus in 3. ad Galat. cap. reſpexiſſe videtur, dum legem dicit fuiſſe pædagogum noſtrum in Chriſto. Cùm ergò, quæ legis in veteri teſtamento fuerit ratiò & authoritas, in ſecundo huius operis libro per ſingulos temporum atque locorum ordines fuerit oſtenſum: conſequens porrò eſt, vt etiam in ordinem redigantur ea, quæ de perfectione ipſius legis in ſacris cõtinentur literis.

ADPROBATIO EIVSDEM CONTINVATIONIS, ex ſententia D. Pauli ad Galat. 4.

Dico autem, inquit, Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad præfinitũ tempus à patre: ità & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elemẽtis mũdi huius eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionẽ filiorum reciperemus. Vbi Paulus paruulos vocat, ſub legis ſeueritate degentes: & legem Moiſis, atque adeò omne vetus inſtrumẽtum. Hieronymus ad Algaſiam, elementa vocauit mundi, quibus quaſi elementis & religionis exordijs Deum diſcimus. Ex quibus ſanè verbis etiam alia, & ſecunda colligitur hunc librum ad ſuperiora continuandi ratio: videlicet, quòd ibì de collapſa, hîc de reſtaurata agendum ſit Eccleſia.

LEX ET PROPHETAE IN QVIBVS CONSISTANT, ET quomodò Chriſtus impleuerit vtrunque, ex authoritate operis imperfecti in Matthæum.

Lex & prophetæ duo hæc agunt: Et de Chriſto prophetizant, & legem viuendi conſtituunt: quæ vtraq; Chriſtus impleuit. De ſe quidem ſic, quandò natus eſt, & vocatus eſt Emanuel: quandò circunciſus eſt, quandò præſentatus eſt in templum, & oblatum eſt pro illo ſacrificium, ſcilicet duo turtures, aut duæ colũbæ, quandò in Aegyptum fugit, legem adimpleuit: Quandò in Nazareth conuerſatus eſt, quandò cum aſino in templum ingreſſus eſt, quandò à pueris laudatus eſt, quandò crucifixus eſt inter iniquos, quandò felle & aceto potatus eſt, quandò in manibus patris ſui ſpiritum commendauit, quandò veſtimenta ſua diuidenda reliquit, quandò deſcendit ad inferos, & viſitauit omnes dormientes: quandò aſſcendit in ſtrepitu, quandò ſedit ad dexteram patris, quandò adhuc venturus eſt, vocans terram à ſolis ortu vſq; ad occaſum, quandò ſederit in valle Ioſaphat, & iudicauerit omnes gẽtes, adimplet prophetias: Quia niſi hæc facta fuiſſent, mendaces erant prophetæ: nunc autem omnes impleti ſunt, & adhuc implebuntur, cùm ſtellæ ceciderint, cùm ſol tenebratus fuerit, cùm luna ſanguineo colore mutata fuerit, cùm cælum plicatum fuerit ſicut liber.

Secvndùm autem modum viuendi, legem impleuit duobus modis. Primùm exteriores quidem legis figuras ſoluens, interiores autem veritates eius adimplens: Vtputà, in lege præcepit, omne opus ſeruile in ſabbatho quenquam facere non debere, præterq̃ quod fit omni animæ, ſcilicet quod eſt neceſſariũ vitæ humanæ: hoc figurale eſt, quia ſic Deus in ſabbatho ceſſat ab opere. Spiritualiter

Ioann. 8. ſecundùm Euangelicam veritatem, opus ſeruile peccatum eſt. Quoniam omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Omne autẽ opus bonum, nõ eſt ſeruile, ſed liberale, & ꝑ animæ ſit libertate, licèt videatur ipſum opus in prima facie corporale. Vides ergò quia Chriſtus ſabbathis operãs, adimpleuit legẽ, nõ ſoluit: manife-

nifeſtauit,non occultauit? Deindè impleuit legē in iſtis minimis, de quibus Saluator noſter Chriſtus ipſe diſſerit Matth.5. Mandata enim Moiſis in actu facilia ſunt, Non occides, nō adulterabis: & ideò in remuneratione modica, in peccato autem magna. Mandata autē Chriſti, id eſt, Neq; iraſcaris, neq; cōcupiſcas, ipſo actu difficilia ſunt: & ideò in remuneratione magna ſunt, in peccato autem minima. Author operis imperfecti in Matth. 5. Homilia 10.

DE EODEM, SENTENTIA CLEMENTIS ROMANI.

Legem enim naturæ non ſuſtulit, ſed confirmauit: Nam qui dixit in lege, Deut.6.
Dn̄s Deus tuus, Dominus vnus eſt: idem dicit in Euangelio, Vt cognoſcāt te ſo- Ioan.17.
lum Deum: & qui dixit, Diliges ꝓximum tuum ſicut teipſum: in Euangelio re- Leuit.19. Ioan.15.
nouato præcepto, Mandatū nouum, inquit, do vobis, vt diligatis vos inuicèm.
Qui tunc cædem ꝓhibuit, modò ꝓhibet incōſideratam iram: qui tunc adulteri-
um, modò illicitam cupiditatem: qui tunc latrocinium, modò magìs commen-
dauit eum, qui de proprijs laboribus inopibus præbet: qui tunc odium ꝓhibu- Gen.9.
it, nunc inimicorum dilectionem præcepit: qui vindictā, nunc præcipit patien- Matt.5.
tiam, non quòd iniuſta ſit vindicta, quæ iuſtè ſumatur, ſed quòd præſtantior ſit patientia. Neq; verò naturales affectiones excidi iuſſit, ſed illarum exuperantiā: qui colendos parentes præcepit, ipſe ijs ſubiectus erat: qui ſabbatum ſeruari voluit, vt ille dies conſumeretur in legum meditatione, nunc quotidiè iuſſit nos cogitantes conditæ naturæ prouidentiæq; legem, gratias agere Deo.

Circuncisionem ſuſtulit, cùm eam in ſe expleſſet. Ipſe enim erat, cui repoſita erat expectatio gentium: qui iuſiurandum præceperat, [& periurium prohibuerat, omninò iurare vetuit. Baptiſmum, ſacrificium, ſacerdotium, localem adorationem, alio modo mutauit: pro quotidiano baptiſmo, vnum ſolum baptiſmum inſtituit, qui in eius mortem perficitur: pro vna tribu, de qualibet natione præcepit optimos deligi: nec corporum integritatem ſpectari, ſed religionem ac vitam. Pro ſacrificio cruento, rationale & incruentū ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur: pro adoratione locali, ab ortu ſolis vſq; ad occaſum in omni loco imperij ſui, nomen ſuum celebrari ſtatuit.

Qvare non ſuſtulit à nobis legem, ſed vincula: Nam de lege Moiſes inquit: Deut.6.
Meditaberis verbum, quod ego tibi mando, ſedens domì, ſurgens & ambulans
in via. Et Dauid ait: In lege Domini volūtas eius, & in lege eius meditaberis die Pſal.1.
ac nocte: Vbiq; enim nos legibus obſequentes eſſe vult, non legum contempto- Pſal.118.
res. Beati enim, inquit, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Beati
qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Et iterùm: Beati
ſumus Iſrael, quoniam quæ placent Deo, cognita ſunt nobis. Et Dominus in- Bar.4.
quit: Si hæc cognouiſtis, beati eſtis ſi feceritis ea. Clemens Roman. in conſtitu- Ioan.13.
tionibus apoſtolicis, lib.6. cap.23.

DE VARIIS NOVI TESTAMENTI APPELLAtionibus. TABVLA PRIMA.

TESTAmentū nouum dicitur interdùm,

- LEX *noua, ſiue ſecunda reſpectu veteris, quæ (vt ſuprà monuimus) dicitur prima.*
- GRATIA, *quia non quaſi debitum iuſtitiæ redditum eſt, ſed gratuitò datum. Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ Pauli ad Roman. inchoata.*
- EVANGELIVM, *non propter ea bona tantùm, quæ iam extitiſſent, ſed propter ea, quæ futura eſſent. Chryſoſt. in epiſt. ad Rom. in principio.*

QVIBVS NOMINIBVS PAVLVS VTRVNQVE ſignificauerit teſtamentum.

D. PAVLVS teſtamentum vetus comparauit literæ, nouum autem viuum di-
2.Cor. 3. xit ſpiritum: Litera (inquit) occidit, ſpiritus autem viuificat. Quem locum Augustinus ſic vult accipiendum, quod legis litera, quæ docet non eſſe peccandum, ſi ſpiritus viuificans deſit, occidat. De ſpiritu & litera ad Marcellinum cap. 5. Quæ diſtinctio etiam Chriſti cōfirmatur ſententia, in 6. Ioan. cap. prolata, vbi ait: Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt.

QVID NOVO CVM VETERI CONVENIAT TESTAMENTO.

VNVS idemque eſt ſcopus, idemque author, tam veteris, quàm noui teſtamēti. Id quod Origenes contra hæreticos, qui dicebant Deum legis nō eſſe bonū, ſed iuſtū: & Moiſis legem non bonitatem continere, ſed iuſtitiā, his declarat verbis: VIDEANT ergò qui Deum pariter criminantur & legem, Quomodò Moiſes ipſe & Aaron priores fecerunt hoc, quod poſtmodùm Euangelium docuit: Eccè diligit Moiſes inimicos, & orat pro perſecutoribus ſuis, quod vtiquè fieri Chriſtus in Euangelijs docet. Audire enim, quomodò cadentes in faciem ſuper terram, orant pro illis, qui ad interficiendum eos inſurrexerant.

SIC ergò inuenitur & euangelij virtus in lege, & fundamento legis ſubnixa intelliguntur Euangelia Nec vetus teſtamentum nomino ego legem, ſi eam ſpiritaliter intelligam. Illis tantummodò lex vetus efficitur teſtamentum, qui eam carnaliter intelligere volunt. Et neceſſario illis vetus effecta eſt, & ſenuit, quia vires ſuas non poteſt obtinere.

NOBIS autem qui eam ſpiritaliter & euāgelico ſenſu intelligimus & exponimus, ſemper noua eſt, & vtrunq; nobis nouum teſtamentum eſt, non temporis ætate, ſed intelligentiæ nouitate. Origenes in Numer. cap. 16. & 17. homil. 9.

DE EODEM EIVSDEM ORIGENIS SENtentia etiam alibì repetita.

DEBES ergò priùs meditari, inquit, legē Dei, vt ſi fortè actus tui intemperati ſunt & mores inconditi, lex Dei te emendet & corrigat. Vis videre quia Moiſes
Matt.17. ſemper cum IESV eſt, hoc eſt, lex cum euangelijs? Docet te Euangelium, quia cùm transformatus eſſet in gloriam Ieſus, etiam Moiſes & Elias ſimul cum ipſo apparuerunt in gloria. Vt ſcias quia lex & Prophetæ & Euangelia in vnum ſemp conueniunt, & in vna gloria permanent. Deniq; & Petrus cùm vellet eis tria fa-
Luc.9. cere tabernacula, imperitię notatur, tanquā qui neſciret quid diceret. Legi enim & prophetis & Euangelio non tria, ſed vnum eſt tabernaculum, quæ eſt Eccleſia Dei. Idem Origenes in Leuit. cap. 8. De indumentis pontificis homil. ſexta.

SENTENTIAE PRAEDICTAE RATIO EX HIERONYMO.

RATIONEM iſtorum aſſignat Hierony. ad Gerontiam de Monogamia, his verbis: Hæc dicimus, inquit, non ſeparantes legem & Euangeliū, vt Marcion calumniatur: ſed vnū atq; eundē ſuſcipiētes Deū, qui pro varietate temporū atq; cauſarum, principiū & finis, ſerit vt metat: plātat, vt habeat quod ſuccidat: iacit fundamentū, vt ędificatiōi, cōſummato ſeculo, culmē imponat. Et D. Auguſtin. Manichæos & alios hæreticos qui dicebāt, aliū datorē fuiſſe legis, quæ data eſt per Moiſen, aliū aūt largitorē euāgelicæ gratiæ, illū quidē Deū malū, illū verò Deū bonum, hoc refutat argumento, quod vnus idemq; fuerit vtriuſq; author Deus. De tempore, Dominica quinta poſt octauas Epiphaniæ, ſermone ſecundo.

DE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI DIFFERENTIIS.

Exod.9. Act.2. IN hac tam mirabili congruentia illud certè plurimùm diſtat, quod ibì populus accedere ad locum, vbì lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hìc autē in eos ſuperuenit ſpiritusſanctus, qui eum promiſſum expectantes, in vnum fuerūt cōgregati. Ibì in tabulis lapideis digitus Dei operatus eſt, hìc in cordibus humanis. Ibì ergò lex extrinſecùs poſita eſt, qua iniuſti terrerētur: hìc intrinſecùs data eſt, qua iuſtificarentur. Auguſt. de ſpiritu & litera, cap. 17.

DE EISDEM SENTENTIA HIERONYMI.

TV nos Manichæos vocas, cur legi Euangelium præferentes, in illa vmbram, in hac veritatẽ eſſe dicamus: & non intelligis ſtultitiã tuam impudentiæ copulatam. Aliud eſt, dãnare legẽ, quod Manichæus facit: aliud, legi pferre Euangeliũ, q̃ Apoſtolica doctrina eſt. In illa enim ſerui, in hoc pſens Dñs loquitur: Ibì pmittitur, hîc impletur: ibì initia, hîc perfectio eſt: in illa operũ fundamenta iaciuntur, hîc fidei & gratiæ culmen imponitur. Hieron. lib. 1. aduerſ. Pelagian.

VSVS SIVE SCOPVS VTRIVSQVE TESTAMENTI verus quis ſit, ex Auguſtino.

LEX data eſt, vt gratia quæreretur: gratia autẽ data eſt, vt lex impleretur. Auguſtinus, qui etiam lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2. Lege, inqt, dicimus fieri, vt Deus, qd fieri velit, audiatur: gratia verò fieri, vt legi obediatur.

ADHVC DE VTRIVSQVE TESTAMENTI differentijs, ſententia Iſidori.

INTER legẽ & Euangeliũ hoc intereſt, ꝙ in lege litera, in Euangelio gratia: Illa habuit vmbrã, iſta veritatẽ: Illa data eſt pp̄ter tranſgreſſionẽ, iſta pp̄ter iuſtificationẽ. Illa ignorãti demonſtrat peccatũ, iſta agnitũ iuuat vt vitetur. Illa flagitijs deditos increpat, iſta peccãtes bonitate ppria liberat. Illa talionẽ decreuit reddere, iſta etiàm p inimicis orare iuſſit. Illa cõiugio multas habere, creſcere & gñare pcipit, iſta cõtinentiã ſuaſit. Illic pdicatur circuncifio carnis, hîc lauacrũ in ablutionẽ cordis & corporis. Illic Chanaan regnũ & pmiſſiones temporaliũ rerũ cõtinentur, hîc vita æterna regnumq; cęlorũ pmittitur. Illic ſabbati ocium & requies celebratur, hîc ſabbati requies in Chriſto habetur, q dixit: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos, & inuenietis requiẽ ani- Matt. 11.
mabus veſtris. Illic à ſanctis animalia immũda phibentur, hîc in Corpore Chriſti (id eſt, in ſanctis ſuis) nõ admittitur, qdquid p illa immũda animalia in morib' hominum ſignificatur. Illic pecorib' immolatis, carnis & ſanguinis hoſtiæ offerebantur: hîc ſacrificiũ carnis & ſanguinis offertur Chriſti, quod p illa animalia 1. Cor. 5.
figurabatur. Illic ex carne agni paſcha celebratur, hîc paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, q eſt verus agnus immaculatus. Illic neomeniæ (id eſt, nouæ lunæ) principia celebrãtur, hîc noua creatura in Chriſto accipitur, vt Paulus ait: Si 2. Cor. 5.
qua noua in Chriſto creatura, vetera tranſiêrunt: eccè facta ſunt omnia noua.

QVID plura? In lege quippe res geſtæ p figura, in ſignificationem futurorũ annunciabantur: in gratia verò euangelicæ veritatis, q̃ enunciata fuerunt, explentur. Item in lege mandata ſcripta ſunt & pmiſſa: Sed in lege mandata tenentur, quę legem implere vel conſeruare iubent: pmiſſa verò, in euangelij plenitudine conſummantur. Itẽ, lex peccatũ monſtrauit, non abſtulit: ſed ſub ſuo terrore redactos homines, ſeruos effecit, & indè ſpiritũ ſeruitutis habuiſſe priorem populum Apoſtolus docuit. Euangelium verò veniẽs, crudelitatẽ legis amouit: peccata q̃ lex puniebat per ſpiritum ſeruitutis, laxauit: p ſpiritum adoptionis, filios ex ſeruis reddidit, amorẽ implendæ legis omnibus donauit: & ſi deincèps puniẽda cõmiſerint, p eundẽ adoptionis ſpiritũ indulget. Formã benè agendi præbuit, & vt poſſint agi q̃ docuit, adiutoriũ ſpiritũ infundit. Nam pcepta legalia, comparatione Euangelij, etiam non bona dicuntur, quia quod pcipiunt, non pficiunt. Gratia verò Euangelij quod exteriùs imperat, interiùs vt pficiatur iuuat. Ezechielis enim teſtimonio dicitur: Dedi eis pcepta non bona. Vtiq; non bo- Eze. 20.
na, Euangelio cõparata, quia in eis quædam inutilia infirmioribus ſenſibus agẽda permiſſa ſunt, ſicut illud, vbì Deus Iſraëlitarum cupiditatem ſpolijs Aegyptiorum ſatiati permiſit. Nam pro eo ꝙ carnalis populus modũ egrederetur vin- Exod. 12.
dictæ, lex permittit carnalibus rependere vicem mali, quod Euangelium firmioribus vetat. Vndè Iunilius in libro ad Primaſiũ epiſcopum: Veteris teſtamẽti intentio eſt, nouum figuris & ænigmatibus demonſtrare: Euangelij autẽ, ad æternæ beatitudinis gloriã mẽtes humanas accẽdere. Iſidorus in libro differentiarũ.

DE PARTITIONE EORVM, QVAE IN NOVO continentur teſtamento. TABVLA 2.

QVAE IN NOVO *Teſtamento cōtinentur omnia, ad Eccleſiæ pertinēt inſtitutionem & conſtructionem, & in duas diuiduntur partes: Videlicet in*
- EVANGELIVM *Chriſti, in quo tum vita & actiones ipſius deſcribuntur, tum ſalutaris doctrina proprio eius ore promulgata, qui totius Eccleſiæ caput eſt, explicantur.*
- DOCTRINAM *apoſtolorum, qui diuino ſpiritu afflati, eccleſiæ in Chriſto fundatæ ædificium conſummârunt.*

DE EVANGELIO.

INTER omnes diuinas authoritates, quæ ſanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim lex & prophetæ futurum prænunciauerūt, hoc redditum atq; completum in euangelio demonſtratur. Auguſtinus de conſenſu euangeliſtarum, lib. 1. cap. 1.

APPELLATIONES EVANGELII PLVRES.

TABVLA 3.

EVANGElium appellatur modò
- VERBVM *fidei, Rom. 10. Siue, quod idē eſt, Prædicatio veritatis & vitæ, Ioan. 6.*
- VIRTVS *Dei, ad ſalutem omni credenti, Rom. 1.*
- SCIENTIA *ſalutis, Luc. 1.*
- CAELESTIS *quædā epiſtola. D. Michael Medina de recta in Deū fide. lib. 3. ca. 9*
- DOCTRINA *chriſtiana Matt. 4. & 9. Marc. 1. Luc. 4. & 6.*

VERA EVANGELII DEFINITIO.

TABVLA 4.

EVANGElium *diffinitur duobus modis:*
- LARGO *quodam modo, quodcunque nuncium bonum, dici poteſt Euangeliū. Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum lib. 2. cap. 2. Qua ratione non dubitauit Origenes affirmare, aliquo modo Euangelium eſſe quæ ſcripſerūt Apoſtoli: cùm ad Euangeliſtæ munus attineat, adhortatoria etiam oratione fidem iis, quæ de Ieſu tradita ſunt, adquirere, Origen. in præfat. ad Euangelium Ioannis.*
- PROPRIE *tamen hoc vocabulum obtinuit annunciatio Saluatoris, Auguſtinus lib. 2. cap. 2. contra Fauſt. Manichæ. Atque hoc modo narratores originis, dictorum, factorum, paſſionum Domini noſtri Ieſu Chriſti, propriè dicti ſunt euāgeliſtæ. Idem Auguſt. ibidem.*

DEFINITIONES ORIGENIS.

ORIGENES in præfatione ad euangelium Ioannis, ità definit: Euangelium, inqt, eſt oratio, q̄ bonam & conuenientem rationi rerum annunciationem continet, q̄ lætum reddunt auditorē propter vtilitatē, ſimulatquè ab ipſo admiſſa fuerint q̄ annunciantur. Nec verò minùs talis oratio eſt euangelium, quanuis ex habitu audientis perpendatur. Vel euangelium oratio eſt, continens boni præſentiam cuicunq; credenti, Vel, oratio affirmās adeſſe bonum, quod expectabatur. Oēs autem, quas prædicamus, definitiones iis conueniunt, q̄ inſcribuntur euangelia.

ALIA DEFINITIO HIERONYMI.

EVANGELIVM abbreuiatus atq; perfectus eſt ſermo, qui pro cunctis linioſæ legis cæremoniis dedit præceptum breuiſſimum dilectionis & fidei: vt quod nobis fieri noluerimus, nè fecerimus alteri. Hierō. lib. 4. Commēt. in Eſaiā. cap. 10.

DEFINITIO IOANNIS DRIEDONIS DE EODEM.

EVANGELIVM eſt bonæ rei nuncium, à Chriſto manifeſtatum, in ſcripturis legis & prophetarum velatum. Vndè dicitur euangelium pacis, euangelium regni cælorum, euangelium ſalutis æternæ, euangelium gloriæ Dei, euangelium gratiæ & miſericordiæ, euangelium magni gaudij. Dried. lib. 2. cap. 3.

QVAE

QVAE ILLA SINT BONA, QVAE NOBIS Chriſti promittuntur Euangelio. TABVLA 5.

EVANGELIVM EX *ſententia Chryſoſtomi in Euangelium Matthæi in princip. & cap. 4. homilia 8. in tenebris ſedentibus nuncias*

- *Pœnarum ſublationem,*
- *Veniam peccatorum,*
- *Sanctificationem atque iuſtitiam,*
- *Redemptionem,*
- *Adoptionem filiorum,*
- *Cœlorum hæreditatem,*
- *Cum Dei filio fraternitatem,*
- *Paternitatem Dei,*
- *Reſurrectionem mortuorum,*
- *Vitæ immortalitatem,*
- *Societatem angelorum & communicationem Spiritûs,*
- *Beatitudinem cœleſtem,*
- *Poſſeſſionem gloriæ ſempiternæ.*

QVOT IN ECCLESIA SINT EVANGELIA, ſententia eiuſdem Chryſoſtomi Catholica.

VNDE dilucidum eſt, quatuor euangelia vnum eſſe euangelium. Quum enim quatuor eadem loquantur, non eſt aliud atq; aliud, ob perſonarum differentiã, ſed vnum ob eorum qui loquuntur, conſonantiam. Nam etſi deciès mille ſint euangeliſtæ, qui ſcribunt euangelia, modò ſcribant eadem, multa illa vnicũ ſunt euangelium: neq; quidquam obſtat ſcribẽtium multitudo, quò minùs vnum ſit euangelium. Quemadmodùm exaduersò, ſi quis vnus ſcribens cõmemoret cõtraria, non eſſet vnum euangelium quæ ſcribuntur: Vt enim vnum ſit euangelium, aut non vnum, non æſtimatur numero ſcribentium: ſed hinc, eadem' ne ſint, an diuerſa quæ ſcribuntur. Chryſoſt. in epiſtolam Pauli ad Galat. cap. 1.

QVAE SINT ILLA EVANGELIA SVB ISTO QVAternario nnmero per eccleſiam Catholicam approbata, ex Athanaſio.

QVATVOR nobis euangeliorum libros ſacri ſanctæ & Catholicæ eccleſiæ Canones ſanxerunt. Primum, ſecundùm Matthæum: Alterum, ſecundùm Marcũ: Tertium, ſecundùm Lucam: Quartum, ſecundùm Ioannem, iuxta Prophetiam viſionis, quam Ezechiel Propheta de quatuor Cherubim vidit. Quatuor enim Cherubim Propheta ille vidit, vnum ſimilẽ homini, id eſt, Euangeliũ ſecundùm Matthæum: Alterum ſimilem vitulo, quo ſignificabatur Euangelium ſecũdùm Marcum: Tertium ſimilem leoni, id eſt, Euangelium ſecundùm Lucam: Quartum ſimilem aquilæ, imaginem habentis Euangelij ſecundùm Ioannem. Prẹter iſta non eſt vllum aliud Euangelium. Athanaſ. in Synopſi diuinæ ſcripturæ circa finem. Ezech. 1.

VBI, ET QVANDO, QVIBVS'QVE LITERIS quatuor iſta edita ſint Euangelia.

EVANGELIVM ſecundùm Matthæum, ab ipſo Matthæo Hebraica dialecto cõſcriptum eſt, & editum Hieroſolymis, & interpretante Iacobo, fratre Domini ſecundùm carnem, expoſitum, qui & primus à ſanctis Apoſtolis Hieroſolymorum epiſcopus conſtitutus eſt.

EVANGELIVM ſecundùm Marcum, Romæ quidem ab Apoſtolo Petro prędicatum eſt, editum verò à Marco beato Apoſtolo, & ab ipſo Alexandriæ poſteà, & in Aegypto, & in Pentapoli, & in Libya prædicatum,

EVANGELIVM ſecundùm Lucam, prædicatum quidem eſt ab Apoſtolo Paulo, conſcriptum verò & editum à Luca beato Apoſtolo ac medico. Quemadmodùm & Apoſtolorum Acta prædicauit Apoſtolus Petrus, idem verò Lucas literis mandauit.

Evangelivm verò ſecundùm Ioannem, & prædicatum eſt ab Ioanne Apoſtolo & dilecto, cùm exul eſſet in Patmo inſula, & poſteà ab eodem Epheſi editum, per Gaium dilectum Apoſtolorum hoſpitem, de quo & Paulus Romanis ſcribens, dicit: Salutat vos Gaius hoſpes meus, & tota Eccleſia. Idem Athanaſius ibidèm.*

QVAE IN EVANGELIO QVOVIS PRAEcipuè ſint ſpectanda, ex ſententia Hieronymi. TABVLA 6.

QVATVOR *ſunt qualitates, De quibus ſancta contexuntur Euangelia:*	*Præcepta,*	*In*	*Præceptis*	Conſiſtis	*Iuſtitia,*
	Mandata,		*Mandatis*		*Charitas,*
	Teſtimonia,		*Teſtimonijs*		*Fides,*
	Exempla:		*Exemplis*		*Perfectio.*

Atqve hi quatuor ſunt menſes, quos Chriſtus ante meſſem prædixit, dicens:
Ioan. 4. Nónne quatuor menſes ſunt vſque ad meſſem? vt & nos per p̄cepta Dei & mandata, ac teſtimonia atq; exempla, maturos poſt iudicium metamus cum gaudio fructus, qui in lachrymis timoris ſemina pœnitentiæ iactauimus in terra, noſtros portantes charitatis manipulos cum gaudio metamus in cælo. In præfatione ad Euangel. Marci.

EVANGELII VIRTVS QVIBVS IN REBVS SIT poſita, iudicium Hieronymi.

Haeretici non habent Dei Euangelium, quia non habent Spiritum ſanctũ, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur: Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla. Nõ in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Alioquì & diabolus, qui loquitur de ſcripturis, & omnes hæreſes, ſecundùm Ezechielem indè ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis. Hieron. in lib. 3. In epiſt. ad Galat.
Ezech. 13.

QVAM OB CAVSAM EDITA SINT Euangelia.

Evangelii ſcribendi cauſa fuit, vt omnes crederent Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei. Hilarius lib. 6. de Trinitate.

IN QVEM FINEM EVANGELIA REDACTA ſint in ſcripturam.

Sicvt neceſſè fuit ad confirmationem fidei Euangelium prædicare, ſic & contra hæreticos ſcribi. In Prologo in Matthæum.

QVOD EVANGELII SIT CAPVT.

Eivsdem Euangelij hoc caput, hoc ſummum eſt, vt Deum hominem factum, crucifixum, vitæ redditum ſciamus. Chryſoſto. in epiſtolam ad Corinth. priorem, cap. 15. homil. 38.

DE MI-

DE MINISTERIO, SIVE DE SCRIPTORIBVS EVANGELII.

De ſacro Euangelij miniſterio ſic ſcribit D. Paulus in 4. ad Epheſios capite: Et ipſe (Chriſtus ſcilicet) dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autē Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

DE DIVERSIS EORVNDEM OFFICIIS.

TABVLA. 7.

CHRISTVS *dedit eccleſiæ ſuæ*	APOSTOLOS,	*Ad*	*Regendam eccleſiam.*
	PROPHETAS,		*Futura prædicenda, Act. xj. & xiij.*
	EVANGELISTAS,		*Euangelium ſcribendum.*
	PASTORES *& Doctores*		*Curam animarum & morum informationem. Lyranus ad Epheſ. 4.*

DE EVANGELISTIS.

Evangelistae propriè dicti ſunt narratores originis, factorū, dictorū & Paſſionum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Auguſtinus contra Fauſtū Manic. li. 2. cap. 2.

ALIA EVANGELISTAE DESCRIPTIO, EX D. Ioan. Driedonc.

Evangelista ab euangelizando dictus. Eſt autem euangelizare, bona hæc annunciare: Regnum videlicet cælorum. Pacem, Salutem æternam, gratiam & miſericordiam. Euangeliſta bonus, dicitur bonæ rei nuncius. Driedo de ſcriptur. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 3.

QVORVM EVANGELIA SINT AB Eccleſia recepta.

Evangelistae ſunt plures, veri tantùm quatuor: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. Hieron. in præfatione ad Euangelium Matthæi. Nam ex alijs plurimis iſtorum tantùm quatuor electa ſunt Euangelia, & tradita eccleſijs. Origenes in præfatione Euangelij Lucæ. Quæ Epiphanius in libro quem inſcripſit Ancoratus, ſummas dicit habere mille centum ſexagintaduas.

Haec tamen quatuor, vnum tantùm ſunt Euangelium, quia vnum nobis decantant Deum. Iuncta enim ſibi ſunt euangelia, hærentq́; mutuò, & in toto orbe volitantia huc illucq́; diſcurrunt, nec finem habent volatûs, nec aliquādò ſuperantur & recedūt, ſed ſemper ad vlteriora procedunt. Hieronymus in Ezechielis cap. 1.

Atqve hinc eſt, quòd quatuor illa Sacroſancta euangelia ſupremum dignitatis apicem ſummamq́; authoritatem, à tota Chriſtianorum ſchola habere dinoſcuntur. Ioan. Driedo de Scrip. eccleſiaſt. lib. j. cap. 3. part. 3.

QVARE

QVARE ALIIS EXCLVSIS, ILLA TANTVM quatuor, adprobata ſint Euangelia.

QVOD poſthabitis alijs euangelijs, hæc quatuor tantùm, quæ diximus, euangelia in Canonem ſunt recepta, cùm tamen duo ex euãgeliſtis intermedij, Marcus videlicet, atque Lucas, non vt cæteri ipſius Christi, ſed Pauli tantùm & Petri fuerint diſcipuli, eius rei tres ferè aſſignantur cauſæ.

PRIMA.

QVOD ſancti Patres veri iudices rerum, & non dignitatum, nõ tam perſonam aut titulos, quàm ſancti ſpiritûs afflatum in ſcriptura quærebant, &c. Medina lib. 2. cap. 4.

SECVNDA.

DEINDE cùm extitiſſent quidam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt magìs ordinare narrationem, quàm hiſtoriæ texere veritatem, teſte Hieron. in p̄fation. in Matthæum, futurum erat, vt multi ſub Apoſtolorum diſcipulorumq́; Chriſti effictо nomine, infinitos eccleſiæ poſſent obrrudere errores, niſi Euangeliſtarum, quorum fides & integritas, iam tum, cùm recens adhuc omniũ eſſet memoria, exacto totius Eccleſiæ iudicio cognita fuerat & approbata, certus conſtitutus fuiſſet numerus.

TERTIA.

DENIQVE non caret hęc res ſingulari diuinæ prouidentiæ myſterio. Eccleſia enim quæ ſupra Petram Domini voce fundata eſt, quatuor flumina paradiſi inſtar eructans, quatuor & angulos & anulos habet, per quos quaſi arca teſtamẽti, & cuſtos legis Domini, lignis immobilibus vehitur. Hieron. in Præfat. in Cõmentarios in euangelium Matthæi.

DE EODEM MYSTERIO, EX PROLOGO in Matthæum, teſtimonium.

CVM autem plures, inquit Euangelium ſcripſerint, quatuor tantùm habẽt authoritatis teſtimonium: Quia per 4. mundi partes fidem nunciant Trinitatis, & ſunt quaſi quatuor rotæ in quadriga Domini, quæ vehit eum per prædicationem euangelij, & genus humanum, quadrifida morte peremptum, eorum erat prædicatione viuificandum: Vndè & aliorum euangelia deciderũt, nec recepta ſunt: quia nolebant præfinitum numerum caſſari propter virtutem Sacramẽti.

ÇVR QVATVOR, ET NON PAVCIORES, aut potiùs omnium loco vnus receptus ſit Euangeliſta.

SVFFICIEBAT vnus Euangeliſta cuncta memorare, ſed cùm quatuor ſint, qui euangelia conſcribant, nec eiſdem certè temporibus, aut in eiſdem locis, neque pariter congregati, neq; mutuò colloquentes, & tamen quaſi vno ore pronunciant, fit hoc ſine dubio veritatis grande documentum. Chryſoſt. in Euang. Matthæi poſt principium, Atque hinc Irenæus neq; plura, neq; pauciora Euangelia eſſe poſſe oſtendit, quàm quatuor. Lib. aduerſ. hæreſes 3. cap. xj.

DE VA-

DE VARIIS EVANGELISTARVM TYPIS.

TABVLA 8.

QVATVOR EVANGELISTÆ
- DICVNTUR
  - QVADRIGA *Domini.*
  - CHERVBIM, *quod interpretatur ſcientiæ plenitudo.*
  - CORPVS *plenum oculis.*
  - *Hieron. ad Paulin. De diui. ſacræ ſcripturæ libris.*
- FIGVRANTUR *per quatuor*
  - ILLOS *in lege celebres,*
    - *Moiſen,*
    - *Aaronem,*
    - *Nadab,*
    - **Abiud.*
    - *Auguſt. Quæſt. ſuper Exod. lib. 2. cap. 102.*
  - MENSAS *de quadris lapidibus, ad Sacrificium & holocauſtum extructas: De quibus Ezechielis xj. agitur capite.*
  - ANIMALIA *quæ apparuerũt*
    - *Ezechieli, capite prophetiæ ſuæ I.*
    - *Ioanni in Apocalypſi cap. 4.*

*Abiu. *Abihu.

VISIO EZECHIELIS DE IIII. ANIMALIBVS, EX procœmio D. Hieron. in Comment. in Matthæum.

PRIMA viſio habetur in Ezechiele in hæc verba: ET in medio ſicut ſimilitudo quatuor animalium, & vultus eorum, facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilæ. ET paulopòſt: ET dorſa eorum plena oculis, & ſcintillæ ac lampades in medio diſcurrentes, & rota in rota, & in ſingulis quatuor facies.

QVID QVATVOR DENOTENT FACIES.

TABVLA 9.

FACIES
- HOMINIS — *Matthæum, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere, Liber Generationis Ieſu Chriſti &c.*
- LEONIS — *Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.*
- VITVLI — *Lucam, qui à Zacharia ſacerdote ſumpſit initium.*
- AQVILAE — *Ioannem, qui aſſumptis pennis aquilæ, & ad altiora feſtinans, de verbo Dei diſputat. Hieron. in eodẽ proœmio Commentar. in Euangelium Matthæi.*

SIGNIFICAT EVANGELIſTAM

DE SECVNDA VISIONE IOANNIS in Apocalypſi.

APOCALYPSIS Ioannis poſt expoſitionem 24. ſeniorum, qui tenentes cytharas & phialas, adorant agnum Dei, introducit fulgura, & tonitrua, & ſeptem ſpiritus diſcurrentes, & mare vitreum, & quatuor animalia plena oculis, dicens: Animal primum ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo, & tertium ſimile homini, & quartum ſimile aquilæ volãti. ET poſt paulùlum: Plena, inquit, erãt oculis, & requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Apocal. 4. Hieron. ibidem.

QVO-

QVOMODO ANIMALIA ILLA QVATVOR, Quatuor ſignificent Euangeliſtas. TABVLA 10.

SVB HIS IIII. figuris, quæ non ſunt deceptoriæ, ſed iucundi myſterij ſibi conſciæ,	DESIGNANtur quatuor Euangeliſtæ, Nam		MATTHAEVS	Intelligitur in	*Homine, quia circa humanitatẽ Chriſti principaliter moratur.*
			MARCVS		*Leone, quia agit de reſurrectiõe.*
			LVCAS		*Vitulo, agens de Sacerdotio.*
			IOANNES		*Aquila, ſcribẽs ſacramenta diuinitatis.*
	DESCRIbitur	IPSE Chriſtus, Qui	*Homo*	*Fuit in*	*Natiuitate.*
			Leo		*Reſurrectione.*
			Vitulus		*Paſſione.*
			aquila		*Aſcenſione.*
		CHRISTI	*Humanitas*	*In*	*Homine.*
			Sacerdotium		*Leone.*
			Regnum		*Vitulo.*
			Diuinitatis ſacramentũ.		*Aquila.*

SENTENTIA D. AVGVSTINI DE PRAEdictis quatuor figuris.

VNDE mihi videntur, inquit, qui ex Apocalypſi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Euangeliſtas, interpretati ſunt, probabilius aliquid attẽdiſſe illi, qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Ioanne intellexerunt, quàm illi qui hominem Matthæo, aquilam Marco, bouem Lucæ, leonem Ioanni tribuerunt. De principijs enim librorum quandam coniecturam capere voluerunt, non de tota intentione Euangeliſtarũ, quę magìs fuerat perſcrutanda.

MVLTO enim congruentiùs ille, qui regiam Chriſti perſonam maximè commendauit, per leonem ſignificatus accipitur, Vndè & in Apocalypſi, cum ipſa tribu regia leo commemoratus eſt, vbi dictum eſt, Vicit leo de tribu Iuda. Secũdùm Matthæum enim & magi narrantur veniſſe ab Oriente, ad regem quærẽdum & adorandum, qui eis per ſtellam natus apparuit: & ipſe rex Herodes regẽ Chriſtum formidat infantem, atq; vt eum poſſit occídere, tot paruulos necat.

QVÒD autem per vitulum Lucas ſignificatus ſit, propter maximam victimã Sacerdoris, neutri dubitauerunt. Ibì enim à ſacerdote Zacharia incipit ſermo narrantis: Ibì cognatio Mariæ & Elizabeth commemoratur: Ibì Sacramenta primi Sacerdotij in infante Chriſto impleta narrantur. Et quæcunq; alia poſſunt diligenter aduerti, quibus appareat Lucas intentionem circa Sacerdotis perſonam habuiſſe.

MARCVS ergò, qui neq; ſtirpem Regiam, neq; Sacerdotalem, vel cognationem, vel conſecrationem narrare voluït, & tamen in eis verſatus oſtenditur, q̃ homo Chriſtus operatus eſt, tantùm hominis figura in illis 4. animalibus ſignificatus videtur.

HAEC aũt animalia tria, ſiue leo, ſiue homo, ſiue vitulus, in terra gradiuntur: vndè iſti tres Euangeliſtæ in his maximè occupati ſunt, q̃ Chriſtus in carne operatus, & q̃ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit.

AT verò Ioannes ſuper nubila infirmitatis humanæ, velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis atq; firmiſſimis oculis cordis intuetur. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum, lib. 1. cap. 6.

DE OR-

DE ORDINE EVANGELISTARVM.

ISTI igitur quatuor Euãgeliſtæ, vniuerſo terrarum orbe notiſſimi, & ob hoc for-
taſſè quatuor, quoniam quatuor Partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatẽ Chri-
ſti Eccleſiam dilatari, ipſo ſui numeri ſacramento quodammodò declarârũt, hoc
ordine ſcripſiſſe videntur:

PRIMVM Matthæus, deindè Marcus, tertiò Lucas, vltimò Ioãnes. Vndè alius eis
fuit ordo cognoſcendi atq; p̄dicandi, alius aũt ſcribẽdi. Ad cognoſcendũ quippe
atq; p̄dicandum, primi vtiq; fuerũt, qui ſecuti Dñm in carne p̄ſentem, dicentem
audierunt, facientemq́; viderunt, atque ex eius ore ad euangelizandũ miſſi ſunt.
SED in cõſcribẽdo euãgelio, quod diuinitùs ordinatũ eſſe credendũ eſt, ex nume-
ro eorũ quos ante paſſionẽ Dñs elegit, primũ atq; vltimũ locũ duo tenuerũt, pri-
mũ Matthæus, vltimũ Ioannes, vt reliqui duo, qui ex illo numero nõ erant, ſed tñ
Chriſtũ in illis loquentẽ ſecuti erãt, tanq̃ filij amplectẽdi. ac p hoc, in loco medio
conſtituti, vtroq; ab eis latere munirentur. Aug. De cõſenſu Euãgeliſtarũ l. 1. c. 2.

DE CONSENSV EVANGELISTARVM.

QVATVOR euangeliſtæ non oẽs omnia conſcripſerunt, ſed alius iſta, alius illa, ſum-
ma tamen cũ concordia veritatis, Aug. De temp. Dominica Paſchæ, Sermone 4.
NONNVNQVAM ſanè alius euangeliſta contexit, quod alius diuerſis temporibus
dictum indicat. Non enim omninò ſecundùm rerum geſtarum ordinem, ſed ſe-
cundùm ſuæ quiſque recordationis facultatem, narrationem, quam exorſus eſt,
ordinauit. Auguſtinus in quæſt. ex Matth. cap. 15.
QVOD autem alius alium verborum tenet ordinem, non eſt vtiquè contrarium.
Neq; illud contrarium eſt, ſi alius dicit quod alius prætermittit: Vt enim quiſq;
meminerat, & vt cuiq; cordi erat, vel breuiùs vel ꝓlixiùs, eandẽ tñ explicare ſen-
tentiã, ità eos explicâſſe, manifeſtũ eſt. Aug. d. lib. De conſenſu Euãgeliſt. 2. ca. 12.
ET quanuìs ſinguli ſuum quendam narrandi ordinem tenuiſſe videantur, nõ ta-
men vnuſquiſque eorum, velut alterius præcedẽtis ignarus voluiſſe ſcribere re-
peritur, vel ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius inuenitur: Sed ſicut vni-
cuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam cooperationẽ ſui laboris adiunxit. Aug.
De conſenſu Euangeliſt. lib. 1. cap. 2.
EX quibus perſpicuum euadit, etſi in verbis aliquibus non omninò conueniant
Euangeliſtæ, rebus tamen & ſententijs omninò non diſcrepare. Auguſt. in quæſt.
ſuper Geneſ. num. 64.

DE EODEM. TABVLA xj.

EVAN-*geliſtæ*
- DISCREpant nonnunquàm
  - *Verbis,*
  - *Temporibus,*
  - *Locis,*
  - *Miraculis recenſendis,*
  - *Rebus alijs minutiorib.*
  - *Quæ variè narrantur, nè videantur vel*
    - *Ad decipiendum communi conſilio fuiſſe congregati,*
    - *Ex humana quadam conſpiratione euangelium condidiſſe.*
- CONVENIVNT *circa dogmata fidei Chriſtianæ: Qualia ſunt,*
  - *Quòd Deus homo factus ſit.*
  - *Quòd mirabilia operatus.*
  - *Quòd crucifixus.*
  - *Quòd ſepultus.*
  - *Quòd reſurrexerit.*
  - *Quòd aſcenderit in cælum.*
  - *Quòd iudicaturus ſit.*
  - *Quòd ſalutaria præcepta dederit.*
  - *Quòd non contrariam legem intulerit priori.*
  - *Quòd filius Dei ſit.*
  - *Quòd vnigenitus ſit.*
  - *Quòd eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, & quæcunque ſunt talia.*

Chryſoſt. Homil. 1. in Euangel. Matthæi.

SENTENTIA CYRILLI DE CONCORdia Euangeliſtarum.

Nvlla in euangeliſtis eſt diſcrepantia. Nam cùm neceſſarium ad pietatem non eſſet, modum quoquè rerum omnium minutiùs cõſcribere, alius alitèr ſcripſiſſe videtur. Quia cùm omnia quę ſcribunt, facta ſunt, non omnia omnes, ſed alius aliud conſcripſit. Cyrillus in euangelium Ioannis lib.12.cap.35.

AVTHOR OPERIS IMPERFECTI IN MATthæum Homil.28.

Sicvt ex diuerſis itineribus venientes, ad vnam manſionem contendunt: ſic & euangeliſtæ ex diuerſis occaſionibus loquentes, in vnum ſenſum ingrediuntur.

REGVLA CONCORDANDI EVANGEliſtas per D.Ioan.Driedonem.

Si apud vnum euangeliſtam aliquid factum narratur, quod videtur ab alio euangeliſta etiam recitatum, ſecundùm aliquam tamen ſuî partem alteri repugnans, vt omninò ſolui non poſſit, iam nihil aliud intelligatur, quam vtrunq; in diuerſis locis aut temporibus factum eſſe, & ità vtrunque euangeliſtam, verum dixiſſe. Nihil enim obeſt veritati euangelicæ, ſi vnus commemorat, quod alter tacet. Ioan. Driedo De ſcriptura eccleſiaſt. lib.3. tractat.3. cap.4.

ALIA REGVLA EIVSDEM.

Qvae vnus aut alter euangeliſta narrat, ſine vlla temporis conſequentis differẽtia, ea intelliguntur facta ſecundùm ordinem, quem trahere poſſumus ex alio euangeliſta. Quæ ſi apud omnes euangeliſtas recenſentur facta, non intimata tẽporis conſequentis differentia, pro certo credantur facta, quanuìs factarum rerum ſeries ſit nobis incerta. lib.3. tractat.2. cap.3.

CVR DOMINVS NIHIL SCRIPSERIT, VT alijs de ipſo ſcribentibus neceſsè ſit credere.

Sed nequaquàm dicendum eſt, quòd ipſe non ſcripſerit, quãdoquidem membra eius id operata ſunt, quod dictante capite cognouerunt. Quidquid enim de ſuis factis & dictis nos legere voluït, hoc ſcribendum illis tanquàm ſuis manibus imperauit. Auguſt. De conſenſu euangeliſtarum, lib.1. cap.35.

VNDE QVATVOR EVANGELISTARVM SCRIpta, fidem atque authoritatem euangelij ſortita fuerint: & vndè conſtet, verum apud nos eſſe euangelium.

Vervm apud nos euangelium eſſe, inquit Auguſtinus, Catholica nos docet eccleſia, non hominum eorum ſolùm, qui nũc ſunt Chriſtiani, ſed eccleſia illa, quæ ab ipſis Matthæi temporibus ad hoc vſque tempus certa ſucceſſionum ſerie declaratur. Etiamſi haberemus apud nos verorum euangeliſtarum Codices, deſcriptos ſuis ipſorum manibus, illos non alio argumento cognoſceremus tales eſſe, quàm ex eccleſiarum ſibi inuicèm ſuccedentium teſtimonio. Quod ſanè eſt teſtimonium Spiritûs ſancti, loquentis in Dei eccleſijs & Prophetis.

EVANGELISTARVM OMNIVM QVAE præcipua intentio, & quis eorum ſit ſcopus. TABVLA 12.

SCOPVS OMNI-	MATTHAEVS		*Meſsiam & Chriſtũ à lege promiſſũ.*
bus Euangelij ſcriptoribus fu-	MARCVS	*Deſcri-*	*Regem omnium & Dominum.*
it, homo ille Ieſus de Maria	LVCAS	*bit vt*	*Saluatorem hominum.*
virgine natus: Quem	IOANNES		*Filium Dei.*

EVAN-

EVANGELIVM MATTHAEI, LIBER BIBLIAE XLVI, NOVI TESTAmenti primus, & primæ eius partis primus. *De Humanitate Chriſti.*

DE LIBRI HVIVS INSCRIPTIONE SIVE TITVLO.

LIBER hic vocatur genealogiæ ſiue generatiõis Chriſti. Quod nominis à primis euangeliſtæ ſortitus eſt verbis, quibus euangelij ſui narrationem auſpicatus eſt, Liber generationis Ieſu Chriſti &c. Nam hic mos Hebræis fuit familiaris, vt libros ſuos à capite plerunq;, id eſt, primis eorum verbis, inſcriberent. Sic primus liber Moiſis, ab exordio ſuo dictus eſt Geneſis: quo cum huius libri initium, non nomine tantùm, ſed re etiam ipſa conuenire videtur. Vt enim ibi de generatione hominis primi, & totius mundi creatione ſcribitur: ità hic de generatione ſecũdi agitur hoĩs, ac de mundi ipſius differitur reſtauratione. Anſelmus hic in princip.

ALIA EIVSDEM TITVLI RATIO, EX CHRYSOSTOMO.

EVANGELIVM ſuum (Matthæus) vocauit librum generationis Chriſti, ab ipſo omnium fonte & capite bonorum. Chryſoſt. in caput Matthæi primũ, homil. 2.

DE LIBRI HVIVS AVTHORE D. Matthæo, & in qua lingua ſcripſerit Euangelium.

MATTHAEVS, qui & Leui, ex publicano apoſtolus, primus in Iudæa propter eos, q̃ ex circuncisione crediderant, euangelium Chriſti Hebraicis literis verbisq; compoſuit. Hieron. in Catal. ſcript. eccleſiaſt. Idem alibi: Nouum teſtamentũ Græcũ eſſe, dubium non eſt, excepto apoſtolo Matthæo, qui primus in Iudæa euangeliũ Chriſti Hebraicis literis edidit. Hoc certè cũ in noſtro ſermone diſcordat, & in diuerſos riuulorũ tramites ducit, vno de fonte q̃rendũ eſt. Hieron. in Pręfatione ad Damaſum in 4. euangelia. Quis verò poſteà idem euangeliũ in Græcũ trãſtulerit, non ſatis certũ eſt, eodem teſte Hieron. in Catal. ſcript. eccleſiaſt. vbi etiam hæc addit: Porrò ipſum Hebraicũ habetur vſq; hodiè in Cæſarienſi bibliotheca, quam Pamphilus martyr ſtudioſiſſimè confecit. Mihi quoquè à Nazareis, qui in Berrhœa vrbe Syrię hoc volumine vtuntur, deſcribendi facultas fuit. Hęcille.

QVO TEMPORE EDITVM SIT A D. Matthæo euangelium.

De tempore autem quo fuit ſcriptum, diuerſæ ſunt Patrum Sententię. Nam Irenęus antiquiſſimus rerum diuinarũ ſcriptor, lib. 3. aduerſ. Valent. cap. 1. affirmat, Matthæum in Hebræis ipſorum lingua ſcripturam edidiſſe euãgelij, dum Petrus & Paulus Romę euangelizarent, & fundarent eccleſiam. Euſebius verò in Chronicis, & quidam alij tradunt, dum Petrus Antiochenę pręſideret eccleſiæ, Matthæum in Iudæa ſcripſiſſe euangelium, anno 3. Caij Cæſaris Caligulæ, qui longè præceſſit ſecundum Neronis annum, qui fuit 25. à morte Chriſti, in quo Paulus vinctus Romam mittitur, quemadmodùm dicunt Hieron. de viris illuſtribus, & Euſebius in Chronicis.

Quæ ſi ità ſint, etſi Matthęus ſuum ediderat euangelium, dum Paulus prędicabat Romæ, porrò Lucas qui poſt Matthęum probatur cõſcripſiſſe euangelium, cõmendatur à Paulo tanq̃ euangeliſta, cuius laus, inquit, eſt in euangelio per oẽs eccleſias: & id quidem in ſecunda ad Corinthios, quam cõſtat Paulum ſcripſiſſe, antequàm Romam vinctus duceretur: non iniuria quis dubitet, quomodò hæ tam diuerſę ſententię, ſibi conſtare queant. 2. Cor. 8.

PVGNAE ISTIVS CONCILIATIO.

PRO diſſolutione huius difficultatis ſciendum eſt, primùm, Patres in his, quæ aut facti ſunt, aut ex ſacris ſcripturis demonſtrari non poſſunt, aut ſi poſſunt, nõdùm ſeculis illorum neq; ſcripturis ſacris, neq; experimento, neq; authoritate vel ratione certa fuerunt elucidata, crebrò inter ſe diſcrepare, cum pace tamen Chriſtiana & fide catholica, ſe inuicèm neq; iudicantes, neq; à ſacra communione ſeparantes.

parantes. Quemadmodùm D. Cyprianus cum ſuis collegiis quondàm in Aphrica diſſentiebat à cæteris &c. Deindè non eſſe contrarietatem vllam, ſi Matthæus dicatur ſcripſiſſe priùs euangelium ſuum in Iudæa, & poſteà Petro & Paulo prædicãtibus Romæ, edidiſſe ipſum in lucem, & dediſſe legendum omnibus. Donèc maneret in Iudæa Matthęus, viuis vocibus prædicabat illis euangelium ſuũ iam ſcriptum, quod poſteà, indè commigrans, omnibus legendum tradidit. De hoc ſic loquitur Euſebius lib. eccleſiaſt. hiſtoriæ 3. cap. 24. Matthæus primò Hebræis prædicauit euãgelium. Verùm cùm pararet tranſire ad gentes, patria lingua ſcripturam compoſuit, & ea quæ prædicauerat, compræhendens, reliquit his ad memoriam, à quibus proficiſcebatur, vt gentibus prædicaret. Iohannes Driedo De ſcripturis eccleſiaſt. lib. 1. cap. 4. Theophylactus in præfatione ad euangeliũ Matthæi, dicit Matthæum hoc euangelium Hebraico ſcripſiſſe idiomate poſt octo annos aſſumpti in cælos Chriſti.

QVID AD HOC SCRIBENDVM EVANgelium Matthæum impulerit.

SICVT referunt, Matthæum conſcribere euangelium cauſa compulit talis: Cùm facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio grauis, nè periclitarentur diſpergi omnes, vt carentes fortè Doctoribus fidei, carerent doctrina, petièrũt Matthæũ, vt omniũ verborum & operum Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, vt vbicunq; eſſent futuri, totius ſecum haberent fidei ſtatum.

Quòd autem ab humana eius cœpit natiuitate, & humanam eius generationem expoſuit, compulit impia impudentia Iudæorum, denegantiũ Ieſum Chriſtum de Dauid ſemine ducere genus. In prologo operis imperfecti in Matthæũ, quod Chryſoſtomi operibus ſub incerto authore inſertum eſt.

DISPOSITIO TOTIVS EVANGELII SEcundùm Matthęum, ex Prologo eodem. TABVLA 13.

CORPVS AV- *tem narrationis ſuæ Matthæ' ordinauit hoc modo:*

- *Primò, natiuitatem.*
- *Deindè, Baptiſmum.*
- *Tertiò, tentationem.*
- *In quarto, doctrinam.*
- *In quinto, miracula.*
- *In ſexto, Paſsionem.*
- *In ſeptimo, reſurrectionem & aſſcenſionem eius.*

NON ſolùm hiſtoriam de Chriſto exponere volens per hæc, verùm etiam euãgelicæ vitæ ſtatum docere: Quoniã nihil eſt, q̃ ex parentibus naſcimur, niſi iterùm per aquam & Spiritum ſanctũ renati fuerimus ex Deo. Poſt baptiſmũ autem neceſsè eſt cõtra diabolum ſtare, quoniam ad hoc quiſq; vngitur, & reædificatur in baptiſmo, vt contra tyrannũ ſuſcipiat bellum. Poſt hæc quaſi omni ſuperata tentatione, factus idoneus ad docendũ: Si quidem Sacerdos eſt, doceat: & doctrinã ſuam bonæ vitę (quaſi miraculis) factis commendet: Si autem laicus eſt, operibus doceat fidem. Deindè neceſsè eſt, exire nos de hoc ſtadio mundi, & tunc reſtat, vt tentationum victoriam, reſurrectionis merces ſequatur & gloria.

EVANGELII HVIVS QVIS SIT SCOPVS.

MATTHAEVS in euangelio ſuo potiſſimũ verſatur in eo, vt oſtendat Meſſiã illũ, in tota ſerie ſcripturarum veteris teſtamẽti totiès promiſſum, iam tum adueniſſe, & hunc eſſe reuerà hominẽ illum Ieſum, qui dicitur Chriſtus. Petrus Aureol.

ARGVMENTVM, QVO BREVIS EXPRIMITVR hiſtoriæ ſumma.

IN quocunque homine veteris teſtamenti abſolutæ & perfectæ ſunt Prophetiæ ad Meſſiam pertinentes, is verus Meſſias & ſolus eſt Chriſtus: Aſt verò in homine Ieſu reuerà abſolutum & perfectum eſt, quidquid de venturo Meſſia vſquàm ſcriptum aut prædictum ſacri reliquerunt Prophetę: Homo itaque Ieſus, verus Meſſias & ſolus eſt Chriſtus in ſcripturis promiſſus. Idem.

DE PRO.

DE PROBATIONE MINORIS, HOC EST, DE certis quibuſdam & indubitatis demonſtrationibus, quibus homo Ieſus, verus probatur eſſe Meſſias. TABVLA 14.

PRIMVS EVANGELIſta Matthæus, teſtimonia Prophetarũ de venturo Meſſia, quibuſdam demonſtrationibus ſeu notis, eius aduentus cognoſci queat atque dijudicari, confert cum perſona hominis Ieſu, ex quibus conuincit, eundem verè eſſe Chriſtum illum & Meſſiam, à lege promiſſum. Sunt autem venturi Meſſiæ notæ, quas Matthæus in ſuo demonſtrat Euangelio, 22.

- *Dauidica & Regia proſapia, cap. 1.*
- *Conceptus & partus virgineus, eodem.*
- *Regum, ſtella duce, adoratio, cap. 2.*
- *Nomen Nazaræi, id eſt, floridi, potiùs quàm Bethleemitæ, cap. 2.*
- *Antceceſſio præconis & præcurſoris, tot. cap. 3.*
- *Miniſterium angelorum, cap. 4.*
- *Conuerſatio in patria, & vocatio apoſtolorum, eodem.*
- *Doctrina iuſtitiæ perfectæ, explicatio & innouatio Decalogi, & expoſitio conſiliorum nouæ legis, cap. 5. 6. & 7.*
- *Opera & miracula diuina, cap. 8. 9. 10. & 11.*
- *Mores tranquilli & ſumma in cõuerſatione modeſtia, ca. 12.*
- *Eruditio parabolica, ſiue modus docendi per parabolas, ca. 13. per totum.*
- *Suſtentatio populi prouida & benigna, cap. 14.*
- *Hypocriſis & prauarum doctrinarum deteſtatio, cap. 15. & 16.*
- *Gemina vnius perſonæ natura, diuina ſcilicet & humana, cap. 17.*
- *Hierarchica noui eiuſdemque æterni regni conſtitutio, cap. 18. 19. & 20.*
- *Summa rerum inopia & paupertas, cap. 21.*
- *Excæcatio Iudæorum, cap. 21. 22. et 23.*
- *Prophetica futurorũ et arcanorũ enarratio, cap. 24. et 25.*
- *Noui ſacrificij et ſacramenti inſtitutio, cap. 26.*
- *Paſſio acerbiſſima et ſalutaris, cap. 27.*
- *Reſurrectio magnifica et triumphalis, cap. 28.*
- *Gentium ex omni lingua et tribu conuocatio, dicto cap. 28. Petrus Aureol.*

DE PRIMA VERI MESSIAE NOTA.

TABVLA 15.

PRIMA NOTA *fuit, Dauidica & Regia propagatio ex ſemine & radice Ieſſe, quam*

- FVTVRAM *prædixerũt Prophetæ,*
  - ESAIAS *cap. xj. verſ. Egredietur virga de radice Ieſſe, &c.*
  - HIEREMIAS *cap. 2. verſ. Eccè dies venient, dicit* DOMINUS, *et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, &c.*
  - EZECHIEL *cap. 37. Eccè ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, et erunt mihi populus, et ſeruus meus Dauid erit Rex ſuper eos, et princeps in perpetuum.*
  - AMOS *9. In die illo ſuſcitabo tabernaculũ Dauid &c.*
  - AGGAEVS *2. ad Zorobabel, qui deſcendit de ſemine Dauid: Ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te.*
  - ZACHARIAS *4. de Zorobabel dicit, quòd educet lapidem primarium, hoc eſt, Chriſtum.*
- IN *Chriſto impletam probat Euangeliſta Matthæus in ipſo ſtatim Euangelij ſui exordio, cap. 1.*

DE NOTA SECVNDA.

TABVLA 16.

SECVNDA NOTA *eſt, Natiuitas ex virgine, Quæ fuit*

- PRAEDICTA *per Eſaiam 7. verſ. Eccè virgo concipiet & pariet filium.*
- DEMONSTRATA *in Chriſto per Euangeliſtam Matthæum, d. cap. verſ. Chriſti autem generatio ſic erat.*

DE TERTIA NOTA.

TABVLA 17.

TERTIAE *notæ duæ ſunt Partes:*

- APPARITIO *ſtellæ, quã prædixit Balaam Nume. 24. Orietur ſtella ex Iacob, &c.*
- REGVM *adoratio, de qua Pſalmiſta: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, &c.*

Vtranque

- *Præuidit Eſaias ca. 60. Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum. Item, Et ambulabunt gẽtes in lumine tuo, Rursùs, Omnes de Saba venient &c.*
- *Extitiſſe oſtendit Euangeliſta Matthæus, In princip. cap. 2.*

DE QVAR-

DE QVARTA NOTA.

TABVLA 18.

QVARTA NOta eſt ratio cognominis, quod illi multò antè inditum fuit. Licèt enim

- PROphetæ
  - PRAEDIxiſſent
    - Naſciturum in Bethleem Iudæ, Michæas ca. 5. Et tu Bethleem Effrata &c. Ex te enim mihi egredietur &c.
    - Diſceſſurum ex terra Iuda, trucidādosq́; parvulos: Hieremias 31. Vox in excelſis audita eſt lamētationis, luctus & fletus Rachel plorātis &c.
    - Seceſſurum in Aegyptum, Oſee 11. Ex Aegypto vocaui filium.
  - Ijdem tamen affirmârunt, ob id eum nō Bethleemitam, Effrateum, aut Aegyptium, ſed Nazaræum nuncupandum eſſe, à ciuitate quæ vocatur Nazareth ſumpto nomine.
- MATTHAEVS verò hæc omnia in Chriſtum cadere teſtatur, dic. cap. 2. verſ. Qui cùm receſſiſſent &c.

DE QVINTA NOTA.

TABVLA 19.

QVINTA nota eſt vaticiniū de p̄curſore Chriſti, quem

- VIAM Chriſto præparaturum prædixerant
  - Eſaias 40. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini.
  - Malachias 3. Eccè ego mitto angelum meum, &c.
- IAM veniſſe, eumq́ue fuiſſe Ioannem Baptiſtam, probat Matthæus capite tertio & vndecimo.

DE SEXTA NOTA. TABVLA 20.

SEXTA NOTA EST poſt reportatam de dæmone victoriam, miniſterium angelorū: quod

- POLLICITVS eſt Pſalmographus his verbis: Angelis ſuis mandauit de te. Item, In manibus portabunt te &c. Præterea, Super aſpidē & baſiliſcū ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Pſal, 90. Euſeb. lib. 9. de demonſtrat. euang. cap. 7.
- PRAESTITERVNT angeli in deſerto, Matth. 4.

DE SEPTIMA NOTA.

TABVLA 21.

SEPTIMA NOta eſt conuerſatio in Galilæa, & vocatio diſcipulorum. Quorum vtrunque

- PRAEDIxit Eſaias capite
  - OCTAVO: Liga teſtimonium, Signa legem in diſcipulis meis. Eccè ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus &c.
  - NONO: Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris &c.
- EVENISſe ſcribit Matthæus d. cap. 4. putà
  - Vocationem
    - Petri,
    - Andreæ,
    - Iacobi,
    - Ioannis.
  - Alleuiationē, i. informationem ſeu inſtitutionem primam, q̄ facta eſt à Chriſto per vniuerſam Galilæam, d. cap. 4.

DE NOTA OCTAVA.

TABVLA 22.

NOTA *octaua duo habet membra:*

- VNVM, *quòd prædixerint prophetæ, eum qui mittendus eſſet, iuſtitiam perfectiorem traditurum. Inter hos eſt*
  - ESAIAS 11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius.*
  - HIEREMIAS 23. *Faciet iudicium & iuſtitiam in terra.*
  - OSEE 10. *Tempus requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam.*
- ALTERVM, *quòd decalogus per eum deberet renouari, monuit*
  - HIEREMIAS 31. *Et feriam domui Iſrael, & domui Iudæ fœdus nouum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum eis, putà decem Verborum decalogi.*
  - IDEM *d. c. 31. Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.*
- VTRVNQVE *Chriſtũ executũ eſſe, demonſtrat Matth. c. 5. 6. & 7. vbi continentur*
  - *Sermo Domini in monte.*
  - *Explicatio atque innouatio decalogi.*
  - *Traditio conſiliorum nouæ legis, in quibus iuſtitia conſiſtit perfecta, ſub his verbis: Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra. Et, Erat enim docens eos ſicut poteſtatẽ habens.*

DE NOTA NONA.

TABVLA 23.

NOTA *verò nona ſunt opera & miracula planè diuina: Quæ*

- PRAEVIDIT *in Meſſia venturo Eſaias cap. 35. Ecce Deus noſter ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet claudus ſicut ceruus, & aperta erit lingua mutorum.*
- DEMONſtrat *his omnibus Chriſtũ claruiſſe euãgeliſta Matthæus per 4. capita. Nam in capite*
  - OCTAuo & nono oſtendit
    - *Curâſſe infectos lepra, febri & paralyſi laborantes, immũdoq; ſpiritu ſiue dæmone vexatos.*
    - *Poteſtatem exercuiſſe in ventos, mare, & mortuos.*
    - *Feciſſe etiam alia miracula penè infinita.*
  - DECIMO, *re teſtatur ipſa, hanc poteſtatem ſuis etiam communicâſſe apoſtolis, vt virtute ſua miracula, quæ ipſe feciſſet, & ipſi facerent.*
  - VNDECIMO *diſcipulis Ioannis reſponſum fuit: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Ac ob id non multò pòſt, cœpit Chriſtus ciuitatibus, in quibus virtutes illæ & prodigia diuina facta fuerant, exprobrare incredulitatẽ ſuam.*

DE NO-

DE NOTA DECIMA.

TABVLA 24.

DECIMA *nota eſt, pacifica & humilima cõuerſatio. Hæc autẽ duo*

PRAENVNCIATA *ſunt per Eſaiam cap.42. Eccè ſeruus meus &c. Non clamabit, nec accip:et perſonam, nec audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum nõ conteret, & linum fumigans non extinguet: Non erit triſtis, nec turbulentus, donèc ponat in terra iudicium.*

EXTITERVNT *in Chriſto vberrima, Matthæi 12. per totum. Vbì allegat prædictam prophetiam, Eccè puer meus: & proſequitur ibi de pacifica & humilima Chriſti cum hominibus conſuetudine, multa.*

DE VNDECIMA NOTA.

TABVLA 25.

VNDECIMA *nota continet parabolas, quibus Chriſtum*

VSVRVM *eſſe prædixerũt* DAVID: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Pſal.77.*

ESAIAS 6. *Auditu audietis, & non intelligetis, iuxta* LXX.

VSVM *fuiſſe teſtatur Euangeliſta Matthæus 13. Exijt qui ſeminat, ſeminare &c. vbì etiam ad verbum inducit prophetias.*

DE DVODECIMA NOTA.

TABVLA 26.

NOTAM DVO. *decimã vnico verbo exponũt ſumma liberalitas & incomparabilis beneficentiæ hilaritas, à qua virtute meßiã venturũ*

COMMENDAT *Ezechiel 34. Suſcitabo ſuper gregem paſtorem vnum, qui paſcat eum, ſeruum meũ Dauid. Ipſe paſcet, & ipſe erit eis in paſtorẽ.*

OSTENDIT *eandem in Chriſto ſummam & mirabilem fuiſſe Matthæus 14. Cùm enim propter decollationem Ioannis ſeceßiſſet in deſertum, multa millia eorum, qui eum ob ſermonis dulcedinem ſequebantur, quinq; panibus & duobus tantùm pauit piſcibus. Vbì etiam multi languentes & malè habentes, ex ſolo attactu fimbriæ veſtimenti eius curati, ac priſtinæ ſanitati fuerunt reſtituti.*

DE NOTA DECIMATERTIA.

TABVLA 27.

DECIMATERTIA *nota Chriſti venturi fuit, eum ab hypocriſi & falsò cultu homines auocaturum, quemadmodùm*

PRAEDIXERAT *Eſaias 11. Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et cap.29. Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

FECISSE *perhibet Matthæus cap.15. & 16. Vbì etiam hanc prophetiã, Populus iſte &c. inducit ad verbum.*

DE NO-

DE NOTA DECIMAQVARTA.

TABVLA 28.

NOTAM VERI *Meſſiæ decimamquartam ſtatuunt Prophetæ, duplicem in Chriſto naturam: videlicet,*

- HVMANAM
  - ESAIAS 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.*
  - MICHAEAS 5. *Et tu Bethleem Effrata, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.*
- DIVINAM
  - IDEM *Michæas 5. Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.*
  - ESAIAS *d. cap. 9.* ET *vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi &c.*
- VTRANQVE *in Chriſto fuiſſe, demonſtratur in cap. 16. & 17.* ET
  - DIVINAM *quidem ex*
    - *Reſponſione* D. *Petri: Tu es Chriſtus filius* DEI *viui.*
    - *Transfiguratione* DOMINI, *Quia ſplenduit facies eius ſicut ſol.*
  - SED *humanã p.*
    - *Reuelationẽ paſsionis ſuper eum futuræ.*
    - *Solutionẽ didrachmi in tributũ.*

DE NOTA DECIMAQVINTA.

TABVLA 29.

DECIMA. *quinta nota, eſt* ECCLESIASTICA *uie rarchia, in qua Meſſiã Monarcham futurũ eſſe*

- PRAEDIXERŨT
  - ESAIAS 9. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius nõ erit finis.*
  - DANIEL 7. *ait, in Chriſto reſuſcitari regnum nouum quod deſtruet alia regna omnia. Non regnum terrenum, ſed regnum cæleſte & regnum ſanctorum.*
- CHRISTVM *imperium tenuiſſe declarat* EVANGELISTA *Matthæus ca. 18. 19. & 20. Vbi agit de regno Chriſti, quod eſt* ECCLESIA, *Quomodò ſit*
  - DISPOSITUM *in*
    - *Humilitate, in princip. ca. 18. Quis putas maior eſt in regno cælorum?*
    - *Fraterna charitate: ſi peccauerit in te frater tuus. eodem.*
    - *Miſericordia & pietate. Ideò aſſimilatum eſt regnum cælorum. ibidem vſque in fin.*
    - *Caſtitate matrimoniali, cap. 19. Si licet homini dimittere.*
    - *Pudicitia virginali & viduali, Sunt eunuchi &c. ibid.*
    - *Paupertate: Tunc oblati ſunt ei paruuli. Itẽ, Si vis perfectus eſſe.* ET IBI, ECCE *nos reliquimus omnia. eodem.*
    - *Probitate & virtutum exercitio, cap. 20. Sub parabola de operarijs conductis ad vineam excolendam.*
    - *Concordia, pace & tranquillitate.* ET *aſcendens Ieſus. Quo loco repræhenditur contẽtio duorum fratrum de ambitione. eod.*
  - FVNDATVM *in precum & orationũ aſsiduitate. Quod cæcorum oſtenditur exemplo, qui ad* DEUM *clamantes, miſericordiam conſecuti ſunt. d. cap. 20. vſque in fin.*

DE NOTA DECIMASEXTA.

TABVLA 30.

DECIMASEXTA *nota eſt, cum imperio iuncta humilitas, in qua Chriſtum ad regnum ſuum*

- ACCESSVRVM *annunciat Zacharias 9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: Eccè rex tuus venit tibi iuſtus & Saluator. Ipſe pauper & aſſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ. Et loquetur pacem gentibus, & poteſtat eius à mari vſque ad mare.*
- INGRESSVM *Hieroſolymam teſtatur Matthæus, à principio cap. 21. vſque ad verſ. Manè autem reuertens &c. Vbi hæc prophetia ad verbum penè refertur.*

DE NOTA DECIMASEPTIMA.

TABVLA 31.

DECI- *maſeptima Nota fuit, Dei permiſſione Iudæos excæcados, id quod*

- FVTVRVM *præcinuit Eſaias 6. Excæca cor populi huius. Item cap. 29. Claudet oculos veſtros: Prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.*
- FACTVM & *vſque ad inſaniã corda Iudæorũ excæcata eſſe probauit Matthæus, à prædict. loco ca. 21. vſque ad cap. 24. ſub*
  - FIGVRA *ficulneæ, quæ non protulit fructũ, & areſacta eſt. ſignificabat enim Iudæos.*
  - VARIIS *Parabolis de*
    - *Duobus filijs.*
    - *Agricolis, qui interfecerant hæredem Domini vineæ.*
    - *Nuptijs & inuitatis qui fuerũt indigni, ca. 22.*
  - SPECIE *machinationis iniquæ, ibid. Tunc abeuntes phariſæi, mittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis.*
- PVNITVM, *ac ob id Iudæis maledictum eſſe, patet ex cap. 23. per tot.*

DE NOTA DECIMAOCTAVA.

TABVLA 32.

NOTA DE- *cimaoctaua fuit; Chriſtum prophetã ſeu interpretem arcanorum omnium*

- FORE, *vt prædixerat Moiſes 18. Deuteron. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilẽ tuî. Rurſus, Prophetam de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi* DOMINVS DEVS *tuus, ipſum audiet, vt petiſti à* DOMINO DEO *tuo in Horeb.*
- FVISSE *probat Matthæus cap. 24. & 25. tribus potiſſimùm argumentis: Quòd ſcilicet*
  - PROphetauerit
    - *deſtructionem ciuitatis & templi Hieruſalem futuram per Romanos, Titum ſcilicet & Veſpaſianum.*
    - *Signa, quæ diem iudicij ſint præceſſura, cap. 24.*
  - DETERMINAVERIT *modum, quo homines venturi ſint ad iudiciũ, ſub parabolis quinque virginũ. & talentorum inter ſeruos in lucrum diſtributorũ, à princip. c. 25. vſque ad verſ. Cùm autem venerit.*
  - DECLARAVERIT *formam iudicij celebrandi, à prædicto loco vſque in finem cap. 25.*

DE NOTA DECIMANONA.

TABVLA 33.

NOTA XIX. *eſt, inſtitutio noui ſacrificij & ſacramenti ſub ſpecie panis & vini. Quam*

- ORACVLO *ſuo promiſerant*
  - DAVID *Pſal.109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinē Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum, vt habetur Gen.14.*
  - ZACHARIAS 9. *Quid bonum eius eſt, & quid pulchrū eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*
  - VIDE *B. Cypr. lib.2. epiſt.3. ad Cæcilium. & B. Irenæum lib. 4. contra hæreſes Valentini cap.32.*
- AD *effectum perduxit Chriſtus Matthæi 26. Vbi agit de cœna Domini vſque ad verſ. Et hymno dicto.*

DE VIGESIMA NOTA.

TABVLA 34.

NOTA VI. *geſima pertinet ad omnis generis opprobria, contumelias & ignominias. Quas Chriſtum*

- PATI *debere prædixerūt*
  - ESAIAS *L III. Sicut ouis ad occiſionem ducetur. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et cum ſceleratis reputatus eſt. Et 50. Corpus meum dedi percutientibus &c.*
  - ZACHARIAS 9. *Tu quoquè in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Et 12. Adſpicient ad me quē confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum &c.*
  - HIEREMIAS 9. *Cogitauerūt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium &c.*
  - DAVID, *Foderūt manus meas &c. Et, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea. Pſal.21.*
- PASSVM *eſſe non hæc ipſa tantùm omnia, ſed alia etiam plura, ac tandèm ipſam crudeliſſimam ſuſtinuiſſe mortem, teſtatur Matth. à prædict. loco, cap.26. vſque in finem cap.27.*

DE NOTA VIGESIMAPRIMA.

TABVLA 35.

VIGESIMA- *prima nota, eſt victoria & Triumphus Chriſti glorioſus. Quo eum à mortuis*

- RESVRRECTVRVM *prævidérant*
  - OSEE 6. *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. Et 13. Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.*
  - PSALMISTA: *Caro mea requieſcet in ſpe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec ſanctum tuum dabis videre corruptionem. Pſal.15.*
- TERTIA *die reſurrexiſſe teſtatus eſt cum alijs Euangeliſtis & apoſtolicis ſcripturis Matthæus cap.28.*

DE NO-

DE NOTA VIGESIMASECVNDA.

TABVLA 36.

VLTIMA NOta eſt, *Gentium ad vnitatē fidei cōuocatio. Quam à Chriſto*

- FIERI *debere prædixerūt prophetæ,*
  - *Iacob Geneſis 49. Ipſe erit expectatio gentium.*
  - *Eſaias 9. Ipſum gentes deprecabuntur. Et 2. Et fluēt ad eum omnes gentes. Sic 49. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Et 42. Legem eius inſulæ expectabunt.*
  - *Zacharias 8. Apprehendent homines ex omnibus linguis gentium, fimbriam viri Iudæi.*
  - *Malachias 1. Non eſt mihi voluntas in vobis. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus.*
- FACTAM *atque collectam ex omnibus gentibus Eccleſiam, teſtis eſt Euangeliſta Matthæus d. cap. 28. Vbi Chriſtus ipſe concludit in hæc verba: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Euntes ergò docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.*

E P I L O G V S.

ATQVE ſic manifeſtum euadit, hominem Ieſum, de quo omnis euangeliſtarum inſtituta eſt doctrina, verè eſſe Meſsiam & Chriſtū illum, à lege & prophetis promiſſum.

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM, BIBLIORVM

liber XLVII, noui teſtamenti & primæ eius partis ſecundus.

De Reſurrectione, ſiue de regno Chriſti.

C O N T I N V A T I O.

DIVVS Marcus, qui interpretatur expolitus, euangelium ſuum appoſitè admodùm auſpicatur ab eo, quod in fine Matthęi Chriſtus de ſeipſo teſtatus eſt: Data eſt mihi, inquit, omnis poteſtas in cælo & in terra, &c. Ex quo rectiſſimè noſter hic infert Euangeliſta, eoque ferè omnia dirigit, vt oſtendat, eundem hominē Ieſum, quem Matthæus demonſtrauit eſſe Chriſtum, à lege promiſſum, etiam regē ac Dominum eſſe omnium ſupremum.

QVIS EVANGELII HVIVS SIT AVTHOR.

SVNT qui putēt huius euāgelij authorē eſſe diuum Petrum, eô ꝙ Hieron. ad Hedibiam quæſtion. 11. dicat, beatū Petrum habuiſſe interpretem Marcū, cuius euāgelium Petro narrante, & illo ſcribente, ſit cōpoſitum. Communis verò opinio non negat hoc euangeliū ipſius eſſe Marci, licèt in eo cōſcribendo Petri, vti præceptoris ſui, ſecutus ſit authoritatē, ac quod ipſum referentē audiërat, id poſteritati poſt ſe ſcriptū reliquerit. Ità Lucā quoquè pręceptorē ſuū D. Paulū imitatū fuiſſe teſtatur Chryſoſt. Matth. 1. homi. 4. euangeliſtarū duorū, inquit, ſuū quiſq; probè ſecutus eſt magiſtrū, Marcus quidem Petrum, verborum parcitate gaudētem: Lucas verò Paulum, fluminum copiam vbertate loquendi ſuperantem.

DE EODEM SENTENTIA D. HIERONYMI.

MARCVS diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrū referentē audiërat, rogatus Romę à fratribus, breue ſcripſit euangeliū, quod cū Petrus audîſſet, ꝓbauit, & ec-

cleſię legendum ſuā authoritate dedit,ſicut ſcribunt Clemens in ſexto hypotypoſeon libro,& Papias Hierapolitanus epiſcopus. Hieron. in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum.

MARCVS EVANGELISTA QVIS FVERIT.

Meminit huius Marci,vt Hieron. in d. refert loco, & Petrus in epiſtola prima ſub nomine Babylonis,figuraliter Romam ſignificans: Salutat vos eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta,& Marcus filius meus &c. Fuſiùs in prologo huius euangelij deſcribitur in hæc omninò verba:

Marcvs euangeliſta Dei electus,& Petri in baptiſmate filius, atque in diuino ſermone diſcipulus,ſacerdotium in Iſrael agens,ſecundùm carnem Leuita,conuerſus ad fidem Chriſti,euangelium in Italia ſcripſit,oſtendens in eo, quid & generi ſuo deberet,& Chriſto &c.

DE VITA EIVS ET MORTE.

Assvmpto itaque euangelio,quod ipſe confecerat,perrexit Aegyptum,& primus Alexandriæ Chriſtum annuncians,conſtituit eccleſiam, tāta doctrina & vitæ continentia,vt omnes ſectatores Chriſti,ad exemplum ſuî cogeret. Ità Hierō. in catalogo,& Euſebius lib.2.hiſt.eccleſ.cap.16. Deniquè amputâſſe ſibi poſt fidē pollicem dicitur, vt ſacerdotio reprobus haberetur: (cuius rei meminit etiā Iſidorus)ſed tantum conſentiēs fidei prędeſtinata potuit electio, vt nec ſic in opere verbi perderet,quod priùs meruerat in genere:In dicto prologo. Conſtitutis autem & confirmatis eccleſijs per Libyam,Marmaricam,Ammoniacam, Pentapolim,Alexandriam,locaq; quę Bucolicæ dicebantur, vicina Alexandriæ circa mare Aegyptium,plena ferocium barbarorum,atque Aegyptū vniuerſam,ad vltimum tentus eſt à paganis,qui remanſerunt Alexandriæ. Qui videntes eum die ſancto paſchæ Miſſam facientem,miſerunt funē in collum eius, & trahebant eū ad loca Bucolicę,quæ erant iuxta mare ſub rupibus,vbi erat eccleſia conſtructa. Et defluebant carnes eius in terram,ac ſaxa inficiebantur ſanguine. Veſpere aūt facto miſerunt eum in carcerem,vbi circa mediam noctem,primò angelica viſitatione confortatus eſt,deindè ipſo Domino ſibi apparente,ad cæleſtia regna vocatus eſt. At manè dum traheretur ad loca Bucolicę,gratias agens & dicens, Domine,in manus tuas commendo ſpiritum meum,defunctus eſt,& à viris religioſis ſepultus in loco lapidis exciſi cum gloria. Ordinauerat autem pro ſe epiſcopū Alexandrię Anianum. Mortuus eſt verò octauo Neronis anno. Alijs quoquè eccleſijs longè lateq; epiſcopos,presbyteros & diaconos dederat. Ado Treuirenſ. in martyrologio 7. Calend. Maij.

QVO CONSILIO MARCVS, ET POST EVM LVCAS, cùm non fuerint apoſtoli,ad Euangeliſtarum munus ſint vocati, ſententia beati Auguſtini.

At nè putaretur,inquit,quòd attinet ad percipiendum & prędicandum euangelium,intereſſe aliquid,vtrùm illi annuncient, qui eundem Dominum hîc in carne apparentē,diſcipulatu famulante,ſecuti ſunt,an ij,qui ex illis fideliter comperta crediderint,diuina prouidentia procuratum eſt per ſpiritumſanctum,vt quibuſdam etiam ex illis,qui primos apoſtolos ſequebātur, non ſolùm annunciandi,verùm etiam ſcribendi euangelium tribueretur authoritas. Hi ſunt Marcus & Lucas. Auguſtinus de conſenſu euangeliſtarum,lib.1.cap.1.

QVO TEMPORE SCRIPSERIT EVANGELIVM ſuum Marcus.

Hvnc Theophylactus euangelium ſuum ſcripſiſſe dicit Romæ,poſt decē aſſumpti Chriſti annos.in argumento hîc. Irenęus id poſt mortem Petri & Pauli factū eſſe affirmat,Contra Valent,lib.3.cap.1.

QVAESTIO.

Sed quomodò hæc ſibi conſtare poterunt,cùm Hieronymus & cæteri (vt dictū eſt)patres tradant,Petrum vidiſſe euangelium Marci,ſuaque authoritate probatum,eccleſię legendum tradidiſſe?Ioan. Driedo de ſcriptur.eccleſiaſt.lib.1. ca.2.

RESPON.

RESPONSIO.

NIHIL repugnant, Marcum, quod ex ore Petri, vel vt à Petro audiuerat, ſcripſiſſe euangelium, & hoc ipſum vbi Petrus approbâſſet, eo demùm mortuo, omnibus legendum obtuliſſe. Idem Driedo de ſcriptur. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 4.

DE HVIVS EVANGELII CHARACTERE, ſiue ſcriptionis modo.

EST autẽ character huius euangelij manifeſtus, nihil ferè habens, quo mens hæreat. Et per omnia fermè proceſſum eundem habet, quem Matthæus: niſi quòd Matthæus ſit diffuſior. Theophylact. hîc in prologo. Vndè etiam noſter hic Marcus à quibuſdam abbreuiator Matthæi dici conſueuit. Et author Commentariorum illorum, qui vulgò aſſeribuntur Hieronymo, in hunc euangeliſtã, eam putat eſſe cauſam, quarè tam pauci in hoc ſcripſerint euangelium, quòd eadem penè narret quę differit Matthæus.

EIVSDEM EVANGELII ORDO ATQVE DISPOSITIO.

DENIQVE eùm perfecti euangelij opus intrans, & à Baptiſmo Domini Deum prædicare inchoans, non laborauit natiuitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere. Sed totius exprimens expoſitionem deſerti, ieiunij numerum, tentationem diaboli, congregationem beſtiarum, & miniſterium protulit angelorũ: & inſtituens nos ad intelligendũ, ſingula in breui compingens, nè authoritatem factę rei demeret, & perficiendi operis plenitudinem non negaret. Prologus in Marcum.

EVANGELII, QVOD EST SECVNdùm Marcum, ſcopus & ſumma.

CVICVNQVE omnes pârent poteſtates, is re vera ſummus eſt Imperator: verùm Chriſti potentię, omnes poteſtates aliæ ſunt ſubiectę: Eſt ergò ſummus Imperator & Dominus omnium Chriſtus.

DE PROBATIONE MINORIS PROPOSITIONIS, ſiue de potentia diuina. TABVLA 37.

HOMINEM IEſum, quem Matthæus demonſtrauit eſſe Chriſtum à lege promiſſum, Marcus oſtendit etiã Regem ac dominum omnium eſſe ſupremum: idque probat ex ſumma eius authoritate & poteſtate incomparabili. Cuius ipſe 20. enumerat quaſi ſpecies: niſi officia & effectus dicere mâlis ſeu potiùs argumenta, vt putà

Obſequium ſiue miniſterium ſpirituum, cap. 1.
Curationem omnis generis morborum, eod.
Remiſsionem peccatorum, cap. 2.
Diſpenſationem & arbitrium legis, eod.
Ius authoritatem ſuam transferendi in alios, ca. 3.
Imperium ſuper mare & ventos, cap. 4.
Poteſtatem vitæ & necis, cap. 5.
Prouiſionem rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum, cap. 6.
Abrogationem traditionum impiarum, cap. 7.
Reſtitutionem auditûs & loquelæ, eod.
Illuminationem viſûs, cap. 8.
Mutationem naturæ, dict. cap. 8. & in princip. 9.
Poteſtatem in exteros, cap. 9.
Interpretationem ſeu potiùs perfectionem legis ſcriptæ, cap. 10.
Imperium Dauidicum, eod. & in cap. 11.
Iudicium atque ſcientiam cogitationum cordis alieni, d. cap. 11. & 12.
Cognitionem euentuum futurorum, cap. 13.
Fortitudinem & conſtantiam in ferendis aduerſis, cap. 14. & 15.
Poteſtatem in mortem, cap. 16.
Imperium ſupra cælos, eod. 16. cap. & vltimo.

DE OBSEQVIO ET MINISTERIO SPIRITVVM.

TABVLA 38.

PRIMVM DIVINÆ *in Chriſto poteſtatis argumentum eſt, obſequiū & miniſterium, quo omnes ei ſeruiebant Spiritus*

- *Prophetici,*
  - *Eſaiæ,*
  - *Malachiæ,*
  - *Ioannis Baptiſtæ.*
- *Diuinus, qui in ſpecie columbæ dimiſſus eſt ſuper eum.*
- *Angelici, Nam & angeli miniſtrabant ei.*
- *Apoſtatici, id eſt, dæmones, qui ab hominibus obſeſſis expulſi clamabant: Scimus quia ſanctus Dei es. à princip. cap. 1. vſque ad verſic. Et protinùs egredientes.*

DE CVRATIONE MORBORVM.

TABVLA 39.

ARGVMENTVM SECUNDū eſt, *virtus curandi omnes languores corporis, vt ſunt*

- *Febris,*
- *Lepra, &*
- *Aliæ infirmitates omnes.*

Quas Chriſtum ſolidiſſimè & ex fundamento curâſſe perhibet Mar. d. ver. Et protinùs, vſque in fin. cap. 1.

DE REMISSIONE PECCATORVM.

TABVLA 40.

ARG. TERTIVM EST, *curatio morborum animi, i. remiſſio peccatorum. Quam poteſtatem ſibi Chriſtus ab inuidis Iudæis, vendicauit non tantùm*

- *Verbis, dum ait: Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata: ſed etiam*
- *Re ipſa, hoc eſt, curatione paralytici, tam in*
  - *Mente à peccato, quàm in*
  - *Corpore à paralyſi.*

  à princip. cap. 2. vſque ad verſ. Et erant diſcipuli Ioan.

DE LEGIS DISPENSATIONE.

TABVLA 41.

ARG. QVARTVM eſt, *arbitrium atque poteſtas legis Moſaicæ*

- *Moderandæ,*
- *Mutandæ:*

Qua poteſtate Chriſtus vſus eſt

- *Diſpenſando cum diſcipulis, nè tam ſtrictè cogerentur ieiunare, q̃ Ioannis diſcipuli.*
- *Immutādo ſabbathi obſeruationem, à prædict. loco cap. 2. vſque in finem eiuſdem, & in principio tertij.*

DE SVBROGATIONE SIVE DELEGATIONE poteſtatis diuinæ.

TABVLA 42.

ARG. QVINTVM EST, *Ius authoritatem ſuam transferendi in alios. Quod ius Chriſto competere, Marcus exēplo probat apoſtolorum, quibus dedit poteſtatem*

- *Curandi infirmitates,*
- *Eijciendi dæmonia.*

à prædict. loco vſque in fin. cap. 3. vbi eleganti diſputatione conuincit, poteſtatē hanc nulli creaturæ poſſe attribui, niſi eam habeat à Deo.

DE IMPERIO IN MARE ET VENTOS.

TABVLA 43.

SEXTVM ARgumentum eſt, Poteſtas imperandi elementis — AQVAE & AERI. — *Cuius rei occaſione Chriſtum ſub varijs parabolis docuit ex naui, cap. 4. per tot.*

DE POTESTATE VITAE ET NECIS.

TABVLA 44.

SEPTIMVM arg. eſt, Poteſtas — MORTIS & VITAE. — *Quā probat euangeliſta Marcus exēplo* — *Porcorum, ex ſpirituum immundorum ingreſſu, ad 2000 ſuffocatorum.* — *Filiæ Archiſynagogi, per Chriſtum à mortuis reſuſcitatæ, cap. 5. per tot.*

DE PROVISIONE ALIMENTORVM.

TABVLA 45.

OCTAVVM ARgumentum eſt, procuratio cibi corporalis. *Cuius occaſione Euangeliſta ponit*

- PRIMÙM *cauſas, cur Chriſtus exierit in deſertum, nimirùm propter* — *Contemptum prophetæ in patria ſua propria.* — *Decollationem Ioannis Baptiſtæ.*
- DEINDÈ *ad propoſitum redeundo, oſtendit Chriſtum quinque tantùm panibus & duobus piſcibus ad ſatietatem vſque paviſſe quinque millia hominum, toto cap. 6.*

DE ABROGATIONE TRADITIONVM impiarum.

TABVLA 46.

NONVM eſt argumentum, abrogatio friuolarum traditionum humanarum & diuinis legibus repugnantiū, quas Chriſtus reprobat, à princip. cap. 7. vſque ad verſic. Et indè ſurgens. Vbi

- PRIMÙM *Chriſtus ipſe arguitur à phariſæis, quòd diſcipuli ſui non lotis manibus manducarent.*
- DEINDÈ *arguit & ille eos, quòd propter traditiones ſuas irritum fecerint mandatum Dei.*

DE RESTITVTIONE AVDITVS.

TABVLA 47.

ARG. DECIMVM EVANgeliſta Marcus bis breuiſsimis populi verbis complectitur: *Benè omnia fecit, &* — SVRDOS *audire,* & MVTOS *loqui.* — *d. cap. 7. à verſ. Et indè ſurgens, vſque in finem.*

DE CVRATIONE VISVS.

TABVLA 48.

PRO ARGVMENTO vndecimo ponitur illuminatio viſûs. *Loquitur autem Euangeliſta de duplici viſu,*

- SPIRITVALI *ſcilicet, dum ait: Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? Oculos habentes, non videtis? & aures habentes, non auditis?*
- &
- CORPORALI, *dum cæco facultas videndi* — *Primùm imperfectiùs,* — *Deindè perfectè reſtituitur.* — *Marc. 8.*

DE MVTATIONE NATVRAE.

TABVLA 49.

DVODECIMVM ARGVmentum eſt, mutatio naturæ patibilis in impatibilem. Ad cuius euidentiam Euangeliſta

- PRIMùm recitat diuerſas hominum opiniones de Chriſto.
- DEINDè Chriſtus prædicit mortem & reſurrectionem ſuam, cap. 8.
- DENIQVè ſe per hanc reſurrectionem transfiguratione ſignificatam, omnem mortalitatem exuturum declarat, cap. 9.

DE POTESTATE IN EXTEROS.

TABVLA 50.

ARGVM. XIII. EST, virtutem Chriſti non alligatam eſſe loco, ſed extendi etiam ad omnes nationes & populòs. Quod Euangeliſta Marcus cap. 9. probat

- PRIMùM fundamento fidei, quæ ad omnia ſe porrigit. Credenti enim omnia ſunt poſſibilia. Vndè Chriſtus à diſcipulis interrogatus, cur illi dæmonium illud, cuius hoc loco mentionem facit Marcus, eijcere non potuerint, eorum incredulitatem in cauſa fuiſſe reſpondit.
- DEINDè exemplo extranei cuiuſdam, qui & ſi Chriſtum minimè ſequeretur, neque ab eo ſubrogatus eſſet, dæmonia tamen in Chriſti nomine eijciebat.

DE INTERPRETATIONE LEGIS DIVINAE.

TABVLA 51.

ARGVMENTVM XIIII. eſt, legis interpretatio, atq; adeò perfectio: perficit enim Chriſtus legem Moſaicã euangelicis conſilijs, dum

- REPROBAT libellum repudij,
- PRAEDICAT
  - Virginitatẽ,
  - Caſtitatem,
  - Paupertatẽ,

Marci cap. 10.

DE IMPERIO DAVIDICO.

TABVLA 52.

ARGVMENTVM 15. eſt, Imperiũ Dauid, quod in Chriſto perfectum, poſt Euangeliſtã Matthæum cõprobant etiam apud Marcũ, d. cap. 10. & 11.

- DVO filij Zebedæi, dicentes: Da nobis vt vnus ad dexteram ſedeat, alter ad ſiniſtram in regno tuo.
- CAECVS adclamans: Ieſu fili Dauid, miſerere meî.
- TOTVS populus occurrens & clamans: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et, Benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, Oſanna in excelſis.

DE CORDIS PERSCRVTATIONE.

TABVLA 53.

DECIMVMSEXTVM ARGVmentum eſt, cogitationum humanarum perſcrutatio: qua Chriſtus hominum malignorum deprehendit aſtutias. Vt patet dict. cap. 11. ex

- Maledictione ficûs infructuoſæ: Quæ proculdubiò figura fuit arefactionis Phariſæorum.
- Diſputatione Chriſti de
  - Poteſtate diuina.
  - &
  - Baptiſmo Ioannis.

DE PRÆ-

DE PRAESCIENTIA EVENTVVM futurorum. TABVLA 54.

DECIMVMSEPTIMVM *Argumentum eſt, cognitio eorum quæ futura ſunt, qua Chriſtus præſciuit totum decurſum mundanæ fabricæ. Id quod ex diuina illa patet Prophetia Marci 13. Vbi non abſque magno terrore prædicit*

- DESTRVCTIONEM *Hieruſalem, quæ facta eſt per Titum et Veſpaſianum.*
- PERSECVTIONEM *fidelium, præſertim per 300. annos ſub Imperatorum Romanorum principatu vſque ad Conſtantinum duraturam.*
- ADVENTVM *Antichriſti, et*
- IVDICIVM *extremum, ad quod ſeipſum venturũ prædixit.*

DE CHRISTI FORTITVDINE ET conſtantia in ferendis malis. TAB. 55.

ARGVMENTVM XVIII. *eſt, aduerſorum omnium atq; adeò mortis perpeſſio patientiſſima. Quam*

- DECLARAVIT *Chriſtus in omnibus Paſſionis ſuæ articulis ad mortem vſque crucis.*
- TESTATVS *eſt Centurio verbis diſertis, Verè hic homo filius Dei erat, cap. 14. et 15.*

DE POTESTATE IN MORTEM. TABVLA 56.

DECIMVMNONVM AR-*gumentum, eſt poteſtas in mortem et infernum: quam Chriſtus iuxta euangelicum teſtimonium D. Marci 16. cap. probauit*

- SVA *glorioſa reſurrectione.*
- VIVA *corporis ſui oſtenſione, et viſibili conſuetudine cum Apoſtolis habita.*

DE IMPERIO SVPRA CAELOS. TABVLA 57.

DIVINAE MAIESTATIS *et potentiæ argumentum, quo Euangeliſta Marcus, circa finem Euangelij ſui, Chriſti regnum et imperium probare nititur, eſt poteſtas ſupra omnes cælos. Quam ipſe*

- DENVO *velut acquiſiuit ſuæ lætiſſimæ aſſcenſionis triumpho.*
- NVNC *ſedens in gloria Dei Patris,*
- VENTVRVS *tandèm iudicare viuos et mortuos, et ſeculum per ignem.*

EPILOGVS.

PATET ergò, hominem Ieſum, quem Euangeliſta Matthęus demonſtrauit eſſe Meſſiam à lege promiſſum, etiam Regem eſſe, & Dominum omnium ſupremum.

EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM, LIBER BIBLIAE XLVIII,

Noui teſtamenti primus, & primæ eius partis tertius.

De Sacerdotio Chriſti.

CONTINVATIO.

DESCRIPTA Chriſti reſurrectione, per quã leo ille de tribu Iuda vniuerſum cæli & terræ ſubiecit ambitum, & regnum parauit immortale, optimo ſanè ordine Pontificatûs eius atque Sacerdotij ſequitur deſcriptio, quę ſub vituli, hoc eſt, immolationis myſterio, paulò antè vberiùs explicato, continetur.

ARGVMENTVM.

LVCAS (vt dictum eſt) circa Sacerdotalem Domini ſtirpem atq; perſonam magìs occupatus videtur: vndè per vitulum ſignificatus eſt, propter maximam victimam Sacerdotis. Auguſtinus De conſenſu Euãgeliſtarum, vbi ſuprà. Et Ambroſius hîc: Vitulus enim, inquit, ſacerdotalis eſt victima: Vndè benè congruit vitulo hic euangelij liber, qui à Sacerdotibus inchoauit, & conſummauit in vitulo, qui omnium peccata ſuſcipiens, pro totius mundi vita eſt immolatus. Ambroſ.

DE HVIVS EVANGELII AVTHORE.

QVOD MARCO contigiſſe diximus, vt euangelium eius quidam ſuo aſſeriberent Magiſtro, D. nimirùm Petro, id noſtro etiam accidit Lucæ. Cùm enim & is quę à Paulo audiuerat, in hoc quod pia Maiorũ noſtrorũ traditiõe ad nos vſq; puenit, redegiſſet euangelium, non defuerunt qui id ipſi Paulo, ex cuius ore, vt in eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur Euſebius, fuiſſet exceptum, rectiùs attribuendum eſſe putarent, quàm Lucæ: ac ob id Pauli verba, quotieſcunquè in epiſtolis ſuis dicit, iuxta Euangelium meum &c. de Lucæ Euangelio intelligenda eſſe crederent. Sed certum eſt, Diuum Lucam nõ ea ſolùm ſcripſiſſe, quæ à Paulo tantùm, ſed etiam à cęteris perceperat Apoſtolis, quod ipſe quoq; in principio huius voluminis ſui teſtatur, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Vndè communis iandiù & à principio vſq; naſcentis eccleſię, conſtans vbiq; retinuit vſus, vt hoc, cuius partitionẽ præ manibus habemus, non Pauli, ſed Lucæ dicamus euangelium, non ex D. Pauli tantùm ſacris concionibus exceptum, ſed aliorum quoq; Apoſtolorum doctrina collectũ. Quin ipſe etiam Paulus in ea epiſtola quam ſcripſit ad Corinth. 2. cap. 8. Lucæ hoc euãgelium aſſcribere videtur, cùm ait: Miſimus eum illo fratrẽ, cuius laus eſt in euangelio per omnes eccleſias. Ità enim hæc verba intelligunt ſancti Patres hoc loco ferè oẽs, & Hieron. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

LVCAS ISTE QVIS ET QVALIS FVERIT.

LVCAS medicus Antiochenſis, vt eius ſcripta indicant, Græci ſermonis nõ ignarus fuit, ſectator apoſtoli Pauli & omnis peregrinationis eius comes: de quo idẽ Paulus ad Coloſſenſes: Salutat vos Lucas medicus chariſſimus. & ad Timotheũ: Lucas eſt mecum ſolus. Euangelium ſicut audîerat, ſcripſit: Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat, cõpoſuit. Hieron. in Catal. Vir ſummę induſtriæ, diſcendi ſtudioſus, laboris patientiſſimus, qui à Paulo auelli non potuit. Chryſoſt. homil. 10. in poſter. epiſto. ad Timoth. Hunc cundem euangeliſtã tradunt veteres Eccleſiæ tractatores, medicinæ artis fuiſſe ſcientiſſimum, & magìs Grçcas literas ſciſſe, ꝗ Hebręas. Vndè & ſermo eius tam in euangelio ꝗ in Actis Apoſtolorũ comptior eſt, & ſecularem redolet eloquentiam, magiſq́; teſtimonijs Græcis vtitur, ꝗ Hebræis. Matthęus autẽ & Ioannes, quorum alter Hebræo, alter Græco ſermone euangelia texuerunt, teſtimonia de Hebraico poſuerunt. Hieron. in cap. 6. Eſaię. Sicut autem Apoſtoli de piſcatoribus piſcium, piſcatores hominũ facti ſunt: ità Lucas de medico corporũ, in medicũ verſus eſt animarũ: cuius liber quotieſcũq; legitur in Eccleſijs, totiès eius medicina nõ ceſſat. Idem Hieron. in epiſt. ad Philemonem.

lemonem. Fertur is quoquè primus, Christi & eius matris, atque item principum Apoſtolorum effigiem pingendi arte adumbrâſſe. Vndè in omnem deindè habitabilem orbem tam venerandum & precioſum opus eſt illatum. Nicephorus lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 43.

DE MORTE EIVS.

Vixit octoginta & quatuor annos, vxorem non habens. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam vrbem viceſimo Conſtantij anno, oſſa eius cum reliquijs Andreæ Apoſtoli tranſlata ſunt de Achaia. Hieron. in Caral.

DE SCRIPTIS AB EO RELICTIS, ex Euſebio.

Lvcas ergò, genere quidem Antiochenus, arte medicus, hãc medicinam, quam ex Apoſtolorum vel ſocietate, vel traditione ſuſceperat, duos nobis medicinales libros (Euangelium intelligens & Acta apoſtolorum) reliquit, quibus non corpora, ſed animæ curentur. Euſeb. in Eccleſiaſt. hiſtoria, lib. 3.

QVO TEMPORE LVCAS SVVM SCRIPſerit de Chriſto Euangelium.

Post Chriſti aſſcenſionem anno 15. Lucam ſuum ſcripſiſſe euangelium refert Theophylactus in Euangeliũ Matthæi, & hîc in principio. Et Auguſtinus de concordia euangeliſtarum, eo tempore Marcum & Lucam ſua dicit ſcripſiſſe euangelia, quo nõ ſolùm ab Eccleſia Chriſti, verùm ab ipſis etiam adhuc in carne manentibus Apoſtolis probari meruerunt. Auguſt.

DE EODEM IOANNES DRIEDO.

Vervm hîc non videtur prætereundum, Lucam ſcripſiſſe euãgelium, priusquàm cum Paulo vincto Romam duceretur: quod hinc poſſumus colligere, quòd in Actuum apoſtolorum procemio Romæ edito, teſtetur ſe ſcripſiſſe euangelium, & quòd ſecunda ad Corin. in qua reſtatur laudem Lucæ in Euãgelio eſſe, iam ſcripta erat, priusquàm Paulus & Lucas Romam veniſſent. Driedo lib. De Eccleſiaſt. ſcriptur. cap. 3. part. 3.

QVOMODO SCRIPSERIT.

Prolixiorem hunc Euangelij librum, quàm cæteros eſſe, nemo dubitauerit. Et ideò non ea quæ falſa ſunt, ſed quæ vera, ſibi vendicat. Non ſcripſit omnia, ſed aſſecurus eſt omnia. Quia ſi ſcribantur, quæ Chriſtus, vt Ioan. 21. ait cap. fecit omnia, nec ipſum capere mundum arbitror. Aduertis enim, quòd cõſultè etiam ea, quæ ab alijs ſunt ſcripta, præterijt, vt diuerſa in Euãgelio gratia reſulgeret, & proprijs quibuſdam ſinguli libri myſteriorum geſtorumq; miraculis eminerent. Ambroſ. in procemium Lucæ. Sermo eius, tam in euangelio quàm in Actibus apoſtolorũ, comptior eſt & ſeccularem redolet eloquentiam Hieron. in cap. 6. Eſaiæ. Hiſtorico ſtylo hunc euangelij librum digeſſit. Nam velut quendam hiſtoricum ordinem tenuit, & plura nobis geſtorum Domini miracula reuelauit: ità tamen, vt omnes ſapientiæ virtutes euangelij iſtius complecteretur hiſtoria: docet naturalia, docet moralia, docet etiam rationabilia. Ambroſ. in præfatione Commentariorum in Lucam.

AD QVEM SCRIPSERIT.

Ad Theophilum ſcripſit, hoc eſt, ad eum quem Deus diligit. Si Deum diligis, ad te ſcriptum eſt: Si ad te ſcriptum eſt, ſuſcipe munus Euangeliſtæ: pignus amici in penetralibus animi diligenter aſſerua. Bonum depoſitum cuſtodi: per Spiritumſanctum qui datus eſt nobis, frequentiùs inſpice, ſæpiùs diſcute. Fides pignori debetur, fidem ſequitur diligentia, nè commiſſa tibi pignora aut tinea conſumat, aut ærugo. Idem Ambroſ. in d. pręfatione. Vbi tineam interpretatur hęreticum, & æruginem malas dicit animi eſſe cupiditates.

CVIVS IMPVLSV EDITVM SIT HOC Euangelium.

Cvm eſſent iam ſcripta Euangelia, per Matthæum quidem in Iudæa, per Marcum

cum autem in Italia, Lucas ſancto inſtigante ſpiritu, in Achaię partibus hoc ſcripſit euangelium, ſignificans etiam ipſe in principio, ante ſuum alia eſſe deſcripta. cui extra ea, quę ordo euangelicæ diſpoſitionis expoſcit, ea maximè neceſſitas laboris fuit, vt primùm Gręcis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem Dei Chriſti manifeſta eſſet humanitas, nè Iudaicis fabulis attēti, in ſolo legis deſiderio tenerentur, vel nè hęreticis fabulis & ſtultis ſolicitationibus ſeducti, exciderent à veritate, elaboraret. Prolog. in Lucam.

IN QVEM FINEM FACTA SIT hæc ſcriptio.

CAVSAM ſcriptionis ſuæ finalem Lucas in prologo huius euangelij ponit ipſe: Vt habeas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem: id eſt, vt ſępè cōmonitus, certus ſis, ac in certitudine permaneas. Chryſoſt. Matth. 1. homil. 1.

QVAE HVIVS EVANGELII SIT ſumma & intentio.

CVIVSCVNQVE hominis actiones alijs ex ſua virtute adferunt ſalutem, is rectè dicitur Saluator: Sed Chriſti actiones omnes ad totius mundi ſalutem inſtitutę ſunt, Chriſtus ergò rectiſſimè verus dicitur totius mundi Saluator. Petrus Aureol.

QVAM CHRISTVS HVMANO GENERI attulerit medicinam & ſalutem, ſiue De Patribus euangelij ſecundùm Lucam. TABVLA 58.

CHRISTVM PORRO *medicinam & ſalutem huic mundo non attuliſſe tantùm, ſed re ipſa etiam præſtitiſſe: id planiſsimum facit D. Euangeliſta Lucas ab ipſius Chriſti ſalutari*

- IN *hunc mundum ingreſſu,*
  - 1. *In conceptione, cap.* 1.
  - 2. *In natiuitate, cap.* 2.
  - 3. *In baptiſmo, cùm hominibus innotuit, cap.* 3.
- CONVICTV *cum hominibus & conuerſatione, cap.* 4. 5. 6. *&* 7.
- OFFICIO, *ſtudio, & voluntate, cap.* 8. 9. *&* 10.
- DOCTRINA, *à capit. xj. vſque ad cap.* 22.
- EX *hac vita per mortem tranſitu, cap.* 22. *&* 23.
- REDITV *ad nos per reſurrectionem à mortuis, cap.* 24. *Petrus Aureol.*

DE CHRISTI IN HVNC MVNDVM ingreſſu ſalutifero. TABVLA 59.

INGRES*ſum Chriſti deſcribit Euangeliſta Lucas triplicem:*

- PRIMVM, *quo deſcendit in vterum virginis Mariæ per conceptionnem, vbi ſaluatorem eum eſſe oſtenditur cap. 1. per*
  - ANNVNCIATIonem *angelicam, quæ facta eſt*
    - *Zachariæ de præcurſore Chriſti Ioanne Baptiſta, quòd is Dominũ præceſſurus, eique plebem præparaturus ſit perfectam.*
    - *Mariæ, cui dicitur, Vocabis nomen eius Ieſum.*
  - EXCLAMATIONEM *Elizabeth, quæ ait: Benedictus fructus ventris tui.*
  - CANTICVM *Zachariæ, quo is præ gaudio in hæc prorupit verba, Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebi ſuæ.*
- SECVNDVM, *quo venit in lucem humanam, ſcilicet per natiuitatem. Quæ ipſa etiam humani generis eum ſaluatorẽ demonſtrat, cap. 2. per Vocem*
  - ANGELICAM *ad Paſtores: Eccè euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.*
  - PROPHEticam
    - *Simeonis geſtientis & dicentis: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum &c.*
    - *Annæ, quæ ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael.*
  - EVANGELICAM, *ipſius nimirùm Lucæ, qui caput 2. Euangelij ſuiità concludit: Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.*
- TERTIVM, *quo hominibus innotuit per baptiſmũ Ioannis, vbi totius mundi Saluatorem eum eſſe teſtantur*
  - VOX *Dei patris, de cælo aperto audita: Tu es filius meus dilectus.*
  - SPIRITVS SANCTVS, *qui ſub ſpecie columbæ viſus eſt ſacratiſſimo eius vertici inſidere.*
  - EVANGELISTA, *recenſendo Genealogiam illius à primo homine Adam, vſq; ad Ioſeph virum Mariæ, de qua ipſe fuit natus. Hæc omnia habentur. Luc. 3.*

DE SALVTARI CHRISTI CONVICTV atque conuerſatione. TABVLA 60.

QVAM VEro Chriſti conuerſatio generis humani eũ ſaluatorem oſtẽderit, pulcherrimæ eius & protiùs diuinæ teſtãtur virtutes: quas ille verè excoluit, ac viuo ſuo exemplo hominũ mentibus inſinuauit. Hinc Euãgeliſta Lucas p̃cipuas Chriſti actiões breuiſſimis quidẽ perſtringit verbis. Sed ijs tamen depingit coloribus, vt Chriſtum nobis perfectiſſimum ob oculos ſiſtat exemplar pulcherrimarum virtutum: videlicet,

AGENDAE *pœnitentiæ & abſtinentiæ, cap. 4. Vbi ieiunium, quod Chriſtus 40. diebus & noctibus exercuit in deſerto, deſcribitur vſque ad verſ. Et regreſſus eſt.*

RELIGIONIS *& Pietatis in Deum, qua incitante ſecundùm conſuetudinẽ ſuam venit in Synagogam, ac vt manifeſtum fieret Iudæis, eum eſſe ſaluatorem, non caſu incidit in locum Eſa. 61. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, quem ad ſe pertinere oſtendit, d. verſ. Et regreſſus &c. eodem.*

PATIENTIAE *& tolerantiæ. Nam etſi conſilium Phariſæorum, quo eum ex monte præcipitare decreuerant, optimè intelligeret, at nihil commotus, per illorum medium tranſibat, & lenitate ſuperabat malitiam, eo loco, Et duxerunt illum vſque ad ſupercilium &c. eodem.*

LIBERALITATIS *& beneficentiæ, qua languores omnium liberaliſſimè ſanabat, omnibus ſe medicum & ſaluatorem exhibens: Vndè ait, Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum* DEI, *quia ideò miſſus ſum. verſ. Et deſcendit in Capharnaum, vſque in fin. cap. 4.*

HVMILITATIS *& beneuolentiæ, qua inter peccatores degit perhumaniter, diſcipulos ad ſe acciuit familiariter, & verum ſe medicum probans, non ſe veniſſe iuſtos, ſed peccatores vocare ad pœnitentiam, ait: Non egent medico, inquit, qui ſani ſunt, ſed qui malè habent. cap. 5. per tot.*

VERITATIS *& ſynceritatis. Poſteaquàm enim Phariſæorum repræhendit hypocriſin, qui ſabbathum ſuperſtitiosè colebant, viuo dehinc probauit exemplo etiam ſabbatho licere benefacere. à princip. cap. 6. vſque ad verſic. Factum eſt autem &c.*

PERFECTIONIS *tantæ, quantam nemo ante eum habuit, nec quiſquam habiturus eſt vnquàm. Quod indicat illa ſublimis concio, De veræ beatitudinis partibus et conſilijs euangelicis: Quæ priùs in ſeipſo expreſſit, ac deindè alios docere cœpit. à d. verſ. Factum eſt, vſque in fin. cap. 6.*

MISERICORDIAE *atque clementiæ, qua motus fuit erga*
- *Seruum Centurionis,*
- *Filium vnicum viduæ, qui defunctus efferebatur.*
- *Peccatricem, procumbentem at lachrymantem ad ſanctiſſimos eius pedes. toto cap. 7.*

DE SVM-

DE SVMMO STVDIO ET VOLVNTATE, quibus Chriſtus officium veri executus eſt Saluatoris. TAB. 61.

SI CONAtum ſpectes atq; diligentiã, quã Chriſtus p̄ cõſeruatiõe hominũ indefeſſus adhibuit, nihil depræhendes ab eo p̄termiſſũ, quod ad ſalutem illorum pertinere videretur. Id quod facilè euincit Euangeliſta Lucas à ſummo ſtudio, quod Chriſtus illis ſeruandis impẽdit, partim

- *Per ſe*
  - VOCANDO *omnes homines ad ſalutem, varijs & ſaluberrimis perſuaſionibus parabolicis ad eam rem adhibitis, quibus animos omnium ad pietatem inducere & ſanare conabatur.*
  - PERAGRANDO *Iudææ regionem, dæmonia eijciendo, languores curando, atque mortuam puellam excitando, cap.8. per totum.*
- PER *alios, dum ad hoc ſuos inſtituit*
  - PRIMVM *apoſtolos 12. Quibus dedit virtutem & poteſtatẽ ſuper omnia dæmonia &c. toto cap.10. Nam quæ ibi continentur, omnia pertinent ad Apoſtolicã viuendi normam.*
  - DEINDE *alios diſcipulos LXXII, quibus functionis ſuæ præſcripſit formam, iuxta quam in prædicatione ſalutis verſari deberẽt, à principio cap.10. vſque ad verſ. Et conuerſus ad diſcipulos. Vbi etiam oſtendit fore quoſdam, qui ad prædicationẽ regni Dei maneant duri & obſtinati: alios porrò, nempe humiles & ſimplices, qui eam libentibus animis ſint complexuri.*

DE DOCTRINA CHRISTI.

TABVLA 62.

Vt exemplo ſuo nos ad virtutis & pietatis ſtudium hactenus excitauit Chriſtus, ità ſaluberrima eius doctrina eò potiſsimum eſt inſtituta, vt animorum morbos & vitia depellat. Atque hinc nos benigniſsimus Ieſus tam ſedulò dehortatur

AB

INHVMANITATE ET INCLEMENTIA, AD PIETATEM *& miſericordiã, ſub parabola ſauciati, cuius ſolus miſertus erat Samaritanus. verſ. Et conuerſus ad diſcipulos, d. capit. 10.*

AB IMMODERATIS CVRIS ET DISTRACTIOnibus animi ad VITAM *tranquillam & vni Deo intentam. Vndè dictum eſt Marthæ ſolicitæ: Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit. Ibidèm etiam docet diſcipulos orare, mentemq́, excluſis rebus labentibus, orando & meditando vni Deo coniungere.*

A LIVORE ET INVIDENTIA, AD MVTVAM *charitatem, beneuolentiam, cap. xj. ver. Et erat eijciens. vbì acriter caſtigat inuidiam Iudæorum blaſphemantium, & dicentium Chriſtum in poteſtate Beelzebub dæmonia eijcere: quod erat, opera Spiritusſancti per ſummam contumeliam adſcribere ſatanæ.*

AB HYPOCRISI ET SIMVLATIONE AD

SINCERAM *& minimè fucatam viuendi rationem. Nam piè admodum monet Chriſtus, vt videamus, nè lumen quod in nobis eſt, tenebræ fiant: deindè etiam obiurgat phariſæos hypocritas, eosq; dicit ſimiles eſſe monumentis &c. partim xj. & xij. cap.*

AB IMMODICA CVRA ET SOLICITVDINE, amoreque vitioſo temporalium, ad

STVDIVM *atque deſiderium beatitudinis æternæ, eod. Sub parabola diuitis, cui dictum fuit: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, &c. Nolite ergò ſoliciti eſſe, ait benigniſſimus Ieſus, animæ veſtræ, quid manducetis: neque corpori, quid induamini, &c. cap. 12.*

A NIMIA SECVRITATE ET OSCITANTIA, AD

PROVIDENTIAM *atque diligentiam, nè mors ſubita nos imparatos opprimat, atque iudicio ſiſtat noxios. A quo malo nos piè admodũ dehortatur: Sint lumbi veſtri, ait, præcincti. Et vos eſtote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet, &c. d. cap. 12. verſ. Sint lumbi veſtri, vſque in fin. eiuſdem.*

A PERTINACIA ET ANIMI OBSTINATIONE AD

POENITENTIAM, *cap. 13. Niſi pœnitentiam, inquit, habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Quod latiùs ibi proſequitur ſub parabola ficûs infructuoſæ. Ac tandèm inhabitatoribus Hieruſalem pœnitentiam negligentibus ſeueriſſimè comminatur: Eccè, ait, relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

A COMESSATIONIBVS ET POMPA conuiuiorum ad

FRVGALITATEM *& erga pauperes benignitatem, cap. 14. In quo eam præſcribit conuiuijs legem, vt non vocemus potentes, ſed Pauperes, debiles, claudos & cæcos. Agit etiamde conuiuio paradiſi, & ad illud ferenda cruce docet perueniri.*

AB ANIMI ELATIONE ET SVPERBIA, AD

HVMILITATEM *& modeſtiam. Nanque cum peccatoribus ipſe manducat & conuerſatur familiariter, eaque cauſa murmurantibus phariſæis opponit parabolam 99. ouium, & vnius perditæ, item decem drachmarum, & filij prodigi, cap. 15.*

AB AVARITIA ET VITAE MOLLITIE, AD

LIBERALITATEM, *ab exemplo diuitis epulonis, & villici qui de mammona iniquitatis fecit ſibi amicos, cap. 16.*

AB APOSTASIA AD

FIDEI *conſtantiam, dum apoſtolis ſuis prædicit perſecutionem, quæ ante diem iudicij ſit futura. Vbi etiã diſcipuli petũt, vt adaugeat illis fidem. Præmiſerat enim in ipſo capitis exordio impoſſibile eſſe, vt non veniant ſcandala: ſed ijs moueri non debemus.*

A TORPORE ANIMI ET CORDIS tepore ac acedia, ad

DEVOTIONEM *& orationis inſtantiam ac perſeuerantiam, ſub parabola viduæ inſtanter poſtulantis à Iudice vindictam contra aduerſarium ſuum. Porrò orantes hortatur ad animi ſummiſſionẽ, ſub parabola phariſæi & publicani. Remedium autem efficaciſſimum contra acediam apponit, admonens de aſſumenda cruce, & deniquè adiungit cæcum feruenter orantem vt illuminetur, lumenq; ea precandi inſtantia impetrantem, cap. 18.*

AB OCIO ET DESIDIA AD

OPERVM *bonorum ſtudium & ſedulitatem. Ad quæ nos hortatur exemplo Zachæi, proponendaque*

daque parabola De homine nobili, qui peregrè profecturus, diſtribuit ſeruis ſuis pecuniæ ſummam, vt negociarentur, è quibus ſeruus nequam mnam ſuam repoſuit in ſudario, damnatusq́ eſt à domino ſuo, quòd nihil feciſſet lucri, cap.19.

AB IRA ET ACERBITATE ANIMI, AD MANSVETVDINEM: *Et hoc ſuo ipſius exemplo. Nam etſi Iudæorum iniurias ſæpè eſſet expertus, atque inſidias, quas ſibi ſtruebant, neutiquàm ignoraret: nihilominùs tamen viſitat eos manſuetus, inſidens pullo aſinæ, fletq́ ſuper ciuitatem Hieruſalem, vbi erat paulò pòſt occidendus, cap.19.*

A MALITIA ET ASTVTIA, AD STVDIVM *veritatis: ab exemplo verſutæ diſputationis Phariſæorum, Saducæorum, Scribarum, & Principum Sacerdotum, qui Chriſto inſidiabantur, multis ab eo parabolis confutati & pudefacti, cap.20.*

A TIMORE ET PVSILLANIMITATE, AD VIRILEM *perſeuerantiam & animi firmitatem, ad quam diſcipulos ſuos hortatur, dum illis narrat perſecutiones futuras. Iacula enim (quod dici ſolet) præuiſa, minùs feriunt, toto cap.21.*

DE SALVTIFERO CHRISTI EX HAC vita diſceſſu. TABVLA 63.

EXITVM CHRIſti morientis fuiſſe verè ſalutarẽ, inter alia quæ recenſet Lucas in ca. Euangelij 22. & 23. abũdè ſatis teſtantur vel hæc pauciſſima:

- INSTITVTIO *ſacroſanctæ Euchariſtiæ, in qua nobis Sacratiſſimũ ſuum corpus in memoriam ſuî reliquit, ità dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c.*
- SVDOR *eius factus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, in ſignum lauacri ſalutaris.*
- ORATIO *ipſius Chriſti clementiſſima, qua pro perſecutoribus ſuis patrem ſuum rogauit in cruce: Pater, inquiens, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.*
- CONVERSIO *latronis, cui Chriſtus gratiã promiſit. Hodiè, inquit, mecum eris in paradiſo.*
- TESTIMONIVM *Centurionis: Verè hic homo iuſtus erat. Si iuſtus, ergò & Saluator ille, cuius fit mentio Eſa.cap.51.*

DE REGRESSV, HOC EST, RESVRrectione Chriſti. TABVLA 64.

CHRISTI REDItus ab inferis, qui per reſurrectionem ſuam cõtigit glorioſam, eiuſmodi fuit, qualis decuit verum mundi ſaluatorem. Hanc ipſam autẽ reſurrectionem vberrimè probant,

- PRIMVM *frequentiſſimæ apparitiones, quibus ſe apoſtolis non ſemèl ad oculum ſtatuit.*
- DEINDE *Sermo Chriſti cum diſcipulis euntibus in Emaus ſuauiſſimus, cap.24. Vbi poſtquàm illis Paſſionis ſuæ myſteria ad longũ explicâſſet, in hæc tandèm ſaluberrima concluſit verba: Et ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorũ in omnes gentes: quibus verbis oſtendit, ſe verum eſſe mortalium omnium medicum & ſeruatorem.*

EPILOGVS.

DVBIVM ergò ampliùs nemini hinc eſſe neque poteſt, neque debet: Videlicet Chriſtum Ieſum non tantùm eſſe Regem, aut Imperatorem ac Dominum cæli & terræ ſupremum, ſed vnicum etiam generis humani ſaluatorem, & verũ medicum, extra quem nulli vnquàm vlla ſperanda ſit ſalus.

EVANGELIVM IOANNIS, LIBER BIBLIORVM XLIX, PARTIS *Noui teſtamenti primæ quartus, De diuinitate Chriſti.*

CONTINVATIO.

Cvm legiſſet D. Ioannes Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probauit quidem textũ hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmauit, ſed vnius tantùm anni, in quo & paſſus eſt Chriſtus, hiſtoriã texuiſſe. Prætermiſſo itaq; anno, cuius acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, anteq̃ Ioãnes clauderetur in carcerẽ, geſta narrauit, ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor euangeliorũ volumina legerint. Hieron. in Catalog. ſcripr. eccleſiaſtic.

DE IOANNIS EVANGELISTAE ORIGINE.

Ioannes, qui interpretatur gratia DEI, & ſignificatur per Aquilam, filius fuit Zebedæi, frater Iacobi Apoſtoli, vnus ex diſcipulis Domini: Qui virgo electus à Deo eſt, quem de nuptijs volentem nubere vocauit Deus. Hieron. ibid. & in eo qui illi aſſcribitur, prologo in Ioann.

DE EADEM, THEOPHYLACTVS.

Hic enim patre quidem piſcatore natus, eandem, quam pater, exercebat artem. Non ſolùm imperitus erat gentilium diſciplinarum & Iudaicæ eruditiõis,
Actor. 4. ſed planè totus illiteratus erat, quẽadmodùm diuiniſſimus Lucas in Actis Apoſtolorum de eo tradit. Nam & patria eius vilis & obſcura, non inſignibus artib⁹ clara, ſed piſcaturæ apta, Berhſaida erat. Nihilominùs illiteratus ille, ignobilis ille, quiq; in nullo ſpectabilis erat, vide quantum ſortitus ſit ſpiritũ. Etenim quæ nullus aliorum euangeliſtarum nos docuit, ea ipſe intonare auſus eſt.

Fortassis autem non abſurdum fuerit, nomina & matris eius & euangeliſtæ aperire. Etenim mater eius, quæ Salome dicebatur, interpretatur pacifica: Ioannes autem, gratia eius. Sciat igitur omnis anima, ꝙ Pax, quæ erga homines, & q̃ in anima ab affectiõibus libera, mater ſit diuinæ gratiæ, generat iſtam in nobis.

Consideremvs autem & mirabilius quiddam, quod circa ſanctum illũ Euãgeliſtam accidit: Vnus enim ille tres matres habere comparet, Deiparam, Salo-
Marc. 4. men, & tonitruum. Nam filius tonitrui eſt proptereà, ꝙ in Euangelio vocaliſſi-
Ioann. 19. mus fuerit: Deiparæ, dicit enim, Eccè mater tua. Theophylact. in Prologo huic euangelio præfixo.

DE VITAE EIVS SANCTIMONIA, ET ſuauitate morum.

Dilectvs eſt Ioãnes p̃ diſcipulis omnibus maximè à Domino, cò ꝙ abſolutè mitis erat, ſuauiſſimiſq; moribus ac mundo corde, nempe virgo. Theophylact. ibidèm. Cui virginitatis in hoc euangelio duplex datur teſtimonium, & ꝙ præ cæteris dilectus à Deo dicitur, & huic matrem ſuam pendens in cruce, cõmendauir Dominus, vt virginem virgo ſeruaret. Hieron. in d. Prologo ad hoc euangelium. Ad hæc de pectore Chriſti vbi recubuit, euangelij fontem potauit, & quaſi vnus de paradiſi fluminibus, verbi Dei gratiam in orbem diffudit. Viterb. in Chronicis, Parte 14.

DE OFFICIIS EIVS ET DIGNITATIBVS.

Ioannes & Apoſtolus eſt, & Euangeliſta, & Prophera. Apoſtolus, quia ſcripſit ad eccleſias vt Magiſter. Euangeliſta, quia librum euangelij condidit, quod, excepto Matthæo, alij ex duodecim apoſtoli non fecerunt. Propheta, vidit enim in Patmos inſula (In quã fuerat à Domitiano principe, ob Domini martyriũ relegatus) Apocalypſin, infinita futurorum myſteria continentem. Hieron. lib. 1. aduerſ. Iouinianum. Vbi de Priuilegijs huius Euangeliſtæ vide pulchra multa.

DE

DE EVANGELISTAE HVIVS MIRACVLIS.

MIRACVLA eius hæc ſunt: Virgas ſilueſtres in aurum mutauit: Lapides de littore collectos, in gemmas conuertit: Item alias gemmas confractas & contritas, in propriam formam reſtituit: Et matronam viduam ad preces populi ſuſcitauit: Iuuenem mortuum reddidit rediuiuum: Venenum abſq; periculo bibit, & iuuenem eodem veneno mortuum ſuſcitauit. Viterb. d. parte 14. Tertullianus refert, ꝙ à Domitiano miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quàm intrauerit. Hierony. d. lib. 1. aduerſ. Iouinian.

DE EIVS MORTE.

VIXIT annis 99. Requieuit autem apud Epheſum ſexto Calēd. Ianuarij. Quod ità accidit: Nam anno LXVIII. poſt paſſionem Domini tumulum (fratribus valedictis) intrauit, & tanq̃ in lecto, facta oratione, quieuit. Vndè quidam eum nō mortuum aſſerunt, ſed in ſepulcro viuum requieſcere & dormire affirmāt: Pro eo, quòd terra ipſius tumuli ſcaturiens, & ſe commouens, ſemper ad ſuperna cōſcēdat, & in ſuperficie ſepulturæ ſe moueat, & puluis quaſi flatū intùs quieſcentis, ſemper ebulliat. Viterb. in d. part. 14.

DE RELICTIS POST SE SCRIPTIS.

QVARTODECIMO anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouēte Domitiano, in Patmon inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretātur Iuſtinus Martyr & Irenæus. Interfecto autē Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à ſenatu reſciſſis, ſub Nerua Principe redit Epheſum, ibique rogatus ab Aſiæ epiſcopis, ſuum ſcripſit Euangelium aduerſùs Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Vbi ad Traianum vſq; Principem perſeuerans D. Ioannes, totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias.

SCRIPSIT autem & vnam epiſtolam, cuius exordium eſt, Quod fuit ab initio, &c. quæ ab vniuerſis eccleſiaſticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autē duę, quarum principium eſt, Senior electæ dominæ &c. Senior Caio chariſſimo, quē ego diligo in veritate, Ioannis presbyteri aſſeruntur, cuius & hodiè alterum ſepulcrum apud Epheſum oſtenditur. Hieron. in Catalogo Scriptor. eccleſiaſtic. Idem autem ipſe Hierony. in Prologo in epiſtolas Canonicas, oēs tres epiſtolas dicit eſſe Ioannis, & ità ſentit eccleſia.

DE EISDEM IOAN. DRIEDO.

CVM autem iam omnes Pauli & cæterorum Apoſtolorum epiſtolæ ſcriptæ forent, & iam per omnem Aſiā, Europā & Africam eſſent ſemina fidei ſparſa, & eccleſiæ conſtitutæ, & hæreſes in eccleſia inciperent contra diuinitatem Chriſti pullulare, Cerintheis & Ebionitis negantibus Chriſtum hominem Deum eſſe: poſtremus omnium Ioannes, ſolutus ab exilio, rogatus ab omnibus tunc penè Aſiæ epiſcopis, & multarum eccleſiarū legationibus, poſtq̃ Apocalypſin iam in Patmo ſcripſerat, vt aſſerit ſuper Ioannem prologus, à quibuſdam Hieronymo aſſcriptus, in Aſia ſuum edidit euangelium, De diuinitate Chriſti, cæteris Euangeliſtis altiùs ſcribens contra hæreticos, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam nō fuiſſe. Driedo de ſcrip. eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. Par. 3.

DE EVANGELII HVIVS EXCELLENtia & ſublimitate.

OMNIBVS ſcripturæ diuinæ paginis euangelium excellit, quia quod lex & Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit euangelium. Inter ipſos autem euangeliorum ſcriptores, Ioannes eminet in diuinorum myſteriorū profunditate. Auguſt. in Prologo in Commentaria ſuper Euangelium Ioannis.

QVID HOC EVANGELIVM A RELIQVIS differat Euangeliſtarum ſcriptis.

TRES priores Euangeliſtæ in his rebus maximè diuerſati ſunt, quas Chriſtus ꝑ humanam carnem temporaliter geſſit. porrò autem Ioannes ipſam maximè di-

uinitatem Domini, qua Patri eſt æqualis, intendit, eamq; præcipuè ſuo Euangelio, quantùm inter homines ſufficere credidit, commendare curauit. Itaque longè à tribus iſtis ſuperiùs fertur, ità vt hos videas quodammodò in terra cum Chriſto homine conuerſari, illum autem tranſcendiſſe nebulam, qua tegitur omnis terra, & perueniſſe ad liquidum cælum. Auguſtinus De conſenſu Euangeliſtar. lib. 1. cap. 4.

QVAE DIFFERENTIAE ISTIVS SIT RATIO.

Ideo autem tres illi Euãgeliſtæ, Matthæus ſcilicet, Marcus, & Lucas, plura nobis viuendi dederunt præcepta, quia eam maximè ſecuti ſunt partem, quę actiua dicitur. Quia verò Ioannes cõtemplatiuam magis tenuit, ideò cùm eius euãgelium ſupereminеat cæteris, multo pauciora tamen in eo motum præcepta comperimus. Idem Auguſtinus in Speculo, de Euangelio Ioan. ex cap. 4.

QVAE IOANNI DESCRIBENDAE HISTORIAE EVANGELICAE FVERIT CAVSA.

Ioannes verò ipſe quidem cauſam ſcriptionis tacet. Vt autem loquitur ſermo ſuperiùs repetitus, & Patrum ad nos traditione delatus, nec ipſe ad ſcribẽdum abſque certa ratione deſcendit. Sed quia illa iam trium fuerat intentio, vt in ſuſcepti morarentur hominis ſacramento, & de ipſa Deitate dogma periclitabatur taceri, ad ſcribendum, Chriſto inſpirante motus, acceſſit, quod ex ipſa certa hiſtoria, & de euangelij declaratur exordio. Neque enim ab inferioribus cœpit, vt cæteri: ſed ad ſuperiora continuò, ad quæ vrgebatur, aſſcẽdit, propter quę librum ipſum profectò compoſuit. Neque enim ſolis inuenitur differre principijs, ſed per totius ferè euangelij textum grandior cæteris ingreditur atq; ſublimior. Chryſoſt. in Matthæi cap. 1. homil. 1.

QVAE HISTORIAE HVIVS SVMMA SIT & intentio.

Svmma huius hiſtoriæ Euangelicæ conſiſtit in eo, quòd author eius D. Ioannes demonſtret, hominem illum Ieſum verè fuiſſe filium Dei. Quòd autem is primo narrationis ſuæ capite vel ſolo contriuerit hæreſes, tractat Ambroſius De fide lib. 1. cap. 5. Theophylactus & ſcriptores alij in prædictum caput quàm plurimi.

DE PARTITIONE ISTIVS, QVOD SEcundùm Ioannem eſt, Euangelij. TABVLA 65.

EVANGELIVM *Ioãnis eam ſententiã, quòd Chriſtus Ieſus ſit verè filius Dei,*	PRIMO *aperit & proponit, à principio Capitis 1. vſque ad medium eiuſdem.*
	DEINDE *confirmat & adſtruit, à prædicto loco vſque ad finem capitis 20.*
	POSTREMO *infert & concludit, Circa finem 20. & per totum 21. Porrò ibidèm etiam Euangeliſta de ſeipſo quædam commemorat, tanquàm eorum, quæ ſcripſit, teſte certiſſimo, & ipſi Chriſto præcipuè charo &c.*

DE

DE SENTENTIAE EIVS PROPOSITIONE. TABVLA. 66.

IN HAC PARte ponit Euangeliſta Ioannes totius euãgelij ſui veluti ſummam, hominẽ ſcilicet Ieſum verè fuiſſe filium Dei, eundemq́

- *Vnigenitum.*
- *Patri coæternum.*
- *Non factum, nec creatum, ſed genitum.*
- *Perfectum Deum, perfectum hominem, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtentem.*
- *DEVM,* / *Hominem,* — *Ex ſubſtantia* — *Patris,* / *Matris.*
- *Vnum cum patre, non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.*
- *Per quem omnia facta ſunt.*
- *Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*
- *Saluatorem, plenum gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam*

Hæc omnia Athanaſius ferè in ſuo ſymbolo colligit ex prima parte Ioann. cap. 1.

DE SENTENTIAE HVIVS CONFIRMAtione & probatione. TABVLA 67.

IN IPSA PORrò ſententiæ huius confirmatiõe Euangeliſta Ioannes prolixè docet, Ieſum verè eſſe filiũ Dei, idq́ his argumẽtis, quòd is idem

- *Mediam obtineat in Trinitate perſonam, d. c. 1. verſ. Et hoc eſt teſtimoñium.*
- DEO SIT IN *omnibus Diuinitatis conditionibus & perfectionibus per omnia æqualis, videlicet*
  - *Authoritate, cap. 2.*
  - *Efficacia ſaluandi, vel ſalutem conferendi, cap. 3.*
  - *Penetratione mentium & immenſitate, cap. 4.*
  - *Operationis ſimilitudine, cap. 5.*
  - *Animi & cordis plena refectione, cap. 6.*
  - *Doctrinæ maieſtate, cap. 7.*
  - *Aeternitate, cap. 8.*
  - *Honore, latriæ vni Deo debitæ dignitate, cap. 9.*
  - *Eſſentiæ identitate, cap. 10.*
  - *Beneuolentia & miſericordia. cap. 11.*
  - *Imperio & regno, cap. 12.*
  - *Charitate, cap. 13.*
  - *Diuinitate, cap. 14.*
  - *Collatione gratiæ, & ſanctitatis infuſione, cap. 15.*
  - *Sapientia, & ſcientiæ ſplendore, cap. 16.*
  - *Beatitudine & felicitate, cap. 17.*
  - *Patientia & longanimitate, cap. 18. & 19.*
- *Et quòd ab eo ſicut à patre procedat Spiritusſanctus, capite vigeſimo, vſque ad eum locum, Multa quidem & alia ſigna &c.*

DE PRIMA CONDITIONE.

TABVLA 68.

CHRISTVM IN *Trinitate mediam obtinere perſonam, probatur teſtimonio*

- *D. IOAN. EVANgeliſtæ cap. 1. vbi in vna Dei eſſentia tres oſtēdit eſſe perſonas:*
  - *Vnam patris, ſub his verbis: Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit.*
  - *Alteram, id eſt, mediam, filij, dum ait: Poſt me veniet vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.*
  - *Tertiam, ſpiritusſancti, his verbis: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eū, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.*
- *Nathanaëlis, exclamantis: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſrael.*

DE SECVNDA CONDITIONE.

TABVLA. 69.

PAREM CHRIſto *cum Deo patre fuiſſe authoritatem, oſtenditur cap. 2. Ex*

- *Mutatione naturæ, aquæ ſcilicet in vinum.*
- *Stupore, quem hominum mentibus ſolo interdum adſpectu iniecit, ità vt nemo ſe ei poſſet opponere. Cuius exemplum eſt grauiſſimum, quòd ementes & vendentes exiguo quaſi flagello etiam inuitos eiecit ex tēplo, eorumq́ mensas ſubuertit.*
- *Signis quæ faciebat, quibus multi compellebantur credere in eū. d. c. 2.*

DE TERTIA CONDITIONE.

TABVLA 70.

QVOD VNI *Deo eſt propriū ſaluare, nimirum homines, Eſaia 45. Id D. Ioannes Chriſto probat cum Deo fuiſſe commune, cap. 3. à*

- *Prophetia Chriſti de ſeipſo: Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed vitam habeat æternam.*
- *Teſtimonio Ioannis: Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*
- *Baptiſmi efficacia: Quo ſacramento velutì medio, ſalus ex Chriſto in omnes deriuatur fideles.*

DE CONDITIONE QVARTA.

TABVLA 71.

SALVATORI NOSTRO *Ieſu Chriſto etiam mentes hominū atq; adeò intimos cordium receſſus fuiſſe cognitos & perſpectos, liquet cap. 4. ex*

- *Colloquio cum Samaritana, cui etiam res illius ſecretiſſimas, & quæcunque (licèt occultè) feciſſet, enarrauit.*
- *Curatione etiam abſentium. Curauit enim Reguli filium longo interuallo diſtantem.*

DE CON-

DE CONDITIONE QVINTA.

TABVLA 72.

OPERANDI MODO CHRIſtum Deo fuiſſe æqualem, ſatis manifeſtũ reddit curatio Paralytici in ſabbato ad piſcinam Probaticam, Ioan. 5. Vbi ipſe Iudæis, id ex inuidia culpantibus, reſpondit ſe eodem modo, quo pater,

- Operari, ibi: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.
- Viuificare: Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat.
- Iudicare: Pater enim non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio.
- In die iudicij homines ex ſepulcris reſuſcitare. Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, d. cap. 5.

DE CONDITIONE SEXTA.

TABVLA 73.

IN MENTIBVS REFIciendis, & cordibus exatiãdis vim Chriſto eandem eſſe, quã Patri, indicatur cap. 6. duobus argumentis:

- Miraculo, quo panes hordeaceos quinque, & piſciculos duos, ità benedixit & multiplicauit, vt non tantùm quinque millibus hominum ſufficerent, ſed ex reliquijs etiam duodecim cophini fragmentorum colligerentur.
- Suauiſsima illa concione, de pane illo vitæ, mentes reficiente, qui caro eſt Chriſti, Ex quo quiſquis manducauerit, viuet in æternum.

DE CONDITIONE SEPTIMA.

TABVLA 74.

DOCTRINA CHRIſtum Deo parem fuiſſe, id in capite ſeptimo teſtantur,

- Chriſtus ipſe: Qui in die feſto docens in templo ſuâ apud Iudæos admirationem excitauit: tum etiam dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me..
- Miniſtri põtificum & phariſæorum: qui cùm Chriſtum appræhendere non poſſent, dominis ſuis, à quibus vt illum caperent, ablegati erant, reſponderunt: Nunquàm ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. d. cap. 7.

DE CONDITIONE OCTAVA.

TABVLA 75.

SE CVM PAtre æternum declarat Chriſtus, à Iudæis repræhenſus, q ſeipſum dixiſſet lucem mundi, his omninò argumẽtis:

- Quòd ipſe ſolus nihil dicat, ſed quæ à patre acceperit, proferat: Ergò teſtimonium hoc, quod de ſeipſò dederit, etiam patris ſui eſſe.
- Quòd non iudicet ſecundùm carnem, ſed quemadmodùm præceperit illi pater.
- Quòd è ſupernis ſit, & vnum cum patre.
- Quòd, ſit antequàm Abraham fieret, ergò etiam æternus, & ſimilia. Quæ omnia explicantur cap. 8.

DE CON-

DE CONDITIONE NONA.

TABVLA. 76.

LATRIAE QVOQVE cultum, Chriſto eundẽ deberi, quo Deus colitur pater, id diligenter explicat D. Ioannes cap. 9. vbi

- Primùm oſtenditur, Chriſtum honore eſſe dignum, quia opera fecerit patris.
- Deindè Chriſtus ob id paſſus eſt ſe adorari à cæco nato, cui viſum reſtituerat, qui honor ſoli debetur Deo.

DE CONDITIONE DECIMA.

TABVLA 77.

EANDEM ESSENtiam eſſe hominis IESV, quæ Dei: hoc Chriſtus ipſe apud Ioan. 10. tribus innuit in locis. Vbi ſe dicit eſſe

- Oſtium, per quod cunctis pateat ad vitam ingreſſus. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introiêrit, ſaluabitur.
- Paſtorem bonum, quem cognoſcunt ſeruandi omnes. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Et poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterùm ſumendi eam.
- Vnum cum patre. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Ego & pater vnũ ſum⁹. Pater in me eſt, & ego in patre. eo. c. 10.

DE CONDITIONE VNDECIMA.

TABVLA 78.

BENEVOLENTIAM & miſericordiam Chriſti abundè ſatìs declarant.

- Lachrymæ pro Lazaro.
- Excitatio Lazari à mortuis.
- Commiſeratio erga afflictas ſorores Lazari Marthã & Mariã.
- Conſolatio, qua mæſtis ſororibus viuum reſtituit Lazarum, cap. 11.

DE CONDITIONE DVODECIMA.

TABVLA 79.

REGNO ET IMperio Chriſtum Deo fuiſſe æqualem, oſtendunt capite decimo

- Congratulatio celebris, qua Iudæi Chriſtum Hieroſolymam ingredientem honorificè exceperunt vt regem, & acclamatio publica, Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſrael.
- Vox quæ venit de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterùm clarificabo: quod pertinet ad eam gloriam & claritatem imperij, quam habet toto orbe terrarum in eccleſia ſua, ſuper quam à Deo patre conſtitutus eſt rex. Pſalm. 2.

DE CONDITIONE DECIMATERTIA.

TABVLA 80.

VT DEVS CHAritas eſt, ità maiorẽ charitatẽ erga genus humanum nemo habuit, quàm mitiſſimus Ieſus, quam

- Exhibuit, quandò ipſe verus Dominus & magiſter Apoſtolis lauit pedes, inæſtimabili ſummi amoris dignatione.
- Præcepit & mandauit, dicens: Exemplum dedi vobis. Item, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, ſicut dilexi vos. ca. 13.

DE CON-

DE CONDITIONE DECIMAQVARTA.

TABVLA 81.

INDIVISA DEI *patris & fil.j operatio atq; inſeparabilis diuinitatis vnio, c.14. inter cætera declarantur his maximè dictis:*

Creditis in Deum? & in me credite.
Ego ſum via, veritas, & vita.
Non credis, ait ad Philippum, quia ego in patre, & pater in me eſt? &, Pater in me manens, ipſe facit opera.
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vbi ergò pater, ibi & filius: & contrà, d. cap. 14.

DE CONDITIONE DECIMAQVINTA.

TABVLA 82.

COLLATIONE GRA*tiæ Deo parem fuiſſe Chriſtũ, facile patet ex ijs, quæ ipſe 15. ediſſeru capite, De*

Similitudine vitis, vt enim ea nutrit palmites, ità Chriſtus fidelibus impertit ſanctitatem. Ego ſum vitis vera, inquit, vos palmites.
Gratiæ promiſſione, verſ. Elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.
Et ſimilibus alijs ad cultum ſanctitatis pertinentibus, quæ niſi ipſo concedente, haberi non poteſt.

DE CONDITIONE DECIMASEXTA.

TABVLA 83.

SIC ETIAM SAPIEN*tiæ lumine Chriſtũ, Deo non fuiſſe inferiorem, oſtenditur*

Dicto Chriſti, quo diſcipulis ſuis indicauit, ſe adhuc habere multa illis dicenda. Verùm quandò illa necdùm capere queant, miſſurũ Spiritum ſanctũ, qui illos omnem doceat veritatem.
Confeſſione diſcipulorum: Eccè nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. nunc ſcimus quia ſcis omnia. cap. 16.

DE CONDITIONE DECIMASEPTIMA.

TABVLA 84.

BEATITVDINEM *atque felicitatem quã habuit cum Deo parem, vt alia multa, ità etiam hæc, quæ Ioannis 17. habentur capite, maximè reddunt teſtatam: vt ſunt*

Clarificatio patris, de qua Chriſtus ait: Clarifica me tu pater apud temetipſum claritate, quã habui priùs q̃ mundus fieret, apud te.

Vitæ æternæ gloria. Hæc eſt autem, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Communicatio huius gloriæ electis omnibus. Pater, quos dediſti mihi, volo vt ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

DE CON-

DE CONDITIONE XVIII. TAB. 85.

SVMMAM CHRI. *ſtus patientiam & longanimitatem tunc maximè declarauit, quãdo paſſus eſt ſe*

- *Ligari à coborte, quã paulò antè vnico tantũ verbo pſtrauerat.*
- *Cædi pugnis, virgis, atque flagellis,*
- *Illudi, conſpui, & ſpinis coronari.*
- *Cruci, quam ipſe portauit, affigi.*
- *Occidi tandèm adſpectante matre mæſtiſſima, & inter latrones reputari. cap.18.*

DE CONDITIONE XIX. ET VLTIMA.

HABVISSE Chriſtum facultatem clargiendi Eccleſiæ ſuæ Spirituſſanĉti gratiam, atq; ſpiritumſanĉtum ab eo ſimul & à patre procedere, id probat celeberrimus ille actus, quem deſcribit Euangeliſta hic noſter D. Ioannes capite Euangelij ſui 20. Cùm enim Ieſus à mortuis ſumma totius orbis ſalute reſurrexiſſet, atque ad apoſtolos congregatos clauſis ianuis veniſſet, datis priùs omnibus ſignis, quòd ipſe verus eſſet Chriſtus ille crucifixus, ac dato illis pacis ſymbolo, tãdèm inſufflauit & dixit eis: Accipite ſpiritumſanĉtum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20.

DE SENTENTIAE ILLATIONE VEL concluſione. TABVLA 86.

SENTENtiæ huius illatio vel concluſio tria habet membra:

PRIMÒ *enim conditionibus prædictis omnibus (quarum vnaquæuis ad inſtitutam probationem ſatis ſit firma) infert tandèm Euangeliſta id, quod primo loco propoſuerat: illum ſcilicet hominem Ieſum, quem Matthæus demonſtrauit Chriſtum, Marcus Imperatorem, & Lucas Saluatorem probauit eſſe omnium, verum & vnicum eſſe filium Dei, & ipſum quoquè Deum, Deo patri authoritate, potentia ac diuinitate per omnia æqualem.*

DEINDE *cauſam explicat huius demonſtrationis potiſſimam, atque adeò totius euangelicæ doctrinæ finalem, vt ſcilicet credentes vitam habeant æternam, d. cap. 20. verſ. Multa quidem & alia ſigna.*

IN *poſtremo tandèm capite, vigeſimo ſcilicet primo, Fidẽ huic euãgelio habendam eſſe oſtendit duas ob cauſas:*

- *Vnam, quòd hæc omnia ipſe viderit, & tempore cœnæ Dominicæ requieuerit in ſinu ipſius Dei ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & ab eo (vt aſſerit Theophylactus) ad ſcribendum hoc Euangelium ſæpè ſit admonitus.*
- *Alteram, quòd Chriſtus hunc diſcipulum prædilectũ, ſic manere, id eſt, viuere vſque ad cõſummationem ſeculi voluit, vt tunc cum Enoch & Elia de illo teſtetur: vt idem Theophylactus hunc locum quoſdam intelligere ait.*

QVATVOR EVANGELIORVM HARMONIA, EX AMMONIO *Alexandrino collecta, & in hæc quæ ſequuntur, capita nunc primùm diſtributa.*

De æterna & temporali Chriſti generatione. *Caput I.*

IN principio erat verbum, per quod condita ſunt omnia, in fine tandèm temporum caro factum, Ioan.1. Idque nouo naſcendi modo, ex virgine Maria, Ioſeph quidem nuptui tradita, Matth.1. ſed Gabrielis paranymphi cæleſtis nuncio è ſpirituſancto grauida, Luc.1. Quæ res maritum Ioſeph, ſacramenti neſcium, traxit in admirationem, vt niſi diuino fuiſſet edoctus oraculo, conſiliũ de virgine deſerenda, ità vt conceperat animo, hauddubiè impléſſet, Matth.1.

Cenſi capite ſunt tum fortè Octauij Auguſti edicto omnes qui Romano parebant imperio, quum Ioſeph Bethleem, quæ ciuitas erat Dauid, ad quem genus referebat, ſimul cum virgine proficiſcitur. Vbi illa partu ſoluta, enixa eſt Chriſtũ. Aderat mox angelus è cælo delapſus præco, agmine cæleſtium ſpirituum longo ſtipatus, qui paſtoribus noctù, eo loci excubias agentibus, natum hominibus ſeruatorem nunciaret, Luc.2.

De infantia Chriſti. *Cap. 2.*

NEQVE latuit Magos ad ſolis ortum longis terrarum ſpatijs etiam diſſitos ea natiuitas, Matth.2. Quippe poſt circunciſum octauo die infantem Ieſumque vocatum, Luc.2. Ipſi tertiodecimo Hieroſolymam noua quadam ſtella duce veniẽtes, Regem Iudæorum prædicant natum. Ac communicato cum Herode principe & ſcribis conſilio, in Bethleem inuentum adorant, ac venerãtur muneribus, Matth.2.

Sed & iuſtus ille Simeon, Annaque Phanuelis filia, prophetico ſpiritu afflati, oblatum die XL. in templum agnouerunt Chriſtum, lætis precationibus fauſta terris ominantes, Luc.2. Iniquo animo hæc tulit Herodes, natumque recens puellum conatur extinguere. Itaque Ioſeph rediẽs Nazareth, Luc.2. oraculo admonetur, vt fuga in Aegyptum infantis vitæ conſulat, idque in tempore: Nam non multò pòſt ira ſuccenſus rex, bimulos omnes ac natu minores, gladio ſuſtulit, Matth.2.

Creſcebat intereà puer, & confortabatur ſpiritu, continuum ſeptennium agens in Aegypto vſq; poſt Herodis interitum. Quem vbi Ioſeph cælitùs per quietem didicerat, reducem ſeſe tum patriæ Nazareth protinùs exhibuit, Luc.2.

De pueritia Chriſti. *Cap. 3.*

PORRO annum agens Ieſus duodecimum, parentes Hieroſolymam ſequutus, quò illi ſtatis quibuſdam anni diebus ſacrorum gratia confluebant, Patris cæleſtis agens negocium, diuinæ legis doctorum cœtui triduo permiſtus, parentes paululùm declinauit. Deindè inuentus ab eis, diuinamq; voluntatem cauſatus, quia ſe ſubduxerat, domum redit morigerus in omnibus, Luc.2.

De præcurſore Chriſti Ioanne Baptiſta. *Cap. 4.*

IOANNES aliquantò pòſt Zachariæ filius, Chriſti anteambulo, prædicationis munere clarus fuit, Matth.3. Mar.1. Luc.3. Acceſſit prædicationi pœnitentiæ, iuncto baptiſmo, tanta vitæ ſanctimonia, cultuſque auſteritas, vt à Iudæorum primoribus dubitatum ſit, num eſſet ille Chriſtus, legatione ad ſciſcitandum veritatem in id decreta. Verùm Ioannes faſſus planè quod erat, Eſaiæ de ſe affert vaticinium, quò clariùs delegata ſibi à Deo prouincia intelligeretur, Ioannis 1.

De perfecta Chriſti ætate. *Cap. 5.*

IESVS intereà trigeſimum ferme ætatis annum attigerat, quum Galilæam relinquens, Iordanis peteret fluenta, vbi à Ioanne lauacro tinctus, multùm primò reluctante, quaſi præpoſterum illud eſſet officium: auditaque vox patris cæleſtis, hunc dilectum ſibi filium atteſtantis, Matth.3. Mar.1. Luc.3.

Subductus hinc in deſertum, poſt quadraginta dierum inediam, tentatoris ſuſtinuit graſſantis inſidias, Matth.4. Marc. 1. Luc.4. Ioannes deindè viſo Ieſu,agnum DEI hunc eſſe apertè indicat,qui totius mundi auferat delicta. Atque eo teſtimonio primùm illecti Bariona cum fratre Andrea,Ieſum ſequuntur: Philippus mox vocatus,addit ſe ſocium,Ioan.1.

Tertio die vocatus ad nuptias,virtutem diuinam,aqua in vinum mutata,prodidit,ſimulque eiectis è templo mercatoribus,Ioan.2. Huic acceſsit copioſa piſcium captura in Ieſu verbo,quum vano labore Petrus totam noctem conſumpſiſſet. Vndè ſtupor ille, verbaque: Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum.Luc.5. Baptizabant intereà paſsim & Ieſu & Ioannis diſcipuli,Ioan.4. Quę res materiam ortæ pòſt inter illos æmulationis cuiuſdam ſuppeditabat.

De morte Ioannis, cuius ipſe ſibi fuit propheta. Cap. 6.

VERVM Ioannes de Ieſu rebus feliciùs promouendis,ità loquebatur: Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de cælo venit,ſuper omnes eſt,Ioan.3. Atque ità futurum, breuì indicauit euentus,Ioanne per Herodem,quòd ſe admonuiſſet errati,primùm coniecto in vincula, deindè capitis damnato,Matth.14. Mar.6. Quæ crudelitas,Ieſu in Galilęam migrandi in fines Zabuloo & Neptalim,occaſio fuit. Vbi primùm pœnitentiam,regniq́; cęleſtis confinitatem prędicauit, Matth.4.

ANNVS DOMINICAE PRAEDICATIONIS *primus, & primùm de euangelij prædicatione.* Cap. 7.

FIRMATA de ſe,editis miraculis,diuinitatis opinione,ad doctrinam euangelicam longè lateque
Eſa. 61. diuulgandam Ieſus animum conuertit. Locumque Eſaię,quo ait: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me,euangelizare pauperibus miſit me,cum ijs quę ſequuntur,palàm ſuę perſonę congruere indicauit,Luc.4.

De vocatione Apoſtolorum. Cap. 8.

ELEGIT autem diſcipulos 12. Matth.10. Marc.3. Luc.6. quibus conſcenſo monte ſeparatim propoſuit beatitudinis quaſdam formulas,longè diuerſas ab ijs quas vulgus hominum ſectatur. Proindè definiuit arma,quibus velit eſſe inſtructos, cæleſtis doctrinę pręcones, poteſtate illis facta, impuros dęmones pellendi,ſimulque curandi morbos,Matth.5. Nec minor illi fuit ſolicitudo docendi plebem,poſtquàm relicto monte,in latè patentes campos deſcenderat,Luc.6.

De miraculis Chriſti. Cap. 9.

DOCTRINAM ſecuta ſunt miracula,aut ſi quis ſic mâlit appellare,varia in miſeros collata beneficia. Lepra vitiatum corpus ſuę puritati reſtituitur,Matth.8. Marc.1. Luc.5. Centurionis famuli paralyſis conſolidatur, Matth.8. Luc.7. Vexatus à cacodęmone,in ſynagoga ſibi reſtituitur, Marc. & Luc. 4. Viduæ natus vnicus, à morte ad vitam reuocatur, ad portam ciuitatis Naim, Luc.7. Quid multa? omnes corpore affecti, quos fama per vniuerſam Syriam diſperſa de Ieſu coëgerat,bonę valetudini reducuntur,Matth.4. Marc.3. Luc.4. Ioan.6. Nec cõtentus ijs beneficijs corporalibus,mulierem in phariſæi conuiuio,malè actę vitę conſcientia,ægram abſoluit, Luc.7.

De impedimentis vitæ æternæ. Cap. 10.

MVLTOS tum cupido inceſſerat illum ſequendi: verùm affectus terrenarum rerum obſtitit. Alius enim fortunę ſtrepitum ſibi pollicetur,& audit filium hominis ne tantillum quidem habere ditionis,vt caput eò reponat,quum alitibus nidi ſint,& vulpibus ſui ſpecus. Alius paterni funeris curationem pręfert Chriſti contubernio,cui dicitur: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos,Matth. 8. Lucę 9. Alius proindè domeſticorum ac neceſſariorum curam prętexuit,vt nõ protinùs ſequeretur, quem aranti ſimilem facit,vultu in tergum verſo, Luc.9.

De actis Chriſti in regione Geraſenorum. Cap. 11.

CAETERVM regionem petituro Geraſenorum, traijciendus erat locus, in quo naui vectus dormiebat, ac coorta interìm tempeſtate, ventos mareque compeſcuit, Matthæi 8. Marc.4. Luc.8.

Luc.8. Porrò ad portum vbi appulit,ſpiritibus immundis obnoxios, pręter modum ſęuientes liberans,porcorum gregem rapi in pręceps permiſit,matth.8.mar.5.Luc.8.

De reditu per Capernaum in Iudæam,& vocatione Matthæi ad Apoſtolatum. *Cap.* 12.

REDIENS indè Capernaum,paralyticũ per tegulas demiſſum,alienę fidei reſpectu ſanat,Matt.9. Marc.2.Luc.5.Et pauculos poſt dies Iudęam repetit,atq; in teloneo conſpectum Matthęum publicanum,vocat ad apoſtolici muneris functionem,matth.9.marc.2.Luc.5.

De itinere in Galilæam per Samariam,& colloquio cum muliercula apud puteum. *Cap.* 13.

RVRSVS in Galilęam profectus per mediam Samariam, in colloquium incidit cum muliercula prope puteum. Vndè illa edocta,Meſsiam veniſſe,qui dicitur Chriſtus,palàm fatetur,Ioan.4.

De geſtis ſub profectione in Canam Galilææ,& quid phariſæi potiſsimùm in Chriſto reprehenderint. *Cap.* 14.

DEINDE in Canam Galilęę ſe contulit,inter eundum regij cuiuſdam viri filium iam moribundum,ea hora qua ille ſalutem petebat,viuere prædicauit,Ioannis 4.Succedit mox conuiuium Leui,quo receptus Ieſus ſimul cum publicanis,à Phariſæis repręhenditur, Verùm ille medicum ſe eſſe teſtatus,morbo laborantes potiſsimùm ſua ope indigere indicauit.Proindè miſericordiam qua egentibus ſuccurreret,longè præſtare ſacrificio.

De æmulatione inter diſcipulos Ioannis & Apoſtolos Domini. *Cap.* 15.

VERTERVNT item vitio diſcipulis Ieſu,Ioannis ſectatores,quòd ſe nó ad Phariſęorum morem ieiunijs macerarent.Et audiunt iniquum videri,vt ſe ſponſo pręſente lugeant filij, nouumque viuendi inſtitutum,veterum permiſsione confundatur: perindè àc in communi rerum vſu deſipere dicatur,qui veteri veſtimento particulam noui panni aſſuat, nouumque vinnm vtribus annoſis audeat committere,matth.9.marc.2.Luc.5.

De malignitate phariſæorum,qua nouum petunt ſignum. *Cap.* 16.

NEC contenti phariſæi obtrectatione,qua omnia Chriſti facta calumniabantur: Sed ſignũ quoq; nouum expetunt,quaſi verò ille nullnm exhibuerit.Et reportant aptum malignitati ſuæ reſponſum,In filios videlicet degeneres & ſceleratos,Ionæ ſignũ rectè competere,aluo piſcis triduo olim incluſi,cuius monitis Niniuitæ etiam deploratę improbitatis homines reſipuerint: Atque ea ratione damnationem manere incredulos.

Subiecit mox Reginæ Auſtri exemplum, quam Salomonis ſapientia ab vltimis terrarum orís attraxerat.Et quod omnium aptiſsimè quadrabat,impuri ſpiritûs in hominem vndè paulo antè exîerat,reditum longè infelicisſimum:Quandò,quòd ad veritatis attinet prædicationem,Ionas & Salomon in multis partibus ſe eſſent inferiores,matth.12.Luc. 11.

Verbi diuini obſeruationem,Parentibus,amicis, & rebus omnibus eſſe anteponendam. *Cap.* 17.

NECDVM ſermonem inſtitutum finierat,& mulier quędam è medio turbæ beatum exclamat ventrem Chriſti genitricis,ac felicia vbera.Sed ille,quod potiùs eſſet,magisq; è re noſtra, màlebat expendi: Beatos videlicet haud dubiè futuros,qui verbum Dei conciperent animo,generarent benefactis,Luc.11.

Deniquè in prędicationis Euangelicę negocio, quemadmodùm abeſſe debeat cognationis & alterius cuiuſuis neceſsitudinis affectus,matre ac fratribus ſe quærentibus,diffiniuit, dum illos repudiat,& diuinæ voluntati morigeros,parentes & fratres ſuos agnoſcit,matth.12.marc.3. Luc.8.

Iterùm doctrina confirmatur miraculis,quæ phariſæi dæmonis artibus tribuebant. *Cap.* 18.

SERMO autem Domini cùm iam confirmandus eſſet miraculis,commodùm à Iairo ſynagogæ pfecto inuitatur ad beneficium defunctæ filię præſtandũ.Id quod facilè obtinuit, matth.9. marc.5. Luc.8.Cæci item duo Ieſum ſequentes, viſum precibus impetrârunt, matth.9. mutus dęmoniacus, eiecto immundo ſpiritu,loquitur,ità vt turbam non mediocris caperet inſolitę rei admiratio.

Verùm phariſæi,dona Dei non agnoſcentes,Beelzebub dæmoniorum principi accepta Chriſti opera referunt,Matth.9.Luc.11.Qua in re tam atrox piaculum eſt admiſſum,vt neq; hîc dilui queat,nec futuro ſeculo,Matth.12.Mar.3.Luc.11.Quanquàm nihil eſt, cur miremur natura improbos in maledicta prorumpere,quòd vir bonus de bono theſauro bona proferat, malignus pernicioſa: Verumq; ſit,quod dicitur,Ex arbore fructum dinoſci.Atquì proſpiciendum erat,nè lingua peccaremus,de quocunq; verbo ocioſo coram Deo iudice exactam rationem reddituri,Matth.12.

Chriſtus à Martha excipitur hoſpitio. *Cap.* 19.

SVB hęc ingreſſus Ieſus oppidulum quoddam, à Martha hoſpes excipitur, quæ dum ſedulò in apparando conuiuio occupata, ſororem Mariam,ab ore Domini pendentem,incuſaret, mox diſcit ſe negocijs,non quidem negligendis, ſed fluxis tamen incumbere, ſorore interìm quæ ſunt optima, complectente,Luc.10.

De electione 72.diſcipulorum,& eorum poteſtate. *Cap.* 20.

DESIGNAVIT prætereà alios 72.diſcipulos,quos in meſſem Euangelici negocij tum impendiò copioſam,anteambulones præmitteret,nihil obmittens præceptorum ſalubrium, quæ ad Apoſtolicam integritatem venandam ijs conducerent: Deniquè præceptis dotes additæ ſunt curandorum languorum, ſimulque eijciendorum dæmonum.

Superbos verum Euangelij ſenſum capere non poſſe. *Cap.* 21.

COEPTIS felix non defuit ſucceſſus,atque indè in arrogantiam lapſi diſcipuli, Dominico ſermone,quo ſe vidiſſe ait, ſatanam ceu fulgur è cælo deciduum,ad modeſtiam reuocantur,Luc.10. Eadem fermè hora commendatur à Chriſto lętitia geſtiente, patris ſui cęleſtis benignitas, quę magnates Euangelij ſacramenta celâſſet,infimę fortis hominibus illa aperuiſſet, Matth.11. Luc.10. Ceterùm felicitatis comes inuidia,Phariſęos tum extimulabat,vt Chriſto ac ſuis vndiquè obturbarẽt.

De ſabbato. *Cap.* 22.

FLECTEBAT ille fortè iter ſabbato per ſegetes,& Apoſtoli famem ſpicis manu conuulſis ſolabantur,quod opus à ſuperſtitioſulis iſtis veluti impium carpebatur. At Ieſus Dauidis exemplo, ſcripturęq;diuinę permiſſu,innoxios eſſe diſcipulos oſtendit,ſeque tanquàm ſabbato ſuperiorem, eius legibus nequaquàm adſtringi,Matth.12.Marc.2.Luc.6.

Proximo dein ſabbato arentem hominis dexteram in ſynagoga ad vigorem reduxit, vetitum vtiquè non eſſe Sabbato conteſtans,vt beneficus exiſtas,quandò in puteũ collapſam pecudem impunè extraxeris,vt neſas quoquè videri poſsit,tunc hominis ſalutem negligere,Matth.12. Marc.3. Luc.6.Quæ res prima ęmulis occaſio fuit,vt de perdendo Ieſu conſilium ceperint.

Chriſtus maleuolentiæ phariſæorum cedens, primùm in montem ſe recepit: deindè è naui docens, auditoribus vtiles aliquot proponit parabolas. *Cap.* 23.

Parabolæ VERVM ille ad tempus cedens improborum maleuolentiæ,montem conſcendit,in quo ſolidam eam noctem precibus vacauit,Matth.12.Luc.6.Poſtero die verbi cæleſtis eminentiam ac fructum è naui ad plebem in littore collectam exponit, parabolis in eam rem varijs atque adeò aptiſsimis

De ſemine adductis: Nempe ſeminantis,cuius ſeges partìm in iter publicum,petram & ſpinas,partìm in fertile ſolum inciderat,Matth.13.Marc.4.Luc.8.Confinis huic parabolę erat illa,de ſeminãte zizaniam

De zizania in agrum,dormiente eo qui bonum ſemen in eundem ſparſerat,Matth.13.Mar4. Tum illa de grano ſinapis minimo,in iuſtam arboris magnitudinem ſuccreſcente. Cui ſucceſsit ea de fermento,

De grano ſinapis. quod mulier abſcondit in farinę ſatis tribus,Matth.13.Luc.13.

De fermẽto Deindè dimiſſa plebe,in ędium penetralibus explicat diſcipulis parabolarum ſuperiorum myſteria,adiectis inſupèr alijs, putà de theſauro in agro reperto, ac negociatore margaritas pulchras

De Theſauro in agro reperto. quęrente,quę vtraque non niſi diuenditis omnibus potuerint acquiri,latenter Indicans verbi cęleſtis ſublimitatem.Ac nè quis hoſtium illius veritus inſidias,defectionem meditetur, aut de tollendis è medio improbis cogitet,eoque differat ſuum in re Euangelica ſtudium,protinùs verricu-

De ſagena miſſa in mare. lo in mure iacto,piſcibuſque extractis,pro eo quòd boni fuerint aut vitioſi,retentis aut abiectis,tolerandum hoc tędium,quandiù viuas,oſtendit,Matth.13.Id quod fermè ſuperiore quoquè de zizanijs parabola non obſcurè docuit.

ANNVS

ANNVS DOMINICAE PRAEDICATIONIS *ſecundus, & primùm, Prophetam gloriæ non expertem niſi in patria.* *Cap. 24.*

ANNI autem ſecundi initium Ieſus docendæ patriæ dedicauit. Porrò frequentia & familiaritas, prorsùs contemptibilem reddidêre, vt diceret id ſibi commune eſſe cum Prophetis, qui in patria duntaxàt expertes gloriæ fuiſſent, Matth.13. Mar.6. Luc.4. Heliæ exemplum ac Heliſæi non abſurdè huc trahebatur, quorum neuter in gentem ſuam impendiò beneficus extitiſſet. Cæterùm hic ſermo quantùm exagitauerit municipes Ieſu, euentus planè edocuit. Conati enim ſunt illum ex edito vrbis loco præcipitare, erantque dictis parùm creduli, vt nullo illic prodito miraculo, diuina virtute è manibus illorum laberetur, Matth.13. Luc.4.

Fugit Chriſtus fraudes Herodis. *Cap. 25.*

HERODES interìm tetrarcha, necato Ioãne, cùm fama de Chriſti miraculis per omnẽ finitimam regionem dimanaret, ſuſpicans Ioannem reuixiſſe, deſiderio videndi illius tenebatur, Matth. 14. Marc.6. Luc.9. At Ieſus, agnita fraude, in ſolitudinem ſe abdidít, quò ſecuta ingens turba, commeatu iam deficiẽte, de quinq; panibus & piſcibus duobus paſcitur. Quo beneficio Ieſus adeò ſibi multitudinis animos conciliauit, vt dignum iudicarent principatu. Sed is alienus ab omni ambitione, clanculùm fugit in montem, vbi ſolus perpetuis precibus noctem ad quartam vſque caſtrenſem vigiliam protraxit, Matth.14. Mar.6. Luc.9. Ioannis 6.

De diſcrimine & periculo diſcipulorum in tempeſtate maris. *Cap. 26.*

ERANT tum diſcipuli in ſummo marinæ tempeſtatis diſcrimine, ventis præter modum ſæuientibus, & nauim qua vehebantur, in diuerſum agitantibus, quum Ieſus in vndis perindè atquè in ſolida terra deambulans, præſentia mœſtos ſua ſolatur. Verùm illi nouitate rei deterriti, ſpectrum eſſe inane quod viderant, putabant, Matth.14. Mar.6. Ieſu autem loquẽte, Petrus fide in Chriſtum ſuper mare ambulat, incredulitate mergitur, Matth. 14. Conquieuit autem ilicò ventus Domino nauim ingreſſo, Matth,14. Marc.6.

De actis Chriſti, dum traijceret in terram Genezareth. *Cap. 27.*

ET traiecit in terram Genezareth, Matth.14. Vbi varijs languoribus affectos, qui vel fimbriam veſtis illius optabant contingere, ſanauit, Matth.14. Marc.6. Poſtero die inuentus ab ijs, quos pauit in ſolitudine, cauſam intelligens, qui ſe longis ambagibus quæſiſſent, cibum corporalem ad cæleſtem alimoniam comparandam longo ſermone cohortatus, Manna illo cibo longè eſſe inferius edocuit. Proindè quum de verbo vitæ æternæ loquens iam panẽ nominaret, modò carnem & ſanguinem, multi horrore rei perperàm intellectæ concepto, à Chriſto deſciuêre. At Petrus contrà, quòd verba hæc ſunt vitæ æternæ, perdurandum ſuadebat, Ioan.6.

De repræhenſa nimìs anxia traditionum obſeruatione. *Cap. 28.*

DEINDE cùm vocatus ad phariſæi cuiuſdam prandium, neglecto lauacro diſcubuiſſet, & is plurimùm eo fuiſſet offenſus, ſtultos vocat, qui nimiùm anxiè Maiorum obſeruarent traditiones, iudicio Dei & charitate interìm obmiſsis, Luc.11. Decimabant illi mentham, rutam, & olus quoduis, in vaſis quoquè mundandis quæ ad victum pertinebant, plùs iuſto erant curioſi. Cæterùm ambitioſi in affectandis primis in ſynagoga cathedris, hypocritæ in extrinſeco cultu, vereq́ue ſepulcra foris dealbata. Impij deniquè in ſenes valetudinarios, quibus oblationum prætextu ſubtrahebãt alimoniam, circunuentis falſa doctrina liberis. Vndè cæcos vocat illos Chriſtus, & plantationem quam pater cæleſtis minimè agnoſcat, ideoq; breuí interituram. Rectè proindè in iſtos competere Eſaię vaticinium, quo ait: Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè eſt à me: ſine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata mortalium. Oſtendit autem hominem minimè contaminari ab ijs, quæ per os immitterentur: ſed magìs adulterio, fornicatione, homicidio, furto, auaritia, impoſtura, dolo, impudicitia, obtrectatione, ſuperbia, & ſtultitia, quę omnia in cordis of-

ficlna clàm concepta, magno malo foràs prodirent in publicum: eſſeq; ſimplex genus expiandarum impuritatum, ſi eleemoſyna in fratrem beneficus exiſtas, Matth. 15. Marc. 7. Luc. 11.

Chriſto, relicta Iudæa, pergenti ad oras finitimas Tyri & Sidonis, offeruntur claudi, cæci & languidi. *Cap.* 29.

DIMISSA indè Iudęa, Ieſus in oras finitimas Tyri perrexit & Sidonis. Vndè Chananęa quędam mulier egreſſa, fidei magnitudine, iugique precum inſtantia, filię à dęmone vehementer afflictę ſalutem impetrauit, Matth. 15. marc. 7. Et ilicò cæcos, claudos, ac quoſuis imbecilles ac valetudinarios ad pedes Domini porrectos ille ſanitati reſtituit, magnaque hinc populum cepit admiratio, matth. 15. Longè autem maior, muto ſurdoq; audiendi ac loquendi officijs reddito, dùm relictis Tyri finibus, Decapoleos peragrat oras: acclamabant enim, etiam prohibente Domino: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui, Marc. 7.

De profectione Chriſti versùs Hieroſolymam ad ſolennia Pentecoſtes. *Cap.* 30.

CONTVLIT autem ſe eo itinere Hieroſolymam ad ſolennia Pentecoſtes, vbì ad Probaticam piſcinam expoſitum duodequadraginta annorum languidum, ſabbato, mirum in modum ſæuientibus Phariſæis, ſanum fecit. Porrò cauſam ſciſcitantibus, dixit ſe patris cæleſtis Dei opera in omni ſua functione hactenùs fuiſſe adiutum. Scripturas diuinas, in quibus illi vitam æternam conſtituebant, de ſe certum præbere teſtimoniū. Deniquè, quòd omnium maius acceperit à Deo: Id quod Ioannes quoq; non obſcurè firmâſſet. Verùm incredulos viciſsìm ſibi gloriam tribuere: quę quàm ſit vana, abundè perſpicuum ex eo videri, quòd à ſolo Deo omnis gloria procedat. Incitauit hic ſermo magis atque magis iſtorum in Ieſum animos, vt necis illius non mediocre ſeminarium extiterit, Ioan. 5. Aliquantò pòſt tranſmiſſo mari Galilęę, ex ſeptem panibus & pauculis piſcibus quaterna millia hominum cibauit in ſolitudine, Matth. 15. Marc. 8.

Indè digreſſus, nauigio venit ad oras Dalmanutha, vbì diſcipulos dehortatur à fermento Phariſæorum. *Cap.* 31.

VNDE digreſſus, nauigio venit in oras Dalmanutha, vbì laceſsitus à Phariſæis, accuratè docuit impoſturas illorum prorsùs fugiendas, fermentum appellans, eô quòd multos ſensìm lupum mentientes, ouilla huiuſmodi corrumperent, Matth. 7. 16. Marc. 8. Luc. 12.

De rebus geſtis in partibus Cæſareæ Philippi, vbì Chriſtus Petrum crucem diſſuadentem, vocauit ſatanam. *Cap.* 32.

AC mox in Cæſareę Philippi partes conceſsit, & confeſsionem Petri de ſe recipiens, eius occaſione, claues regni cæleſtis promiſit, ità ſuam ſtabiliendo eccleſiam, vt portę inferorum nihil virium aduersùs illam ſint habiturę. Indicat autem quanta ſe maneat calamitas, deniquè & mors ipſa, in quam conſpiraturi ſint Iudęorum ſcribæ & antiſtites: Sed tertio mox die ſit reuicturus, matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. At Petrus mortem audiens, increpuit occultè Dominum, ceu parùm conſultè acturus ſit, ſi illam ſpontè ſuſcipiat. Quocontrà Ieſus à ſe abegit Petrum, ſatanam eum vocans, qui diuinæ voluntati repugnet, & in humanis tantùm rebus ſit oculatus, Matth. 16. Marc. 8. Quin magìs domandos oſtendit humanos affectus, ſeſe prorsùs abnegato, & cruce ſua ipſius ſuſcepta, quô liberiùs illum ſequi nobis liceat, matth. 16. marc. 8. Luc. 9. Contemptum autem ſe in humana ſpecie, aliquandò in gloriam patris inter angelorum agmina viſendum ait, quandò ius ſit redditurus, & præmia cuique pro meritis. Sed quid ego, inquit, vos longiùs moror? quandò ex hoc præſenti cœtu quidá ſunt, quibus maieſtas mea etiamnùm viuis palàm reddetur conſpicua, matth. 16. mar. 9. Luc. 9.

De transfiguratione Domini. *Cap.* 33.

ET interiectis ſex fermè diebus, planè contigit hęc promiſsio, præſentibus in monte quodam excelſo, Petro, Ioanne, & Iacobo diſcipulis, qni mirabili luce coruſcum viderunt, cum Moſe & Helia ſermones miſcentem, patre cæleſti tum denuò filium hunc eſſe dilectum teſtante. Atque hæc viſio tam grata fuit Apoſtolis, vt cogitârint de ſedibus illic conſtituendis: placuit enim, nunquàm ab immenſo hoc gaudio diuelli, matth. 17. marc. 9. Luc. 9.

Quan-

Quanquàm quòd ad fidem attinet, quæ ijs rebus geſtis debebat accendi, Apoſtoli adhuc mirè frigebant. Id quod obſtitit, quò minùs à dęmone arreptum potuerint liberare. Nam Ieſus ſanato homine protinùs incredulitatem taxat, & fidem ſummo præconio extollit, Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9.

Venit Chriſtus Capernaum, & ſoluit tributum. Cap. 34.

VENIT deindè Capernaum, vbi tributum ſoluit, Petro ad mare piſcatum miſſo: ſore enim ait, vt ſtatérem, id eſt, quatuor drachmas in ore piſcis quem primum præhendiſſet, inueniret. Etiamſi oſtenderet ſe, tanquàm terræ Dominum, minimè ad hoc teneri, Matth. 17.

Repræhendit Chriſtus in diſcipulis ſuis ambitionem, & puerorum ab illis requirit innocentiam. Cap. 35.

INVASERAT autem diſcipulos ex viſis miraculis, & auditis de regno cælorum ſermonibus, partim liuor, quo ægrè ferebat quiſque alterum ſibi præferri: partìm ambitio, qua honores ijs qui in terris ſunt ſimiles, animo conceperant. Sed præceptor vtrunque damnans, accerſito puello, regnũ cęleſte ad illos duntaxàt pertinere dixit, qui prorsùs in alium hominem mutati, ſeſe ad paruuli modum ſcirent demittere, Matth. 18. Marc. 9. Luc. 9.

Quomodò Chriſtus affectus fuerit erga pœnitentes, & quotiès nos fratribus in nos peccantibus dimittere debeamus. Cap. 36.

DENIQVE qualiter Deus erga huiuſmodi eſſet affectus, parabola oſtenditur ouis centeſimę, quã amiſſam reperiens, humeris lætus imponat, vocatis ad epulandum eius rei gratia amicis. Confinis eſt huic parabolæ, quam de drachma perdita recenſuit, magno cum gaudio inuenta. Et quæ omnium maximè indulgentem in nos Patrem cæleſtem piumque modò reſipiſcamus, expreſſit, de filio prodigo, cui parens obuiàm vadés, in illius cupidè ruit amplexus. Stola ad hæc priori ſimul cum anulo & crepidis afferri iuſsis, opiparum mox apparando conuiuium. Luc. 15.

Cæleſtis autem Parentis erga nos benignitatem, oſtendit modis omnibus formulam eſſe agẽdi cum lapſis fratribus, quô animas illorum lucremur, dum ſolicitè primò arguimus ſoli, deindè adhibitis arbitris, ac mox eccleſia, poſtremò tantiſpèr abijcimus, dum illos pudeat delicti, ratum deindè ac firmum ſe in cælis habiturum, quidquid illi in terris ſuo nomine collecti ſtatuerent. Cæterùm in condonando errato noluit Petro normam aut modum pręſcribere, ſeptuagies ſeptiès abſoluendum peccantem docendo, Matth. 18. Luc. 17.

Quô autem clariùs intelligamus, ob inclementiam noſtram non ſolùm à Deo noxã nobis non remitti, ſed etiam redire eam quę remiſſa eſt ſemèl, parabolam dixit de Rege, qui ſeruum cui cõdonata erant debita, ad carcerem & pœnam repetijt, qui parem benignitaté conſeruo non impertiẽrat, Matth. 18.

Digreſſus Ieſus à Galilæa in Iudæam, reſpondet Phariſæis ad interrogationem, Num marito liceat vxorem ex quauis cauſa abijcere. Cap. 37.

FINITO hoc ſermone, digreſſus à Galilęa Ieſus, in Iudæam, quę ſita eſt trans fluenta Iordanis, profectus eſt, magna ſe comitante hominum multitudine, quorum ille primò languidos curat, deindè ad doctrinam animum conuertit. At Phariſæi, quibus mos erat, in deteriorem omnia torquere partem, captioſè ſciſcitantur: Num liceat marito ex quauis cauſa vxorem abijcere? Futurum rati, vt ſi permitteret, ſecum pugnare videretur, qui repudium vetuiſſet: Sin negaret, in legem Moiſis delinqueret. Verùm Chriſtus reſpondit, Moiſen ad duritiem Iudęorum reſpexiſſe, cùm diuortijs frena laxâſſet. Cæterùm diligentiùs expendenda erat vel ex Geneſeos libro diuina hac in re voluntas, Matth. 19. Marc. 10.

Difficultate autem attenta, quæ incidit in re vxoria, cęlibatum prętulit, Eunuchos eſſe nonnullos teſtatus, qui ſe caſtrarent regni cęleſtis gratia. Verùm id negocij ad pauciſsimos, quibus conceſſum ſit, pertinere, Matth. 19. Affertur ſubita occaſione idoneum puritati & abſolutę modeſtiæ exẽplum. improbitate matrum adducti infantes, Apoſtolis impendiò prohibentibus, quos omnes ad ſe vocans, Dominus complexus eſt & exoſculatus, talium eſſe comprobans regnum cælorum, Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Relinquens Iudæam, Galilæam repetit: vbì liberata muliere obſeſſa, eludit ſeruos Herodis, eum ab his finibus abigentes. Cap. 38.

RVRSVS, deindè relinquens Iudæam,quia in perniciem illius Iudæi conſpirauerant, Galilæam petit,Ioan.7.Vbì cùm audiſſet Pilatum præſidem extrema crudelitate in quoſdam Galilæos animaduertiſſe,adeò vt ſanguinem quoquè necatorum cum ſacrificijs miſceret, ad reſipiſcentiam oēs cohortatur,ſi ab interitu velint ſeſe vindicare. Ad pauciores enim plerunquè pœnam pertingere, velutì illis quoquè contigiſſet,quos duoſdeuiginti turris in Siloë olìm compreſſerat, quum multo plures culpæ ſuiſſent obnoxij. Et vt tenaciùs memoriæ inſideret,quod maximè omnium vellet,parabolam ſubiecit de arbore fici,cui ſuccisionem comminatur Paterfamiliâs, quia fructum de ſe non ediderat,atque ſic feciſſet,nisì vinitor ſuaſiſſet dilationem,ſpe quadam de frugibus etiamnùm concepta,Luc.13.

Parabo. de arbore fici.

Docebat fortè tunc in Synagoga Sabbato,& verba comprobans miraculis, mulierem decem & octo annis dæmonio obnoxiam ſanat,quanquàm vitio ſibi verterit illud Princeps ſynagogę:Christus autem ait legem non ſolui,ſi ſabbato bouem aut aſinum ligatum vinculis expedias, & aquatū ducas.Cæterùm multo minùs, quia Abrahæ filiam quis ab immundi ſpiritûs poteſtate exemerit. Phariſæi huic felici ſucceſſui inuidentes Euangelici negocij, ſummouere loco Dominum conati: Abì hinc,aiunt,quô necem,cui te Herodes deſtinauit,euadas: atque Ieſus fraude cognita, reſpōdit, quod iſtos vehementer morderet: Ite,inquit,dicite vulpi huic: Eccè eijcio dæmonia, & perficio ſanitates hodiè & cràs,& tertia die conſummor, Luc.13.

Iterùm venit Hieroſolymam ad celebritatem Scenopegiæ, vbì varium vulgi de ſe audit iudicium. Cap. 39.

SVBIECIT mox ſeminarium odij & maleuolentiæ illorum,teſtimonium perhibens operū malignitati: & quandoquidem in propinquo tum erat ſcenopegię celebritas, contulit ſe Hieroſolymam,vbì poſt diuerſam vulgi de ſe opinionem,(quidam enim virum bonum eſſe Ieſum prædicabant,alij impoſtorem)ipſe in longum protracto ſermone,non ſuum agere ſe negocium: ſed patris,qui ſe miſiſſet,indicat. Mirabantur enim qui illum audiebant, quomodò probè literas calleret, quas nunquàm didiciſſet. Ac mox ſecreta ordinum illorum prodit,quòd pertinaci propoſito eſſent ſupplicium de ſe ſumpturi.Et inieciſſent illi planè manus,nisi remoratus illos fuiſſet Dominus,eō quòd hora ſua nondùm adeſſet,Ioan.7.

Concio Chriſti aduersùs auaritiam, & quid cuique ad perfectionem properanti ſit faciundum. Cap. 40.

NEQVE ità multò pòſt acceſſit Ieſum quidam, fratrem ſuum incuſans cupiditatis, quòd hæreditatem ſecum non partiretur.At ille ad ſe minimè pertinere ait forenſe iudicium. Admonuit tamen,auaritiam modis omnibus eſſe fugiendam,propoſita in hoc diuitis parabola, cuius opes magnis ſudoribus per improbitatem partæ,ad incertum veniſſent hęredem,ſtulti illius anima noctù, dum minimè ità fore cogitâſſet,ablata,Luc.12. Exorſus mox alium ſermonem deindè in templo, degenerare Iudęos ab auitis moribus probabat,quandoquidem Abraham factis non referentes, diabolum imitarentur,cuius verè eſſent filij. Illi contrà Samaritanum appellant & dæmoniacum, lapidum iactu,nisì abiens ſibi proſpiciat,perniciem allaturi,Ioan.8.

Pręteriens tum fortè quendam,ex eo tempore quo fuerat natus, cæcum, omnibus mendicitate cognitum,cui videndi tribuit facultatem,atque ea res multùm Phariſęos vrebat, Ioan. 9. Quum protinùs adoleſcens quidam accedens: Magiſter, inquit,bone, quid boni faciam, vt conſequar vitā æternam? At Ieſus pręceptorum Dei obſeruationem commendauit: Ità tamen,vt meritis proprijs diffideremus,quòd non ſit bonus nisì vnus, nempe Deus. Verùm iuuene arrogantiùs ſeſe iactante, quòd diuinis iuſsibus ſedulò paruiſſet, Chriſtus quem nihil latebat, intuitus cor æris aliquantò appetentius, ad vendenda omnia, quæ mox eroget in pauperes, ſeq́ue ſequendum inuitat. Verùm quum ille in diuerſum ſe torqueret,rectè (ait Dominus) ex ijs moribus conſequitur: Faciliùs camelum per acûs foramen,quàm diuitem regnum cæleſte,ingredi.Proindè Petro res Chriſti amore dimiſſæ, fidutiam ſperandæ mercedis fecerant: & protinùs audit, in Maieſtate Domini proximas ſedes,ſuî ſimiles habituros,deniquè centuplum,ſimul cum gloria cęleſti recepturos,Matth.19. Marc. 10. Luc. 18.

Vt

Vt Phariſæi hanc Concionem deriſerint. Cap. 41.

CAETERUM opibus & potentia præſtantes,hęc quæ de rerum terrenarum contemptu diſſeruerat,ceu propoſito ſuo repugnantia effuſè ridebant, quum Ieſus parabolam minimè ridiculam affert de Lazaro,id eſt,in ſolum Deum ſpem omnem collocante,qui ex fame & ſqualore ereptus,in ſinum Abrahę,cuius verè erat filius,recipitur: Epulone quodam diuite contrà,qui omnes vitę delicias ſectatus,Lazarum prædictum non alimonia,& ne micis quidem panis dignatus fuiſſet,in tartara deiecto,vbi perpetuò pœnas acerbiſſimas ac penitùs intolerabiles ſit daturus,Luc.16.

Laudatur prouidentia illius,qui ſibi ex mammona iniquitatis parauit amicos. Cap. 42.

PROXIMAM parabolam diſcipulis propoſuit de iniquo diſpenſatore,qui in rem ſuam Dominica bona cautus profuderat,latenter indicans,nihil hic noſtrum eſſe,ſed Domini,qui tamen prudentiā laudet miniſtri,ex bonis alienis in egentes benefici: vndè illum viciſsitudo quædam maneat officij.Luc.16.

Parabola de conductis in vineam Domini operarijs, Cap. 43.

ALIAM item ſuperioribus connexuit parabolam Patrisfamiliâs,qui varijs diei horis operarios in vineam ſuam mercede pacta conduxit,imparem labōrem pari præmio remunerans,quo ſignificari voluit,iam olim futurum,vt Gentes fide Iudæos anteueuerterent,Matth.20. Parab. de laboranti. b9 in vinea.

Reſtituto Paralytico,ambitionem reprehendit eorum,qui primos vbiquè affectant accubitus. Cap. 44.

CONQVIEVIT autem pauliſpèr à ſermone Ieſus,& Phariſęi cuiuſdam ingreſſus ædes Sabbato vt cibum caperet,hydropicum ſanauit,ac mox docuit perperàm agere,qui inuitati ad conuiuium, primos accubitus curioſè ambirent.Optimates enim verè eſſe ac aliorum anteſignanos,qui ſeſe ſcirent animo demittere. Proindè in conuiuijs apparandis, inopum voluit haberi rationem, qui ad reddendum vices eſſent impotes,tamen illius præmij quod ſperandum ſit in reſurrectione iuſtorū, certa viderentur occaſio,Luc.14. Et hæ quidem res geſtæ,finem ſecundo Dominicæ prędicationis anno impoſuere.

ANNVS DOMINICAE PRAEDICATIONIS

tertius, & primùm,quid egerit Chriſtus in porticu templi Salomonis in Encænijs Iudæorum. Cap. 45.

EXTREMVS annus Dominicę prædicationis,idem illi planè.qui & vitæ finis fuit.Deambulabat tum fortè Ieſus in porticu templi Salomonis in Iudęorum Encęnijs,& cingebant illum Iudęi,improbis conatibus fermè vrgentes,vt palàm Chriſtum ſe eſſe fateretur. Verùm ille ex operibus facilè iudicandum oſtendens, quis eſſet, vnum nihilominùs ſe eſſe cum Patre ingenuè confitetur. Quo dicto,lapidibus,nî fugiat,obruere Dominum adorti ſunt,Ioan.10.

Fugit Dominus inſidias eorum,qui eum lapidibus obruere moliebantur,in vlteriorem ripam Iordanis & reſuſcitat Lazarum quatriduo mortuum. Cap. 46.

FVGIT igitur in vlteriorem ripam Iordanis,& triſte accipit nuncium de Lazari morbo, dormire hominem ſignificans qui iam fato conceſſerat. Prębuit ea mors Iudæę repetendæ occaſionem,etiamſi diſcipuli,cauendam Domino eam regionem,ob necem quam ei Iudęi minabantur, apertè prædicerent. Venit igitur Bethaniam quarto die,ex quo Lazarus in monumentum reconditus fuerat, & deploratum iam penituſque deſperatum ſe reuocaturum ad vitam pollicetur. Nec mirum ſi Lazaro pręſtaret,quod omnes in illo expectamus,ait enim: Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me,etiamſi mortuus fuerit,viuet: & omnis qui viuit,& credit in me,non morietur in ęternum. Nec mora,dicto fides certa affuit: prodit è monumento,qui quartum iam diem mortuus fuerat.

Conſilium Iudæorum de occidendo Chriſto,quorum furori iterùm cedens, profectus eſt in Efræm. Cap. 47.

QVA re permoti ex Iudæis complures, fidei CHRISTI colla ſubdiderunt. Porrò Phariſęi vbi hæc reſciuère, coacto concilio, in foribus eſſe periculum, nisi vnus IESVS multorum

torum vice pereat,Caiphæ Pontificis ſententia cognoſcunt. Itaque mox decernitur, quo celeriùs fieri poſsit,quoq́ue cõmodiùs è medio tollatur,Ioan.11. Ceſsit furori Dominus,Efræm profectus, quæ vrbs non longè à vaſta ſolitudine aberat,vbì in tuto manſit cum diſcipulis ſuis,Ioan.11.

Vt Chriſtus ipſe,aduentente hora ſua,vltrò venerit ad locum paſsionis, ſ.in Hieruſalem: & quomodò diſcipulos aduersùs Iudæorum malitiam & conatus improbos ad manſuetudinem hortatus ſit & patientiam. Cap. 48.

POSTQVÀM autem ità viſum eſt illi,vt mortem ſuſciperet,declinauit latibula,& iter flexit Hieroſolymam.Eundum autem illi erat per mediam Samariam & Galilæam, qua oppidum quoddã ingreſſus,decem viros à lepra mundauit,è quibus vnus duntaxàt,& ille Samaritanus, rediens à Sacerdotibus,gratias egit,Luc.17. Præmiſit autem nuncios,quos auerſati ſunt Samaritani, Iacobo & Ioanne vindictam expetentibus, vt flamma cæleſtis contumaces abſorbeat ad eum modum, quo, Helia orante,contigit.Sed increpuit cõcitatos in iram Dominus,ſpiritum cæleſtem & verè apoſtolicum,eſſe ſpiritum lenitatis,manſuetudinis,& patientiæ indicans, ſeq́ue haudquaquàm veniſſe vt perdat animas,ſed vt ſeruet.Luc.9.

4.Reg.1.

Spiritus verè apoſtolicus.

Prædicit Chriſtus diſcipulis ſuis Paſsionem & reſurrectionem ſuam,& ambitionem repræhendit filiorum Zebedæi. Cap. 49.

AIT autem ad illos ſecretò: Eccè aſſcendimus Hieroſolymam,prodeturq́ue illic filius hominis primarijs ſacerdotibus & ſcribis,qui illum damnantes capitis,Gentibus tradent, quò illuſum ac flagris cæſum cruci affigant.Cæterùm tertia die reſurgẽs à morte,reuiuiſcet,Matth.20.Marc.10. Luc.18.Diſcipuli ijs verbis in ſpem erecti,futuri cuiuſdam regni ditionem affectabant, ac primi omniũ Iacobus & Ioannes, Zebedęi filij ſimul cum matre prima loca Dominici regni ambiebant, (Ieſu hanc mentis elationem paucis verbis confutante,quippe facta mentione de calice,id eſt,pœna crucis)& dona Dei,quibus vtriſque via aperitur ad ſumma contẽdendi.Deniquè cæteros monet, Principatum non cogitent,cuius inter ethnicos reſpectus quidem habeatur. Verùm ſuo exemplo qui aliorum neceſsitatibus inſeruiturus aduenerit,rectiùs facturos,qui omnem animi faſtum deponãt, Matth.20.Marc.10.Luc.22.

In ſuſcepto hoc ad Hieroſolymam itinere,diuertit primùm ad Zachæum, vbì cæcis viſum reddidit. Cap. 50.

RECTÀ autem Hieroſolymam petens,delatus eſt Hiericho,inter eundum nano illo Zachęo, vt ſe hoſpitio reciperet,accerſito. Qui poſtquàm res per neſas aliquandò partas, quadruplo redderet, dimidio nihilominùs in pauperes,concepto cæleſtium amore,diſpenſato, ſalutem eo die huic domui cõtigiſſe ait Ieſus,vereq́; Zàchęum Abrahæ eſſe filium,quippe quem benefactis refert, Luc.19. Et mox cęcis, vehementi clamore miſericordiam poſcentibus, viſum reddidit. Sciſcitatus tamen priùs,num id gratum haberent,cùm multi cæcutiant, qui tamen lucem penitùs execrãtur, Matth. 20.Marc.10. Luc.18.

Deindè diuertit in ædes Simonis leproſi Bethaniæ,vbì Maria illi venerandum caput precioſo vngit oleo. Cap. 51.

DIVERTIT proindè eodem itinere in ædes Simonis cuiuſdam, cognomento leproſi Bethaniæ, ac inibì conuiuans cum Lazaro,Martham habuit miniſtram, & Mariam eius ſororem plùs ſolito officioſam.Nam alabaſtrum vnguẽto refertum precioſo fregit,liquore toto in caput Dominicum diffuſo.Id cùm malè haberet diſcipulos,qui diuenditum vnguentum maluiſſent, & inopia laborantibus precio conſultum: Fore ait, vt nunquàm deſint Pauperes quos foueamus, ſed vnctionem hanc in mortis ac ſepulturę ſuę gloriam meritò impendi,quòd eius rei geſtæ memoriam nulla vnquàm obliteratura eſſet obliuio,Matth.26. Marc.14.Ioan.12.

Adpropinquans ciuitati Hieruſalem,iubet ſibi adduci aſinam cum pullo,cui inſideat, & ſic manſuetus ingrediatur ciuitatem. Cap. 52.

VICINVS indè Hieruſalem DOMINVS, nouam aduentûs ſui pompam inſtruit. Miſſos enim à Bethphage ad oppidum, quod eregionè ſitum erat, diſcipulos, iubet aſinam ſimul cum pullo adducere, quibus inſideat. Ac ſic iumentorum vectus tergis, ſterni ſibi viam veſti-

veſtibus ac arborum frondibus paſſus eſt,& à pueris promiſcuaque multitudine acclamari lętis gratulationibus: Oſanna filio Dauid,Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael, Matth. 21. marc.11.Luc.19.Ioan.12.

Fleuit Christus ſuper ciuitatem Hieruſalem. *Cap.* 53.

CAETERÙM propiùs intuitus ciuitatem, defleuit illius cladem omnium miſerrimam, quam à Romanis Principibus Tito & Veſpaſiano eſſet acceptura,Luc.19. Iamque erat intrà vrbis mœnia, cùm ſubitus omnes occupat motus,quo nouarum rerum cupidi,ſcire geſtiebant, quis ouationibus vſqueadeò inſolitis Hieroſolymam ingrederetur,Matth.21.Ioan.12.

Ciuitatem ingreſſus, ſtatìm viſitat templum, quo ab ementium & vendentium ſordibus purgato, mox docere incipit,& primò omnium nimiam de proprijs operibus repræhendit fiduciam. *Cap.* 54.

AC protinùs templum inuiſens, primum ſtudiu'm domui paternę ſceleſtis negociatoribus purgandę adhibuit, flagello ex funibus ad eam rem parato,Matth.21.Marc.11.Luc.19. Proximum,cæcis ac claudis ſenſuum integritati reſtituendis,Matth.21.Quærebant Iudęi ſignum acerbæ illius caſtigationis,& audiunt fore vt templum ab ijs diruendum,ſua virtute reſtauretur,Ioan.2.Sedens autem eregionè gazophylacij Dominus,viduam pauperculam duo minuta ęris (id eſt,quadrantem) inijcientem contemplatus,cùm nihil illi eſſet reliqui,plùs omnibus inieciſſe eam oſtendit,marc.12. Luc.21. Alij ad primum annũ referrunt illud Ioan. 2.

Ac mox docendę multitudini intentus, elationem phariſaicam damnat, qua nimiùm plerique de ſuis benefactis præſumerent,omnibus præ ſe alijs,veluti nihil videantur,contemptis. Seruiebat huic negocio parabola Phariſęi,iactantis bona ſua,& Publicani, nihil horum agnoſcentis, ſed totũ quod aſſequi potsit boni,diuino beneficio tribuentis:quorum poſterior,iuſtitię dotes à Deo acceperit,Luc.18. Parab. De Phariſęo & Publicano.

Veſperè conceſſit Bethaniam, vbi eum nocturno tempore viſitat Nicodemus. *Cap.* 55.

APPETEBAT autem veſpera,& redijt Ieſus Bethaniam,Matth.21.marc.11. Vbi Nicodemus nocturno congreſſu arcana cæleſtis generationis didicit,cauſamque Dominici aduentûs,& imminentis iam exitij,vt videlicet omnis qui credit in Chriſtum,non pereat,ſed habeat vitam æternam. Rectiùs hoc cum Nicodemo factũ colloquiũ, ad primum annum refertur.

Execratur ficum. *Cap.* 56.

POSTERO die rediens Hieroſolymam famelicus,& accedens ficum arborem,cùm nil præter folia in ea reperiſſet,execratus eſt illam,quia fructum non edidiſſet, imprecatus vt perpetuò ſterilis permaneret,matth.21.marc.11.

Ingreſſus templum,liberat adulteram: vbi aduenientibus ad ſe ethnicis, petit à patre ſuo clarificari: & accedente veſpera,iterùm conceſſit Bethaniam. *Cap.* 57.

INGRESSO autem templo Domino,Scribæ & Phariſęi adulteram in opere neſario depręhenſam producunt,captioſè quærentes quid fieri ſtatueret.Porrò Ieſus ità reſponſum temperauit,vt neque illam abſoluens,moiſis legem abrogare,neque condemnans,in tanta peccantium multitudine vindictam à ſola hac paupercula expetere videretur,Ioan.8.

Oſtendit autem mox fore,vt gloria ſua ethnicis à Patre cæleſti reuelaretur,commodam nactus occaſionem ethnicorum quorundam aduenarum,qui Philippi & Andreæ vſi patrocinio, Ieſum videre deſiderabant. Qua hora Patrem inuocauit,vt ſe clarum gentibus redderet,id quod facilè impetrauit, voce cælitùs audita, Et clarũ reddidi,& poſthàc reddam,Ioan.12. Redijt eodem die, cùm adueſperaſceret,Bethaniam,marc.11.poſtridiè Hieroſolymam repetiturus.

Redeundo à Bethania in Hieruſalem, quæ ad orationem efficacem ſint neceſſaria, diſerta demonſtrat concione. *Cap.* 58.

ET diluculo videntes ficum execratam à Domino, aruiſſe, trahuntur in admirationem, verum Ieſus fidei pertinaci maiora tribuit, matth.21. marc.11. preces parùm efficaces eſſe prędicans, quæ fide ca-

de careant, Matth. 21. Cui hoc addidit, inſtantes quoque eſſe preces & tenaci propoſito fixas oportere, parabolam afferens iniqui iudicis, quem vidua precibus tandem vrgentibus, ad ius reddendú induxerit, alioqui in rebus agendis remiſſum. Vndè appáreat deſperati eſſe hominis, ne tantillum quidem de Deo præſumere, Luc. 18.

Parab. De iniquo Iudice.

Templum ingreſſus, interrogatur à Phariſæis de ſuæ prædicationis poteſtate, quibus propoſitis quibuſdam parabolis, ſuam illis exprobrat incredulitatem, adeò vt illis publicanos præferat & meretrices. Cap. 59.

At quum veniſſet in templum, à Sacerdotum anteſignanis & plebis ſenioribus interrogatur, quis illi feciſſet poteſtatem docendi. Ieſus autem hanc quæſtionem altera repulit de Baptiſmo Ioannis, num è cælo eſſet, an ex hominibus, Matth. 21. Marc. 11. Luc. 20. Publicanos, ait, & meretrices, in cælis prçferri incredulis, quòd Ioanni obſequentes reſipuerint. Ad quod mirè congruebat parabola de duobus filijs, quorum vterque iuſſus à parente vineam colere, qui operam eſſet pollicitus, ceſſator fuit: qui illam negauit, reſipiſcens tandèm præſtitit, Matth. 21.

Parab de duob⁹ filijs.

Proxima huic parabola erat de Patrefamiliâs, vineam colonis locante, qui miniſtros ſimul cum herili filio fructus poſcentes trucidâſſent: quam adduxit, vt ſententiam rogati, ſeipſos damnarent, qui pari ſcelere cum colonis notarentur. Verùm quò meritas ob id pœnas intelligerent euidentiùs, lapidem ſe eſſe reprobatum ab ædificantibus, teſtatus eſt, cuius meminit Propheta. In quem lapidé aut impingenti, aut ab eodem illiſo haud dubiè ſit pereundum, Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20.

De Patrefamiliâs vineam locâte. Pſal. 117.

Huc pertinebat & illa parabola, quam de rege nuptias filio apparante, recenſuit. Inuitati enim totiès Iudæi, obſtinati animo, varias cauſas errori prætexuerunt, Matth. 22. Luc. 14.

Subornantur qui tentent Chriſtum, an'ne Cæſari tributum ſit perſoluendum. Cap. 60.

Svbornant tum Phariſęi diſcipulos, qui ſimul cum Herodianis ad Ieſum profecti, de tributo Cæſari pendendo interrogarent, vt ſi licere id affirmaret, Iudæos offenderet, qui prophano principi parére indignum putabant: ſin fas non eſſe, Cæſareanos infenſos haberet. Sed Dominus verſutiam ſubodoratus, numiſmatis inſcriptionem ab alijs diſcere cupit, quaſi ipſe ignoraret, quæ ad veram pietatem non eſſent maximoperè conducibilia, quorum vſus quoquè ceu promiſcuus videretur, Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20.

Victi Phariſæi à Chriſto, alium ſubornant legis Doctorem, qui eum de magno interroget mandato. Cap. 61.

Vervm dum nihil hinc acceſſerat Phariſæis victoriæ, videntes Saducæos quoquè ſuccubuiſſe, qui reſurrectionem non credebant, dum arguuntur inſcitiæ ſcripturarum, quæ crebrò Deum appellant Abraham, Iſaac & Iacob: Neque conſentaneum ſit, Deum rectè dici mortuorum, Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20. Rursùs alium ſubornant legis Doctorem, qui quærat de magno mãdato, & reſponſum accipit liuore, odio & maleuolentia iſtorum non indignum, de proximo videlicet poſt Deum diligendo, parabola, vndè id perſpicuum fieri poſſet, de vulnerato à latronibus, in medium allata, qui à Sacerdote & Leuita prætereuntibus neglectus, Samaritani tandèm cuiuſdam pietatem ſenſiſſet. Hoc aptum eſſe ait exemplum, quod alieni à charitate, imitarentur. Luc. 10.

Quæſt. De magno mãdato.

Parab. de eo q incidit in latrones, & Samaritano.

Mittuntur tandèm miniſtri, qui Chriſtum vi adoriantur & capiant. Cap. 62.

Missi ſunt protinùs ab æmulis miniſtri, qui captum afferrent, ſed deterruit illos ſermo, cui patem nunquàm audiſſent: deindè quod dixerat, Quæretis me, & non inuenietis, Ioan. 7.

Exortus indè varius in populo de Chriſto rumor. Vbi etiam ipſi interrogantur Phariſæi, cuius filium credant Chriſtum. Cap. 63.

Deindè varius in plebe rumor de IESV ſubortus eſt: Quidam Prophetam eſſe prædicabant, quidã verò CHRISTVM: alij, ex Bethleem oppido naſci CHRISTVM, non à Galilæa originem trahere, contendebant, Ioan. 7. Porrò IESVS Phariſæos in hac controuerſia acceſſit

in vnum collectos,& interrogauit:Cuins tandem filium crederent Chriſtum?Et cùm incunctanter reſponderent,Dauid,clàm notauit impiam illorum de ſe opinionem: Quippe qui hominem confitebantur, Deum ignorarent: Niſi enim Deus ſit, abſurdum videri quòd Dauid in Pſalmis Dominum appellet,qui illi ſit filius,Matth.22.Marc.12.

Docetur populus, Sanæ doctrinæ non officere Doctorum improbitatem. *Cap.* 64.

DEINDè plebem intuitus,docebat ſanam doctrinam, quam de authore à Moiſe recepiſſent, patienter à Scribis & Phariſæis in cathedra Moiſis conſidentibus recipiendam.Atquì vitæ exemplũ, eò quòd eſſet turpiſſimum, haudquaquàm vt ſequaris,proponendum.Nam onerant,inquit,ſarcinis imperitiores,quas digito ipſi dedignantur attingere.Omnia agunt ad oſtentationem,ambiunt loca honorificentiora,Rabbi ab hominibus ſalutari geſtientes, quandò vnus eſt Rabbi & Pater, nempe qui agit in cælis.

Phariſæis comminatur exitium. *Cap.* 65.

DEINDè ad Phariſæos verſus,comminatus eſt illis exitium: Væ,ait,vobis Phariſæi,Scribæ & hypocritæ,qui regnum cælorum alijs clauditis,ipſi perpetuò exortes. Voratis domos viduarum,longùm precamini, vagamini terra marique, vt in ſuperſtitionem veſtram pertrahatis ſimpliciores. Væ vobis duces cæci,qui ex Patribus homicidis nati, vt illi prophetas,ità vos apoſtolos trucidabitis,quò verè reatum contrahatis omnis innoxij ſanguinis.Futurum vobis auguror, vt me aliquandò videatis in gloria,quem iam habetis deſpectui,Matth.23.Marc.12.Luc.11.

Diſcipulis templi ſtructuram admirantibus prædicitur primùm eiuſdem templi ruina, deindè totius mundi annunciatur deſtructio, datis quibuſdam veluti ſignis, quæ vniuerſalem rerum humanarum omnium interitum ſint præceſſura. *Cap.* 66.

EXEVNTI autem templũ Domino,diſcipuli præclara & ſumptuoſa eius phani ædificia, admiratione quadam capti,oſtendunt.Sed ille vanitatem mentibus eximit, prædicens breui futurum, vt ne vllus quidem lapis alteri cohæreat lapidi,Matth.24.Marc.13,Luc.21.Ac mox abiens,in monte oliuarum vrbem intuitus,pauliſpèr conſedit: Vbi ſecretò huic cógreſſi diſcipuli,initia futuræ huius cladis condiſcunt,videlicet Antichriſtos,bella,ſeditiones,terræmotus,peſtilentiam, famem, terrifica de cælo ſigna,idolum abominabile,Danielis vaticinio celebre,extremam deniquè calamitatem eorum qui docebunt Euangelium. Quanquàm ne vnus quidem capillus è capite illorum ſit periturus: fore enim,vt in patientia ſua animas aſſeruent. Signa mundi interitũ pręcedẽtia.

Hieruſalem verò,captis habitatoribus,& quaquauerſùm abductis,à gentibus tantiſpèr calcatum iri,dum euangelium vniuerſos illarum fines occupauerit: tum enim finem inſtare mundi,quem & ipſum portenta quædam præcedent in ſole,luna,ſtellis,& pelago, Matth.24. Marc.13.Luc.21. Solicitè autem cauendum ait,nè crapula,ebrietate,aut curis huius vitæ detineamur, ità vt improuidos opprimat ex inopinato dies illa,Luc.21.vſqueadeò incerta, vt nec angeli cæleſtes eam poſſint prædicere,Matth.24.Venit enim ſubitò,ceu fulgur coruſcans è cælo,Luc.21. Et ad eum fermè modũ, quo diluuium,quod contigit Noę temporibus: edentes enim & bibentes, ac nuptijs incumbentes, inexpectatum corripuit.

Vigilandum eſſe,nè imparatos obruat nos dies illa magna & incognita,in qua Dominus ab agnis hædos,id eſt,à bonis ſeparabit malos. *Cap.* 67.

ITAQVE prudenti cuique vigilandum eſt, boni Patrisfamiliàs exemplo, qui furibus nocturnis domum ſuam patére non ſinit. Itidèm frugi miniſter non indulget potationibus, rixis aut ſomno ſub id tempus,quo Domini ſuſpectum habet aduentum,Matth,24. Sic videntur deſipere virgines in occurſum ſponſi venturę cum incenſis lampadibus,ſi noctũ excitatæ è ſomno, oleum quod in promptu eſſe illis debuerat,iam primùm emptum ierint. Et ſeruus ille parùm frugi traditur extitiſſe,qui acceptam à Dominę pecuniam,per incuriã domì ocioſam iacere paſſus eſt,quam ille cum fœnore ſe recepturum ſperauerat. Parab. de x. virginibus. Parab. de talento in ſudariolo retento.

Separari autem tunc à bonis, ait IESVS, eos, qui fuerint noxij homines & ſcelerati, non alitèr, quàm Paſtor ab ouibus hœdos ſegregat: bonorum numero cenſeri eos, qui ſuo no-

ii mine

mine miſeris charitatis opera impenderint: malorum contrà,qui hęc pertinaciter negauerint. Hos execrabiles,igni & cruciatibus nunquàm finiendis tradi: illos benedictos,ad cæleſte regnum vocari, Matth.25.

Sequenti die Dominum in Bethania manſiſſe, & quid intereà contra eum Sacerdotum moliti ſint Antiſtites & ſcribæ. Cap. 68.

CAETERÙM profectò poſt hunc ſermonem in Bethaniam Domino, vbi conſentaneum eſt illũ ſequentem egiſſe diem,intereà Sacerdotum antiſtites & ſcribę,coacto concilio in Caiphæ atrio, capiendum per inſidias Ieſum,morteque plectendum ſtatuunt. Inuentus eſt huic negocio idoneus Iudas diſcipulus,qui pecunia corruptus,triginta argenteos ſtipulatur à Iudæis, vt prodat Magiſtrũ, Matth.26. Marc.14. Luc.22.

De præparatione vltimæ Cœnæ Domini, & quid in ea geſſerit Chriſtus. Cap. 69.

POSTERO die,qui primus erat eorum,quibus à fermento abſtinebant Iudęi,pręmiſit Ieſus duos ex diſcipulis,qui paſcha in ciuitate pararent,ipſe ſecutus,vnà cœnans,Matth.26. Marc.14. Luc.22. lauit pedes diſcipulorum,tanto exemplo ad animi demiſsionem & modeſtiam illos inuitans. Simul ex eo cœtu, quem tanto ardore dilexerat, quendam eſſe ſubindicans, qui ſe eſſet Iudæis proditurus, Matth.26. Ioan.13. Et mox accepto pane,deindè vini calice,corpus eſſe ſuum ac ſanguinem teſtatus,manducare illos iuſsit & bibere,quòd ea ſit futura calamitatis ſuæ mortiſque memoria. Fore proindè, vt omnibus ea res fieret offendiculo,Petro contrà neque carceres, nec mortem ſe formidaturum conſtanter pollicente. Sed Ieſus trinam de ſe illius negationem prędixit,Matth.26. Mar. 14. Luc.22. Ioan.13.

Facta cœna, præſcribit Chriſtus diſcipulis ſuis nouum mandatum dilectionis, eoſque contra futura inſtruit pericula, & patrem orat non pro apoſtolis tantùm, ſed pro omnibus etiam qui in eum ſint credituri. Cap. 70.

COMMENDAT antem protinùs nouum illud de mutua dilectione mãdatum, Symbolum id eſſe ſignificans,quo diſcipuli ſui ab exteris dinoſcantur,Ioan.13. Deindè ad proxima pericula inſtruens animos,iubet mœrorem ac metum omnem deponere,iturum ſe præparatum ſuis locum,quo illos ad ſe recipiat. Et planè ſe viam eſſe,veritatem ac vitam: argumentum prętereà videri, quòd ſe magiſtrum ament, ſi præceptis ſint morigeri. Nunquàm ſe commiſſurum, vt deſertos omni ſolatio relinquat,quãdò ſpiritum cæleſtem conſolatorem in hoc illis mittendum deſtinauerit, pacem intereà ſuam impertiens,Ioan.14.

Denique,vt omnem ſpem ſalutis non aliò,ſed in ſe duntaxàt collocent,vitem ſe eſſe prædicat,à qua ſemotus palmes,ſterilis reddatur,& mox in flammas,poſtquàm aruerit, videatur conijciẽdus. Non ſe item electum ab ijs fuiſſe,ſed cum delectu illos factos fuiſſe apoſtolos. Magiſtro proindè hunc mundum tendere inſidias,vt Prophetæ oraculo continetur: Odio,inquit,habuerunt me gratis. Itaque non mirum videri,ſi idem accidat diſcipulis,qui dignitate cenſeantur inferiores, Ioã.15.

Cęterùm ſpiritum conſolatorem, cuius pauloantè meminit, ſuo aduentu incredulum hunc mundum de peccato condemnaturum,breuem eſſe triſtitiam,& parientis fœminæ ſimilimam. Vt enim hanc ingens finit gaudium recèns nati infantis,ità diſcipulorum corda poſt præſentem mœrorem lætitia perpetua exhilarabit. Poſtremò pacem Ieſus diſcipulis in ſeſe habituros ſpondet,modò ſuo exemplo animentur,qui mundum vicerit,Ioan.16. Fixis deindè in cælum oculis, Patrem orat,vt ſe clarum mundo reddat,diſcipulos & eos quoquè qui illorum verbo credituri ſint, à malo ſeruet,vnumque faciat per dilectionem,ad eum modum,inquit,quo ego & tu vnũ ſumus, Ioã.17.

De egreſſu Ieſu trans torrentem Cedron in hortum, montem ſ. oliueti, & quid ibi fecerit. Cap. 71.

ET eueſtigiò cùm hymnum abſoluiſſet cum diſcipulis IESVS, vrbem egreſſus in prædium Gethſemani, quod eſt ſitum vltra torrentem, qui à cedris nomen habet. vndè hortus erat Iudæ proditori non ignotus. Solebat enim ſe plerunquè Dominus in ſemotum ab vrbano ſtrepitu receſſum hunc cum ſuis recipere. Illic accerſito ad ſe Petro cum duobus Zebedæi filijs, cæteros iubet quietos paululùm ſe expectare, qui precibus velit inſiſtere. Et progreſſus indè, mœſtum ſe eſſe indicat, talique triſtitia teneri, quæ ſola morte ſit finienda, iubens item illis, vt confidant & ſecum vigilent. Ipſe ſolus non admodùm longo ſpatio diſiunctus, ſed

quod

quod iactu lapidis poſsis attingere,humi pronus conſternitur,patrem orans,ſi qua fieri poſsit, immunem ſe reddat ab imminente ærumnarum calice,nè hunc deguſtet. Quanquàm ſi omninò ità viſum ſit,nihil detrectaturum ſe,verùm in omnibus morem geſturum.

Et ſurgens à precibus,quos vigilare iuſſerat,ſomno oppreſſos inuenit.Itaque rursùs admonet, nè dormiant,ſed orent magis Deum,nè ſinat illos labi in tentationem, quòd Spiritus equidē nihil non moliatur,at caro perquàm eſt fragilis. Ac mox rediens ad preces,tertiò eaſdem repetijt, totiès ſomnolentos increpans.Laborabat autem angore tanto Dominus,vt ſudore eius ſanguinolēto tellus etiam maderet,cùm protinùs è cęlo vox angelica auditur,quæ animum ac robur addidit.

Qualem ſe Chriſtus erga proditorem Iudam, & Pontificum miniſtros ad capiendum eum inſtructos,exhibuerit. *Cap. 72.*

IAMQVE aderat Iudas proditor cum cohorte ac miniſtris Phariſæorum,& Pontificijs, quibus in occurſum veniens Dominus,oſcitātibus diſcipulis inquit: Dormite iam & requieſcite: quaſi verò tempore tam periculoſo quies apta videatur. Et compellans multitudinem tertiò, quem quærant, ſciſcitatur.Illis totiès reſpondentibus,Ieſum Nazarenum: Dominoq́ue ſubijciēte, Ego ſum,in terram dilabuntur. Ac protinùs,vt diſcipulos abire paterentur,ſi ſe quærerent,iuſsit.Quo dicto,Iudas exoſculatus eſt Magiſtrum.Nam id ei ſymbolum fuit proditionis,quam cum Iudæis pactus fuerat. Et confeſtim illi hoſtiles manus inijciunt,vinculis membra ſtringentes.

At Petrus prolato in medium gladio,miniſtro Pontificio, cui Malcho nomen erat, dexteram abſcidit auriculam,quam confeſtim Dominus loco ſuo reſtituit,vetans gladio ferire eum, qui nolit ferro ſuccumbere. Verſus indè ad capientes,cauſam reddidit,cur ſe veluti latronem caperent, id quod priùs crebrò docēti in templo nunquàm contigiſſet: Nimirùm quia iam permiſſa videretur tenebris poteſtas quiduis audendi,atque ità futurum,Prophetarum oracula præcinuerint.

Quomodò Chriſtus à ſuis derelictus, in domum Annæ ductus, & quid ibi paſſus ſit. *Cap. 73.*

DISCIPVLI intereà omnes fuga ſaluti ſuæ conſuluêre:cum magno impetu in ædes Annæ, qui Caiphæ Pontifici ſocer erat,Ieſus ducitur,interrogatus ibì de diſcipulis & doctrina.Verùm ille potiùs quærendum duxit ab auditoribus, quorum ingens erat numerus, quidnam illos docuiſſet. Ad quæ verba Pontificis miniſter alapam Domino,non aliter,quàm ſi fuiſſent contumelioſa,impegit. Et audiuit: Si perperàm locutus ſum,de hoc profer teſtimonium: Sin rectè,cur abs te vapulo?

Quæ Chriſtus fuerit paſſus in domo Caiphæ Pontificis. *Cap. 74.*

MISSVS deindè Caiphæ,vbi omne Iudęorum concilium teſtes iniquos aduerſùs Dominum cōquiſierat reiectis quibuſdam ceu friuolis ac prorsùs ineptis,quum ſæpè interrogatus, nihil ad obiecta reſponderet,quærit Pontifex: Num Chriſtum Dei filium ſe eſſe fateretur. At ille: Tu, inquit, ità dixiſti,fore ſignificans,vt aliquandò multa luce conſpicuum in nubibus cæli Dei filium viderent,quem modò humilem aſpernarentur. Ad quam vocem Pontifex ceu execrabilem concitatus, veſtem ſcidit,& morti obnoxium eſſe Ieſum,toto cœtu acclamante,pronunciat. Illudebant illi intereà miniſtri,velato capite membra ferientes, ac fœdantes ſputo, Prophetam inſupèr ſalutabant, ſedulò exigentes,vt illum proderet,qui ſe verberâſſet,multis quoquè alijs huiuſmodi in hunc collatis conuicijs.

PETRVS NEGAT CHRISTVM. Cap. 75.

INTEREÀ Petrus in Annæ atrio ſemèl atque iterùm ab ancilla alijsq́; interrogatus de Ieſu: Num illius eſſet diſcipulus,conſtanter ac deindè ſanctè iurans,illum abnegauit.Id quod in Caiphæ quoquè ędibus ad eum modum accidit. Et cùm vocem edidiſſet gallus,meminit Petrus verbi Dominici: Priuſquàm gallus bis cecinerit,tu me tertiò abnegabis. Atquì Ieſus intuitus Petrum,mœſtum reddidit,vt ſe foràs cum ingenti fletu proriperet,Matth.26.Marc.14.Luc.22.Ioan.18.

Vt Ieſus adueniente diluculo,in die Paraſceues, primùm ductus ſit in prætorium Pilati, & quantis ibì affectus ſit iniurijs, Tum de nefanda Iudæ deſperatione, & falſis in Chriſtum accuſationibus. *Cap. 76.*

PORRÒ vbi primùm diluxerat dies Paraſceues, vinctum omnis Iudæorum multitudo Ieſum in Prætorium ducit ad Pilatum præſidem, non tamen euntes intrò, nè contaminarentur, ſed paſcha manderent. Id cùm viderat Iudas, pœnituit eum proditionis, & coniectis in tem-

plum triginta argenteis. Vndè illi agrum in peregrinorum ſepulturam mercati ſunt: Peccaui, inquit, ſanguinem iuſtum vobis tradens: ac mox abiens, laqueo vitam finiuit.

Exijt autem foràs ad Iudæos Pilatus, accuſationem in Ieſum receptū: ſed illi opinione ſeipſos commendabant, quo grauiùs reum premerent. Si hic, aiunt, immunis eſſet à ſcelere, non vtiquè cōſpectui tuo illum obtuliſſemus. Verùm accuſationem, nè in ea parte Te moremur, paucis accipe: Subuertit populum noſtrum: vetuit tributa pendi Cęſari: dixitque ſe Chriſtum Regem eſſe. Præſes recepta accuſatione, interrogauit ſecretò Ieſum, Rex ne eſſet, & ſubodoratus accuſationis Iudęorum vanitatem, abſoluere Dominum conſtituit. At illi ſeditioſum eſſe hominem prodiderunt, qui à Galilæa exorſus, doctrina ſua motus in populo, ad Hieroſolymas vſque pertingentes, ſuſcitauerit.

Quomodò Chriſtus ad Herodem miſſus, & ab eodem deluſus, Pilato iterùm fuerit traditus. *Cap. 77.*

AVDITA autem Galilæa, Pręſes Ieſum Galilęum eſſe edoctus, ad Herodem tetrarcham, qui tum Hieroſolymis fortè agebat, miſit. Vbi expectatus vt portenta ederet, conticuit. Itaque indutus veſte alba, ludibrio habetur ab Herode, omniq́ue exercitu, atque ad Pilatum Præſidem remittitur.

Pilatus Chriſtum, agnita ſua innocentia, liberare ſtuduit: ſed propter metum Iudæorum, condemnauit innocentem. *Cap. 78.*

QVI innocuum liberare pro virili adnitens, conſuetudinem Iudæis ſolennem, qua in Paſchali celebritate vinctum aliquem illis dimittere ſolebat, fauori ſuo prætexuit. At illi in diuerſum nitētes, Barrabam quendam vinculis eximi homicidam cupiunt, Ieſum verò voce increbreſcente cruci affigi deſiderant. Præſes autem lenire illorum ſæuitiem volens, nudatum veſte, flagris cædi iuſsit. corona ex ſpinis mox ceruici impreſſa, & arundo dextræ tradita, corpus multis atque adeò horrendis plagis contuſum eſt, ſalutariq́; à militibus, Rex Iudæorum, cœptus per ludibrium.

Vndè Pilatus eum eripiens, iam ſatìs ſuperq́ue caſtigatum Iudęis oſtendit, quò ad commiſerationem eos commoueret: innocentiam viri etiam atque etiam inculcans, quā vxor, quæ in ſomnis multa ob Ieſum paſſa, de illo palàm prædicabat. Cæterùm obſtinati eiuſdem tenaces propoſiti, cruci affigendum clamant. Niſi enim ità faceret Præſes, Cęſari illum aduerſari. Lauit mox manus Pilatus, immunem ſe eſſe ab innoxio ſanguine conteſtatus. Verùm illi ſibi & filijs hunc imprecati, ad condemnandum cruci Ieſum, pręſidem impulerunt.

Chriſtus Iudæorum poteſtati à Pilato traditus, cruci affigitur. *Cap. 79.*

ITAQVE lata hac ſententia, eductus inter duos latrones Dominus, crucem ipſe ſibi geſtare cogitur. Sed & Simonem quendam Cyrenenſem adigunt ad opem in ea re ferendam. Sequebatur ingēs multitudo, & inter eam matronæ quędam à Galilęa, Ieſu ſermone attractę. Hę iunctæ Hieroſolymitanis, miſerè Domini vicem deplorabant, ſed is Hieroſolymitanis iuſsit, vt ſe ac ſuos magis lugerent liberos, qui ceu lignum aridum, pœnis eſſent digniſsimi.

Affixus autem cruci in caluariæ loco, inter duos latrones medius pendebat, omnium iniurijs & probris expoſitus. Quum ille ne tunc quidem ſolitæ in omnes beneuolentiæ poterat obliuiſci. Ac primò patrem cæleſtem precatus, vel errori illorum daret veniam, Latroni mox oranti, vt in regno cęleſti non grauaretur ſuî vel meminiſſe, paradiſum eo die ſe præſtaturum, quam non rogatus pollicetur. Titulus prætereà à Pilato ceruici Dominicę appoſitus eſt, Iudæis multùm repugnantibus, ad eum qui ſequitur modum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

Quæ prætereà Chriſtus in cruce egerit moribundus. *Cap. 80.*

VESTES, militum voluntati ceſsēre, vt Prophetę oraculo continetur, ſorte in ijs partiendis iacta. Commendabat Ieſus Mariam genitricem cruci vicinam Ioanni diſcipulo, mulierem appellans, nè quid affectibus humanis tribuere videretur, qui Patris cęleſtis iam ageret negocium: Filium inſupèr ſe eſſe negans, dum illum in vicem ſuam ſubſtituit.

Congruebant mirè hę res geſtę cum Dauidis vaticinio, vt videri poſsit ad illud reſpexiſſe Dominus, cùm voce Hebręa clamaret: Deus Deus meus, cur me deſeruiſti? Huc item pertinebat, quod ſiti affici ſeſe clamabat, felle mox & aceto potatus.

Eueniſſe tum omnia dixit, quæ oraculis olim vates futura de Chriſto prędicinuiſſent. Itaque demiſſo in pectus capite, patrem affatus: In manus, inquit, tuas commendo ſpiritum meum. Quæ vox illi vitam linquenti extrema fuit.

Quæ ſigna & Prodigia Chriſti mortem fuerint ſecuta. *Cap.* 81.

MORTEM extemplò ſecuta ſunt prodigia. Sol caligine obducitur, tellus tremit, velum templi dirumpitur, petræ diſsiliunt, & monumenta aperiuntur, prodeuntibus indè quibuſdam perſpectæ ſanctitatis hominibus. Quæ res Centurioni, qui tum aderat, aliiſque complurimis fidem de Chriſto faciebant: pulſis enim pectoribus, domum redeuntes, verè hunc eſſe Dei filium fatebantur.

Rogabant protinùs Pilatum Iudęi, vt corpora condemnatorum eo die pateretur auferri, ob ſequens ſabbatum quoquè celeriùs extinguerentur. Latronibus crura comminuta ſunt, Chriſto iam exanimi latus cuſpide confoſſum, cruoris & aquæ vbertim riuos edidit.

Veſperi Ioſeph Decurionis precibus à Pilato conceſſum corpus Dominicum honorificè ſepelitur, obſeruatio item Iudæorum in vngendo ritu. Qua in re Nicodemus, cuius paulo ſuperiùs facta mentio, allatis myrrhæ & aloes libris plùs minùs centum, ſuo non defuit officio. Sed & mulieres eregionè monumenti ſedentes, ac locum tacitè ſecum conſiderantes, ægrè diuelli indè poterât, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

De victoria triumphali, & glorioſa Chriſti Reſurrectione. *Cap.* 82.

POSTERO die Iudæi, nè corpus Dominicum clàm à diſcipulis auferretur, veriti, à Præſide Pilato excubias ſepulcro Dominico adhiberi impetrârunt. Nondùm enim exciderat illorum mentibus, quod de reſurrectione ſua peracto triduo aliquandò prædixerat Chriſtus. Itaque in muniēdo ſepulcro magna lapidis mole, conſignandoque oſtio, nihil prætermiſſum, Matth. 27.

Sed quid ſunt ad Deum humana conſilia? Tertia die terræ motus ingens ad Domini reſurrectionem, adſpectusq; angelicus ceu fulgur cuſtodum animos vſqueadeò exterruit, vt à mortuis nihil viderentur differre. Quod vbi reſciuêre Iudæi, excogitato commento ſubornârunt pecunia, qui dicerent furtìm Ieſum è monumento noctù ſublatum, Matth. 28.

Chriſti reſurrectio per angelos nunciatur primùm mulierculis ſepulcrum Domini viſitantibus. *Cap.* 83.

INTEREÀ Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome dum Sabbato legis præcepto obſequentes quieuiſſent, diluculo præparatis ad vngendum corpus Dominicum aromatîs, ad ſepulcrum properant, Luc. 23. Vbi cùm lapidem oppidò ingentem ab oſtio motum cernerent, ac corporis Dominici veſtigium, id quod referebant faſciæ, iubentur ab angelis Chriſti reſurrectionem diſcipulis illius prædicare, metū deponere, eum qui viuat, inter mortuos minimè quærere, denique meminiſſe quid prædixerit adhuc in Galilęa agens Dominus, iam de proditione, modò de pœnis, ac de morte, à qua tamen tertia die reſurrecturus, Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24.

Diſcipuli Domini, huic muliercularum nuncio credere primùm noluerunt. *Cap.* 84.

MVLIERES dicto audientes, reſurrexiſſe quidem diſcipulis narrabant Dominum: Sed illi vera eſſe negabant, quæ dicebantur, ac mulierculas planè aiebant deſipere, Luc. 24. Quanquàm Ioannes & Petrus conſpecto ſepulcro, veraces fuiſſe mulieres deprehendere poterant, Luc. 24. Ioan. 20.

De prima Chriſti poſt reſurrectionem apparitione, quæ facta eſt Mariæ Magdalenæ. *Cap.* 85.

MARIAM autem Magdalenam mœror pauliſpèr circa monumentum, diſcipulis abeuntibus, retinuerat, quæ mora illi primò conſpiciendi Domini occaſio fuit, Ioan. 20.

De ſecunda Chriſti apparitione facta duobus diſcipulis euntibus in Emaus. *Cap.* 86.

AC mox eodem die in Emaus ab Hieruſalem profectis duobus apparuit diſcipulis, dum in longū de Domino ſermonem protraherent, ipſe, quàm obtuſo eſſent ingenio, productis à Moiſe ac Prophetis de ſe ſcripturis oſtendit. Quippe omninò videri neceſſarium, vt Chriſtus pœnis plecteretur, & ità demùm gloriam ſibi ęternam pararet, Luc. 24. Marc. 16.

De tertia apparitione, quæ facta eſt toti diſcipulorum collegio, ſolo abſente Thoma: quibus precatur pacem, & priores illis de morte ac reſurrectione ſua conciones in priſtinam reuocat memoriam, data inſupèr noua ſpiritùs ſancti gratia. *Cap.* 87.

NEQVE ità multò pòſt apparuit diſcipulorum cœtui, dum fores eſſent clauſæ veſperi, pacem illis imprecatus. Deindè rei nouitate obſtupeſcentibus, latus, manus ac pedes præbuit contrectandos, iuſsitque afferri, ſi quid haberent quod eſſet eſui: atque ibi coràm piſcis aſsi partem

comedit ac fauum mellis, id quod ſpiritus nulla ratione poſsit efficere.

Aperuit protinùs ſcripturæ arcanæ ſenſa, fieriq́ue non potuiſſe dixit, vt quæ de ſe in lege Moiſis, prophetis, ac pſalmis ſint conſcripta, irrita prorsùs videantur. Commonefecit item eos verborũ, quæ ſuper hac re crebrò habuerit, quo pacto videlicet extrema quæque ferenda fuerint Chriſto, & tertia die reſurgendum à morte. Iamq́ue fore, vt in illius nomine pœnitentia etiam in gentibus prædicetur, iuncta peccatorum condonatione, Luc. 24.

Viſo autem Domino, ingens lætitia perfudit diſcipulos. Et ille denuò pacem comprecatur, ſuo tum nomine ad apoſtolicam cohortatus functionem, ad eum ſanè modum, quo ipſe patris legationem obijſſet. Nec mora, ſpiritum cæleſtem afflatu ſuo impertit, in quo errata aut remittant, aut certè diutiùs conſtringant, Ioan. 20.

De quarta apparitione, qua octaua poſt reſurrectionem die, iterùm congregatis apparuit diſcipulis, præſente tum D. Thoma, cui ſuam exprobrat incredulitatem. Cap. 88.

RVRSÙS poſt dies octo, clauſo oſtio diſcipulis viſus, ſolito pacis ſymbolo conſalutat, Thomæ ibi diſcipuli caſtigans pertinacem de ſe dubitationem, quòd cõdiſcipulis ea quæ ſuperiùs geſta memorauimus, ſe abſente, parùm fuiſſet credulus. Digiti tum in latus cuſpide iampridèm apertum immiſſi, ac manus Chriſti membris clauis nupèr perfoſsis admotæ. Vbi beatitudinis præconio commendantur à Domino, quicunque non viſa pietatis ſtudio crederent, Ioan. 20.

De quinta apparitione, qua ſe diſcipulis in mari Tiberiadis piſcantibus manifeſtum reddidit. Vbi Petro agnos ſuos concredidit paſcendos, atque adeò totius ei eccleſiæ commendauit curam. Cap. 89.

TERTIÒ in mari Tiberiadis piſcantibus diſcipulis manifeſtum ſe reddidit, dum præciperet in dexteram iactari verriculum, vbi pranſus vnà poſt tertiò confeſſum ſui amorem, Petro paſcendos concredidit ſuos agnos, ſub quodam verborum inuolucro adijciens, quis illum maneret pro ſuo nomine vitę exitus, Ioan. 21.

De ſexta apparitiõe, qua ſe diſcipulis viſendum præbuit in monte, quem locum ad hoc illis conſtituerat Ieſus: ibique nonnullorum de ſua reſurrectione dubitantium reprehendit incredulitatem. Cap. 90.

POSTREMÒ in Galilęa viſendum ſe prębuit Dominus, in monte quem ad hoc deſtinârat, confluentibus eò diſcipulis & adorantibus, vbi parùm ſynceræ fidei homines reprehendit, quia eos, q ſe reſurrexiſſe viderant, vanos reputâſſent.

De conuocatione gentium, ſiue collectione eccleſiæ catholicæ, opera & miniſterio apoſtolorum, quibus ad hoc ſacram inſpirat doctrinam, & miraculorum confert poteſtatem. Cap. 91.

TRADITAM autem ſibi mox indicat omnium, quæ cęlo terraq́; continentur, ditionem, conteſtatus eam eſſe verę & ſalutaris doctrinę formulã, quam ſe doctore auribus hauſiſſent. Iamq́; nihil reſtare aliud, quàm vt ea gentibus longè lateq́ue innoteſceret, id quod veſtrarum, inquit, poſthàc erit partium.

Doctrinæ huius comitem voluit eſſe baptiſmum, qui in patris, filij, & ſpiritusſancti nomine credituris impenderetur. Ad hæc non defutura miracula, & valetudinis reſtituendę varia beneficia. Quanquàm quid attinet hæc commemorare, quum ipſe ſuo negocio ſe prępto affuturum certò definierit? Eccè, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad ſeculi conſummationem, Matt. 28. Marc. 16.

De magnifica Chriſti aſſcenſione, & diuiſione apoſtolorum, quorum ſonus in omnem exiuit terram. Cap. 92.

HAEC dicens, receptus eſt in cęlum, ſedetq́; ad dexteram Dei. At diſcipuli Dominicis obtemperantes iuſsibus, cęleſtem doctrinam in orbem vniuerſum diuulgârunt, & Dominicã opem ſemper circa ſe ad eum modum, quo prędixerat ille, prçſentem ſenſerunt, Marci. 16.

ALIA

ALIA QVATVOR EVANGELIORVM CONCORDIA, SIVE TOtius Euangelicæ hiſtoriæ compendium, ex concordia euangelica Cornelij Ianſenij Hulſtenſis, in partes quinq; diſtributum.

PRIMA EVANGELICAE HISTORIAE pars, continens per compendium, quæ ad Chriſti infantiam & pueritiam pertinent.

Verbum Dei æternum, vita & lux, caro factum. *Cap. 1.*

VERBVM, quod apud Deum erat ab æterno, & ipſum Deus exiſtens, per quod omnia facta ſunt, omnium item vita, ſed hominum peculiariter lux, miſſo priùs teſtificandi gratia Ioanne, in mundum tandem venit, carnemque aſſumpſit, nobiſcum conuerſatus, Ioan. 1.

Annunciatur Ioannis conceptio Zachariæ, & concipitur ab Elizabeth. *Cap. 2.*

QVOD ad hunc accidit modum: In diebus Herodis regis Iudeę, Zacharię ſacerdoti ſeni per angelum Gabrielem apud aram prędicitur, filium, qui Ioannes ſit nuncupandus, ipſi ex vxore Elizabeth, ſterili & anu, naſciturum, ipſumq; vſq; ad horum euentum, ob incredulitatem, mutum permanſurum, Luc. 1.

Chriſti incarnatio Mariæ nunciatur. *Cap. 3.*

ITA QVE cùm poſt hęc verba mox concepiſſet Elizabeth, ſexto ab eius cóceptu menſe, idem Gabriel à Deo ad Mariam, deſponſatam Ioſepho, miſſus Nazareth, prædicit, filium, qui Ieſus ſit appellandus, ex ipſa naſciturum, idque illæſa eius virginitate, nimirùm per ſpiritusſancti ſuperuentionem, Luc. 1.

Viſitatur à Maria Elizabeth. *Cap. 4.*

EX quo nuncio, cùm item conceptum cognatæ ſuæ Elizabethis virgo intellexiſſet, atq; ob id illam mox ſalutandi cauſa inuiſeret, ad eius præſentiam mater fœtusq; ſpiritu afflantur, lætitięque ſigna edunt: vndè & virgo ad magnificandum Deum celebri commouetur carmine, Luc. 1.

Naſcitur Ioannes, & Zacharias recepta loquela benedicit Deum. *Cap. 5.*

POST tres ergò deinceps menſes, quibus apud anum virgo perſeuerauit, peperit Elizabeth filiũ, cui cùm octauo die alijs fruſtrà renitentibus, nomen Ioannis impoſitum à parentibus eſſet, recepta Zacharias loquela, magnificè Dei beneficium humano generi recèns pręſtitum, prophetico ſpiritu cantauit, Luc. 1.

Texitur à Matthæo Genealogia Chriſti. *Cap. 6.*

SECVTA eſt ſuo tempore, hoc eſt, ſexto dein menſe, Chriſti generatio, nobile habés ex Abraham per Dauid exordium, per tres teſſaradecades: in quarum prima regnum Abrahę, promiſſum expectabatur: In ſecunda, idem in Dauide cœptum floruit: In tertia idem collapſum, nouo modo per Chriſtum expectabatur reſtaurandum, Matth. 1.

Angelus Ioſepho nunciat ſacrum virginis conceptum. *Cap. 7.*

CAETERVM priuſquàm virgo Chriſtum pareret, Ioſeph eius maritus, cùm animo fluctuaret, ꝙ à ſe neutiquàm cognitam, grauidam aduerteret, angeli in ſomnis monitu confirmatus eſt, nè deſponſatam ſibi relinqueret vxorem, edoctus illam è Spirituſancto concepiſſe, Matth. 1.

Natus in Bethleem Chriſtus, paſtoribus nunciatur, & circunciditur. *Cap. 8.*

PROINDE cùm Cęſarei occaſione edicti cum illa aſcendiſſet è Nazareth in Bethleem ciuitatem Dauid, accidit vt tum ibidèm virgo filinm pareret, quem pannis inuolutum, ac in pręſepio poſitũ, angeli monitu, paſtores primi inuiſerunt, Luc. 2.

Magi ſtella duce inuentum Chriſtum adorant. *Cap.* 9.

A c poſt hos magi ex Oriente nouæ ſtellæ ortu exciti, Hieroſolymis priùs de natiuitatis loco propheticis verbis inſtructi, ac deindè eiuſdem ſtellæ ductu ad eundem locum delati, ex quo poſt ſacra munera puero oblata, nè ad vafrum Herodem redirent, oraculo in ſomnis commonefacti, alia via rediêrunt ad ſua, Matth. 2.

Oblatus in templo Chriſtus, à Simeone & Anna agnoſcitur. *Cap.* 10.

P o s t hęc demùm ipſo purificationis puerperæ die, oblatus tanquàm primogenitus in templo puer, primùm à Simeone iuſto ſene, poſt longam eius expectationem, deindè & ab Anna vidua agnoſcitur ac prędicatur, Luc. 2.

Angeli monitu fugit cum puero in Aegyptum, & redit Ioſeph. *Cap.* XI.

Q v i b v s peractis, Ioſeph angeli impulſu, cum puero & matre fugiens in Aegyptum, eũdem Herodis iniuriæ ſubtraxit, quam noui regis metu impius ille in Bethleemiticos exercuit infantes. Quo extincto, rurſùm angeli monitu, in terram Iſrael regreſſus Ioſeph, relicta metu Archelai Herodis filij Iudęa, oraculo ceſſit in Nazareth Galilęæ: vndè Nazaræi nomen puer accepit, Matth. 2.

Quæſitus à parentibus Ieſus, inuenitur in templo. *Cap.* 12.

Q v i iam duodennis factus, cum ſolenni paſchę die parentibus pro conſuetudine Hieroſolymam petentibus iunctus & ipſe eò aſſcendiſſet, ab ipſis deſideratus, poſt triduum in templo eſt repertus intèr doctores: cum quibus reuerſus Nazareth, ſubditus illis, profecit non tantùm ætate, ſed & ſapientia ac gratia apud Deum & homines, Luc. 2.

SECVNDA EVANGELICAE HISTORIAE *pars, continens acta Chriſti ab eius baptiſmo, vſque ad ſecundum paſcha, hoc eſt, acta vnius anni & aliquot menſium.*

Prædicat & baptizat Ioannes. *Cap.* 13.

C v m autem iam virilem attigiſſet ætatem Ioannes & Chriſtus, tempusq́; eſſet prædicãdi per ipſos euangelij, anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudęam, prior Ioannes auſteritate loci, veſtitûs ac victûs populo venerabilis, verbo ac baptiſmo ad pœnitentiam homines inuitare cœpit, ſeuerè inceſſens ac terrens, præſertim phariſæos ac Saduceos, turbis miſericordiæ opera, publicanis iuſtitię tenorem, militibus iniuriæ abſtinentiam præſcribens: ſe non, vt putabatur, Chriſtum eſſe conteſtans, ſed alium qui poſt ſe venturus eſſet fortior ac dignior, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Baptizatur à Ioanne Chriſtus, eiusq́ à Luca genealogia in Deum reducitur. *Cap.* 14.

E t eccè promiſſus Chriſtus, mox inter alios, & ipſe Ioannem adijt baptiſmi gratia, quem ab eo, licèt aliquandiù reluctante, ſuſcipiens, paterna voce ac ſpiritusſancti in columbæ ſpecie deſcenſu declaratus eſt eſſe filius Dei, cùm eatenùs putaretur eſſe filius Ioſeph, iam triceſimum agens annum, per quem deincèps humanum genus reduceretur ad Deum, vt qui filius Dei exiſtẽs, homo factus eſt, homines per ſe Dei filios redderet, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Ieiunat & tentatur in deſerto Chriſtus. *Cap.* 15.

P a t e r n o ac ſpiritûs teſtimonio declaratus, quis eſſet Ieſus, mox in deſertum ſeceſſit, vbi poſt quadragenarium ieiunium, ſine omni cibo peractum, tandèm famis occaſione, variè eſt à ſatana tentatus, ſcire percupido, num is eſſet, qui cæleſti voce denunciatus erat: quo in omnibus ſuperato, ſancti angeli miniſterium ei debitum obtulerunt, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Ioannes teſtificatur de Chriſto. *Cap.* 16.

S v c c e s s i t his Ioannis de ipſo teſtimonium, qui & rogantibus miſſis ad ſe ſacerdotibus reſpondit ſe nequaquàm eum, quem putabant, eſſe: ſed alium iam veniſſe, qui is eſſet ſe dignior ac prior: & poſtera die præſentem Ieſum digito demonſtrans, denunciauit ipſum eſſe, qui à ſe promiſſus erat, & ab omnibus expectabatur, Ioan. 1.

Demon-

Demonſtratum à Ioanne Chriſtum, quinque diſcipuli agnoſcere & ſequi incipiunt. *Cap.* 17.

Ac rursùm altera die eundem diſcipulis ſuis demonſtrando, agnum Dei prædicauit, qua occaſione quinq; illum diſcipuli agnoſcere ac ſequi cœperunt, Andrea ipſum fratri Simoni, Philippo eundem Nathanaëli inſinuante, Ioan.1.

Mutatur aqua in vinum in nuptijs. *Cap.* 18.

Tertia dehinc die, diſcipulis videntibus, per matris ſolicitationem, aquam in nuptijs conuertit in vinum, hoc ſuorum omnium miraculorum primo, Galilææ vicum, cui Cana nomen erat, cohoneſtans, ac ſe tandèm, quis eſſet, poſt aliorum teſtimonia declarans, Ioan.2.

In paſchate eijcit Dominus vendentes & ementes in templo, mortem & reſurrectionem ſuam Iudæis inſinuans. *Cap.* 19.

Post hæc ſeipſum magis manifeſtaturus, è Capharnaum, vbi aliquot diebus cum ſuis manſerat, ob inſtans Paſcha Iudæorum, aſſcendit Hieroſolymam, vbi flagello de funiculis facto, è templo abegit vendentes, rogatusque ſignum vendicatæ authoritatis, myſtico ſermone templum à Iudæis ſoluendum, & à ſe poſt triduum excitandum, denunciat: multisque eo loci patratis miraculis, pleroſque ad credendum in ſe pertrahit, Ioan.2.

Nicodemus docetur myſteria fidei. *Cap.* 20.

De quorum numero vnus Nicodemus Phariſæus princeps Iudæorum, nocturno cum ipſo colloquio docetur regenerationis per aquam & ſpiritum myſterium, crucis item ac fidei vim, Ioan.3.

Baptizat per diſcipulos Chriſtus in Iudæa. *Cap.*21.

Regenerationis neceſſitate denũciata, Dominus qui ad hoc vſq; tempus in Galilęa commoratus fuerat, cum ſuis diſcipulis in Iudæa morari incipiens, cœpit & baptizare, cùm adhuc Ioannes baptizaret. Qua occaſione cùm diſcipuli Ioannis quererentur apud ipſum, quòd plures ad Ieſum confluerent, Ioannes rursùm illum, ſe longè ſuperiorem non obſcurè teſtatus eſt, quem proindè neceſſe eſſet creſcere, ſe autem minui, Ioan.3.

Ioannes ab Herode, ob repræhenſum adulterium, recluditur in carcerem. *Cap.* 22.

Qvi ſub idem tempus, quaſi ſuo defunctus officio, Chriſto ſuam auſpicante legationem, ab Herode tetrarcha ob repræhenſum adulterium, coniectus eſt in carcerem, Matth.14. Marc.6. Luc.3.

Ioanne tradito, Chriſtus rediens in Galilæam per Samariam, mulieri Samaritanę innoteſcit. *Cap.* 23.

Hvivs captiuitatem, ac ſimul phariſæorum contra ſe ob populi ad ſuum baptiſmum cõfluxum, inuidiam intelligens Dominus, relicta Iudæa, ſuam repetijt Galilęam. In quo itinere, cùm neceſſariò interiacentem Samariam pertranſiret, occaſione petitę à ſe fatigato aquę, mulieri cuidam Samaritanę, poſt longam vltrò citròque collocutionem, tandèm innoteſcit, ac per eam multis Samaritanorum, apud quos duos dies rogatus manſit, poſt quos cœptum proſecutus iter, peruenit in Galilęam, ab incolis benignè receptus, ob miracula Hieroſolymis conſpecta, Matth.4. Marc.1. Luc.4. Ioan.4.

Sanatur à febri filius Reguli. *Cap.* 24.

Rvrsvm ergò inuiſens vel in tranſitu Canam Galilææ, à ſe priùs miraculo primo nobilitatam, Reguli filium in Capharnaum ex febri periclitantem, à patre ſeriò requiſitus, abſens verbo ſanitati reſtituit, fuitque id ſecundum iam miraculum, ab ipſo in Galilęa editum, Ioan.4.

Prædicat in Galilæa Chriſtus, & fama eius vbiquè ſpargitur. *Cap.* 25.

Caetervm iam ingreſſus Galilæam, relicta ob cauſam ciuitate Nazareth, in qua enutritus, ad hoc vſq; tempus habitauerat, Capharnaum nobile Galilææ emporium, veluti cõmodam ſuæ prędicationis ſedem, ſibi pro manſione delegit, in qua & ex qua deincèps poſt Ioannem, palàm ac clarè aduentum regni Dei denunciauit, ad pœnitentiam ac fidem prouocando, quam prædicationem cùm per vniuerſam Galilæam longè lateq; ſpargeret, morborumque curationibus illuſtraret, per totam Syriam celebre factum eſt nomen eius, ità vt ad eum vndiquè cum ægris pleriq; confluerẽt, Matth.4. Marc.1. Luc.4.

Vocati è naui quatuor diſcipuli, ſequuntur Chriſtum. *Cap.* 26.

CVM autem opùs illi eſſet perpetuis quibuſdam ſuorum operum ac doctrinę teſtibus ac coadiutoribus, mox à prędicationis exordio, cùm fortè iuxta mare eſſet Galilęę, è mari duo fratrũ piſcatorum paria ad ſe ſequendum euocat, miraculo capturę piſcium priùs in ſuî admirationem raptos: qui & mox omnibus relictis, conſtantes iam illi adhęſerunt. Erant autem Petrus & Andreas fratres, Iacobus item & Ioannes fratres, Zebedæi filij, matth.4. marc.1. Luc.5.

Sanatur in ſynagoga dæmoniacus. *Cap.* 27.

CVM his Capharnaum ingreſſus, in ſynagoga ſabbato poſt doctrinam ſpiritum immundum pellit à dæmoniaco, multis ob hoc ipſius poteſtatem & doctrinam mirantibus, marc.1. Luc.4.

Curatur à febri ſocrus Simonis, & ægroti multi. *Cap.* 28.

VNDE egreſſus, & cum eiſdem diſcipulis in domum Petri ingreſſus, febricitantem eius ſocrũ ſuo imperio ſanat. Quarum rerum fama increbreſcente, ad veſperam eius diei domus à multis languidis & dæmoniacis, eò adductis, obſeſſa eſt, quos omnes manibus impoſitis curauit. Poſtridiè verò, ſummo manè egreſſus Dominus, ſolus deſertum petijt orandi cauſa: vbi primùm à Simone cum ſuis ipſum requirente, deindè & à turbis repertus eſt, matth.8. marc.1. Luc.4.

Reprehenduntur à Chriſto tres ipſum ſequi volentes. *Cap.* 29.

ITAQVE cùm ſe à turbarum multitudine, circunſeptum videret, iuſsit diſcipulos transfretare, ibi tum quidam ipſum ſequi volentes reijciuntur, matth.8. Luc.9.

Maris tempeſtas iuſſu Chriſti ſedatur. *Cap.* 30.

CVM autem dimiſsis turbis, nauim aſſcendiſſet, ipſo inter nauigandum obdormiente, grauis tempeſtas exorta, metum diſcipulis iniecit, à quibus excitatus, poſt increpatam illorum diffidentiam, ſuo imperio tranquillum mare reddidit, cum omnium qui aderant, ſtupore, matth.8. marc.4. Luc.8.

Sanatis in regione Geraſenorum duobus dæmoniacis, dæmones porcos ingreſſi, præcipitant in mare. *Cap.* 31.

NAVIGIO ergò delatus in regionem Geraſenorum, Galilææ oppoſitam, obuios duos dæmoniacos liberauit à dæmonibus, quibus ipſius permiſſu in porcos ad duo millia ingreſsis, eosq́; in mare demergentibus, à perplexis incolis rogatus vt diſcederet, rursùs eò, vndè venerat, transfretauit, matth.8. marc.5. Luc.8.

Sanatur paralyticus per tegulas demiſſus. *Cap.* 32.

EGRESSVS nauim, à turba confluente benignè excipitur, ac Capharnaum rursùs ingreditur, vbi vna dierum in domo exiſtens ac docens, paralyticum per tegulas, ob turbam, ad ſe demiſſum, poſt peccatorum remiſsionem ſanat, phariſæorum obmurmurationẽ confutans, matth.9. marc.2. Luc.5.

Vocatur Matthæus, & de ieiunio diſputatur cum diſcipulis Ioannis & Phariſæorum. *Cap.* 33.

POST quæ rursùm ad mare egreſſus, in via matthęum ad telonium ſedentem, ad ſequelam ſui vocat, à quo deindè cõuiuio cum plerîſq; publicanis exceptus, ſecutam ob id Phariſæorum murmurationem ſapienter repreſsit, ſicut & eorundem cum diſcipulis Ioannis murmurationem aliam, mox ſubſequentem, ob neglectum à diſcipulis ipſius ieiunium, matth.9. marc.2. Luc.5.

Suſcitatur filia archiſynagogi, & curatur hæmorrhoiſſa. *Cap.* 34.

CVI diſputationi cùm adhuc eſſet intentus, à principe quodam ſynagogę Iairo, rogatur pro ſananda moribunda eius filia duodenni, ad quam dum pergit curandã, hæmorrhoiſſam duodennem in via ſanat, ac poſteà domum Iairi ingreſſus, eius filiam iam mortuam vitæ reddidit, matth.9. marc.5. Luc.8.

Duo cæci curantur, & vnus dæmoniacus. *Cap.* 35.

VNDE digreſſus, duobus cæcis ſe ſequentibus, viſum reddidit, ac poſt eos mox dæmoniacũ mutum curat, turbis quidem mirantibus, at phariſæis calumniantibus, matth.9.

TER-

TERTIA PARS, CONTINENS ACTA *Chriſti à ſecundo Paſchate vſque ad tertium, hoc eſt, Acta ſecundi anni prædicationis eius.*

Sanato in ſabbato homine, qui laborauerat 38. annos, diſputat cum Iudæis Dominus. *Cap.* 36.

POST hęc, cùm ob Paſcha Iudæorum, Dominus rursùm aſſcendiſſet è Galilæa Hieroſolymam, apud Probaticam piſcinam ſabbato eum, qui triginta & octo annos languerat, curat, iuſſum à ſe tollere ſuum grabatum: vndè Iudæorum inſectationi obnoxius, prolixè diſſerit de ſua cum patre operatione, ac poteſtate etiam mortuos ſuſcitandi, & iudicandi omnes, pro quorum confirmatione teſtimonia profert Patris, Ioannis, ſuorum operum, omniumque ſcripturarum, Ioan. 5.

Phariſæos, ob confricatas à diſcipulis ſpicas in ſabbato offenſos, confutat Dominus. *Cap.* 37.

SIC confutatis ſemèl Iudæis, cùm deindè Phariſæi diſcipulos ob ſpicas ſabbato decerptas, confricatas ac comeſas calumniarentur, rursùm eorum calumniam confutat, Matth. 12. Marc. 2. Luc. 6.

Eoſdem ob ſanatam in ſabbato manum aridam offenſos, rursùm confutat Dominus. *Cap.* 38.

ITIDEM & tertiò faciens, cùm alio quodam ſequenti ſabbato, in ſynagoga curans quendam habentem manum aridam, ſentiret Phariſęos tacitè ſe criminari. Qua tamē ſatisfactione cùm nihilo meliores illi efficerentur, ſed conſultarent de perdendo ipſo, Dominus ſeceſſit ad mare, multa tamen eum ſequente turba, ex omnibus collecta regionibus, cuius ægros cunctos & dæmoniacos curauit, Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

Electis duodecim Apoſtolis, diſſerit Dominus in quibus ſita ſit beatitudo. *Cap.* 39.

QVO tempore cùm turbis relictis, in montem orandi cauſa aſſcendiſſet, poſt noctē orando tranſactam, ex omnibus diſcipulis ad ſe vocatis duodecim legit, quos & apoſtolos nominauit. Cū quibus è monte deſcendens, coram immenſa hominum multitudine, inſigni ſermone ſummam euangelicę vitę ac perfectionis complexus eſt, primùm quidem docens, quibus in rebus verè, contra hominum ſententiam, ſita ſit felicitas ac infelicitas hominum, Matth. 5. Marc. 3. Luc. 6.

Præcipitur abundantior iuſtitia quàm ſit Phariſæorum. *Cap.* 40.

DEINDE veterem legem perfectioribus mandatis adimplens, per quorum obſeruationem Phariſæorum iuſtitia ſuperanda ſit, Matth. 5. Luc. 6.

Docet quomodò facienda eleemoſyna, quomodò item orandum & ieiunandum. *Cap.* 41.

TVM & eleemoſynam, orationem ac ieiunium, aliter à nobis exhibenda, quàm à Phariſæis, docēs, Matth. 6.

Docet abijciendum curam rerum terrenarum. *Cap.* 42.

AB auaritia poſteà, ac ſolicitudine rerum temporalium auocans, Matth. eod. cap. 6.

Non temerè iudicandum. *Cap.* 43.

ADIICIENS his, nec temerè iudicandum, nec temerè docendum, orationi inſtandum, à pſeudoprophetis cauendum, ſuæq; huic doctrinæ firmiter inhęrendum, Matth. 7. Luc. 6.

Curatur leproſus. *Cap.* 44.

DOCTRINAM ſecuta leproſi mundatio, quem mundatum ad ſacerdotem miſit, Matth. 8. Marci 1. Luc. 5.

Sanatur ſeruus Centurionis. *Cap.* 45.

INGRESSVS deindè Capharnaum, Centurionis ob raram fidem inſigniter commendati ſeruum, abſens paralyſi liberauit, Matth. 8. Luc. 7.

Reſuſcitatur filius viduæ. *Cap.* 46.

POST quod ad ciuitatem Naim profectus, vnigenitum viduæ filium ſepulturæ proximum, ad vitam reuocat, Luc. 7.

Mittit

Mittit Ioannes ex carcere diſcipulos. Cap. 47.

His autem miraculis ex diſcipulorum ſuorum narratione auditis, Ioannes è carcere ad Chriſtum diſcipulos miſit, per quos rogaret, num ipſe eſſet expectatus Meſsias. Quibus cum mandato ad Ioannem remiſsis, cœpit Dominus & Ioannis prædicare dignitatem, & eorum exprobrare duritiam, qui nec per Ioannem, nec per ſe, ad reſipiſcẽtiam commoti fuiſſent, phariſæos potiſsimùm ac ſcribas notatis, eiſque apud Deum præferens publicanos, atque apud ſeculũ abiectos, Matth. 11. Luc. 7.

Mulieri peccatrici remittuntur peccata. Cap. 48.

Qvod ipſum inſigni aliquandò exemplo demonſtratum eſt, cùm rogatus à Simone phariſęo ad conuiuium Dominus, Peccatrici ob ſingularem doloris & amoris ſignificationem, multa peccata remiſſa, ac phariſæo frigidè amanti, ac parùm humili prælatam eſſe teſtatus eſt, Luc. 7.

Curato dæmoniaco cæco & muto, confutantur phariſæi. Cap. 49.

Cvm autem poſt longum per diuerſa loca circuitum ſeſe aliquandò domum recepiſſet, confeſtìm rursùm à turba circundatus, oblatum ſibi dæmoniacum, cæcum & mutum, ab omnibus ſimul liberat malis. Quod factum cùm admirantibus turbis, rursùm quidam phariſęorum ac ſcribarum calumniarentur tanquàm dęmoniacum, alij cæleſte potiùs ſignum requirerent: Dominus primùm efficacibus oſtendit rationibus, nequaquàm illud debere videri diabolica factum virtute, ſed potiùs contraria, diuina ſcilicet, atque ob id phariſęorum calumniam, tanquàm in ſpiritum ſanctum commiſſam, inexpiabilem: tum & negat illis dandum, quale volebant ſignum è cęlo, ſed potiùs è terra, quod eos maximè ſit condemnaturum, Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11.

Matri & fratribus carnalibus præferuntur verbi Dei obſeruatores. Cap. 50.

Hac eius rationabili, ac planè diuina diſputatione audita, mulier quædam è turba felicem proclamat tanti magiſtri matrẽ. At Dominus felices prędicat auditores, & obſeruatores verbi Dei. Quos eoſdem mox matrem ac fratres appellat, cùm à quodam interpellaretur, ſuggerente matris fratrũq; aduentum, quærentium illi loqui, matth. 12. marc. 3. Luc. 8. & 11.

Proponitur parabola ſeminantis. Cap. 51.

Eodem die egreſſus domo, rursùm mare adijt, vbi congregata ad eum turba plurima, iterùm cœpit docere, ſed in varijs parabolis. Et inprimis parabolam propoſuit ſeminantis, quadriformi ſeminis euentu, variam verbi diuini in hominibus operationem indicans, quemadmodùm Apoſtolis ſuis ſeorsùm aperuit, matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

Parabolæ zizaniorum, ſeminis creſcentis, grani ſinapis, & fermenti. Cap. 52.

Tvm & ſubiunxit parabolam de zizanijs, ſemini bono permixtis, quę ad conſummationem ſeculi paterfamiliàs creſcere voluit, ſignificans in regno Euangelico malos ſemper bonis permixtos fore, quemadmodùm item Apoſtolis ſuis ſeorsùm aperuit. Adiecit & tres parabolas, ſignificãtes modum ac vim incrementi Euangelicæ doctrinę, parabolam ſcilicet de ſemine, quod in terram iactum, ſensìm creſcit nocte & die: parabolam de grano ſinapis, quod cùm minimum ſit, creſcit in arborem: parabolam de fermento, quod tribus farinæ ſatis commixtum, totum fermentat, matth. 13. marc. 4.

Parabola theſauri, margaritæ & ſagenæ. Cap. 53.

Qvibvs apud populum habitis, ſed domi ſeorsùm apud diſcipulos explicatis, adiecit apud eoſdẽ priuatìm duas, inſinuantes eiuſdem euangelicę doctrinę precium, de theſauro ſcilicet & margarita inuentis, & omnium bonorum diſtractione emptis, tertiam addens de ſagena, bonos ſimul & malos piſces concludente, ſignificans rursùm malorum ac bonorũ in eccleſia permixtionẽ, matth. 13.

Docens in Nazareth Dominus, incredulitatis eam condemnat. Cap. 54.

Post quas parabolas egreſſus in patriam ſuam Nazareth, poſtquàm in ſynagoga die ſabbati obuiũ Iſaię locum, in ſe expletum expoſuiſſet, ac deindè incredulitatis ſuos ciues condemnâſſet, ab eis ciuitate eiectus, ſubduxit ſe de medio eorum, cùm conarentur è mõtis ſupercilio pręcipitare, matth. 13. marc. 6. Luc. 4.

Mittuntur ad prædicandum duodecim Apoſtoli. *Cap.* 55

CIRCVMIENS deinceps omnes ciuitates ac vicos,cum Apoſtolis & aliquot mulieribus ei miniſtrantibus,miſertus turbarum,quòd paſtoribus bonis deſtitutę eſſent,mittit cum certis mandatis ac præſcriptis duodecim Apoſtolos,pridèm à ſe electos, prædicens eis mala, quæ ob euangelicam prędicationem eos manebant,ac contra ea ipſos confirmans.Quibus ablegatis, ſuoque officio fungentibus,per euangelij prędicationem & morborum curationem,ſecutus eſt ipſos Dominus quoquouerſùm,Matth.9.& 10. Marc.6.Luc.8.& 9.

Deſcribitur Ioannis decollatio, & fama Ieſu apud Herodem. *Cap.* 56.

CVM hæc agerentur,Herodes tetrarcha,fama nominis Ieſu ad ſe delata,dubitare cœpit, num Ioannes à ſe decollatus,à morte reuixiſſet. Pauloantè enim Herodes die ſuo natalitio Ioannem, à ſe nupèr incarceratum,ad petitionem ſaltantis filiæ Herodiadis,in carcere decollari iuſsit, capite eius in diſco puellæ tradito,Matth.14.Marc.6. Luc.9.

Quinque panibus paſcuntur quinque millia hominum. *Cap.* 57.

ITAQVE cùm intelligeret Dominus,quam de ſe ſuſpicionem haberet Herodes, & ſimul quia ad ipſum reuerſi erant apoſtoli,peractis mandatis,inuidiæ declinandæ ac ſimul quietis cauſa,cum ſuis ſeceſsit nauigio trans mare Galilææ in deſertum locum,vbi cùm item ad ipſum conflueret immēſa hominum multitudo,poſt doctrinam ac morborum curationem,quinque millia virorũ,quinq; panibus hordeaceis ac duobus piſcibus pauit,duodecim cophinis fragmentorum poſt refectionem collectis,Matth.14.Marc.6.Luc.9.Ioan.6.

Ambulat Ieſus ſuper mare, & Petrus. *Cap.* 58.

ACCIDIT autem hoc,inſtante iam alio Iudęorum paſchate,ob quod miraculum cùm aduerteret ſe à turba rapiendum in Regem,diſcipulis iuſsis ſe trans mare pręcedere,ipſe ſolus in montem fugit,vndè ad ſuos pedeſtri in mari itinere veniens,nocturno tempore conſternatos ob tempeſtatem ac phantaſmatis exiſtimationem, confirmat, Petro facultatem faciens ambulandi ſuper aquas, omnique tempeſtate ſedata,nauem in petitam ripam deferens. In quam reuerſus, vndiquè collectos ægros contactu fimbrię ſanauit,Matth.14.Marc.6.Ioan.6.

Diſſerit de manducando pane cæleſti. *Cap.* 59.

POSTERA die,cùm occaſione miraculi quinq; panum,ad ipſum plerią; cōuenirent, à panis corporalis deſiderio abducit ad quęrendum panem cæleſtem,diſſerens de eo pane prolixè, quem iam pater miſiſſet in mundum,quem & ipſe daturus erat pro vita mundi,quem qui ederet, haberet vitam æternam: qui non ederet,viuere non poſſet,Ioan.6.

QVARTA PARS EVANGELICAE HISTO*riæ,continens acta tertij anni, vſque ad Lazari reſuſcitationem.*

Reprehenduntur Phariſæi diſcipulos calumniantes,quòd illotis manducarent manibus. *Cap.* 60.

ACCIDIT autem poſt hęc,vt cùm Dominus non in Iudæa ob Iudæorum odium,ſed in Galilęa conuerſaretur,quidam phariſæorum ac ſcribarum ad ipſum ex Hieroſolymis deſcenderent,quibus offenſis,ac cum Ieſu expoſtulantibus,quòd diſcipuli eius illotis manducarent manibus contra ſeniorum traditionem,Dominus viciſsim obijcit neglectum mandatorum Dei,docens,quę intrant in os,non polluere mentem, ſed quę de ore ex corde prodeunt,Matth.15.Marc.7.

Sanatur filia Chananææ. *Cap.* 61.

HINC egreſſus in partes Tyri & Sidonis, Chananææ filiam à dæmonio liberat, improbis matris victus precibus,Matth.15. Marc.7.

Reſtituitur ſurdus & mutus. *Cap.* 62.

VNDE reuerſus ad mare Galilæę, ſurdum & mutum,digitis in aures miſsis, ac lingua ſputo contacta, ſanat. Marc.7.

Septem panibus paſcuntur quatuor millia. *Cap.* 63.

ASSCENSO deincèps monte,multos ad ſe debiles delatos curauit, ac rursùm multitudinis quæ ipſum triduo ſecuta erat,miſertus,eam in deſerto pauit ſeptem panibus ac paucis piſciculis,ità ſaturans quatuor millia virorum,præter paruulos & mulieres,vt ſupereſſent ſeptem ſportæ fragmentis plenæ.Quo miraculo peracto,ſtatim conſcenſa naui,venit in fines Magedan,Matth.15. Marc.8.

Phariſæi ſignum quærentes,reijciuntur: eorumq́ fermentum cauendum docetur. *Cap.* 64.

ACCEDENTES autem ad Ieſum Phariſæi & Saducæi,rursùm tentantes,ſignum cæleſte ab eo requiſiérunt.Ipſe verò rursùm tale eis dandū negat,ſed potiùs è terra.Eisq; dimiſsis,rursùm aſſcenſa naui transfretauit:ibi tum diſcipulos à ſe commonitos cauere fermentum phariſæorum & Saducęorum,cùm de panibus ſoliciti eſſent,diffidentiæ coarguit,in memoriam reducens duo ſuperiora multiplicationis panum miracula,Matth.16.Marc.8.

Cæcus ſanatur in Bethſaida. *Cap.* 65.

CVM autem veniſſet Bethſaidam,cęco ad ſe adducto, viſum reſtituit, priùs imperfectè, poſteà perfectè,Marc.8.

Petrus Chriſtum confitens, commendatur. *Cap.* 66.

ILLINC digreſſus in partes Cęſareæ Philippi, poſtquàm rogâſſet hominum de ſe ſententiam, ac Petrus poſt multorum diuerſas opiniones,ab alijs indicatas,veram confeſsionem edixiſſet,beatum illum ob id pronunciauit,ac ſingulare illi eccleſię ſuæ regimen addixit. Eundem tamen mox ſeuerè redarguit,cùm ſtatim ſubijciens de ſua paſsione Hieroſolymis ſubeunda,Petrum reluctãtem audiret,addens crucem omnibus poſt ſe tollendam,qui ſalui eſſe vellent,Matth.16. Marc.8. Luc.9.

Transfiguratur Dominus. *Cap.* 67.

POST quę cùm gloriæ ſuæ, quæ crucem ſequeretur, ſpecimen aliquod edere promiſiſſet, octauo deindè die,coram tribus apoſtolis in monte,poſt colloquium cum Moiſe & Elia, trãsfiguratus eſt, paterna voce è cælis ei teſtimonium rursùs dante,Matth.17.Marc.9.Luc.9.

Eijcitur dæmonium,quod non potuerunt eijcere diſcipuli. *Cap.* 68.

QVAM viſionem cùm ſuis ſilentio ad tempus tegendam iuſsiſſet,ac è monte deſcendiſſet,poſtera die eijcit è puero dæmonium,quod ob imperfectionem fidei diſcipuli non potuerunt eijcere,conteſtans,tale dæmoniorum genus in ieiunio & oratione expellendum,Matth.17. Marc.9.Luc.9.

Statére in ore piſcis inuento, ſoluitur didrachma,ac mors prædicitur. *Cap.* 69.

INDE profectus,cùm adhuc in Galilæa diuerſaretur, omnibus admirandus, ſecundò imminentem ſibi prędicit paſsionem,apertis quidem verbis,ſed tamen à diſcipulis necdùm intellectis. Poſt longam autem profectionem,rursùm Capharnaum reuerſus,nè quem ſcandalizaret,pro ſe ac Petro didrachma ſolui iuſsit,ſtatére ex ore piſcis recepto,Matth.17.Marc.9.Luc.9.

Contendentibus diſcipulis pro primatu, humilitas docetur. *Cap.* 70.

EODEM loci,quia intellexerat diſcipulos inter eundum pro primatu inter ſe cõtendiſſe, eoſdem, puero in medium producto,humilitatem docet,ſaluãdis neceſſariam,ac per eam quenq; maximū fieri,Matth.18.Marc.9.Luc.9.

Scandalum puſillorum cauendum docetur. *Cap.* 71.

MOX ſubijcit ſtudioſè cauendum,nè quis ſcandalum aut faciat, (puſillis potiſsimùm) aut ipſe aliundè patiatur,Matth.18.Marc.9.

Condonandum fratri in nos peccanti, docetur. *Cap.* 72.

ET quia fieri non poteſt,quin aliquandò ſcandala & offenſiones oriantur, docet deindè quomodò monendus frater peccans,quomodò item eidem condonandum,efficaci ad hoc adhibita ſimilitudine de patrefamiliâs,qui ſerui ſiſi,in conſeruum immiſericordis,debitum decem millium talentorum,ſemèl remiſſum, repetijt,Matth.18.

Dominus,relicta Galilæa, venit in Iudæam,nec recipitur à Samaritis. *Cap.* 73.

His

His dictis,profecturus Hieruſalem,vbi,quemadmodùm pdixit, paſſurus erat, migrauit in totum à Galilęa.Priuſquàm tamen eam relinqueret,cognatis monentibus,vt ob inſtantem tabernaculorum feſtiuitatem,in Iudęam tranſiret,non acquieuit, nec priùs eò aſcendit, quàm illi pceſſiſſent. Cùm ergò iam pergeret Hieruſalem,& inter eundum à Samaritanis quibuſdam ciuitate excluderetur,noluit tamen,petentibus licèt diſcipulis nonnullis, iniuriam vindicari, ſed patientiam docens,abijt cum eis in alium pagum,Matth.19.Marc.10.Luc.9.Ioan.7.

In itinere curat decem leproſos. Cap. 74.

Immo nec benefacere quidem in Samaria ob id deſtitit. Nam Samariæ quendam vicum ingreſſus, obuios decem leproſos curauit,collaudato Samaritano, qui ſolus ad ipſum, gratias acturus, redijt, Luc.17.

Docet in templo in feſto Scenopegiæ. Cap. 75.

Ingressvs autem Hieruſalem,in media ſcenopegię ſolennitate, poſt longam Iudæorum expectationem cœpit docere in templo,contra quorundam calumniam,& doctrinæ ſuæ & operum rationem reddens,adeò efficaciter hæc aliaq; diſſerens,vt cùm eum quidam comprehendere deſiderarent,atque ad id etiam Phariſæi miniſtros mitterent, nemo illi manus inijcere auſus fuerit, Ioan.7.

Adulteram mulierem abſoluit. Cap. 76.

Post hæc perrexit in montem olíueti,ac vbi diluxiſſet, rursùm regreſſus in templum docendi gratia,adulteram mulierem à ſcribis & phariſęis ſubdolè adductam, abſoluit, ſcribis ac phariſæis pudore affectis,Ioan.8.

Rursùm docet in templo, & lapidantium ſe manibus eripit. Cap. 77.

Tum & nouo ſermone oſtendit quis eſſet,ac poſt longam cum Iudæis contentionem, cùm eò tandèm deuentum eſſet, vt tanquàm blaſphemum lapidare vellent, abſcondit ſe, egreſſus è templo, Ioan.8.

Cæco nato reſtituitur viſus. Cap. 78.

Secvta eſt mox noua calumnia,ob cæcum à natiuitate, qnem in tranſitu Dominus ſabbato viſu donauit,iuſſum priùs lutum à ſe oculis impoſitum abluere in Siloe: vndè cùm cæcus ipſum cõtra phariſæos defendere pergeret,atque ob id ab eis eijceretur,à Chriſto receptus eſt,& in fide pleniùs inſtructus,Ioan.9.

Diſſerit Dominus de vero paſtore & ouibus. Cap. 79

Disserit deindè Dominus de veri paſtoris ac mercenarij conditionibus, ſibi veri paſtoris conditiones competere adſtruens:Iudæorum verò principes,mercenarios inſinuans,Ioan.10.

Mittuntur 72. diſcipuli, & redeunt. Cap. 80.

Post hæc etiam alios ſeptuagintaduos diſcipulos deſignauit, qui inſtàr aliorũ duodecim, ipſum bini pcederent ad quæuis loca, eadem illis mandata præſcribens,quę nupèr ipſis duodecim.Quibus cum gaudio ad ſe reuerſis,etiam ipſe felicitatem ipſorum pdicans,viciſsim in ſpiritu exultauit, ꝙ diuina ſapiẽtia paruulis eſſet detecta, ſapientibus ſuperbis tecta,Luc.10.

Et quidem,quæ hactenùs habita ſunt,ordinem inter ſe conſequentem habẽt: quę verò ſequuntur,aliquouſquè ſine certo ordine referentur.

Proponitur parabola de Samaritano. 81.

Cum ergò aliquandò turgidus quidam legiſperitus,tentandi gratia Dominũ rogaret de commoda ratione conſequendæ vitę ęternę, ac Domini iuſſu ipſe protuliſſet duo dilectionis mandata, arrepta hinc occaſione,parabolam de Samaritano introduxit,qui hominis à latronibus vulnerati, à ſacerdote autem ac Leuita neglecti,ſolicitam habuit curam:notans,contemptos Samaritanos, in dilectionis negocio Iudęos excellere, Luc.10.

Martha Dominum ſuſcipit hoſpitio. Cap. 82.

Contigit autem, vt dum aliquandò Dominus iter faceret in Hieruſalem, à Martha reciperetur hoſpitio in Bethania, quę cùm Mariæ ſororis interpellaret ſanctũ ocium,cohibita eſt ab ipſo, Mariæ parte prę ipſius collaudata,Luc.10.

Docet orationis modum ac vim. Cap. 83.

QVODAM tempore, cùm ab oratione ceſſaſſet, rogatus à diſcipulis, orationis modum & breuem illis orandi formam pſcripſit, & efficacem orationis perſeuerantis vim oſtendit, parabola introducta de eo, qui importunitate panes ab amico nocte impetrauit, Luc.11.

Reprehendit præpoſteram phariſæorum munditiam. *Cap.* 84.

ALIO tempore, cùm inter loquendum à quodam phariſæo ad prandium vocatus eſſet, ac ab eo ob neglectam lotionem reprehenderetur, liberè phariſæorum ac ſcribarum taxauit pposteram & munditiam & religionem, ſuperbiam item, hypocriſim, ac homicidalem animum, Luc.11.

Docet non timendam mortem corporis. *Cap.* 85.

A a eorundem hypocriſi potiſsimùm aliquandò coram multa hominum turba ſuos cauendũ docet, eoſdem à timore hominum corpus occidentium auocans, & ad nominis ſui confeſsionem cõfirmans, Luc.12.

Docet abijciendam diuitiarum ſolicitudinem. *Cap.* 86.

A B auaritia item, ac ſolicitudine rerum temporalium, eorum animos abduxit, occaſione ſumpta ab eo, qui de hereditate cum fratre diuidenda ſolicitus erat, ſimilitudinem inducens de homine, qui cùm ob fructuum abundantiam, ſolicitus eſſet de receptaculis, eadem nocte coactus eſt, omnibus relictis, hinc migrare, Luc.12.

Docet officium fidelis ſerui erga venturum Dominum. *Cap.* 87.

SVBIECIT his officium fidelis ſerui, erga venturum Dominum, docens ob aduentûs ſui incertitudinem, ſemper ſuos paratos eſſe debere ad excipiendum ipſum, Luc.12.

Docet pœnitentiam agendam ob Dei patientiam. *Cap.* 88.

CVM autem inter loquendum hęc, quidam nunciarent de Galilęis à Pilato occiſis, illinc occaſione accepta, ad pœnitentiam agendam inuitat, inducta ſimilitudine de arbore ob ſterilitatem amputanda, poſt longam fructuum expectationem, Luc.13.

Sanatur mulier contracta. *Cap.* 89.

RVRSVM autem cùm in ſynagoga ſabbatis aliquandò doceret, ac mulierem dęmonis malitia cõtractam ſanaret, archiſynagogum obmurmurantem reddita ratione repreſsit, & pudore cum alijs ſuffudit, populo interim gaudente, vndè & ſubiecit duas illas à ſe nupèr dictas parabolas, de grano ſinapis ac fermento, ſignificans rursùm Euangelicam doctrinam ex humilibus initijs in ſummam amplitudinem proceſſuram, Luc.13.

Docet anguſtam eſſe viam regni cælorum. *Cap.* 90.

CAETERVM cùm aliquandò per ciuitates ac vicos docẽs iter faceret in Hieruſalem, rogatus num ſint pauci ſaluandi, contendendum docuit ad ingreſſum per anguſtam portam, cuius oſtium ſemèl clauſum, nemo ingredi poterit, quodq; familiaritatem prætendentibus pleriſq; excluſis, exteros recipiet. Eodem tempore monitus à quibuſdam Phariſæorum, vt ſibi ab Herode caueret, in Hieruſalem ſibi moriendum prædixit, eius ciuitatis obſtinatam incredulitatem & ſecuturam vindictam deplorans, Luc.13.

Sanatur hydropicus in ſabbato. *Cap.* 91.

ALIO aliquandò tempore, ingreſſus ad ſumendum ſabbato cibum in domũ cuiuſdam inter phariſæos magni, hydropicum ſtudio ante ſe collocatum ſanat, tacitæ phariſæorum repræhenſioni, ratione efficaci ſatisfaciens. Eodem deindè conuiuio docuit & inuitatos, quam humilitatem in deligendo menſæ loco ſeruare debeant, & inuitantem, quos maximè inuitare conueniat. Cumque eò ſermo proceſsiſſet, vt à quodam mentio ingereretur, de manducando pane in regno Dei, Dominus aſſumpta parabola de homine quodam, qui inuitatis ad cœnam paratam ſeſe excuſantibus, pauperes vndecunquè collectos introduci iuſsit, ſignificauit ſuperbis Iudæis excluſis, ad cęleſte conuiuium humiles ac gentiles admittendos, Luc.14.

Docet omnibus renunciandum. *Cap.* 92.

QVODAM autem tempore, cùm multæ cum ipſo irent turbæ, docuit eum, qui verus eius eſſe vellet diſcipulus, debere omnibus terrenis affectibus eſſe ſuperiorem, crucemque ei baiulandam, proindè quenque apud ſe expendere debere, num his par ſit, inſtàr ædificantium

aut

aut militantium,Luc.14. Et hæc quidem varijs ſic locis ac temporibus acciderunt.

In feſto Encæniorum eripit ſe lapidantium manibus. *Cap.* 93.

PORRO cùm poſt tabernaculorum feſtiuitatem,quæ ſeptimo quoque mēſe celebrabatur,ob Encæniorum feſtum,quod in fine noni menſis obſeruabatur,Dominus rurſùm Hieroſolymam aſcendiſſet,atq; in templo ambularet,à Iudæis ipſum circūdantibus rogatus,vt palàm ediceret, num ipſe eſſet Chriſtus,opera dixit de ſe teſtimonium perhibere,ſed per hæc illos ad fidem non adduci,quòd non eſſent ex ouibus ſuis.Eò autem procedente ſermone,vt ſe patri æquaret, rurſùm Iudæi lapidare ipſum adgrediuntur,quorum conatum cùm irrationabilem verbis oſtendiſſet,ſubtraxit ſe tandèm manibus quærentium eum apprehendere,ſeceſsitq; in fines Iudææ trans Iordanem, in locum Ioannis baptiſmo inſignem.Nec ibi tamen latére potuit,quin ad ipſum plurimi conuenirent,quos pro more & docuit,& curauit,Ioan.10.

Proponuntur parabolæ de oue, drachma, & filio perditis. *Cap.* 94.

CVM ergò ad illum publicani ac peccatores pleriq; accederent audiendi gratia,ac ob id phariſęi & ſcribæ murmurarent,tribus parabolis,ſcilicet de oue,drachma,ac filio perditis,ſed poſteà inuentis, oſtendit quàm grata ac iucunda ſit Deo angeliſq; ſanctis peccatorum conuerſio, Luc.15.

Parabola de villico iniquo. *Cap.* 95.

SVBIECIT deindè parabolam de diſpenſatore iniquo,qui cùm intelligeret ſe diſpenſatione priuandum,prudenter ſibi de bonis Domini proſpexit,inſinuans bonis tēporalibus amicos parandos, per quos poſteà benè nobis ſit,ac eleemoſynis inſiſtendum,auaris phariſæis hæc ritēdibus,Luc.16.

Diſſerit de matrimonij indiſſolubilitate. *Cap.* 96.

QVI cùm tentandi animo rogarent,num licitum eſſet diuortium,oſtendit Dominus matrimonij omnimodam indiſſolubilitatem,ob quam cùm diſcipuli colligerent coniugij difficultatem, diſſeruit de cęlibatu,tanquàm qui coniugio ſit pferendus, ſed quem non omnibus contingit peligere, Matth.19.Marc.10.Luc.16.

Parabola de diuite epulone proponitur. *Cap.* 97.

ADIECIT his, phariſæorum auaritiam ac luxum notaturus, parabolam de diuite epulone, qui hîc felix,cùm nullam pauperi Lazaro miſericordiam exhibuiſſet,in alio ſeculo infelix,nullam viciſsìm à Lazaro felici conſecutus eſt,Luc.16.

Docet ſcandalum vitandum, & fidei virtutem. *Cap.* 98.

DE ſcandalo vitando deindè,ac fratre monendo,ac in gratiam recipiendo, rurſùm ſermonem infert apud diſcipulos,de fidei item virtute diſſerit,ac humilitate exhibenda poſt præſtita multa opera bona,Luc.17.

Proponitur parabola de Phariſæo & Publicano. *Cap.* 99.

RVRSVM autem quandoq;,quò Phariſæorum retūderet ſuperbiam,parabolam proponit de Phariſæo ac Publicano,templum ſimul ingreſsis,quorum ille per ſuperbiā iuſtitia excidit, hic per humilitatem iuſtitiam adeptus eſt,Luc.18.

Paruulis manum imponit, & adoleſcentem diuitem ad perfectionem inuitat. *Cap.* 100.

CVM autem inter loquendum,paruuli ad ipſum deferrentur,ac diſcipuli ob id indignarentur, increpatis diſcipulis,paruulos ſuſcipiens ac complexans,rurſùm docuit paruulorum ſimplicitatem & humilitatem imitandam ei,qui ſaluus eſſe volet.Cæterùm cùm poſt hęc indè abijſſet Dominus,in viam egreſſus,adoleſcentem quendam diuitem,qui de ratione obtinendę vitę ęternę ſolicitè inquirebat,poſt mandatorum obſeruationem,ad perfectionem,omnium bonorum in pauperes diſtributione, inuitat: quod cùm adoleſcenti durum videretur, diſſeruit Dominus de difficultate, quam diuitiæ afferunt hominibus ad obtinendum regnum Dei, & felicitate eorum, qui propter ipſum omnia relinquerent,Matth.19.Marc.10.Luc.16.

Proponitur parabola de operarijs in vineam conductis. *Cap.* 101.

POST quę parabolam proponit de patrefamiliâs, varijs diei horis operarios in vineam cōducentes,quibus in fine diei eandem ille reddi voluit mercedem,concludens ſic fore nouiſsimos primos, & primos nouiſsimos,Matth.10.

QVINTA PARS, CONTINENS ACTA CHRIſti, à Lazari reſuſcitatione, vſque ad Chriſti aſſcenſionem.

Lazarus reſuſcitatur. Cap. 102.

CVM autem Dominus adhuc eſſet in finibus illis Iudææ,(in quos,vt diximus, Iudæorum perſecutionem fugiens,ſeceſſerat, vbi & ſuperiora geſta ſunt) ibiq; Lazari infirmitatem,ex nuncio à ſororibus miſſo intellexiſſet,non priùs in Iudæam pergere voluit,quàm ſciret eum mortuum. Tũc enim in Iudæam profectus cum ſuis,poſt fidutiam Marthę ac Mariæ ſororibus ingeſtam, poſt turbationem ac lachrymas in ſe prouocatas,quatriduo mortuum è ſepulcro ſuſcitat, multis Iudæorum, qui ſpectabant,per hoc ad fidem adductis,Ioan.11.

Conſultant Phariſæi de perdendo Domino. Cap. 103.

ID cùm quorundam narratione intellexiſſent pontifices & phariſæi,collecto concilio,ex ſententia Caiphę pontificis,certò definiuerunt ipſum occidendum. Itaq; Dominus publicum fugiens, ſeceſſit iuxta deſertum in ciuitatem Ephrem: & iam paſcha proximum erat,cùm hęc agerētur, Ioan.11.

Mortem ſuam prædicit, & Zebedæi filijs primatum petitum denegat. Cap. 104.

ITAQVE cùm iam appeteret tempus ſubeundę in proximo paſchate paſsionis, Dominus è ſuo ſeceſſu aſſcendens Hieruſalem,in via duodecim diſcipulis ſeorsùm ſumptis apertè iam tertiò pdicit, quę Hieroſolymis paſſurus erat,nec tamen intellexerunt,quæ dicebantur. Cùm autem ſuſpicarentur adeſſe tempus regni ipſius,mater filiorum Zebedæi cum filijs Dominum accedens,filiorũ nomine petiuit primas in regno ipſius ſedes. At Dominus & oſtendit imprudentem ipſorum petitionem,& ex ea ſuborientem aliorum indignationem repreſsit,docẽs rursùm, primo in regno Dei humilitatem maximè congruere, Matth.20, Marc.18, Luc.19.

Sanatur cæcus ante ingreſſum Hiericho. Cap. 105.

POST hæc,cùm ciuitati Hiericho,quæ Hieruſalem eunti obuiàm erat,iam proximus eſſet,cæcum conſtanter,licèt à turba prohiberetur,miſericordiam implorantem, viſu donat, Luc.18.

Zachæus publicanus Chriſtum ſuſcipit. Cap. 106.

HIERICHO ingreſſus,Zachæum ſe videndi cupidum ex arbore vocat,atq; ab eo ſuſceptus conuertit,ſalute illi ob conuerſionem promiſſa, Luc.19.

Parabola proponitur de decem minis. Cap. 107.

SVBIECIT mox parabolam de homine nobili,qui traditis decem ſeruis ſuis decem minis, profectus in regionem longinquam, poſt reditum rationem inijt cum eis,collaudatis ſeruis frugi, inutili autem ſeruo reprobato,ac hoſtibus ſuis interfectis, ſignificans in regno ſuo, quod iam inſtare exiſtimabant,ſimilia euentura. Luc.19.

Duo cæci ſanantur poſt egreſſum Hiericho. Cap. 108.

QVIBVS dictis cùm ex Hiericho pergeret Hieroſolymã, duos rursùm cæcos,quorum alteri nomen erat Bartimæus,non longè ab Hiericho cæcitate poſt conſtantes illorum preces liberauit, Luc.eod.

Cœna in Bethania facta, Maria Dominum perfundit vnguento. Cap. 109.

COEPTVM ergò proſecutus iter,ante ſex dies paſchæ venit Bethaniam, vbi in domo Simonis leproſi honorifica exceptus eſt cœna, in qua Lazaro accumbente cum alijs, & Martha miniſtrante, Maria precioſo vnguento perfudit caput Domini recumbentis. Ob quod,cùm indignarentur diſcipulorum quidam,& pcipuè Iudas, Dominus ab eorum calumnia Mariam vendicauit, cõteſtatus factum bonum fuiſſe ac myſticum, Matth.26. Marc.14. Ioan.12.

Inſidens aſino, intrat Dominus glorioſè in Hieruſalem. Cap. 110.

POSTRIDIE aſello inſidens,ab apoſtolis iuſſu ipſius adducto,per viam ramis inſtratam,cum gratulabunda populi acclamatione,intrat glorioſè in Hieruſalem,deplorans ante ingreſſum futurum ciuitatis excidium, Matth.21. Marc.11. Luc.19. Ioan.12.

Cæci & claudi curantur à Chriſto, & Gentiles ipſum videre deſiderant.
Cap. 111.

TEMPLVM deindè ingreſſus, cæcos ac claudos ſanauit, cumque Pontifices, Phariſæi, ac ſcribæ ob ea, quæ videbant & audiebant, indignarentur ac contabeſcerent, gentiles quidam contrà accendebantur deſiderio videndi ipſum, qua occaſione ad ipſius petitionem voce cæleſti eius claritas declarata eſt, Matth.21. Ioan.12.

Maledicitur ficulnea, & eijciuntur ementes & vendentes è templo.
Cap. 112.

POST ſalutares deindè monitiones, veſperi ciuitatem egreſſus, conceſsit cum ſuis in Bethaniam. Vndè cùm manè reuerteretur in ciuitatem, ficulneæ fructibus carenti, in via maledicit, ac maledicendo aridam facit. Ingreſſus mox templum, zelo commotus, ementes & vendentes eiecit, principibus Sacerdotum, ac ſcribis ob id grauiter turbatis. Rursùm autem veſpera facta, ciuitatem egreſſus eſt: cumque manè reuerteretur, diſcipulis mirantibus, ficum arefactam eſſe, fidei vim & orationis expoſuit, Matth.21. Marc.11. Luc.19.

Proponitur Quæſtio de baptiſmo Ioannis, & parabola de duobus filijs.
Cap. 113.

TEMPLO dehinc docédi gratia repetito, multis à Phariſæis & Sadducęis impetitus, ſubdolè Quęſtionibus, ipſe viciſsim varijs eos notauit & quæſtionibus, & parabolis. Et inprimis rogatus à pontificibus ac ſcribis, qua authoritate faceret, quæ faciebat, viciſsim de baptiſmo Ioannis rogat, Ex cælóne ſit, an ex hominibus: illiſque ignorantiam profitentibus, negat item ſe illorum reſponſurum quæſtioni, ſubijciens parabolam de duobus filijs, quorum is Patris voluntatem peregit, qui priùs recuſauerat: alter neglexit, qui promiſerat: inferens, peccatores ipſis fore coram Deo priores, Matth.21. Marc.11. Luc.20. Ioan.20.

Notantur Phariſæi parabola de locata vinea.
Cap. 114.

ADIECIT & alteram parabolam de vinea, quæ cultoribus fructum negantibus, inſupèr & ſeruos & filium Domini occidentibus, alijs ſit locanda, ſignificans ſe ab eis occidendum poſt prophetas, ac regnum Dei ab ipſis ad gentes transferendum, Matth.21. Marc.12. Luc.20.

Parabola proponitur de nuptijs filij. *Cap.* 115.

TERTIAM deindè adiunxit, de nuptiali conuiuio, ad quod inuitatis venire recuſantibus, ac etiam vocantes occidentibus, alij priùs non inuitati, recepti ſunt, ſignificans rursùm pro Iudæis Gentes ad gratiam admittendas euangelicam. Matth.22. Luc.14.

Soluitur Quæſtio de tributo Cæſari dando. *Cap.* 116.

PER hęc Phariſęi ſe notatos ſentientes, nec tamen vim inferre audentes, inito conſilio vt eum caperent in ſermone, quæſtionem per ſubornatos proponunt, de cenſu Cæſari perſoluendo, Matth. 22. Marc.12. Luc.20.

Soluitur Sadducæorum Quæſtio contra reſurrectionem. *Cap.* 117.

QVA ſapienter ſoluta, acceſſerũt & Sadducæi, quæſtioné de reſurrectione, quam illi nequaquàm credebant, inferentes, ſed & hac prudenter diſcuſſa, Matth.22. Marc.12. Luc.20.

Soluitur quæſtio Phariſæorum de maximo mandato. *Cap.* 118.

AC reſurrectionis fide comprobata, ſucceſſerunt & Phariſæi, de primo legis mandato rogantes, Matth.22. Marc.12. Luc.20.

Quæſtio proponitur de Chriſto, cuius filius ſit. *Cap.* 119.

AD quam interrogationem cùm Dominus duo dilectionis mãdata reſpondiſſet, ſubintulit & ipſe viciſsim Quæſtionem de Chriſto, cuius filius eſſet. Ad quam cùm non poſſent reſpondere, deſierunt ipſum vlteriùs ex ea die interrogare, Matth.22. Marc.12. Luc.20.

Docet audiendos & cauendos ſcribas. Cap. 120.

ILLIS ergò ceſſantibus,& confuſis,Dominus ad plebem conuerſus,docere cœpit audiendam doctrinam,ſed vitanda opera ſcribarum ac Phariſęorum,eorumque vitia varia, vt & aliàs apertè depingit & inſectatur,Matth.23.Marc.12.Luc.20.

Præfertur oblatio viduæ. Cap. 121.

HIS alijsque dictis,cùm ſederet contra gazophylacium,in quod multi munera mittebant, viduæ duo minuta immittentis oblationem pręfert omnibus oblationibus,Mar.12.Luc.21.

Prædicitur euerſio templi & Hieruſalem. Cap. 122.

POST hęc egreſſus templo,diſcipulis mirantibus templi magnificam ſtructuram,prædicit eius perfectam deſtructionem,matth.24.marc.13.Luc.21.

Prædicitur aduentus filij hominis. Cap. 123.

CVIVS cùm ab ipſo in monte Oliueti ſedente tempus,ſimul & aduentùs ſui tempus requirerent, longè repetito ſermone,prædicit ventura poſt ſe mala,falſos ſcilicet prophetas & chriſtos, bella,famem,peſtes,perſecutiones,ac demùm templi, vrbiſque Hieruſalem euerſionem, atque poſt hęc tandèm ſe in magna maieſtate apertè venturum ad iudicium, terrificis ſignis pręcedentibus, quæ impios conturbarent,pijs verò ſpem redemptionis præberent,matth.24.mar.13.Luc.17.& 21.

Docet quomodò ad aduentum ſuum nos parare debeamus. Cap. 124.

PROINDE monet ſuos,vt ad hunc ſuum aduentum inopinatum ſeſe pa[illegible]ent ſobrietate, vigilãtia, oratione,cuius vim quo magìs inſinuaret,parabolam adiecit de iudice iniquo,quem cùm Dei hominumque metus non moueret,viduę conſtantes preces vicerunt,matt.24.marc.12.Luc.17.18.& 21.

Parabola de decem virginibus. Cap. 125.

QVÓ QVE ad vigilantiam ac diligentiam magìs prouocaret,ſubiungit duas parabolas, alteram de decem virginibus,quarum ſolùm quinque prudentes,in nuptialem thalamum cum ſponſo ac ſpõſa receptę ſunt,alijs quinque fatuis excluſis,quòd oleum non haberent in lampadibus ſuis, matt.25.

Parabola de diſtributis talentis. Cap. 126.

ALTERAM de talentis,à Domino in ſeruos diſtributis,quorum qui lucrum fecerũt, laudati ſunt & honorati: qui inutilis fuit,non tantùm vituperatus eſt, ſed in tenebras etiam eiectus exteriores, matth. eodem.

Modum aperit iudicandi in nouiſſimo Iudicio. Cap. 127.

POST hæc,modum proſequitur futuri nouiſſimi iudicij, nimirùm quomodò filius hominis in maieſtate magna adueniens,ſeparatione bonorum à malis facta,illos ob præſtita miſericordię opera ad ęternam vocabit vitam, hos ob eorundem operum neglectum, in ignem mittet ęternum, matth.25.

Paciſcitur Iudas cum Iudæis. Cap. 128.

HAEC prolocutus,ſubiecit poſt biduum ſe in Paſchate crucifigendum. Quod poſtquàm dixit,vt quod diuinitùs prædictum erat,adimpleretur: eccè mox poteſtate facta diabolo, & Principes Iudæorum collecti,conſilium iniêrunt de capiendo & occidendo Ieſu,& ad eos conſultantes ingreſſus Iudas,triginta argenteis pactus eſt,ſe illum eis traditurum,matth.26.marc.14.Luc.22.

Paratur agnus Paſchalis. Cap. 129.

POST quæ,cùm iam adeſſet dies prima azymorum, miſſo Petro & Ioanne, Dominus paſchalem agnum veſperi edendum parare iuſsit in Hieruſalem, in domum eis nouo ſigno demonſtratam. Itaque hora opportuna,cum reliquis apoſtolis veniens,diſcubuit, agnumque paſchalem eſitauit, matth.26.marc.14.Luc.22.

Lauantur apoſtolorum pedes. Cap. 130.

POST cuius eſum,ſuorum diſcipulorum,Petro licèt aliquandiù renitente, lauit pedes, in exemplum ſimul & myſterium: Exemplum quidem humilitatis ac charitatis, myſterium verò puritatis,Euchariſtiam ſumpturis neceſſariæ,Ioan.13.

Inſtituitur Euchariſtia. Cap. 131.

POST agni ergò typici eſum,ac pedum lotionem,ſuum corpus ac ſanguinem diſcipulis,ſumenda tradit,atque idem eis in poſterum faciendũ præcipit in ſuî memoriam, matth.26. marc.14. Luc.22.

Prædicitur Iudæ proditio. *Cap.* 132.

PRAEDICIT deindè ſe à diſcipulorum vno tradendum, omnibusque perplexis, Iohanni, quis eſſet,intincto pane demonſtrat: quo ſumpto,Iudas eius iuſſu egreſſus eſt, Matth. 26,Marc.14. Luc. 22.Ioan.13.

Contentio diſcipulorum pro primatu, ſedatur, & prædicitur eorum abnegatio. *Cap.* 133.

SECVTA mox rursùm contentio inter apoſtolos de primatu,quam non ſolùm,vt olim,ſedat humilitatis præcepto,ſed & magni honoris promiſſo. Poſt de ſuo diſceſſu ſermonem inferens,nouum dilectionis mandatum ſuis commendat, eosque omnes in ipſa nocte ſcandalum in ſe paſſuros, ac Petrum qui ſibi id eventurum fortiter negauit,ter ſe ante ſecundum gallicinium negaturum prædicit,Matth.26.Marc.14.Luc.22.Ioan.13.

Sermo Domini poſt cœnam. *Cap.* 134.

MOX ad conſolationem mœſtorum diſcipulorum conuerſus, prolixo eodemque longè amantiſsimo & mellitiſsimo ſermone varijs modis eorum deiectos animos erigit,Ioan.14.

Continuatio ſermonis. *Cap.* 135.

EADEM oratione contra imminentia eos præmunit mala,hæc agens partim inter accumbendū, partim exiens indè,Ioan.15.& 16.

Oratio Ieſu ad Patrem. *Cap.* 136.

QVO ſermone completo,oratione ad Patrem habita,ſuos omnesque credituros illi commendat, Ioan.17.

Ter orans,deprecatur mortem, & capitur. *Cap.* 137.

HIS omnibus geſtis,egreſſus Dominus cum ſuis in hortum quendam, à ſe frequentari ſolitum orationis gratia,angorem animi ſui ob inſtantem mortem,primùm delectis à ſe tribus apoſtolis familiarioribus,deindè patri in oratione,qua ter mortem deprecatus eſt,aperuit: poſt quod ab angelo confortatus,vltrò ſe hoſtibus,Iuda prodente,capiendum tradidit,Petrum à vi inferenda prohibens,Matth.26. Marc.14.Luc.22.Ioan.18.

Iudicatur & illuditur in domo Caiphæ. *Cap.* 138.

CAPTVS ac vinctus poſt Annam Caiphæ pontifici præſentatur,apud quem poſt acceptam in domo Annæ ob liberum reſponſum crudelem alapam,poſt auditos falſos teſtes, ſed nihil idoneum adſerentes,tanquàm blaſphemus condemnatur & illuditur,Matth.26.Marc.14.Luc.22. Ioan.18.

Ter Petrus negat Dominum. *Cap.* 139.

QVAE dum geruntur, Petrus nocte ipſa ter Dominum negauit: ac Domino ipſum reſpiciente, ad ſecundum gallicinium lapſum ſuum agnoſcens,egreſſus foràs,fleuit amarè, Matth.26. Marc.14. Luc.22.Ioan.18.

Ducitur ad Pilatum Ieſus,& Iudas ſe laqueo ſuſpendit. *Cap.* 140.

MANè facto,Principes Iudæorum rursùm Dominum,à ſe ob veritatis confeſsionem condemnatum,vinctum tradiderunt Pilato præſidi. Quibus viſis,Iudas pœnitentia ductus,laqueo ſe ſuſpendit,proiectis priùs in templo argenteis,quibus deindè decreto concilij emptus eſt ager in ſepulturā peregrinorum,Matth.27.

Accuſatur coram Pilato,& ab eo mittitur ad Herodem. *Cap.* 141.

PILATO præſentatus Dominus,de varijs accuſatur à Iudæis,quę cùm parùm probabilia iudex exiſtimaret,atque innocentem ipſum iudicaret,intelligens Galilæum eſſe,ad Herodem Galilęæ tetrarcham ipſum miſit,qui ob ſilentium à ſe contemptum,indutumque veſte alba,eúdem mox remiſit ad Pilatum,eidem ob honorem ſibi exhibitum per hæc reconciliatus, Luc.23.

Barraba dimiſſo, flagellatus & coronatus Chriſtus,traditur crucifigendus. *Cap.* 142.

PILATVS de innocentia rei ſatis apud ſe perſuaſus, atque ob id perplexus, varijs illum abſoluere pergit modis. Et primùm quidem tentat,num occaſione feſti poſsit dimitti populi fauore: deindè cùm id non ſuccederet,& præ illo Barrabas latro eligeretur dimittendus, eundem grauiter flagellatum,& ſpinea corona,veſteque purpurea illuſum Iudæis videndum exhibet,ſi vel ſic ſatiati deſiſterent. At cùm eo magis eius necem poſcerent, ac metum Pilato inijcerent, manibus aqua lotis, poſt innocentiam frequenter à ſe teſtatam,crucifigendum Iudæis tradidit.Matt.27.Marc.15. Luc. 23.Ioan.18.& 19.

Ducitur ad crucem, & crucifigitur. *Cap.* 143.

TRADITVS ducitur ad mortem,crucem ſuis geſtans inprimìs humeris,quæ deindè poſt ipſum portanda Simoni cuidam Cyrenenſi impoſita eſt,atque inter eundum plorantes mulieres, non ſuam mortem, ſed imminens ipſis excidium, deplorare iubet. Ad montem dehinc Caluariæ progreſſus,vino myrrhato felle mixto potatur, ac crucifigitur inter duos latrones, cum affixo titulo. Pendens in cruce,orat pro crucifixoribus ſuis,quanquàm coràm cerneret milites veſtimenta ſua ſibi diuidentes,eoſdemq́; cum principibus Iudæorũ audiret ſibi illudentes,& conuiciantes. Quod cùm vnus latronum itidèm faceret,alter eo repræhenſo,ad Dominum ſe conuertens,obtinuit paradiſi promiſsionem.Matrem deindè ex cruce diſcipulo commendat. A patre ſe derelictum queritur, aceto ſitim profeſſus potatur, ac tandèm omnibus conſummatis, in manus patris Spiritum tradens,moritur,circa horam nonam,cùm ante ſextam in crucē fixus fuiſſet, varijs interim ſignis oſtenſis,ex quibus & centurio & omnis turba innocentiam eius intelligebant, Matth.27. Marc.15. Luc.23.Ioan.19.

Aperitur eius latus, & ſepelitur honorificè. *Cap.* 144.

MORTVO latus lancea aperitur,ſanguine ſimul & aqua indè profluente,honorifica ſepultura eidem à Ioſepho ac Nicodemo impenditur,ſepulcrumq́ue eius altera die principum ſtudio cuſtodibus munitur,Matth.27.Marc.15.Luc.23. Ioan.19.

Surgit Chriſtus, & angeli apparent mulieribus. *Cap.* 145.

IN cuius diei,quæ Sabbatum erat,veſpera ſanctæ conuenerunt mulieres,emptisq́; ac paratis aromatibus,cùm ſummo manè ſepulcrum vngendi gratia adijſſent, ab angelo docentur Dominum reſurrexiſſe: quod cùm eiuſdem iuſſu diſcipulis & inprimìs Petro renunciâſſent, Petrus & Ioannes ad monumentum excurrunt: ſed illis abeũtibus,cùm Maria Magdalena ad ſepulcrum perſiſteret, poſt angelorum colloquium prima meruit Dominum à morte rediuiuũ videre, ac poſt eam mulieres reliquæ,quibus in via Dominus occurrit. Huius reſurrectionem cùm ſatìs ex angelorũ verbis cognoſcerent cuſtodes milites,pecunia tamen à Pontificibus corrupti,mentiro diſcipulorũ furto texerunt.Eandem mulieribus,quæ Dominum viderant,prædicantibus, nec diſcipuli crediderunt,Matth.28.Marc.16.Luc.24.Ioan.20.

Apparuit Dominus duobus diſcipulis euntibus Emaus. *Cap.* 146.

ITAQVE poſt hęc,eadem die,duobus diſcipulis in Emaus euntibus,iunctus in aliena ſpecie, poſt diuturnum cum eis colloquium,agnitus eſt in fractione panis,Mar.16.Luc.24.

Bis apparet Dominus congregatis in domo diſcipulis. *Cap.* 147.

QVIBVS in Hieruſalem reuerſis,eadem veſpera,dum apud Apoſtolos vndecim ſibi narrāt Dominum viſum,ac viciſsìm audiunt Petro viſum,aſsiſtens in medio per ianuas clauſas Dominus, videndum ſe ac palpandum omnibus præbet,fidemq́ue edēdo cum ipſis confirmat,poteſtate poſt hæc remittendi retinendiq́ue peccata eis concredita. Cæterùm cùm abſens Thomas aliorum teſtificationi non adquieſceret, octauo poſt die rurſùs ianuis clauſis ingreſſus Dominus, ipſum vidēdo ac palpando ad fidem adducit,Marc.16.Luc.24.Ioan.20.

Apparet diſcipulis Dominus ad mare Galilææ. *Cap.* 148.

POST hæc à ſeptem diſcipulis in mari Tiberiadis piſcantibus, cùm eius licèt incogniti iuſſu immenſam piſcium vim concluſiſſent,tandèm agnitus eſt. Vbi poſt communem cum eis menſam, Petro ſuas oues paſcendas commiſit, vtq́ue ſe ſequeretur præcepit,excuſſa eius de Ioanne cura, Ioan.21.

Apparet diſcipulis in monte Galilææ. *Cap.* 149.

VISVS deindè eſt à ſuis in monte Galilęæ,quem olìm eis conſtituerat.Vbi & negocium eis iniūgit euangelizandi ac baptizandi,collata etiam poteſtate ſignorum,Matth.28.Marc.16.

Promittit Spiritum ſanctum, & aſcendit in cælum. *Cap.* 150. *& vltimum.*

DEHINC poſt ſcripturarum explanationem,poſt promiſsionem ſpiritusſancti, quem in Hieruſalem eos expectare iuſsit,cùm eduxiſſet ſuos foràs in Bethaniam,è monte Oliueti aſcendit in cęlum,vbi ſedet à dextris Patris,cum quo & Spiritusſancto eſt benedictus in ſecula.Amen.

PERE.

PEREGRINATIO IESV CHRISTI, EX QVATVOR EVANGELIIS COLlecta, *ac nobis per Reuerendum D. Ioanuem Egenolph. à Knorringen, Auguſtanæ & Herbipolenſis Eccleſiæ Canonicum &c. Virum antiquæ & pietatis & familiæ ampliſſ. communicata.*

CHRISTVS in Nazareth conceptus, in Bethleem naſcitur. Octauo die ſiſtitur Domino in Hieruſalem. Fugit in Aegyptum. Redit habitatque in Nazareth. Natus duodecim annos, diſputat Hieroſolymis in templo. Redit cum parentibus in Nazareth. Natus ferè triginta annos, baptizatur in Iordane, littore eius orientali in Bethabara. In deſerto ieiunat, & tentatur à diabolo, à quo tandèm ductus in Hieroſolymam ſuper pinnaculum templi, deindè in montem excelſum. Venit Bethabaram trans Iordanem ad Ioannem. Vocat diſcipulos, Petrum, Andream, & Philippum. In Cana Galilææ aquam in vinum mutans, nuptijs adeſt. Capernai cum matre & ſuis paucis diebus manet. Hieroſolymis ſub Paſcha vendentes ementesque ex templo eijcit. Hinc abiens, moratur in Iudæa cum diſcipulis ſuis. Capto Ioanne, abiens in Galilæam, venit Sichar Samariæ ad fontem Iacob, quatuor menſibus ante meſſem. Samariæ duos dies manet. Pergens in Galilæam, venit Canam. Vbì ſanat filium Reguli. In Nazareth ſynagogam ingreditur. Capernai habitat: incipit prędicare regnum Dei. Galilæam totam perambulat, docens in Synagogis. Iuxta mare Galilææ vocat Simonem & Andream, Iacobum & Ioannem. Hinc Galilęam totam peragraturus, primùm reuerſus Capernaum, domum Simonis & Andreę ingreditur. Diluculo in deſertum egreditur, ac deincèps totam Galilęam peragrat. Traijcit mare Galilææ tempeſtuoſum, venitque in regionem Gergeſenorum, vbì porci à dæmonijs merguntur. Iterùm transfretat Capernaum. Egreſſus ad mare Galilæę, vocat Matthęum. Reuerſus Capernaum, accumbit in domo Matthæi. Adijt ædes Iairi archiſynagogi. Aſſcendit Hieroſolymam ad feſtum Paſchæ. Abijt per ſata ſabbato ſecundo, diſcipulis ſpicas confricantibus & edentibus. Alio ſabbato Hieroſolymis ſynagogam intrat. Indè ſeceſsit ad mare Galilæę, Nauiculam ingreditur propter preſſuram multitudinis. Aſſcendit in mõtem, duodecim apoſtolos ex diſcipulis ſelegit, de beatitudinibus diſſerit. In vna Ciuitatum Galilæę leproſum curat. Vbì cùm propter vulgi de ſe ſermonem, non poſſet maniſeſtè verſari, ſecedit in deſertum. Intrat Capernaum. Naim it. A Simone Phariſæo inuitatur. Venit in domum ſuam Capernai. Concionatur è nauicula in littore maris Galilęæ. Redit Capernaum & domum. Venit Nazareth, vbì à Synagoga expellitur. Et pręcipitandus, in ſupercilium montis, in quo Nazareth ſita eſt, ducitur. Deindè circumit Ciuitates & vicos Galilæę, Duodecim apoſtolos binos mittit annunciatum regnum Dei. Circumeundoque (quantùm videtur) Capernaum, redit ſeorsùm à turba ſe conuenientium, atque hîc iam redeunt Apoſtoli, perfuncti prædicationis munere. Ducit Apoſtolos, eſurientesque ex itinere, in propinquum deſertum, vt liberi à turba quieſcant, edantq;. Transfretans mare Galilęæ, ſecedit in deſertum Bethſaidæ tranſmarinum, & confluẽte illuc quoquè turba, ſubit in montem cum ſuis: vndè iterùm deſcendens, Turbas docet, ac paſcit quinque panibus & duobus piſcibus. Cumq; vellent eum Regem creare, iterùm in montem ſeceſsit. Diſcipulis abnauigantibus, Chriſtus ſuper mare Galilææ ambulans inſequitur: ſimul appellunt ad littus terræ Genezareth, quæ eſt Bethſaidæ & Capernai. pergũt Capernaum. Verſatur in Galilęæ locis. Secedit in partes Tyri ac Sidonis. Redit ad mare Galilææ per medios fines Decapoleos. Aſſcendit in montẽ vltra mare Galilææ. Cibat turbam ſeptem panibus & piſcibus paucis. Nauigat in fines Magedan & Dalmanutha. Iterùm transfretat mare Galilęæ. Redit Bethſaidam. Exit in partes Cæſareę Philippi. In monte Thabor transfiguratur. Iter facit per Galilęam. Redit Capernaũ, & domũ. Migrans ex Galilęa, tranſit per mediam Samariam & Galilęam: Ex hac pręmittit duodecim diſcipulos

pulos ſuos Hieroſolymam ad feſtum tabernaculorum, mox occultè ſubſequens: præmittit nuncios Samariam, qui illi parent: à Samaritanis non recipitur: venit Hieroſolymam, docet palàm in templo vltimo die feſtiuitatis. Pergit in montem Oliueti. Diluculo redit in templum. Mittit ſeptuagintaduos diſcipulos, binos in omnem locum quò ipſe venturus erat. In Bethania à Martha ſuſcipitur hoſpitio. Per ciuitates ac Caſtella ambulans ac docens, Hieroſolymam venit: Vbi in domo Principis Phariſæorum, cibum ſumit, in Encænijs ambulat in templo, in porticu Salomonis, idque hyeme. Abijt in fines Iudææ trans Iordanem: Vbì Ioannes primùm baptizabat. In Bethania Lazarum ſuſcitat. Subducit ſe in Ephrem oppidum iuxta deſertum, in quo ieiunauerat, ſitum. Hieroſolymam ſub ſeſtum Paſcha clàm aſſcendens cum duodecim diſcipulis, intrat Hiericho & domum Zachæi. Venit Bethaniam ante ſex dies Paſchæ: cœnat cum Maria, Martha, & Lazaro. Venit Bethphage iuxta montem olìueti. Intrat Hieruſalem, aſina & pullo eius vectus, ingrediturque in templum. Veſperè egreditur Bethaniam. Poſtridiè manè Hieroſolymam regreſſus, in templo docet, vendentes ementesque eijcit. Veſperè egreſſus Hieroſolymam, rurſùs Hieroſolymam venit, docens quotidiè in templo: Vbì quodam die contra Gazophylacium ſedens, offerentes munera ſpectat. Egreſſus templum, ſecedit in montem Oliueti, & interdiù in templo docens, veſperè ſemper in eundem regreditur. Hieroſolymam venit, paſchalem agnum comeſturus. Poſt cœnam egreditur trans torrentem Cedron, in hortum Gethſemani, qui erat in monte oliueti: Vbì iactum lapidis à diſcipulis recedit, orat, prececque finita ad illos rediens, compræhenſus eſt. Hieroſolymis primùm ad Annam ducitur, Deindè ad Caipham. Ad Pilatum in Prætorium, Ad Herodem, Ad Pilatum iterùm in Prætorium, à quo in atrio prætorij flagellandus traditur: Foràs eductus, populo oſtenditur, in prætorium reducitur, Foràs iterùm ductus, morti adiudicatur. Extra ciuitatem in Caluariæ loco crucifigitur. In ſepulcro conditur. Tertio die reſurgens, appáret Mariæ Magdalenæ. Occurrit mulieribus, miſſus ab angelo Hieroſolymam nũciàtum apoſtolis reſurrexiſſe Chriſtum: Hic videtur apparuiſſe Petro. Comitatus euntes Emauntem, Appáret apoſtolis Hieroſolymis, primùm abſente Thoma, deindè iterùm præſente Thoma. Poſteà Petro, Thomæ, Nathanaeli Cananæo, & filijs Zebedæi, alijsque duobus diſcipulis, iuxta marc Tiberiadis ſiue Galilææ. Præmiſsis vndecim diſcipulis in montem quendam Galilææ, ibì pluſquàm quingentis fratribus ſimul appáret. Indè diſcipulos ſuos Hieroſolymam duxit, deindè viſus eſt Iacobo, 1. Corinth. 15. Eductis diſcipulis ſuis in Bethaniam, ex monte oliuarum in cælum ſublatus eſt, illis videntibus. Poſt aſſcenſionem in cęlum, primùm viſus eſt Stephano, Acto. 7. Deindè Paulo, 1. Cor. 15. Tertiò Ioanni Apoſtolo in Patmo, Apocalyp. 1.

FINIS.

SIT LAVS DEO.

PAR-

PARTITIONUM THEOLOGICARUM LIBER QUARTUS,

CONTINENS

OECONOMIAM SECUNDAE PARTIS NOVI TESTAMENTI, DOCTRINAE SCILICET APOSTOLORUM.

D. PAULUS AD EPHESIOS IIII.

Et ipse dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad cõſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti: donèc occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinę, in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionem erroris: veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſuî in charitate.

DE DOCTRINA APOSTOLORVM.

QVA RATIONE HAEC PARS DOCTRINAE *Chriſtianæ, cum præcedentibus cohæreat libris.*

QVADRVPLICI A pauloantè,per quatuor Euangeliſtas,tanquàm eximios quoſdam regni cæleſtis Archicancellarios,de Chriſto tradita ſunt myſteria,in quibus conſiſtit totius religionis Chriſtianę ſumma,humanitatis ſcilicet, regni, Sacerdotij & diuinitatis Chriſti.Quorum cognitio quidem homini Chriſtiano adeò eſt neceſſaria,vt ſine hac ſaluus nemo fieri queat.Verùm quādò non eſt cuiuſuis, tanta myſteria per ſe nôſſe aut appræhendere,diuinitùs ſanè inſtitutum eſt Sacrū illud Apoſtolorum Collegium, quos propterea Eccleſiæ ſuæ præfecit Chriſtus, vt Sacrorum myſteriorum diſpenſatores eſſent & interpretes,1.Cor.4.& 11.Atq; ſic poſt Euangelij traditionē,rectè Apoſtolorum ſequitur Doctrina & p̄dicatio. Vt enim parùm eſt,in rep.benè cōſtituta Ius eſſe poſitum,niſi etiam ſint qui iura reddere poſſint: ità verbi diuini authoritas in Eccleſia ſine miniſterio eorū, qui ſcripturę rectè interpretandæ & gratiā habeant & poteſtatē, retineri nō poteſt.

ALIA CONTINVATIONIS RATIO.

IN Sacroſancto Ieſu Chriſti euangelio, quod licèt à pluribus, diuerſis & locis & temporibus editum,& iuxta myſticum quatuor euangeliſtarum numerū,in quatuor libros ſit diuiſum,vnū tamen eſt:nec plura,cùm vnus ſit Chriſtus, eſſe poſſunt: potiſſimùm agitur de eodē Chriſto,qui toti populo Chriſtiano, id eſt, vniuerſæ Eccleſiæ ſuæ,& Dux datus eſt,& caput. Porrò verò in Apoſtolicis Epiſtolis eius Eccleſia, quę myſticum illius corpus eſt, vberiùs & accuratiùs de ijs, quæ ad fidem & mores pertinent,inſtituitur: vt facilè appareat, ad quatuor ſacroſancta Euangelia, quę ſupremum dignitatis apicem ſummamque authoritatem à tota Chriſtianorum ſchola obtinent,aptiſſimo ordine nec ſine ſingulari præpotentis Dei prouidentia,apoſtolorum epiſtolas eſſe adiectas.

BREVIS HVIVS PARTIS SVMMA.

CATECHISTICA ferè eſt hæc traditio omnis,& ſaluberrimas cōplectitur Apoſtolorum Inſtitutiones,quæ credendorum agendorumq;, hoc eſt, fidei ac morū continent præcepta ſaluberrima,& ſummariam quandam veræ pietatis cognitionem,ac viuos rerum diuinarum omnium veluti fontes. Quæ dubio procùl oīa ad hunc vnum tendunt quaſi ſcopum,vt fide,quæ per dilectionē operatur, mens imbuta,quemadmodùm přeclarè ab Auguſtino dictum eſt in Enchiridio, cap.5. rendat benè viuendo etiam ad ſpeciem peruenire,vbi eſt ſanctis & perfectis cordibus nota & ineffabilis pulchritudo,cuius plena viſio ſumma felicitas.

DE TRIBVS HVIVS PARTIS MEMBRIS.

TABVLA I.

APOSTOLORVM *ſcripta verſantur circa Eccleſiæ, quam ex præcepto diuino ſuſceperant inſtituendam, vel*

- INITIA, *quæ explicanda ſibi ſumpſit Lucas Euāgeliſta libro quem dicimus Acta Apoſtolorum.*
- FIDEM *& mores informādos, de quo agitur in epiſtolis*
  - PAVLI, *quas ad certas ſpeciatim ſcripſit Eccleſias.*
  - ITEM *Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ.* — *Quæ Scriptæ ſunt generatim ad vniuerſam Chriſti Eccleſiā. Communiter dictæ ſunt Canonicæ, quòd in Canonem Eccleſiaſticæ ſcripturæ receptæ ſint, vt ait Gloſſa ordinaria.*
- DECVRSVM *resq́; futuras, totumq́; adeò ſtatum, qui in diuina illa D. Apoſtoli Ioannis, & Euangeliſtæ & Prophetæ Apocalypſi, ad viuum depictus atque deſcriptus eſſe depræhenditur.*

PARS LIBRI QVARTI PRIMA, DE ACTIS APOSTOLORVM,

liber Bibliæ L, Partis huius primus.

DE LIBRI HVIVS AVTHORE.

AVTHOR huius libri, in quo deſcribuntur res ab Apoſtolis geſtæ, D. eſt Lucas Euangeliſta. Is enim, vt B. ait Hieron. de medico corporum, in medicum verſus animarum, Eccleſijs Euangelium dereliquit & Actus Apoſtolorũ: qui libri quotieſcunquè leguntur in Eccleſijs, totiès eius medicina non ceſſat. Hieron. in Epiſtolam ad Philemonem circa finem.

CONTINVATIO EIVSDEM AD EVANGELIVM LVCAE.

QVOMODÒ cohæreat hæc de Apoſtolorum Actis D. Lucę deſcriptio, cum hiſtorica Euangelij ſui narratione, ſatìs ipſe declarat primis huius libri verbis: Vbì ſe Chriſti hiſtoriam, quam aſſecutus erat, ad Chriſti aſſumptionem vſq; perduxiſſe teſtatur: quibus hęc quę in delegata Euangelij prędicatione, ab ipſa ſtatim aſſeẽſione vſq; in biennium Pauli Romę commorantis, id eſt, vſque ad annum Neronis quartum, contigiſſe hoc libro commemorat, aptiſſimo ordine connectũtur, indè hîc ſumpto narrationis exordio, in quo Euangeliũ deſinit. Vide Ioan. Driedonem lib. 1. cap. 3. Part. 3.

ARGVMENTVM.

HIC liber executionẽ continet mandati illius diuini, quod à Magiſtro ſuo Chriſto, Marci vltimo, acceperant Apoſtoli: Euntes in mundum vniuerſum, prędicate Euangelium omni creaturæ. Nam vt in ipſo Euangelij volumine modus deſcribitur, quo lex noua à Chriſto lata eſt atq; edita: ità in hoc libro promulgationis oſtẽditur ratio, qua lex eadẽ Spiritusãcto Authore, miniſterio verò Apoſtolorum, vniuerſo mundo publicata fuit & exhibita. Gloſſa Lyrani hîc in princip.

ARGVMENTI HVIVS PARTES, EX OECVMENIO.

CAPITA eorum quę hîc narrat Lucas, hęc ſunt: Angelis excipiẽtibus aſſumptũ eſſe Dominum: Spiritumſanctum in Quinquageſima in Apoſtolos & omnes qui aderant, effuſum fuiſſe: Matthiam loco Iudæ proditoris fuiſſe ſubſtitutum: Septẽ Diaconos inſtitutos fuiſſe: Quo pacto electus Paulus fuerit, & q̃ ſit paſſus: Quęcunque item Apoſtoli ex fide in Chriſtum miracula fecerint. Oecumenius in Acta Apoſtolorum.

DE APOSTOLORVM VARIIS APPELlationibus. TABVLA 2.

APOSTOLI *ſunt, qui à Domino ad res eius gerendas miſſi ſunt. Ambroſ. in Epiſtolã ad Ro. cap. 1. Et dicuntur interdum*

- SAL *terræ & lux mundi, Matth. 5. Sal, inquit, hîc Chryſoſt. ſpiritale, & lumẽ intelligibile, ipſoque ſole fulgentius.*
- DISPENSATORES *myſteriorum Dei, 1. Cor. 4.*
- CHRISTI *miniſtri, ibidem.*
- TESTES *præordinati paſſionis & reſurrectionis Chriſti, quam prædicare debebant omnibus gentibus, Luc. 24. Act. 1. & 10.*
- CREDENTIVM *Magiſtri, Chryſoſto. ſuper illud Sapientiæ, Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.*
- SACERDOTVM *principes, Chryſoſto. in Euangel. Marci, Homil. 1.*
- TOTIVS *mundi Doctores, & ob id prophetis potiores, Chryſoſt. in Matth. 5. Homil. 15.*
- BEATISSIMI *lucis Angeli. Idem in Act. cap. 2. homil. 4.*

DE QVATVOR APOSTOLORVM GENERIbus ex Commentar. D. Hieron. in cap. 1. epiſtolæ ad Galat.

TABVLA 3.

QVATVOR *ſunt Apoſtolorum genera:*	VNVM, *quod neque ab hominibus eſt, neque per hominē, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem:*	*Cuius generis ſũt*	*Eſaias, cæteri que Prophetæ, & ipſe Apoſtolus Paulus.*
	ALIVD, *quod à* DEO *quidem eſt, ſed per hominem:*		*Ieſus filius Naue, qui à* DEO *quidem eſt Apoſtolus conſtitutus, ſed per hominem Moiſen.*
	TERTIVM, *quod ab homine, non à* DEO:		*Cum hominũ fauore & ſtudio aliquis ordinatur.*
	QVARTVM, *quod neque à* DEO, *neq; ab homine, neque per hominem, ſed à ſemetipſo.*		*Pſeudoprophetæ & Pſeudo Apoſtoli.*

DVODECIM APOSTOLORVM NOMINA,

& quibus in locis Chriſti Euangelium prædicauerint, quóve modo vitam finiérint, Ex Oecumenio. TABVLA 4.

APOSTOLORVM, VT MATTH. X. NVmerantur capite, *ſunt XII. Quorum*

PRIMVS

SIMON Petrus apoſtolorum princeps, (veluti per ſuas epiſtolas ipſe indicat) in Ponto, Galatia, Cappadocia & Bithynia, prętereà & in Italia prædicato euangelio, Romæ tandèm Nerone Imperatore, verſo deorsùm capite crucifigitur, ſepelitur autem ibidèm tertio Calendas Iulij.

II.

ANDREAS frater eius, ſicut tradiderunt Maiores noſtri, Scythis & Sogdianis ac Sacis Domini noſtri Ieſu Chriſti euangelium prędicauit: in magna quoque ciuitate, vbì caſtrum eſt Apſorus, & Phaſis fluuius. ſepelitur autem Patrîs Achaiæ ciuitate, ab Aegea Proconſule crucifixus.

III.

PHILIPPVS apoſtolus in Phrygia euangelium Domini prædicauit. ſepelitur autem in Hierapoli.

IIII.

BARTHOLOMAEVS apoſtolus Indis euangelium Domini prędicauit ijs, qui feliçes appellantur, ipſisque euangelium Matthæi tradidit. Albani conſopitur, quæ magnę Armenię Indicę vrbs eſt

V.

IACOBVS Zebedæi filius duodecim tribubus, quę in diſperſione erant, euangeliũ prędicauit, & ab Herode Tetrarcha, qui etiam Agrippa dicebatur, gladio interemptus, in *vrbe* Marmarica ſepultus eſt.

VI.

IOANNES frater eius in Aſia Chriſti prædicauit euangelium. Traiano *autē Imperatore, in Patmos inſulam, propter verbum Domini relegatus ibì conſcripſit euangeliũ. Sepelitur aũt Epheſi adhuc viuens, Dei voluntate ſic ord nante.

* Aut in librario mendũ fuit, aut memoriæ lapſus in authore, Euſebius Cæſar. & hũc ſecutus Hieron. alijq; plurimi dicũt, ſub Domitia[illegible] eſſe.

VII.

Thomas Apoſtolus, ſicut proditũ memoriæ eſt, Parthis, Medis, Perſis, Carmanis, Hyrcanis & Bactris Chriſtum euangelizauit. In vrbe Calamina Indiæ ſepultus eſt.

VIII.

Matthaevs Publicanus Euangeliſta, Euangelium Hebraica lingua conſcriptũ edidit. In Hierapoli Parthiæ obdormiuit, atque ibidèm eſt ſepultus.

IX.

Iacobvs Alphæi, qui iuſtus eſt cognominatus, primus Hieroſolymorũ Epiſcopus, lapidibus à Iudæis in Hieruſalem eſt interfectus, atque ibi ſepultus in templo eſt.

X.

Thaddaevs, qui & Lebbæus, & Iudas Iacobi appellabatur, Edeſſenis & toti Meſopotamiæ verbum Chriſti annunciauit ſub Augaro Edeſſenorum Principe. Beryti eſt defunctus ac ſepultus.

XI.

Simon Cananęus Cleopæ filius, qui & Iudas, poſt Iacobum Iuſtum Epiſcopus Hieroſolymis extitit. cumq́ue annum centeſimum ac vigeſimum ageret, erucis martyrio ſub Traiano Rege è vita diſceſſit.

XII.

Matthias vnus ex LXX. diſcipulis, loco Iudæ Iſcariotis cum vndecim connumeratus, in Aethiopia exteriore moritur, in regione vbi eſt caſtrũ Apſarus, cùm ibi verbum Domini nunciâſſet. Oecumenius in Acta Apoſtolorum. Plura de ſingulorum Apoſtolorum origine, vita, Martyrio & morte videnda ſunt apud Euſebium, Nicephorum, Hieronymum & alios illuſtrium virorum ſcriptores, quos in vnũ veluti corpus redegit Ioachimus Perionius in libello de vitis Apoſtolorum.

ITEM DE QVIBVSDAM E LXX. DISCIpulis Domini, ex eodem. TABVLA 5.

PRAETER HOS DVOdecim *Apoſtolos, Dominus deſignauit etiam alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Ex quorũ numero fuerunt etiã hi:*	*Barnabas.* *Soſthenes.* *Cephas cognominis Petri.* *Matthias, qui inter duodecim connumeratus poſteà fuit.* *Barſabas.* *Linus, de quo ad Timotheum ſcribẽs meminit Paulus.* *Thaddæus.* *Cleopas, & qui cum ipſo erant.*	*Oecumenius in Acta Apoſtolorum.*

NOMINA SEPTVAGINTA DISCIPVLORVM, *ex Hippolyto & Dorotheo.*

1 Iacobus frater Domini, epiſcop' Hieroſolymorum.
2 Cleopas epiſc. Hieroſolymorum.
3 Matthias, qui 12. Apoſtolorũ numerum farciuit.
4 Thaddęus, qui Abgarum à morbo liberauit.
5 Ananias, qui baptizauit Paulũ, poſteà epiſcopus Damaſci.
6 Stephanus primus Martyrum.
7 Philippus, qui eunuchũ baptizauit.
8 Procorus epiſc. Nicomediæ.
9 Nicanor, qui, cùm Stephanus coronaretur martyrio, obijt.
10 Timon epiſc. Boſtri in Arabia.
11 Parmenas epiſc. Solorum.
12 Nicolaus epiſc. Samariæ.
13 Barnabas epiſc. Mediolan.
14 Marcus euãgeliſta epiſc. Alexãdriæ.
15 Lucas euangeliſta.
16 Silas epiſc. Corinthi.
17 Siluanus epiſc. Theſſaliæ.
18 Creſcẽs epiſ. Carthaginis in Galatia
19 Epænetus epiſc. Paneadenſium.
20 Andronicus epiſc. Paneadenſium.
21 Amplias epiſc. Odyſſeæ.
22 Vrbanus epiſc. Macedoniæ.
23 Stachus epiſc. Byzantij.
24 Barzabas epiſc. Heracleæ.
25 Phygello, epiſc. Epheſiorum, ſed à Paulo diſcedens, Simoni ſtuduit.
26 Hermógenes Megarenſiũ occidentalium antiſtes.
27 Demas, qui deindè factus eſt ſacerdos idolorum.
28 Apelles epiſcop. Smyrnæ ante Polycarpum.
29 Ariſtobulus epiſc. Britanniæ apud Gallos.
30 Narciſſus epiſc. Athenarum.
31 Herodion epiſ. Patarenſium.
32 Agabus Propheta.
33 Rufus epiſc. Thebarum.
34 Aſyncritus epiſc. Hyrcaniæ.
35 Phlegon epiſc. Marathonenſium.
36 Hermes epiſc. Dalmatiæ.
37 Patrobas epiſc. Potionenſium.
38 Hermoẽs epiſc. Philippopolis.
39 Linus epiſc. Romæ.
40 Gaius epiſ. Epheſi poſt Timotheũ.
41 Philolog' epiſ. Sinopes, aliâs Sinorũ.
42 Olympas, cuius apoſtolus meminit.
43 Herodias, cum Petro Romę ſub Nerone cæſus eſt.
44 Lucius epiſc. Laodiceæ.
45 Iaſon epiſc. Tarſenſium.
46 Soſipater epiſc. Iconij.
47 Eraſtus epiſc. Paneadis.
48 Quartus epiſc. Beryti.
49 Apollo epiſc. Cæſareę.
50 Cephas epiſc. Coniæ.
51 Soſthenes epiſc. Colophonij.
52 Epaphroditus epiſc. Adricenſium.
53 Tychicus epiſc. Colophoniæ.
54 Cęſarus epiſc. Dyrrhachij.
55 Marcus conſobrinus Barnabę, epiſ. Apolloniadenſium.
56 Iuſtus epiſc. Eleutheropolis.
57 Artemas epiſc. Lyſtrenſium.
58 Clemens epiſc. Sardicenſium.
59 Oneſiphorus epiſc. Coronęę.
60 Tychicus alter, epiſc. Chalcedonẽſium.
61 Carpus epiſc. Beraię Thracię.
62. Euodius epiſc. Antiochię.
63 Ariſtarchus epiſ. Apameæ Syrię.
64 Marcus } epiſ. Bibliapoli.
65 Ioannes }
66 Zenas epiſ. Dioſpolis.
67 Philemon epiſ. Gazæ.
68 Ariſtarchus alter.
69 Pudens.
70 Trophimus cum Paulo martyrio coronatus.
71 Timo
72 Miges.

QVID

QVID SANCTI POTISSIMVM PRAEDICAuerint Apoſtoli.

Apostoli cæteriq; Domini diſcipuli, non inueniuntur vſi vllo alio Euangelio, quàm eo, quod in ſæpè nominato quatuor Euangeliſtarum volumine eſt compræhenſum. Ioan. Driedo lib. 4. cap. 1. Porrò quod maximè agit hic liber (Actuū Apoſtolicorum,) eſt Reſurrectionis Chriſti declaratio. Quæ ſi credita fuerit, & cæteris aperta eſt via. Argumentum igitur, inquit Chryſoſtomus, & ſcopus huius libri, ſi quis rei ſummam craſſiore ſermone velit complecti, hic potiſſimùm eſt:

DE PSEVDOAPOSTOLIS.

Pseudoapostoli operarij ſunt iniquitatis, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, qui dicunt, Hæc dicit Dominus, & Dominus nō miſit illos. 2. Cor. 11. Vide Hieron. in 1. cap. ad Galatas.

PSEVDOAPOSTOLI CVR ECCLESIAM inuadere permittantur.

Ideo interdùm falſa fieri Deus ſigna conceſſit, vt abundantiùs vera monſtraret. Propterea & Pſeudoprophetas tempore prophetarum, & pſeudoapoſtolos cum Apoſtolis apparére permiſit, vt diſceres, quia ſplendentes eius vbiquè virtutes nequaquàm obſcurare poſſit ſimilitudo & vmbra quædam virtutum: Chryſoſt. de laudibus D. Pauli, homil. 4.

DE LIBRI IPSIVS, QVI DE ACTIS INSCRIBITVR Apoſtolicis, præſtantia ex D. Hieronymo ad Paulinum.

Actvs Apoſtolorum, nudam quidem videntur ſonare hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: Sed ſi nouerimus, ſcriptorem eorum Lucam eſſe Medicum, cuius laus eſt in Euangelio, animaduertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.

DE VTILITATIBVS EIVSDEM, EX CHRYſoſtomi Homil. 1. in Act.

Siqvidem hinc non minor nobis contingere poterit vtilitas, quàm ex ipſis euangelijs: tanta ſcatet philoſophia, tanta abundat cùm omnium dogmatum rectitudine, tum præcipuè eorum, quæ de ſpirituſancto prodita ſunt.

VTILITAS PRIMA.

Etenim promiſſa, quæ Chriſtus in Euangelio antè verbis pollicitus erat, ea hîc re præſtita & exhibita videre licet, ipſamq; veritatem ipſis factis relucētem intueri.

SECVNDA VTILITAS.

Simvl'qve videre eſt, diſcipulos mirificè ad meliora trāſmutatos, nimirùm ſanctoſpiritu vim ſuam in illis exercente.

VTILITAS TERTIA.

Conspicies aūt hîc & illa, nimirùm apoſtolos ipſos ceu volucres, terrā mariaq; percurrētes, ac timidos illos quōdàm rudesq; ſubitò in alios hoīes eſſe verſos, faſtuq; diuitiarū, gloria, ira, cōcupiſcētia, breuiter rebus oībus, ſupiores eſſe factos.

QVARTA VTILITAS.

Videbis ſummam inter ipſos concordiam, nec quicquam omninò prioris illius liuoris aut inuidentiæ reſidere, nec iam loci principis ambitum inter ipſos feruere, ſed omnem virtutē in eis abſolutam perſpicies, tum ſummam eximiamque charitatem in illis relucentem.

QVINTA VTILITAS.

Qvin & dogmata quædam hic reperire licebit, quæ niſi liber fuiſſet proditus, haudquaquàm fuiſſent vlli tam dilucidè cognita, quin potiùs, quod eſt caput ſalutis noſtrę, fuiſſet occultum, & in obſcuro latuiſſet: tam de his loquor, quæ ad benè viuendum, quàm quæ ad fidei noſtræ dogmata pertinēt. Hæc omnia Chryſoſt. loco memorato.

NVM HOC IN LIBRO APOSTOLORVM omnium deſcribantur acta.

Porro eorum quæ hîc tractantur, maior pars ſunt acta Pauli, qui plùs omnibus laborauit. Eius rei cauſa eſt, quòd is qui librum hunc conſcripſit, diſcipulus & cultor

cultor Pauli fuit,nimirùm beatus Lucas,cuius virtutem cùm ex alijs multis argumentis,tum hoc præcipuè licet perſpicere, quòd præceptori ſuo indiuulſus adhæſerit,quodque per omne tempus illum fuerit affectatus.Idem ibidèm.

QVAESTIO CHRYSOSTOMI.

QVOD ſi quis dixerit,quid tandèm fuit in cauſa,quo minùs omnem hiſtoriam ad finem vſque perſecutus ſit,cùm illi ſemper adfuerit?

RESPONSIO EIVSDEM.

HVIC ſic reſpondere poterimus: Primùm,quòd hæc quoquè ſufficiebāt his, qui vellent animum aduertere:deindè,quòd Euangeliſtæ ſemper incubuerunt in ea quæ magìs vrgebant,nec illis curæ fuit hiſtorias conſcribere. Siquidem non parùm multa & abſque ſcripto tradiderunt.

QVID POTISSIMVM IN HOC LIBRO ſit admirandum.

ITAQVE cùm omnia ſint admiratu digna,quæcunque hoc libro continētur: tamen illud potiſſimùm admirandum in apoſtolis,quomodò ſe ad infirmorum ac rudium captum demiſerint,atque hocipſum eis ſpiritusſanctus ſuggeſſit, in hoc illos preparans,vt in diſpenſando verbo Dei verſarentur.

ALIA D. CHRYSOSTOMI QVAESTIO.

VNDE factū ſit,vt cùm tam multa de Chriſto diſſeruerint,pauca dixerint de eius diuina natura, plurima verò de eius natura humana,de morte,de reſurrectione, & aſſcenſū?

RESPONSIO EX EODEM.

ETENIM quod id temporis quærebatur,illud erat,vt homines audirent eum excitatum à mortuis,aſſcendiſſe in cælum. Quemadmodùm igitur ipſe Chriſtus illud inprimìs agebat,vt perſpicuū faceret,quòd veniſſet à patre:itidèm hîc præcipuè ſtudet hoc perſuadere,quòd reuixit,quodq; in cælum receptus eſt,quodq; ad eundem reuerſus eſt,à quo profectus fuerat.

Nā niſi hæc priùs credita fuiſſent,præſertim cùm acceſſiſſet aſſertio de reſurrectione,deq; in cęlum reditu,nimirùm vniuerſum dogma Iudęis viſum fuiſſet vanū & incredibile. Proindè etiā Apoſtoli ſenſim ac paulatim inſtituunt Iudęos, ſeſeq; miro ſtudio ad captum imbecillum in diſpenſatione dogmatū demittunt.

QVI SECVTI FVERINT EX HAC MOdeſtia fructus.

CAETERVM quo magìs ſe demittunt apoſtoli,hoc vberior contingit illis è diuini ſpiritûs liberalitate gratia,dum in eius nomine maiora faciunt,quàm ipſe fecerat,nimirùm vt vtroque modo proficiat euangelium, dum ſeſe demittentes, auditores humiles & humì iacentes erigunt,& ſermonem de reſurrectione, miraculis probabilem reddunt. Hactenùs Chryſoſt.Homil.1.in Act.

PARTITIO. TAB. 6.

ECCLESIAE ITAQVE *& fundamento, & capite, quod eſt Chriſtus,in Euangeliorum librum declarato: Lucas porrò oſtendit, vt Eccleſia per Chriſtum inſtituta & collecta, ſuas paulatìm adquiſiuerit vires. Agit enim hoc libro, De naſcētis primùm Eccleſiæ Catholicæ*	*Corroboratione & confirmatione,cap.1.vſque ad verſ. His autem auditis.* *Augmentatione in Hieruſalem, à d. loco vſq; ad ca.6.* *Propagatione ſiue diſſeminatione per totam Iudæam & Samariam,cap.6.7.8.9.10.& 11.vſque ad verſ.Et illi quidem qui diſperſi fuerant.* *Certa appellatione,quòd ad credentes attinet, qui dicti ſunt Chriſtiani,d.c.11.* *Translatione à Iudæis ad Gentiles, ſiue de gentium conuerſione.à prædicto loco per ſedecim capitula integra vſque in finem totius libri Actorum.* *Perſecutionibus, & liberatione ab eiſdem miraculoſa, diuerſis ſparsìm locis.*

DE EC-

DE ECCLESIAE CORROBORATIONE, & confirmatione. TABVLA 7.

ECCLESIA *Dei robur ac firmamentum accepit fortiſſimum ex*

- *Promiſſione Chriſti, qua adhuc cum diſcipulis conueſcens & loquens de regno Dei, præcepit eis, ab Hieroſolymis nè diſcederent, vſque dum acciperent gratiam ſpiritusſancti in ipſos ſuperuenturam: à princip. cap. 1. vſq; ad verſ. Et cùm hæc dixiſſet.*
- *Adſpectu aſcendentis Chriſti cum triumpho & gloria. Nam videntibus Apoſtolis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. verſ. Et cùm hæc dixiſſet, eod.*
- *Subrogatione Matthiæ in Apoſtolatum Iudæ, verſ. In diebus his exurgens Petrus, d. cap. 1. vſque in finem eiuſdem.*
- *Duorum virorum in veſtibus albis, id eſt, angelorum adſtantium teſtimonio, quòd is idem Chriſtus quem in cælum aſſumptum viderunt, ſic iterùm aliquandò ſit venturus, verſ. Cùmq; intuerentur, ibidem.*
- *Spiritusſancti miſſione in corda Apoſtolorum, quibus in die Pentecoſtes iuxta præceptum Domini congregatis, & in oratione perſeuerantibus, apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes ſpiritusſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis, à princip. cap. 2. vſque ad verſ. Stupebant autem omnes &c.*
- **GRAVISSIMA** *illa Petri diſputatione, qua refutauit calumniam eorum, qui Apoſtolos magnalia Dei loquentes dicebant muſto plenos, per prophetias*
  - *Iobelis 2. De ſpiritusſancti miſſione ſub his verbis: Et erit in nouiſſimis diebus &c. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*
  - *Dauid, Pſal. 15. De reſurrectione Dominica: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper &c. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*
  - *Eiuſdem Dauid, Pſal. 109. De aſcenſione* DOMINI: *vbi probat, non Dauid, ſed Chriſtum Dominum aſcendiſſe in cælum.* Dixit *enim* DOMINUS DOMINO *meo &c. donèc ponam inimicos tuos ſcabellum &c.*

DE EC-

DE ECCLESIAE PRIMITIVAE AVGMENTIS & acceſſionibus. TAB. 8.

DESCRIBIT autem D. Lucas tres inſignes & memorabiles Eccleſiæ augmentationes, quibus deindè credẽtium numerus ad infinitã ferè creuit multitudinem, videlicet,

- **VNAM** trium milliũ animarum, d. cap. 2. in ver. His aũt audiṫis &c. circa quã obſeruandi ſunt bini propagãdæ religionis Chriſtianæ veluti gradus:
  - Euangelij prædicatio. Principiò enim D. Petrus ijs qui ab eo ſalutis conſequendæ inquirebant rationem, prædicauit
    - Pœnitentiã,
    - Baptiſmum.
    - Quorũ fructꝰ ſunt
      - Donum ſpiritusſancti.
      - Remiſſio peccatorũ.
  - Reſipiſcentia: Nam ex hac prima ſtatim concione D. Lucas mox circitèr tria millia hominum ad fidem conuerſos & baptizatos eſſe perhibet.
  - Exempla piæ & honeſtæ conuerſationis eorum, qui fidem ſuſceptam vitæ & morum cuſtodiebãt ſanctimonia. Erant enim perſeuerantes in doctrina apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus.
  - Augmentatio Eccleſiæ multifaria. Exemplo nanque conuerſationis tam piæ, ad Eccleſiam Chriſti indiès accedebant plures. Dominus enim, vt ait Lucas, augebat qui ſalui fierent, quotidiè in idipſum, In fin. cap. 2.
- **ALTERAM** quinq; milliũ, cuius occaſione agit de
  - Sanatione claudi per D. Petrum in nomine Chriſti facta in templo. Quod miraculum cauſam dedit huic auctioni ſecũdæ. à princip. cap. 3. vſque ad verſ. Videns autem Petrus &c.
  - Excuſatione Petri, & egregia ad populum concione poſt iſtud miraculum cum exhortatione ſecunda ad pœnitentiam, d. verſ. Videns autem, vſque in fin. cap. 3.
  - Incarceratione apoſtolorum Petri & Ioannis, In princip. c. 4.
  - Liberatione eorum illuſtri & glorioſa, verſ. Factum eſt autem &c. eodem.
  - Gaudio credentium ex hac liberatiõe, & profectu eorum vberrimo. verſ. Dimiſſi autem &c. vſque in fin. cap. 4.
  - Alio miraculo, morte ſcilicet Ananiæ & vxoris eius ſubitanea, quo fraus & ſimulatio punita eſt. In principio capit. quinti.
- **TERTIAM** numeri indefiniti, in qua parte D. Lucas facit quatuor:
  - Primùm extollit miracula apoſtolorum, quibus infinitus tandèm numerus ad fidem Chriſti permotus fuit, verſic. Per manus autẽ Apoſtolorum, eod. vbi oſtenditur, plurimos ex vmbra tantùm D. Petri fuiſſe curatos.
  - Deindè aliam & nouam perſecutionem ortam recitat ex inuidia Saducæorum: ac ibì de ſecunda ait incarceratione apoſtolorũ, verſ. Exurgens autem princeps, eod.
  - Tertiò refert diſputationem, quam apoſtoli, angelorum miniſterio liberati, cum principe ſacerdotum habuerunt: Deo ſcilicet magìs obediendum eſſe, quàm hominibus, verſ. Et cùm adduxiſſent illos, d. cap. 5.
  - Quartò declarat ſententiam Gamalielis de prædicatione verbi diuini. Quoniam, inquit, ſi ex hominibus eſt hoc conſilium aut opus, diſſoluetur: Si verò ex Deo, non poteritis diſſoluere, nè fortè & Deo repugnare videamini, &c. ibidèm.

DE EC-

DE ECCLESIAE DISSEMINATIONE, SIVE propagatione fidei Chriſtianæ. TABVLA 9.

CRESCEN-*te numero diſcipulorum, doctrina fidei diffuſa eſt in Iudæam & Samariã vniuerſam, idq́ per*

- MINISTE*riũ virorũ Apoſtolicorũ, videlicet diuorum*
  - *Stephani Protomartyris, poſt cuius necem & martyrium ſecuta ſunt*
    - *Perſecutio magna,*
    - *Timor,*
    - *Diſperſio,*
    - *Propagatio atque diſſeminatio fidei, cap. 6. & 7.*
  - *Philippi, vnius ex ſeptem diaconis, qui deſcendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum, ac ibi Simonem Magũ cum tota Samaria conuertit ad fidem, verſic. Philippus autem deſcẽdens, cap. 8.*
  - *Ioannis & Petri ſimul: qui ab apoſtolis Samariam ablegati, orabant pro conuerſis, ac manus ſuper eos imponebant, vt acciperent ſpiritumſanctum, verſ. Cùm autem audiſſent apoſtoli, d. c. 8.*
  - *Angeli inſtigantis Philippum, vt pergat versùs Gazam: Qui Eunucho ad fidem traducto & baptizato, pertranſiens Azotum, euangelizabat ciuitatibus cũctis, donèc veniret Cæſaream, verſ. Angelus autem Domini, vſque in fin. eiuſdem.*
  - *Pauli: Nam & is ex perſecutore non ſine magno miraculo vas factus electionis, continuò ingreſſus ſynagogas, prædicabat Ieſum eſſe filium Dei, in princip. cap. 9.*
  - *Petri, qui & ipſe Euangelium Chriſti*
    - *Prædicauit inter*
      - *Iudæos, ver. Factus, eod. vbi duo deſcribuntur ab eo facta miracula:*
        - *Curatio paralytici Aeneæ,*
        - *Excitatio Tabithæ mortuæ, vſque in fin. ca. 9.*
      - *Gentiles & Paganos, toto capit. 10. vbi agit de*
        - *Viſione D. Petri, vbi auditus neminem à Chriſti prædicatione excludendum.*
        - *Annũciatione fidei veræ, quæ facta eſt Cornelio Centurioni.*
        - *Conuerſione ipſius Cornelij, & om̃ qui fuerant cum eo.*
    - *Defendit atque ſuſtinuit contra eos, qui erant ex circũciſione, cap. 10.*
- CVIVS *miniſterij fructum D. Lucas explicat cap. 11. In verſ. Et illi quidem qui diſperſi fuerant &c. Vbi hanc partem ità concludit: Et erat manus Domini cum eis, multusq́; numerus credentiũ conuerſus eſt. Rebus autem ità proſperè ſuccedentibus, Diſcipuli, prout quiſque habebat, inquit Lucas, propoſuerunt in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerũt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.*

DE ECCLESIAE, QVOD AD CREDENTES attinet, appellatione, qua dicti ſunt Chriſtiani. TABVLA 10.

PRINCIPIO *fideles proprium nomen non habebant, ſed dicebantur ſimpliciter diſcipuli in Antiochia. Verùm credentium numero in tantùm aucto, propagataq́; Euãgelij doctrina, ex eo tempore ab authore ſuo Chriſto, cuius religionem profitebantur, non abſque ſingulari Dei conſilio Antiochiæ primùm appellati ſunt Chriſtiani, idq́; tum ob multitudinem, tum ob pietatem & deuotionem eorum, qui in ea vrbe crediderant.*

OFFICIVM AVtem *hominis verè Chriſtiani quale ſit, p partes quaſi explicat D. Lucas toto ca. 12. vbi exemplo Eccleſiæ primitiuæ oſtendit, omnibus Chriſti nomine inſignitis, inprimìs conſideranda eſſe quatuor:*

- PRIMVM, *vt quiſque intelligat vitam hominis Chriſtiani eſſe militiam, quæ ſub cruce Chriſti mille periculis ſit expoſita. Sanctam enim fidei profeſſionem, ac nominis tam celebris adquiſitionem, mox ſecuta eſt perſecutio, mors S. Iacobi, & D. Petri incarceratio, cap. 12. in princip.*
- SECVNDVM, *nè vnquàm ab ſe crucem impatienter abijciat, ſed in rebus quantumlibèt aduerſis, ſemper ſperet liberationem: Exemplo miraculoſæ liberationis D. Petri, verſ. Cùm autem producturus &c. eod.*
- TERTIVM, *ſi quid indignum accidat, nè quærat vltionem, ſed vindictam omnem reijciat in Deum. Is enim, vt ex Herodis morte patet infami, nullum malum relinquit impunitum, verſ. Statuto autẽ die Herodes, ibidèm.*
- QVARTVM, *nihil obeſſe perſecutiones integritati fidei: ſed quo grauiora ſint pericula, tanto laudabiliorem eſſe conſtantiam. Sicut enim lilium creſcit inter ſpinas, & in igne probatur aurum: ità fides pietasque Chriſtiana rebus aduerſis & probatur, & creſcit. verſ. Verbum autem Domini creſcebat &c. vſque in fin. cap. 12.*

DE GENTIVM CONVERSIONE.

TABVLA XI.

IVDAEIS EVANgelium *reſpuentibus, Paulus & Barnabas mittuntur ad gentes. In qua miſſione duo potiſſimùm ſunt aduertenda:*

- ORDO, *qui verſatur circa duo:*
  - *Primum eſt mittentis authoritas, Spiritûs ſcilicet ſancti, dicẽtis: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos, In princip. cap. 13.*
  - *Secundum verò eſt, manuum impoſitio. Diſcipuli enim Antiochiæ degentes, Spiritusſancti iuſſu intellecto, mox ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos, eodem.*
- EXECVTIO. *Paulus enim & Barnabas ſic à Spiritusſancto miſſi, mox abiêrunt. Quanta autem fide atque diligentia accepti mandati fines expleuerint, id ſequentia indicant acta.*

DE ACTIS

DE ACTIS APOSTOLORVM, QVAE ILLIS in prędicta executione, hoc eſt, in gentium conuerſione, contigerunt.

TABVLA 12.

IN APOSTOLOrum *actis ſingulæ perpendendæ ſunt peregrinationes, ob fidei p̄dicationem ſuſceptæ: quid illis in quouis itinere contigerit memorabile. Itinera autem Pauli præcipua fuerũt ex Antiochia verſus*

Seleuciam, cap.13.
Cyprum, cap.13.
Pergen Pamphyliæ, cap.13.
Antiochiam Piſidiæ, Cap.13.
Iconium, Cap.14.
Derben & Lyſtram, Cap.14. & 16.
Antiochiam Syriæ, Cap.14. & 15.
Myſiam & Troadem, Cap.16.
Philippos Macedoniæ, Cap.16.
Theſſalonicam, Cap.17.
Berrhœam & Athenas, Cap.17.
Corinthũ, Achaiã & Epheſum, ca.18. & 19.
Macedoniam & Græciam, Cap.20.
Troadem iterùm, Cap.20.
Aſſon, Mitylenen, Miletum, Cap.20.
Tyrum, & indè Cæſaream, Cap.21.
Hieruſalem, ibidèm, & Cap.22.
Cæſaream Paulus vinctus remittitur, Cap.23.24.25. & 26.
Romam ducitur, Cap.27. & 28.
Indè liberatus in Hiſpaniam abijt, vt eſt probabilis coniectura, & ex fine huius libri ferè poteſt colligi.

DE ACTIS IN CYPRO.

TABVLA 13.

MISSI *à ſpirituſancto paulus & Barnabas, venerunt Seleuciam, & indè nauigârũt Cyprum: vbi autẽ veniſſent Salaminam,*

Annunciant verbum Dei in ſynagogis Iudæorum, cap.13. verſ. Et ipſi quidem miſſi. Dehinc vniuerſa inſula peragrata, veniunt Paphum. verſ. Et cùm perambulâſſent.

Ibì Paulus Elymam magnum prædicationi Euangelicæ reſiſtentem, ad tempus excæcauit, verſ. Reſiſtebat autem illis &c.

Proconſulem Sergium Paulum eo miraculo conuertit ad fidem. Tunc proconſul &c.

A Papho veniunt Antiochiam Piſidiæ, vbì cùm eſſent ingreſſi ſynagogam, Paulus Iudæis Chriſtum prædicauit grauiſſima oratione: in qua ſummatìm perſtringit, quæ tam in veteri, quàm nouo teſtamento ab exitu filiorum Iſrael de Aegypto, vſque ad Chriſti aſſcenſionem geſta fuerant, verſ. Surgens autem Paulus.

Iudæis autem contrà blaſphemantibus, conſtanter dixerunt in faciem: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, eccè conuertimur ad gentes. verſ. Sequenti verò ſabbato.

Ex qua re indignatiores & pertinaciores adeò facti Iudæi, Paulum & Barnabam perſequi cœperunt. verſic. Diſſeminabatur.

Atque illos tandèm de ſuis finibus eiecerunt, Ibidèm.

Illi verò ſpirituſancto repleti, excuſſo in eos puluere pedum, abiêrunt Iconium. Circa finem Cap.13.

DE ACTIS ICONII.

TABVLA 14.

PAVLVS ET *Barnabas à Iudæis repulſi, conuertuntur ad gentes, & veneru͂t primum Iconium:*

Multoque illic tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum: effeceruntque vt crederet Iudæorum & Græcorum copioſa multitudo. cap. 14. in principio.

Diuiſa autem ciuitatis multitudine, & impetu gentilium & Iudæorum facto, confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lyſtram & Derben. verſic. Diuiſa autem, eodem.

Lyſtræ ſanat Paulus claudum ex vtero matris ſuæ, qui nunquàm ambulauerat. verſ. Et quidam vir Lyſtris &c.

Turbas, quæ illis propter miracula præſtita ſacrificium immolare cupiebant, magna contentione prohibuerunt, dicentes: Et nos mortales ſumus, vobis ſimiles homines. verſ. Turbæ autem.

Paulus Lyſtræ lapidatur, & ſemiuiuus extra ciuitatem trahitur. verſic. Superuenerunt autem.

Poſteaquàm verò ad ſe rediiſſet, iterùm ingreſſus eſt ciuitatem: & altera die cum Barnaba profectus eſt in Derben. verſ. Circundantibus autem.

Tandèm eccleſiis confirmatis, & presbyteris inſtitutis, redeunt Antiochiam. Vbi cæteris diſcipulis retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet gentibus oſtium fidei. verſic. Cumque euangelizâſſent, vſque in finem capitis decimiquarti.

DE ACTIS

DE ACTIS HIEROSOLYMAE.

TABVLA 15.

ORTO ANtiochiæ ſchiſmate de circuncisione, atq; ſic de lege Moſaica, an ea ad ſalutẽ, vt quidam contendebãt, eſſet neceſſaria, habitum eſt concilium Hieroſolymæ, vbi

Conuenerunt apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc, id eſt, ad conferenda conſilia de præfato ſchiſmate. à princip. cap. 15. vſque ad verſ. Cum autẽ magna conquiſitio.

Surgens Petrus, grauiſſimam habuit orationem de lege et gratia, d. verſic. Cum autem.

Paulus et Barnabas narrant per ipſos facta ſigna et prodigia in gentibus.

Iacobus deindè Petro ſubſcribens, pronunciat non inquietandos eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: Sed ſcribendum monet ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulacrorum, et fornicatione, et ſuffocatis, et ſanguine. verſ. Et poſtquàm tacuerunt &c.

Ablegantur à concilio cum Paulo et Barnaba Iudas et Silas ad Chriſtianos Antiochiæ, Syriæ et Ciliciæ, cum literis concilij, quibus hoc diſſidium dirimitur, verſ. Tunc placuit Apoſtolis.

Inter Paulum quoquè et Barnabam quædam oritur diſſenſio, aſſumẽdiuſne ſit ad viſitandas Eccleſias rediturus Marcus, an non. verſic. Poſt aliquot dies &c.

Paulo renuente, Barnabas aſſumpto marco, nauigauit Cyprum: Paulus verò, electo Sila, perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum et ſeniorum, verſ. Facta eſt autem diſſenſio, vſque in fin. cap. 15.

DE ACTIS IN DERBE ET LYSTRA.

TABVLA 16

VBI PAVlus peruenit in Derben & Lyſtram,

Timotheum hominem probæ æſtimationis, propter Iudæos circuncidit, & ſecum aſſumit in opus miniſterij, Cap. 16. in principio.

Deindè vetitus à ſpiritu ſancto in Aſia euangelizare, viſione in Macedoniam vocatur, verſ. Cum veniſſet autem.

Philippis Macedoniæ vrbe, Lydiam mulierem purpurariam in fide Chriſti inſtituit, verſ. Nauigantes autem Troade.

A puella diuinatrice, quæ dominis ſuis magnum faciebat quæſtum, ſpiritum Pythonem expellit, verſ. Factum eſt autem euntibus &c.

Ob quod virgis cæſus, in carcerẽ cum Sila conijcitur, verſ. Videntes autem domini eius, quia exiuit ſpes quæſtûs &c.

Carceris autẽ ianuis terræmotu apertis, cuſtos ſibi vim illaturus, à Paulo inſtituitur, & Chriſti fidem amplectitur, verſ. Subitò verò terræmotus factus.

Facta liberatione, Paulus conqueritur ſe & Silã, vt Romanos & indemnatos, virgis eſſe cæſos: cuius timore venientes ad carcerem magiſtratus, deprecati ſunt culpam, & incarceratos educentes, rogabant vt egrederentur de vrbe, verſ. Timuerunt, audito quòd eſſent Romani.

Exeuntes autem de carcere, introiêrunt ad Lydiam: & viſis fratribus, conſolati ſunt eos, in fin. cap. 16.

DE ACTIS THESSALONICAE ET Athenis. TABVLA 17.

CVM AVTEM PER- *ambulâſſet Amphipolim et Apolloniã, venerunt Theſſalonicam, vbi erat ſyn-agoga Iudæorum, in quam ſecundum conſuetudinem Paulus*

Introiuit, et per ſabbata tria diſſerebat de ſcripturis, adaperiens et inſinuans, Quia Chriſtum oportuit pati, et reſurgere à mortuis &c. cap. 17. in principio.

Quibus auditis, Iudæi concitauerunt in Paulum, eique adiunctos verbi miniſtros, plebem et principes ciuitatis. Quorum furori cedere coacti Paulus et Silas, ſeceſſerunt in Berrhœam, verſ. Zelantes autem Iudæi, eodem.

Eo intellecto, Iudæi Apoſtolos inſecuti, multitudinem et illic contra eos permouere conati ſunt: adeò vt Paulus iterùm ſibi fuga conſulere coactus ſit. In qua turba venit Athenas, verſ. Cùm autem cognouiſſent.

Ducitur ad Areopagum, vt explicet nouitatem doctrinæ ſuæ. E regionè Paulus illos ſuperſtitionis arguit, verſ. Quidam autem Epicurei.

Hac diſputatione quidam ad fidem ſunt conuerſi. Inter quos Dionyſius fuit Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis, verſic. Quidam verò, vſque in fin. cap. 17.

DE ACTIS CORINTHI, IN ACHAIA & Epheſo. TABVLA 18.

DVM PAVLVS *in Corintho, Achaia & Epheſo Chriſti negocium agit, hæc interim ibi contigêre:*

Paulus Corinthi apud Aquilam & Priſcillam artem ſcenofactoriam exercens, verbum prædicat Chriſti. in princip. cap. 18.

Aduerſantibus autem ei Iudæis, iterùm ſeſe conuertit ad gentes, verſ. Contradicentibus autem &c.

Nocte illum admonet Dominus nè timeat, verſ. Dixit autem Dominus &c.

Cùm per annum & menſes ſex ibì ſediſſet Paulus, captus Gallioni ſiſtitur proconſuli, ſed fruſtrà, verſ. Sedit autem ibi.

Soſthenes percutitur, verſ. Appræhendentes autem Soſthenem.

Hinc nauigans Paulus in Syriam, Epheſum, Cæſaream, Antiochiã, Galaticam regionem & Phrygiam ex ordine perambulans, Eccleſias confirmat, verſ. Paulus verò cùm adhuc &c.

Apollos natione Alexandrinus, à Priſcilla & Aquila Chriſti viam edoctus, Epheſi primùm, deindè Corinthi magno cum fructu annunciat verbum Dei, verſ. Iudæus autem quidam, vſque in fin. cap. 18.

DE ACTIS EPHESI.

TABVLA 19.

FACTVM *eſt autē cùm Apollos eſſet Corinthi, vt Paulus ſuperioribus peragratis partibus, veniret Epheſum: vbi*

Quoſdam Ioannis baptiſmate baptizatos, in nomine Ieſu baptizat, & eis manus imponit, cap. 19. in principio.

Biennio Chriſtum annunciat, & ingentia miracula edit. verſ. Hoc autem factum eſt, eodem.

Iudæi exorciſtæ, Ieſu nomine abuſi, à diabolo lacerantur. verſ. Tentauerũt autem &c.

Cuius rei timore correpti ſunt Iudæi & gentiles: multiq́ credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus ſuos, verſ. Hoc autem notum factum eſt.

Magici libri comburuntur. verſ. Multi autem ex ijs &c.

In Paulum diſceſſum parantem, ſeditionem magnam concitat Demetrius argentarius. verſ. His autem expletis.

Seditionem hanc tandèm componit ſcriba, et cauſæ cognitionem, pro diuerſa facti qualitate, vel ad forum, vel ad legitimam eccleſiam remittendam eſſe indicat. Circa fin. dicti cap. 19.

DE ACTIS IN MACEDONIA,

Græcia, & Mileti. TABVLA 20.

POSTQVAM *autem ceſſauit tumultus, profectus eſt Paulus in Macedoniam, cuius itineris hic fuerat curſus:*

Cùm perambulâſſet partes Macedoniæ, ibique fideles multo exhortatus eſſet ſermone, venit in Græciam. In principio cap. 20.

Vbi cùm fuiſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam, habuitq́ue conſilium, vt reuerteretur per Macedoniam. Ibidèm.

In Troade Eutychum, in concione præ ſomno de feneſtra delapſum, excitat à morte, verſ. Vna autem ſabbathi, eodem.

Mileti ad ſe vocatis Eccleſiæ Epheſiorum presbyteris, ſuam in verbi prædicatione teſtatur integritatem. verſ. A Mileto autem.

Indicat eiſdem profectionem ſuam in Ieruſalem, & quæ ibi ſit paſſurus, quorum ſe nihil vereri dicit, modò curſum ſuum et verbi miniſterium conſummet, verſ. Et nunc eccè ego alligatus ſpiritu.

Admonet eos, vt attendant ſibi et vniuerſo gregi, in quo illos ſpiritusſanctus poſuerit epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo, verſ. Et nunc eccè ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam.

Facta oratione, magno cum luctu Paulum deducunt ad nauem, verſ. Et cùm hæc dixiſſet etc. vſque in finem cap. 20.

DE ACTIS CAESAREAE ET HIEroſolymæ. TABVLA 21.

PAVLVS HIEroſolymam petens, primò venit Tyrũ, & indè Cæſaream. Quo loci

- *Philippum Euangeliſtam (cui erant quatuor filiæ prophetantes) conuenit. in princip.cap.21.*
- *Eò veniens vir quidam à Iudæa, nomine Agabus, Paulo prædicit vincula, ſi veniat in Hieruſalem. Ibidèm.*
- *Quam ob cauſam amici illum à ſuſcepto dehortantur itinere, verſ. Quod cùm audiſſemus, eodem.*
- *Paulus autem non ſolùm alligari, ſed & mori propter nomen Ieſu paratus, hoc vaticinio nihil obſtante, peruenit in Hieruſalem, verſ. Tunc reſpõdit Paulus.*
- *Ibiq́; conſilio Iacobi cum quatuor votum ſuper ſe habentibus, Iudæorum more purificatur, verſ. Sequenti autem die.*
- *In templo à Iudæis compræhenditur, verſ. Tunc Paulus aſſumptis, &c.*
- *Tota ciuitate commota & cõcurrente, Lyſias tribunus eripit illum ex tumultu ad necem Pauli inſtructorum, verſ. Quærentibus autem eum occídere. vſq; in finem cap.21.*

DE ACTIS ITIDEM IN HIERVSALEM.

TABVLA 22.

ACCEPTA ab Lyſia tribuno dicendi venia, paulus

- *Narrat conuerſionis ſuæ modum, ac fidei ſuſceptæ reddit rationem, cap. 22. In principio.*
- *Quam pauliſpèr audiunt Iudæi, ibidèm.*
- *Porrò animis commoti, finem expectare noluerunt, ſed concitato iterùm tumultu, è medio tollendum clamitant, verſ. Audiebant autem.*
- *Ad quem clamorem, illum tribunus flagellis cædi & torqueri iubet, verſic. Vociferantibus autem eis.*
- *Sed vt ciuem Romanũ eſſe percepit, timet ſibi, & eum virgis cædi vetat. Accedens autem tribunus, vſque in finem cap.22*

DE ACTIS

DE ACTIS CAESAREAE.

TABVLA 23.

INTELLECTA *conſpiratione, qua Iudæi coniurauerant, ſe Paulum Ananæ iuſſu percuſſum, quandò ad concilium foret ducendus, in ipſo itinere, antequàm audiretur, occiſuros: Claudius Lyſias Tribunus miſit eum noctu cum literis in Cæſaream ad Felicem præſidem, ca. 23. per totum. Quid autem ibi cum eo fuerit actum, id tribus continetur capitibus proximè ſequentibus, Capite ſcilicet*

- VIGEſimo-quarto
  - CORAM *Felice præſide Tertullus orator Ananiæ, Paulum accuſat. In princip.*
  - CONTRÀ *Paulus ſuã cauſam defendit, ver. Ex multis annis &c.*
  - DIFFERT *iudicium Felix in aduentum Lyſiæ, verſ. Diſtulit autem illos.*
  - AVDIT *Felix cum vxore ſua Paulum ſeorsìm. Quibus ille verbum annunciat Chriſti, verſ. Poſt aliquot autem dies.*
  - PROVINCIA *biennio pòſt decedens Felix, Paulum in gratiam Iudæorum relinquit ibi vinctum, verſ. Biennio autem expleto, vſque in fin. d. cap. 24.*
- VIGESImoquinto,
  - PAVLVS *iterùm cauſam ſuam agit coram Feſto præſide, Felicis prædicti ſucceſſore. A principio vſque ad verſ. Feſtus autem volens.*
  - CùM *autem ſentiret Paulus Feſtum hoc agere, vt illũ remitteret Hieroſolymam, Cæſarem appellat. ver. Feſtus autem volens.*
  - IDEM *Feſtus confert cum rege Agrippa de negocio Pauli. verſ. Et cùm dies aliquot tranſacti eſſent.*
  - NOLENS *Feſtus Paulum indicta cauſa condemnare, coram Agrippa produci eum & audiri iubet, verſ. Altera autem die vſque in finem eiuſdem.*
- VIGEſimoſexto
  - APVD *Agrippam regem Paulus ſuam innocentiam tuetur. A principio vltra medium.*
  - PRAECIPVè *fidei & vocationis ſuæ reddit rationem. ibidèm.*
  - TANTA *hæc omnia agit authoritate, vt animum Agrippæ ad Chriſtum non parùm flexiſſe videretur. verſ. Agrippa autem ad Paulum.*
  - AT *re deliberata, Paulus vinctus Romam, quò appellauerat, mittendus cenſetur. Ibidèm vſque in finem.*

DE ACTIS IN MARI, IN MELITE, & Romæ.

TABVLA 24.

PAVLVS AD *Cæſarem Romam ducendus,*

- TRADITVR *Centurioni, nomine Iulio, cohortis Auguſtæ, c. 27. In princip.*
- QVI *ſpreto Pauli futura pericula prædicentis conſilio, aduerſa nauigatione conflictatur. verſ. Multo autem tempore, eodem.*
- DIV *vento & fluctibus agitati, naufragium facere coguntur. verſ. Cùm autem dies factus eſſet.*
- HOMINES *ſalui in Meliten inſulam énatant. verſ. Militum autem conſilium, d. cap. 27. & in princip. cap. 28.*
- PAVLVS *à vipera morſus, euaſit illæſus. verſ. Cùm congregâſſet aũt Paulus.*
- PVBLII *Patrem atque alios multos varijs morbis laborantes ſanat. verſ. Contigit autem.*
- HINC *conſcenſa naui peruenit Romam. verſ. Poſt menſes autem tres.*
- VBì *idem Paulus, Iudæis congregatis, ſuam fidem & nauigationis cauſam exponit. verſ. poſt tertium autem diem.*
- CHRISTVM *toto biennio prædicauit vinctus, Ibidèm vſque in fin. d. cap. 28. & vltimi.*

DE ACTIS IN HISPANIA ET reliquis Occidentis plagis. TAB. 25.

EX EO QVOD D. *Lucas dicit in fine huius libri Paulum manſiſſe totum bienniũ in conductu ſuo, colligunt quidam, reliquum temporis eum prædicâſſe occidentalibus partibus, maximè Hiſpanis, quam coniecturam confirmant*

IPSIVS *Pauli Epiſtola ad Roman. ſcripta:* EX *multis iam præcedentibus annis, inquit, ſpero, cùm in Hiſpaniam proficiſcar, videre vos. Vndè etiam in Narbona dicitur reliquiſſe Sergium Paulum Archiepiſcopum, cùm de Hiſpania rediret.*

HISTORIA *vitæ eiuſdem Pauli. Quandò enim à Romana captiuitate liberatus fuit, quartus agebatur annus Neronis. Sed certum eſt, Petrum & Paulum decimoquarto anno imperij eiuſdẽ Neronis interfectos eſſe. Non obſcurè itaque ex his colligi poteſt, Paulum reliquum temporis, quo abfuit Roma, hoc eſt, per annos decem, ferè verſatum eſſe in locis occidentalibus, & maximè in Hiſpania.*

EPITOME PEREGRINATIONVM D. *Pauli, ex Oecumenio.*

PAVLVS Apoſtolus à Damaſco incepit,& Hieruſalem aſcẽdit. Indè Tarſum,& ab eo loco Antiochiam, rurſumque ſecundò Hieruſalem, atq; iterùm ſecundò Antiochiam:& indè cum Barnaba ſeparatus ad apoſtolatum,deſcendit Seleuciã, Deindè Cyprum: Vbì & Paulus vocari cœpit. Deindè Pergen, poſteà Antiochiã Piſidiæ,indè Iconium,exindè Lyſtram & Derben Lycaoniæ: Deindè in Pamphyliam,poſteà Pergen,poſtmodùm Attaliam,deindè rursùm tertiò Antiochiã Syriæ,poſteà tertiò rursùm Hieruſalem propter circuncisionẽ:poſteà rursùm quartò Antiochiam. Deindè Syriam pertranſiuit ac Ciliciam. Exindè rursùm ſecundò Derben ac Lyſtram,vbì & Timotheum circuncidit:poſtmodùm in Phrygiam & Galaticam regionem: Deindè in Myſiam,poſteà Troadem, & indè Neapolim: exindè Philippos Macedoniæ vrbem. Poſtmodùm vbì Amphipolim & Apolloniam pertranſiſſent,venerũt Theſſalonicam, Poſteà Berrhœam,exindè Athenas, deindè Corinthum: Poſteà Epheſum,deindè Cęſaream: poſtmodùm ſecũdò Antiochiam Piſidię,deindè in Galaticam regionem ac Phrygiam, vndè rursùm ſecundò Epheſum:poſteà pertranſita Macedonia, venit in Græciam, & indè cùm pertransiſſent Macedoniam,rursùm venerũt Philippos,& à Philippis Troadem, vbì Eutychũ,qui à cœnaculo ceciderat,ſuſcitauit. Hinc Aſſon,deindè Mitylenen, poſtmodùm in partes quæ ſitę ſunt contra Chium,exindè venit Samum, & indè Miletum,vndè aduocatis his,qui Epheſi erant,locutus eſt cum eis: hinc Coum, pòſt Rhodum,& indè Pataram: hinc Tyrum,poſteà Ptolemaidem. indeque Cæſaream:& hinc rursùm aſcendit quartò Hieruſalem, vndè tranſmiſſus eſt Cæſaream,ac poſtmodùm vinctus Romam. Ità à Cæſarea venit Sidonem, & hinc Myram Lyçię: poſtà Gnidum: ac indè plurima paſſi,in inſulam Meliten venerũr, vbì vipera manum eius appręhendit,manſitq; illæſus: deindè Syracuſas, poſteà Rhegium, & indè Puteolos, vndè pedes aſcendit Romam, occurrentibus ipſi fratribus ad Appij forum ac tres Tabernas. Poſtmodùm cùm Romam ingreſſus eſſet, multoque tempore docuiſſet,tandèm in ipſa vrbe Roma martyrio vitam finiuit, quum ibidèm bonum certamen certâſſet. Romani verò incluſis eius reliquijs pulchris ac argenteis thecis, annuum ei memorię diem colunt,tertio Calendas Iulij martyrium eius celebrantes.

DE PERSECVTIONIBVS ECCLESIAE PRIMItiuæ, vltima huius libri parte. TABVLA 26.

PERSEcutionibus Eccleſia

- NVNQVÀM caruit, ſed ipſo ſtatim momẽto, quo Chriſti verbum prædicari cœpit, mox infinita occurrunt pſecutionum genera, quas
  - FIDELES pleriq; oẽs principiò ſtatim paſſi fuêre, vt
    - *Calumnias Iudæorum, quibus Apoſtolos ex Spiritu Dei loquentes, muſto plenos eſſe falsò criminabãtur, Actor. cap. 2.*
    - *Minas, quibus Iudæi D. Petrum & Ioannem à verbi diuini prædicatione deterrere & abſtrahere conati ſunt, cap. 4.*
    - *Inuidiam Saducæorum, quorum technis in carcerem coniecti Apoſtoli, per angelum educti ſunt, cap. 5.*
    - *Tyrannidẽ & crudelitatem, quam experti ſunt*
      - *D. Stephanus, qui violatæ legis Moſaicæ accuſatus, lapidibus miſerè trucidatus eſt, cap. 6. & 7.*
      - *Chriſtiani, qui à Saulo ad extremũ vſque perſecutionem perpeſſi, atque diſperſi ſunt, cap. 8.*
      - *Iacobus, qui ab Herode occiditur, quo tempore etiam Petrus in carcerẽ conijcitur, ſed is Eccleſiæ oratione liberatur, cap. 12.*
  - PAVLVS inprimis cum Barnaba & Sila ſuſtinuit. Nam
    - *Ex Antiochia cum Barnaba pulſus, cap. 13.*
    - *Iconio diſcedere coactus, Lyſtris lapidatur, ca. 14.*
    - *Philippis virgis cæſus, in carcerem conijcitur: à quo terræmotu liberatus eſt, cap. 16.*
    - *Paulus, Iudæis tumultuantibus, Berrhœa abire cogitur, Cap. 17.*
    - *Idem captus, Gallioni ſiſtitur, cap. 18.*
    - *Demetrius argentarius ſeditionem in eum concitat, cap. 19.*
    - *Ananias Paulum cauſam pro ſe dicentem percuti iubet, cap. 23.*
    - *Vinctus mittitur Romam, ac paſſus in itinere naufragium, biennium ibi docet, cap. 27. & 28.*
- SEMPER *euaſit libera, nec vnquàm deſerta, ſed in hunc vſque diem diuinitùs conſeruata eſt. Adeò vt veriſſimum pateat, quod in Eccleſiæ laudem Diuus dixit Hilarius in 7. lib. De Trinitate: Hoc* ECCLESIÆ, *inquit, proprium eſt, vt tum vincat, cùm læditur: tum intelligatur, cùm arguitur: tùm obtineat, cùm deſeritur. Sic ille. Tam efficax fuit illa oratio, qua Chriſtus ex hoc mundo abiturus, Patrem ſuum cæleſtem pro Catholica rogauit* ECCLESIA, *vt nunquàm à fide vera deficeret, Luc. 22.*

SVMMA

SVMMA SIGNORVM ET MIRACVLORVM quæ in Actis narrantur Apoſtolicis, ex Oecumenio. TABVLA 27.

PRIMVM.

PETRVS *& Ioannes per nomen Domini curârunt eum, qui ab vtero matris claudus erat, & ſedebat ad portam, quæ Specioſa dicebatur, Act.3.*

II.

PETRVS *Ananiam ac Saphiram vxorem ipſius, mendacij conuicit, quòd ſuffurarentur ex eo, quod apud Deum promiſerant, ac repentè mortui ſunt, Actor.5.*

III.

PETRI *vmbra ad ægrotos pertingens, curabat eos. Ibidèm.*

IIII.

STEPHANVS *faciebat ſigna & prodigia, Actor.6.*

V.

PHILIPPVS *Eunuchum animaduertit legentem Eſaiam Prophetam, & baptizauit eum, Act.8.*

VI.

PHILIPPVS *in Samaria multos ſpiritus eiecit, pluresque claudi ac paralyſi diſſoluti, ab eo curati ſunt, ibidèm.*

VII.

PAVLVS *cùm accederet Damaſcum, vidit viſionem, ſtatimq́; Euangeliſta factus eſt. Actor.9.*

VIII.

PETRVS *Lyddæ Aeneam paralyticum ab octo annis in grabbato decumbentem curauit. Ibidèm.*

IX.

PETRVS *Ioppæ mortuam Dorcadam, quæ & Tabitha dicebatur, fuſa oratione excitauit à mortuis. Ibidèm.*

X.

PETRVS *vas è cælo deſcendens, plenum omni genere animalium, vidit. Actor.10.*

XI.

PETRVS *ſeruatus ac vinctus in carcere, ab angelo ſolutus eſt, ignorantibus id militibus: Herodesq́; à vermibus exeſus, expirauit, Actor.12.*

XII.

PAVLVS *in Cypro Elymam magum increpauit, & cæcus factus eſt ipſe magus, Act.13.*

XIII.

PAVLVS *Lyſtris eum, qui à natiuitate claudus erat, per nomen Domini ſanauit, Actor.14.*

XIIII.

PAVLVS *à viſione in Macedoniam vocatus eſt, Actor.16.*

XV.

PAVLVS *mulierem quæ ſpiritum habebat diuinatorem, Philippis emundauit. Ibidèm.*

XVI.

PAVLVS *& Silas in carcerem coniecti ſunt, pedeſque ligno conſtrictos habebant: media autem nocte terræmotus factus eſt, eorumque vincula diſſoluta ſunt, ibidèm.*

XVII.

A CORPORE *Pauli deferebant ſudaria ſuper infirmos ac dæmonio vexatos, & curabantur. Actor.19.*

XVIII.

PAVLVS *Troade Eutychum, qui à feneſtra ceciderat, & mortuus erat, excitauit, dicens: Anima eius in ipſo eſt, Actor.20.*

XIX.

CVM *Romam verſus nauigaret Paulus, tempeſtatem paſſi ſunt ipſe omneſque qui cum ipſo in naui erant, 14. dies vnà cum noctibus: omnibus autem ſeſe perituros arbitrantibus, adſtans Dominus Paulo*

Paulo, dixit ei: Propter te his vitam concedo, & ſeruati ſunt, Actor. 27.

XX.

EGRESSVM *è naui Paulum vipera momordit, & omnes quidem arbitrabantur illum moriturum: verùm cùm illæſus permanſiſſet, exiſtimârunt ipſum eſſe deum, Actor. 28.*

XXI.

PATREM *Publij in Inſula dyſenteria laborantem Paulus manibus impoſitis ſanauit, multoſque alios ægrotantes curauit. Ibidem.*

SECVNDA PARS LIBRI QVARTI, DE PROGRESSV ECCLESIAE,

qui in epiſtolis continetur Apoſtolicis, & primùm

QVID HOC DOCTRINAE GENVS

Eccleſiæ poſt Sacra profuerit Euangelia.

CVM euangelia ſupplementũ ſiue perfectio ſint legis, in quibus nobis benè pieq́; viuendi præcepta pleniſſimè ſunt tradita, non ociosè hîc D. quęrit Hieronymus, cur Ap[illegible]ſtolus Paulus ſuas Epiſtolas ad ſingulas ferè eccleſias deſtinare voluërit.

RESPONSIO EIVSDEM.

HAC autem cauſa factum videtur, vt ſcilicet initia naſcentis eccleſiæ nouis cauſis exiſtentibus pręueniret, & vt præſentia atque orientia reſecaret vitia, & pòſt futuras excluderet quęſtiones: exemplo prophetarum, qui poſt editam legem Moiſis, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominùs tamen Doctrina ſua rediuiua ſemper populi compreſsêre peccata, & propter exemplum viuendi libros ad noſtram etiam memoriam tranſmiſerunt. Hieron. in præfatione in oẽs S. Pauli epiſtolas, quæ in Biblijs reperitur.

DE ORDINE EORVM, QVAE IN HAC

parte dicenda ſunt. TABVLA 28.

PRAEFANDUM *erit hoc loco de*
- PAVLI *Apoſtoli:*
  - *Nomine.*
  - *Origine.*
  - *Præfiguratione.*
  - *Vocatione.*
  - *Rebus geſtis.*
  - *Miraculis.*
  - *Morte & ſepultura.*
  - *Laudibus.*
- SCRIPTIS *eiuſdem.*
- PARTITIONE *epiſtolarum Apoſtolicarum.*

DE D.

DE D. PAVLI APOSTOLI NOMINE.

TABVLA 29.

DE PAVLI nomine triplex eſt doctorũ veterum ſententia:

- VNA eorum, qui hunc Apoſtolum initio binominem fuiſſe iudicans, eumq́ue nominatum fuiſſe, apud
  - HOMINES quidem ſuæ gentis, Saulem vel Saulum.
  - CAETEROS verò, & maximè Romanos, Paulum. Origenes in præfat. ad Roman.
- ALTERA verò eorũ qui dicunt eũm fuiſſe nominatum
  - AB initio Saulum.
  - POSTEà verò Paulum: quod nominis, vt volunt aliqui, vel
    - Ipſe ſibi mox à ſuſcepta fide modeſtiæ & humilitatis ſumpſerit gratia, vt Ambroſius & Hieronymus in eandem epiſtolam, Auguſtin. De ſpiritu & litera, cap. 7. & in Pſal. 72. & Sermo. 25. de tempore.
    - A Deo (nè cæteris Apoſtolis hac parte videretur inferior) ſic fuerit appellatus, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij plerique exiſtimant.
- ALII demùm longè pòſt Sergio Paulo Cypri proconſule ad Chriſti fidem cõuerſo, eum hoc nomine ab euentu donatum fuiſſe arbitrantur: Quemadmodùm Romanis Imperatoribus ab hoſtibus deuictis ac ſuperatis, nomina imponi antiquitùs ſolita erãt, vt B. Hieron. in Commentarijs epiſtolæ ad Philemonem. Aug. lib. 8. confeſſionum, cap. 4. Beda cum Rabano in cap. 13. Actorum.

EX his tamen omnibus Origenis illam (nempe apud ſuæ gentis homines Saulem, apud alios Paulum ab initio nominatum fuiſſe) præ cæteris haberi ſolidiorem, rectè affirmat vir eximius Gerardus Matthiſius Geldrienſis, apud Colonienſes olim in Philoſophicis præceptor meus obſeruandiſſimus, in doctiſſimis ſuis Commentarijs in epiſtolam ad Romanos, ex quibus hæc ad verbum deſumpſimus.

DE TITVLIS PAVLI.

TABVLA 30.

PAVLVS DIctus eſt

- Gentium doctor, 1. Timoth. 2.
- magiſter eorundem, 2. Timoth. 1.
- Apoſtolus gentium, Rom. 11.
- miniſter Chriſti inter gentes, Rom. 15.
- Angelus gentium.
- Aduocatus Iudæorum.
- Ex lupo ouis.
- Ex perſecutore vas electionis.
- (Angelus gentium … Ex perſecutore vas electionis:) Viterbien. in Chronicis, pars. 14.
- Vocatione inter Apoſtolos nouiſſimus, 1. Cor. 15.
- Prædicatione & labore præcipuus, Ibidèm.

DE EIS-

DE EISDEM CHRYSOSTOMVS, DE BARnabæ reditu ad Paulum.

IDEÒ, inquit, venit ad Athletam, ad ducem belli, ad certantem ſingulari duello, ad leonem: nec habeo, quo nomine dignè vocem illum, venit ad canem venaticum, leones occidentem, ad taurum fortem, ad facem claram, ad os orbi ſufficiens. Chryſoſt. in Acta Apoſtolorum Homil. 25. Os Pauli orbi ſufficiens.

DE ORIGINE PAVLI.

PAVLVS Apoſtolus, qui antè Saulus, extra numerum 12. Apoſtolorum, de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giſcalis fuit: quo à Romanis capto, cum parẽtibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit, à quibus ob ſtudia legis miſſus Hieroſolymam, à Gamaliele viro doctiſſimo, cuius Lucas meminit, eruditus eſt. Hieron. in catalog. Scriptorum Eccleſiaſticorum.

VT PAVLVS SCRIPTVRIS PROPHETICIS fuerit præfiguratus.

PAVLVM mihi etiam Geneſis olim repromiſit. Inter illas enim figuras, & propheticas ſuper filios ſuos benedictiones, Iacob cũ ad Beniamin direxiſſet: Beniamin, inquit, lupus rapax, ad matutinum comedit adhuc, & ad veſperam dabit eſcam. Ex tribu enim Beniamin oriturum Paulum præuidebat, lupum rapacem ad matutinum comedentem, id eſt, prima ætate vaſtaturum pecora Domini, vt perſecutorem eccleſiarum: dehinc ad veſperam eſcam daturum, id eſt, deuergente iam ætate, oues Chriſti educaturum, vt doctorẽ nationum. Nam & Saulis primò aſperitas inſectationis erga Dauid, dehinc pœnitẽtia & ſatisfactio bona pro malis recipientis, non aliud portendebat, quàm Paulum in Saule ſecundùm tribus, & Ieſum in Dauide ſecundùm virginis cenſum. Tertullian. contra Marcionem, libro quinto ſub initium.

DE VOCATIONE PAVLI.

PAVLVS vas electum, præordinatus à Deo, & ſegregatus ab vtero matris, vt portaret nomen Domini coram gentibus & regibus & filijs Iſrael, Acto. 9. & 22. vbi D. Paulus ipſe ſuæ cùm vocationis, tum doctrinæ prolixam ac diligentem reddit rationem.

DE REBVS AB EO PRAECLARE GESTIS

RES à D. Paulo tam ante vocationem ad perſequendum populum Chriſtianũ ſuſceptæ, quàm poſt conuerſionem pro Chriſti nomine admiranda conſtantia geſtæ, tam copioſè deſcriptæ ſunt per totum Actorũ Apoſtolicorum librum, vt ſuperfluum ſit, ea huc iterùm repetere. Hoc tantùm præteriri noluit hoc loco Hieron. Quòd poſt paſſionem Domini 25. anno, id eſt, ſecũdo Neronis, eo tempore quo Feſtus procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus miſſus fuerit Paulus, & biennium in libera manens cuſtodia, aduersùs Iudæos de aduentu Chriſti quotidiè diſputauerit. Hieron. in Catalog. Script. Eccleſiaſt.

DE MIRACVLIS EIVSDEM.

TABVLA 31.

PAVLI Miracula (vt ex Actis colligitur Apoſtolicis) ſunt iſta:
- *Sudarijs & ſemicinctijs ægrotos curauit, & dæmones profligauit. Acto. 19.*
- *Spiritum Pythonis obmuteſcere fecit, cap. 16.*
- *Adoleſcentem mortuum ſuſcitauit, cap. 20.*
- *Magum cæcitate percuſſit, cap. 13.*
- *Claudo donauit ingreſſum, Acto. 14.*
- *Viperæ in ſeipſo morſum non timuit, ſed viperam in igne combuſſit, Acto. 28.*
- *Patrem Publij à febribus oratione ſanauit. Ibidem.*

ALIVD MIRACVLVM QVOD IN EIVS *morte accidit.*

De Pauli ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magìs vnda, quàm ſanguinis: & mirum in modum, ſanctum Apoſtolum bapti-ſmi gratia in ipſa nece fecit ſplendidum potiùs, quàm cruentum. Quæ quidem res in D. Paulo ſtupenda non eſt. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor
1.Cor. 3. Eccleſiæ? Sicut ipſe ad Corinth. ait, Lac vobis potum dedi, nō eſcam. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior? non lacte candidior? Quæ epiſtolæ tanq̃ vbera Eccleſiarum, populos enutriunt ad ſalutem. Auguſtin. De ſancto Petro & Paulo, ſerm. 2. & Ambroſ. ſermon. 68.

DE PAVLI MORTE ET SEPVLTVRA.

Hic ergò decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Chriſto capite truncatus, ſepultusq́; eſt in via Oſtienſi, tertio ab vrbe milliario verſùs plagã Occidentalẽ, anno poſt paſſionẽ Dñi 37. tertio Calend. Iulij. Hieronymus in Catalog. Script. Eccleſiaſtic. Et Viterbius in Chronicis, Part. 14.

LAVDES D. PAVLI DESCRIPTAE per Chryſoſtomum.

Cvi te, ô beate Paule, iuſtorum veteris teſtamenti vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutem quaſi in arca quadam, ſed eum multo ꝓrsùs cumulo condidiſti. Deniq; ſi totum contra te aliquis ſingulatim iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinã virtutũ ponderibus à tua parte depreſſam. Paulus enim ſecundus Abel, verùm non ſemel, ſed per dies ſingulos immolatus. Paulus alter Noë, ſed abſq; Arca, inſurgentes aduersùs ſe vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham, non modò à patria & gente, ſed poſt vocationem ſuã ab ipſa etiam vita prorsùs abſciſſus. Paulus alter Iſaac, ſponte in hoſtiam colligatus. Paulus alter Iacob, quaſi pro vno quodam totius mundi grege ſemp inuigilans. Paulus alter Ioſeph, ſpiritali fame tabeſcẽte mundo, veritatis alimẽta diſtribuẽs. Pavlvs alter Moiſes, qui omnes gentes à tyrãnide diaboli reduxit ad Chriſtũ. Paulus alter Aaron, totius mundi populis inunctus ſacerdos. Paulus alter Phinees, impietatem Iudæorũ atq; gentiliũ quaſi fornicatiõem mentium vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui velut quendam Goliam in certamine diabolum prouocat. Paulus alter Elias, clariùs raptus in cælos. Paulus alter Heliſæus, qui gentes ab interiore lepræ pollutione mundauit. Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Chriſti diuerſos populos attraxit. Paulus alter Ioſias, qui abominationes gentilium diſſipauit & perdidit.

Pavlvs alter Ioannes, pro Chriſto capite truncatus Paulus alter Petrus, non de terra, ſed de cælo vocatus ad credẽdum. Paulus alter Gabriel, qui Chriſti ortum cunctis gentibus nunciauit. Paulus alter Michaël, qui Chriſtianorum Dux eſſe ſortitus eſt. Etiamſi angelorum, etiamſi iuſtorum hominũ circũuolem choros, non inuenio comparationẽ, cui non tamen cumulo meritorũ Paulus occurrat. Acclamatio populi, & poſt acclamationem etiam mortuus Paulus ardẽtiſſima nobis theatra pietatis accendit. Chryſoſt. De laudibus D. Apoſtoli Pauli, Homil. 8.

DE EISDEM HIERONYMVS.

Vbi eſt electionis vas, tuba euangelij, rugitus Leonis noſtri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, qui myſterium retrò generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei magìs miratur, quàm loquitur? Hieron. ad Pammachium aduer. errores Ioan. Hieroſolymit. Paulum quotieſcunq; lego, videor mihi (inquit alibi idem Hieron.) nõ verba audire, ſed tonitrua. In apologia ad Pammachium, pro libris aduersùs Iouinianum.

DE SCRIPTIS A D. PAVLO EDITIS.

PAVLVS qui inter omnes Apoſtolos eruditior, etiã in verbis videtur & in ſenſibus prępotens, non ampliùs quàm paruum epiſtolarum ſuarum corpus reliq̃t, qui vtiq; immenſa contineret intrà ſe atq; innumera Sacramẽta, vtpotè qui etiam ad tertiũ vſq; cælum raptus, q̃ gererentur inſpexerat, & in ipſum quoq; Deo dignũ paradiſum abductus, audiërat ibì ineffabilia verba & doctrinã (quæcunq; illa inibì eſt) ſiue corporeus, ſiue incorporeus, illius interìm ſcholę diſcipulus effectus, exceperat. Euſebius de hiſtor. eccleſiaſtica lib. 3. cap. 24.

EPISTOLARVM NOMINE QVID CONtineatur. TABVLA 32.

EPIſtolæ
- HOC *loco dicuntur, literæ poſt traditum euangelium, à Paulo fidelibus tranſmiſſæ, quaſi pòſt ſeu ſupermiſſæ & euangelio ſuperadditæ. Anſelm. in præfatione epiſtolæ ad Roman.*
- INTERDVM *Chriſti fideles ipſi dicuntur epiſtola, in qua ſignificatione Paulus 2. ad Cor. 3. Manifeſtati, inquit, quoniam eſtis epiſtola Chriſti miniſtrata per nos, ſcripta nõ atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Auguſtin. de Spiritu & litera. cap. 17.*

DE PARTITIONE SACRARVM EPIſtolarum. TABVLA 33.

SACRARVM *Epiſtolarum opus eſt duplex:*
- PAVLINARVM *vnũ, quæ ab ipſo Paulo ſunt editæ.*
- ALTERVM *earum, quas vocant Canonicas vel Catholicas, quæ à cæteris ſcriptæ ſunt Apoſtolis.*

Hæ omnes
- *Dicuntur Apoſtolicæ,*
- *&*
- *Parem in Eccleſia obtinent authoritatem.*

DE EPISTOLIS PAVLINIS.

TABVLA 34.

D. PAVLVS *quatuordecim ſcripſit Epiſtolas, deſtinatas partim ad*
- ECCLEſias *decẽ, nempe ad*
  - ROMANOS — *I.*
  - *Corinthios* — *II.*
  - *Galatas* — *I.*
  - *Epheſios* — *I.*
  - *Philippenſes* — *I.*
  - *Coloſſenſes* — *I.*
  - *Theſſalonicenſes* — *II.*
  - *Cum ea, quæ dicitur ad Hebræos.*
- DISCIPVLOS *Quatuor, ſcilicet ad*
  - *Timotheum* — *II.*
  - *Titum* — *I.*
  - *Philemonem* — *I.*

QVARE HAE EPISTOLAE DICANTVR *Pauli.*

PAVLI epiſtolæ vocantur propterea, q̃ eas ille ſcripſit. Et per has cùm eos quos viderat & docuerat, admonet & corrigit, tum quos non viderat, inſtruere conatur ac docere, quemadmodùm ſcire poſſunt, qui in eas incidunt. Athanaſius in Synopſi.

QVAESTIO D. HIERONYMI DE NVMERO Epiſtolarum.

QVAERITVR, cur non ampliùs q̃ decem epiſtolas ad Eccleſias ſcripſerit? Decẽ ſunt enim cum ea, quæ dicitur ad Hebræos. Et quatuor reliquæ, ad diſcipulos ſpecialiter ſunt porrectæ.

RESPONSIO EIVSDEM.

VT oſtenderet Nouum non diſcrepare à Veteri teſtamento, & ſe contra legem non facere Moiſis, ad numerum primorum Decalogi mandatorum, ſuas epiſtolas deſtinauit: & quot ille præceptis à Pharaone inſtituit liberatos, totidem hic epiſtolis à diaboli & idololatriæ ſeruitute edocet adquiſitos. Nam & duas tabulas lapideas, duorum teſtamentorum figuram habuiſſe, viri eruditiſſimi tradiderunt. Hieron. in præfatione in omnes ſancti Pauli Epiſtolas. Per quatuor autem ad diſcipulos ſcriptas, quatuor Euangelia, & per conſequens, nouum deſignatur teſtamentum. Anſelm. in præfatione Epiſtolæ ad Roman. Et gloſſa in principio eiuſdem.

AN'NE PRAETER HAS ET ALIAS D. PAVLVS ſcripſerit epiſtolas, ex Michaële de Medina.

SED neq; Apoſtoli Pauli vniuerſas epiſtolas ſuperſtitiſſe credẽdum, cùm, vt par eſt, ſentire de viro ſanctiſſimo & doctiſſimo, & ad ſcribendum, propter ingentem euangelicæ doctrinæ zelum proeliui, non ſolas has quatuordecim tot vrbibus, tot nationibus, quibus euangelium prædicauit, ſcripſerit. lib. 6. de recta in Deum fide, cap. 6.

DE ALIA D. PAVLI EPISTOLA, AD LAOdicenſes, ex eodem.

INTER has enumerari ſolet epiſtola ad Laodicenſes, cuius in ea quæ eſt ad Coloſſenſes, ſub his verbis meminit: Facite vt hæc epiſtola legatur in Laodicenſiũ Eccleſia, & ea quæ Laodicenſium eſt, vt vobis legatur, Coloſſ. 4.

QVANVIS hanc epiſtolam Theophylactus doceat non eſſe aliam, quàm eam, quæ priori loco ad Timotheum per Tychicum diaconum à Laodicea fuit miſſa. Cui ſententiæ quorundam Bibliorum correctiorum litera ſuffragari videtur: quæ ſic habet: Facite vt hæc Epiſtola legatur in Laodicenſium Eccleſia, & ea quę ſcripta eſt ex Laodicea, vt vobis legatur. Porrò nulla alia ex Laodicea fuit miſſa, quàm prior illa ad Timotheum.

SVNT & qui per Laodicenſium epiſtolam, non aliquam quæ fuerit ab Apoſtolo miſſa, ſed eam, quam eadem Eccleſia ad eundem Apoſtolum, quædam, quę ad euangelicæ vitæ rationem conducerent, rogans, ſcripſerit, intelligant, cui per epiſtolam ad Coloſſenſes velit ſatisfactum.

COMMVNIOR tamen doctiorum ſententia, ipſeque Paulinus contextus, quãdam aliam, ab his quas modò habemus, diuerſam, quæ fuerit ad Laodicẽſes ſcripta, inſinuare videtur. Vndè ſunt etiam noſtra memoria, qui quandam epiſtolã ad Laodicenſes Pauli nomine inſignem, nec multùm ab eius dictione abhorrẽrem circunferant, quam eam eſſe crediderim, quam ſuo ſeculo à quibuſdam legi, libr. De viris illuſtribus Hieronymus refert: Legunt quidam, inquit, & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus exploditur. Medina de Recta in Deũ fide lib. 6. ca. 6.

DE R-

DE ARGVMENTO EPISTOLARVM PAVLI in genere. TABVLA 35.

EPISTOLAE *Pauli omnes pertinẽt vel ad* { DOGMATA *Fidei,* / INSTITVTIONEM *morum,* / MISTIM *ad vtrunque, vt epiſtola ad Rom.* }

DE POPVLIS, QVOS EPISTOLIS ſuis inſtituit Paulus.

AD quos D. Paulus ſcripſerit ſuas epiſtolas, ex ſingulis earum conſtat titulis & inſcriptionibus. Sed illud tantùm meminiſſe oportet, quod Auguſt. lib.1. contra Creſconium, 9. monet capite: Memento, inquit, Apoſtolicas Epiſtolas non eis tantùm ſcriptas, qui tempore illo quo ſcribebantur, audiebant, ſed etiã nobis: Non enim ob aliud in eccleſia recitantur.

QVIBVS TEMPORIBVS EDITAE SINT D. Pauli epiſtolæ.

NON modicum facit ad tractandas quæſtiones cognitum epiſtolarum tempus, Chryſoſtom. in præfatione epiſtolæ ad Romanos. Quo nomine diligenter hoc loco obſeruari debet, quòd Paulus à Chriſti paſſione ſecundo anno nondùm exacto, ad fidem Chriſti ex Iudaiſmo conuerſus, ſupra 24. annos viua voce diuerſas in Aſia fundauerit eccleſias, ità vt ab Hieruſalem vſq; in Illyricum impleuerit euangelium Chriſti, vt patet ex libro Actuum, & ex ipſius epiſtolis.
POST multos igitur annos videns eaſdem Eccleſias aut à ſe, aut ab Apoſtolis fundatas, vel deuiare à rectitudine fidei acceptæ, vel à falſis prophetis ſubuerti, & in rectitudine fidei non perſeuerare, dum ſe illis præſentem exhibere nõ poterat, tandèm poſt decimumquartum à ſuî conuerſione annum exactum, diuerſas incipit ſcribere epiſtolas, quibus aut reuocat aut arguit errantes, aut laudat, commendat, roborat perſeuerantes, aut docet & inſtruit ignorantes. Ioannes Driedo de ſcript. eccleſiaſticis lib.j. cap.3. Part.3.

DE LOCIS VNDE FVERINT profectæ.

OMNES quidem Epiſtolæ Pauli, ſanctæ ſunt: habent tamen amplius quiddam, q̃ ab eo ex vinculis ſunt miſſæ, vtpotè quæ eſt ad Epheſios, quæ ad Philemonem, quæ ad Timotheum, quæ ad Philippenſes, & quæ ad Coloſſenſes. Chryſoſt. homilia prima in epiſtolam ad Coloſſenſes.

DE VTRISQVE, TEMPORIBVS SCILICET & locis editarum epiſtolarum, ex Driedone. TABVLA 36.

PAVLUS epiſtolas quaſdam ſcripſit,

- PRIVSQVAM Romam vinctus duceretur, vt
  - *Epiſtolam ad Romanos, à Corintho in Achaia.*
  - *Vtranque ad Corinthios, quarum primam ſcripſit ex Epheſo Aſiæ metropoli: ſecundam verò, à Troade.*
  - *Ad Galatas, ex Epheſo: vel (vt Theophylactus) ex Roma.*
  - *Et primam ad Timotheum, ex Laodicea: Theophylactus.*
- IAM vinctus, ad
  - *Philippenſes,*
  - *Epheſios,*
  - *Coloſſenſes,*
  - *Philemonem,*
  - } *Ex vrbe Roma.*
- POSTQVAM *à primis vinculis fuiſſet ſolutus, ad*
  - *Hebræos ex Italia.*
  - *Timotheum ſecundam in fine dierum Romæ, ſecundò coniectus à Nerone in vincula.*
  - } *Ioan. Driedo De ſcript. eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. part. 3.*

DE ORDINE EPISTOLARVM PAVLINARVM.

TABVLA 37.

ORDINIS *Epiſtolarum Paulinarũ duplex eſt ratio: alio enim ordine*

- AB *ipſo Paulo primum ſcriptæ ſunt atque editæ. Nam Theodoreto teſte, ſcripſit*
  - PRIMO, *Ad Theſſalonicenſes priorem.*
  - II. *Secundam ad eoſdem.*
  - III. *Priorem ad Corinthios.*
  - IIII. *Ad eoſdem ſecundam.*
  - V. *Ad Timotheum primam.*
  - VI. *Ad Titum.*
  - VII. *Ad Romanos.*
  - VIII. *Ad Galatas.*
  - IX. *Ad Philippenſes.*
  - X. *Ad Philemonem.*
  - XI. *Ad Epheſios.* } *Vtriſque eodem ſcripſit tempore, vno vſus tabellario.*
  - XII. *Ad Coloſſenſes.*
  - XIII. *Ad Hebræos.*
  - XIIII. *Ad Timotheum poſteriorem.*
  - *Theodoretus in Præfat. Comment. in Paulum.*
- *A ſanctis Patribus Spiritusſancti conſilio in eum ordinem collocatæ ſunt, quo in vulgatis Bibliorum exemplaribus vſque in hodiernum vtimur diem, vt primum locum habeat ea, quæ ad Romanos inſcripta eſt, ſecundum, ad Corinth. & ſic de cæteris iam ſuprà numeratis, eo loco & ordine, quo in ipſo Bibliorum corpore ponuntur.*

QVAE HVIVS DIVERSITATIS ſit ratio.

QVOD verò in Biblijs alio locatæ ſunt ordine, non eſt quod mireris, quandò & duodecim illi Prophetæ, licèt, ſi tempora inſpexeris, ordine ſibi inuicèm nō irà ſuccedant, ſed plurimùm hîc alius ab alio diſtet. Chryſoſt. in præfatione epiſtolæ ad Roman.

DE SVM-

DE SVMMARIA OMNIVM EPISTOLARVM intentione. TABVLA 38.

INTENTIO D. *Pauli in ſuis epiſtolis vniuerſalis, fuit ſtudiũ illud ſingulare, vt oẽs homines, quantùm in ſe foret, Chriſto lucrifaceret, quod nonnulli probare nituntur ex duobus ſcripturæ capitibus:*

- PRIMVM *ex quadrimembri confeſsiõe Pauli, quæ habetur 1. Corinth. 9. ſub hac diſtinctione:*
  - *Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucrarer.*
  - *Et ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cùm ipſe non eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem.*
  - *Et ijs qui ſine lege erant, tãquàm ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.*
  - *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.*
- DEINDE *ex alio loco, 1. Corint. 2. in hæc verba: Sapientiam loquimur inter perfectos.*

IN QVEM FINEM D. PAVLI SCRIPTAE ſint epiſtolæ.

FINIS huius ſcriptionis eſt idem, qui & Euangelij, vt omnes Chriſti doctrinæ obediant, & per hoc vitam conſequantur æternam. Ioan. 1.

QVAE IN DIVINIS D. PAVLI EPISTOLIS PRAEcipuè ſint ſpectanda, ex Hieronymo.

SED cùm aliud ſit, proprios libros componere, verbi gratia, De auaritia, & de fide, de virginitate, de viduis, & ſuper vnaquaque materia teſtimonijs ſcripturarum hincindè quæſitis, eloquentiam iungere ſecularem, & penè in communibus locis pompaticum iactare ſermonem: Aliud, in ſenſum prophetæ & Apoſtoli ingredi: intelligere cur ſcripſerint: qua ſententiam ſuam ratione firmauerint: quid habeant in veteri lege proprium Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Tyrij, Philiſthijm, Aegyptij & Aſſyrij: Quid rursùm in nouo teſtamento Romani, Corinthij, Galatæ, Philippenſes, Theſſalonicenſes, Hebræi, Coloſſenſes, & quã nunc ad Epheſios epiſtolam habemus in manibus. Neceſsè eſt enim, vt iuxta diuerſitates locorum & temporum & hominum, quibus ſcriptæ ſunt, diuerſas & cauſas, & argumenta, & origines habeant. Et quomodò B. Ioannes in Apocalypſi ſua, ad ſeptem ſcribens eccleſias, in vnaquaq; earum ſpecialia vel vitia reprehendit, vel virtutes probat: ità & ſanctus Apoſtolus Paulus, per ſingulas eccleſias vulneribus medetur illatis: nec ad inſtar imperiti medici, vno collyrio omnium oculos vult curare. Hieron. in præfatione epiſtolæ ad Epheſios.

COMMENDATIO EPISTOLARVM PAVLI, EX HIERON.

PAVLVM Apoſtolũ proferã, quẽ quotieſcunq; lego, videor mihi nõ verba audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas ei9, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt, & videbitis eũ in teſtimonijs, quæ ſumit ex veteri teſtamẽto, quàm artifex, quàm prudens, quàm diſſimulator ſit eius quod agit. Videntur quidẽ verba ſimplicia, & quaſi innocẽtis hominis ac ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias: ſed quocunq; reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit vt ſuperet, fugam ſimulat vt occidat. Hieron. in Apologia pro libris contra Iouinianum.

EX CHRYSOSTOMO.

CVIVS certè ſcripta inſtàr muri ex adamãte cõſtructi, oẽs orbis vniuerſi eccleſias, quouis loco poſitas, circunuallãt. Idemq; ille, fortiſſimi ac generoſiſſimi bellatoris exemplo, medius etiam nũc ſtat, captiuam ducens omnẽ cogitationẽ ad obedi-

obediendum Chriſto: itemq́; & conſilia celſitudinemq́; omnem aduersùs Dei cognitionem ſeſe extollētem demoliens: quæ omnia ille perfecit per illas ipſas, quas nobis reliquit, epiſtolas admirabiles, eaſdemq́ue diuina ſapientia refertas. Chryſoſt. de ſacerdotio libro quarto.

DE VTILITATIBVS EPISTOLARVM PAVlinarum, atq; adeò totius eius doctrinæ, quas D. Chryſoſt. in tribus præcipuè complectitur locis.

I.

IN QVARTO DE SACERDOTIO LIB.

SVNT autem Pauli ſcripta nobis accommoda, non ſolùm vt notha atq; adulterina à nobis dogmata amoliamur, verisq́; ac germanis nos muniamus, ſed etiam ad benè beateq́ue viuendum maximoperè conducentia.

II.

IN DICTVM APOSTOLI, HABENTES vnum ſpiritum, homil. 3.

PAVLINAE enim epiſtolæ, metalla ſunt ſpiritûs & fontes: metalla quidem, quia quouis auro precioſiores nobis præbent diuitias: fontes verò, quia nunq̃ deficiunt, ſed quantumlibet exhauris, tantundem ac multo amplius rurſus affluit: & hoc euidenter declarare poteſt totum tempus quod præterijt.

SIQVIDEM ex quo Paulus vixit, quingenti iam elapſi ſunt anni, totoq́; hoc tempore multi tum commentatores, tum doctores ac interpretes, multa ſæpè indè exhauſerunt, nec tamen repoſitas inibì diuitias exinanire valuerũt: nõ eſt enim ſenſibilis hic theſaurus, & ideò non conſumitur à multis effodientium manib⁹, ſed augetur & multiplicatur.

ET quid dico de illis qui ante nos fuerunt? quàm multi poſt nos dicturi ſunt, ac rurſus poſt illos alij, nec tamen deficient fontis in modum ſcatentes diuitiæ, neque metallorum hoc genus exhaurietur.

III.

DE LAVDIBVS D. PAVLI, HOMILIA QVARTA.

HOMO etenim ignobilis, abiectus & circũforaneus, qui artem exercebat in pellibus, intantùm virtute progreſſus eſt, vt vix triginta annorum ſpatio & Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Aethiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & om̃e ꝓrsùs humanũ genus ſub iugũ mitteret veritatis.

EPILOGVS.

ATQVE his ità præfatis, nunc ipſas adgrediamur epiſtolas, inter quas primum locum habuit ſemper ea, quæ Romanæ ſcripta eſt eccleſiæ.

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS, DE LEGIS OPERibus & gratia, *Liber Bibliæ LI. partis II. libri quarti, I.*

RATIO ORDINIS EX CHRYSOST.

EPISTOLAM autem hanc adgreſſuris, neceſſarium erit & tempus, quo ſcripta ſit, exponere. Neque enim quemadmodùm multi putant, alias omnes antecedit, ſed eas tãtùm quæ ex Roma ſunt ſcriptæ, reliquis verò poſterior eſt, licèt nõ omnibus. Chryſoſt. in præfatione ad hanc ipſam epiſtolam. Vbi huius aſſertiõis pulchram & euidentem inuenies probationem.

DE EADEM, EX DRIEDONE.

SVPER ordine epiſtolarũ tradũt cõmuniter oẽs doctores ſancti, Hierõ. Auguſt. & cæteri, eas nõ eſſe poſitas in canõe Bibliorũ ſecũdùm ordinẽ temporũ, quib⁹ ſunt ſcriptæ, aſſerẽtes epiſtolã ad Corinthios I. ſcriptã eſſe ante epiſtolã ad Romanos. Nã & eã, q̃ eſt ad Corinthios ſecũda, ſcripſit Paulus, quatuordecim iam annis

annis à ſuî conuerſione effluxis, ipſo dicente in eadem epiſtola: Scio hominem ante annos quatuordecim &c. Si ergò vtraq; ad Corinthios,ſcripta eſt ante eã, quæ eſt ad Romanos:& hæc ſcripta eſt ante cæteras eiuſdem epiſtolas, conſequens erit, Paulum primùm incepiſſe ſcribere epiſtolas poſt annum à ſuî cõuerſione decimumquartum. Ioan. Dried.de ſcript.eccleſiaſt.lib.1 cap.3.part.vlt.

Qñ Paulus cœpit ſcribere epiſtolas.

OBIECTIO.

Sed videtur forſitan iſte ordo ſtare non poſſe, quin potiùs epiſtolam illam ad Romanos,ſcriptã eſſe ante eam q̃ eſt ad Corinth. Nam Aquila & Priſcilla,quorũ meminit in vtriuſq; epiſtolæ capite vltimo,primùm Romæ cõmorãtes,p̃ Claudium Cæſarẽ,vnà cum cæteris Iudæis,pulſi ſunt ab vrbe Roma,qui venientes illinc, commorati ſunt Corinthi: tandẽ Paulo illic p̃dicanti adhærentes, & cum eodem indè cõmigrantes Epheſum,vt patet Actor.18. Cùm ergò epiſtola ad Romanos ſcripta ſit,Aquila & Priſcilla adhuc Romæ cõmorantibus, quemadmodùm patet ex vltimo capite eiuſdem ad Romanos,vbì Paulus ſcribit eiſdem verba ſalutatoria,tanq̃ adhuc degẽtibus Romæ: Salutate, inquit, Priſcillã & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu,qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: Epiſtola verò ad Corinthios ſcripta ſit,eiſdem Aquila & Priſcilla iam ab vrbe pulſis, vt patet vltimo capite eiuſdem ad Corinthios,vbì ſcribit ſe hoſpitari apud illos,cùm epiſtolã illã ad Corinthios ſcriberet:Salutãt vos multùm, inquit,Aquila & Priſca,apud quos & hoſpitor: Ex neceſſitate videtur conſequens eſſe, epiſtolam ad Romanos ſcriptã eſſe,priuſq̃ ſcriberetur illa, q̃ eſt ad Corint.

SOLVTIO.

Sed hanc ratiocinationem non concludere,manifeſtũ eſt cõſiderantibus Paulum ſcripſiſſe epiſtolã illã ad Romanos,poſtq̃ Priſcilla & Aquila fuiſſent adiutores Pauli in fide Chriſti,qui & pro anima eiuſdem Pauli,ſuas iam ceruices periculis mortis ſuppoſuerant. Poſtq̃ etiã Paulus ab Hieruſalẽ per circuitum vſq; in Illyricum repleuerat Chriſti Euangeliũ,ità vt non haberet ampliùs in illis regionibus locũ,in quo non eſſet Euangeliũ Chriſti prædicatum. Ex quibus conſequens eſt,eoſdẽ Aquilã & Priſcillã,poſtq̃ Corinthi & Epheſi ad tempus fuiſſent cõmorati,reuerſos eſſe in vrbem Romam,priuſq̃ Paulus Romã vinctus duceretur. Nõ ergò ſcripſit Paulus epiſtolã illam ad Romanos à Corintho,tempore illo quo apud Priſcillã & Aquilã hoſpitaretur,ſed illis abſentibus & in vrbẽ reuerſis,apud Caium hoſpitatus. Intelligendũ eſt enim, Paulũ frequentiùs fuiſſe Corinthi, quẽadmodùm & Epheſi,atq; Hieruſalẽ:tranſiens enim erat,& perambulans de prouincia in prouinciam. Ioann. Driedo vbì ſuprà. Vide huc etiã Theodoretum, in præfatione ad hanc epiſtolam.

QVO TEMPORE SIT SCRIPTA.

Vltima ergò omnium,quæ ex Aſia & Macedonia & Achaia miſſæ ſunt, ſcripta eſt ad Romanos epiſtola,& locum habet ſeptimũ. Theodoret.in præfat. ad omnes diui Pauli epiſtolas.

CVR A MAIORIBVS NOSTRIS PRIMO LOCO poſita ſit hæc epiſtola.

Epiſtola ad Romanos,prima eſt: quia cùm fides prima virtus ſit, & fundamentum aliarum virtutum,& ſine qua impoſſibile eſt placere Deo,digna fuit vt iſta epiſtola in capite aliarum locaretur,in qua de prima virtute agitur,& in qua corriguntur,atque ad fidei perfectionẽ reuocantur, quicunq; Romanis ſecundùm fidei imperfectionẽ ſunt ſimiles. Anſelm.in præfatione huius epiſtolæ.

ALIA RATIO EX COMMENTARIIS GERARDI Matthiſij in epiſtolam præſentem.

Missa itaq; tũ Hierõ.tũ Orig.ſentẽtia,nõ iniuria hãc ad Romanos epiſtolã, cæteris oĩbus antepoſitã exiſtimam9,nõ modò vt hac in re Rom.populi(penès quẽ tũ ſumma impij totius verſabatur)ratio aliqua p̃ cæteris populis ſuo merito habita eſſe videatur,(in qua ſententia nõnullos fuiſſe Theodoretus author eſt)ſed

mul.

multo magìs, quia tale argumentū hac epiſtola tractatur, quod non ſolùm dignitate ac grauitate alijs omnibus facilè ꝑponderat, ſed quod ipſa Chriſtianæ inſtitutionis ac pietatis prima quoq; rudimenta & tanq̄ incunabula q̄dam tradit. Quæ enim ſunt alia noſtræ religiōis incunabula, rudimenta, principia, q̄ quibus omnis religio noſtra innititur, Fides, gratia, ac Chriſti merita? 1. Cor. 3. Gerard. Matthiſius in argumento cōmentariorum in epiſt. ad Roman. cap. 1.

Capita religionis Chriſtianæ.

EX QVO LOCO SCRIPTA SIT.

Svnt qui dicunt Epiſtolam hanc ad Romanos, ſcriptam ab Athenis, quemadmodùm ſentire videtur Gloſſa interlinearis ad Rom. vltimo: Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis. In qua ſententia etiam Haymonem fuiſſe teſtatur gloſſa ordin. hîc ad Roman. Verùm hoc non eſſe veriſimile, indè patet, ꝙ hæc epiſtola ſit ſcripta in ea ciuitate vbì habitabat Caius, apud quem Paulus eam ſcribens hoſpitabatur. Caius autem Corinthius erat, quē & Paulus baptizauerat, vt patet 1. Cor. 1. Probabilior ergò eſt opinio communis & Origenis, hanc epiſtolam ex Corintho Romam eſſe tranſmiſſam. vt etiam in huius epiſtolæ argumēto dicitur: Tum ſcilicet, cùm eos nondùm quidem vidiſſet, audiſſet verò de illorum fide, cuperetq; videre eos, vt ait Athanaſ. in Synopſi.

QVI SINT ILLI ROMANI, AD QVOS HAEC SCRIPTA EST EPISTOLA.

Romanorvm nomine continentur hoc loco illi, qui ex Iudæis & gētibus crediderunt, & partis ſunt Italiæ. Hieron. in prolog. & in argum. ad Rom. Chryſoſtomus hîc cap. 1. in principio.

QVAE SIT EPISTOLAE HVIVS SVMMA.

Contentionem inter eos qui ex Iudæis, & illos qui ex gentilibus conuerſi fuerāt, ortā, qua pars vna potior altera haberi contendebat, vtì vanam, ſuperbā & inutilē, dirimere ſtudet. Ex prologo ſpeciali Bibliorum in epiſt. ad Roman.

QVA DEFENSIONE PRO SE VSI FVERINT HEBRAEI. EX EOD.

Hi dicebant, Nos ſumus populus Dei, quos ab initio dilexit & fouit: Nos circuncisi ex genere Abraham, ſancta deſcendimus ex ſtirpe, & notus retrò apud Iudæam tantùm Deus, Pſal. 75. Nos de Aegypto ſignis Dei & virtutibus liberati, mare ſicco pertranſiuimus pede, cùm inimicos noſtros grauiſſimi fluctus inuoluerent, Exod. 14. Nobis pluit manna Dominus in deſerto, & quaſi filijs ſuis cæleſte pabulum miniſtrauit. ibid. 16. Nos die noctuque in columna nubis ignisq; ꝓceſſit, vt nobis in inuio iter oſtenderet. Atq; vt cætera eius erga nos immenſa beneficia taceamus, nos ſoli digni ſumus Dei legem accipere, & vocem Dei loquentis audire, eiusq; cognoſcere voluntatem. Exo 13. In qua lege nobis ꝓmiſſus eſt Chriſtus, ad quos etiam ipſe ſe veniſſe teſtatus eſt, dicens: Non véni, niſi ad oues, quæ perierant, domus Iſrael: cùm vos canes potiùs quàm homines appellauerit Matt. 15. Aequum ne ergò eſt, vt idola hodiè deſerentes, quibus ab initio deſeruîſtis, nobis comparemini: & nō potiùs in proſelytorum locum ex legis authoritate & conſuetudine deputemini? Et hoc ipſum nō merebamini, niſi quia larga ſemper Dei clemētia voluit vos ad noſtram imitationē admittere.

DEPVLSIO EORVM, QVI EX GENTIBVS CONVERSI FVERANT.

Gentes etiam econtrà reſpondebant: Quanto maiora erga vos Dei beneficia narraueritis, tanto maioris vos criminis reos eſſe demonſtrabitis. Semper enim his omnibus extitiſtis ingrati. Nam ipſis pedibus quibus aridum mare tranſîſtis, ludebatis ante idola, quæ feciſtis: & in ipſo ore quo pauloantè ob necem aduerſariorum Domino cantaueratis, ſimulacra vobis fieri popoſciſtis: illis oculis q̄bus venerādo Deū in nube vel igne conſpicere ſolebatis, ſimulacra intuebamini. Manna quoq; vobis faſtidio fuit, & ſemper in deſerto cōtra Dñm murmurâſtis, ad Aegyptū, vndè vos manu valida eiecerat, redire cupiētes. Quid plura? itâ patres veſtri crebra ꝓuocatiōe Dñm irritauerūt, vt oēs in eremo morerētur, nec plures ex ſeniorib' eorū, q̄ duo homines terrā repromiſſiōis intrarēt. Sed q̄d antiqua replicamus, cùm etiā ſi illa minimè feciſſetis, de hoc ſolo nemo vos dignos

venia

venia iudicaret, ꝙ Dominum Chriſtum, prophetarum ſemper vobis vocibus repromiſſum,nō ſolùm ſuſcipere noluiſtis,ſed etiam morte peſſima peremiſtis: quem nos vt cognouimus,ſtatim credidimus,cùm nobis de eo anteà non fuerit prædicatum? Vndè probatur, quòd idolis ſeruiuimus,non obſtinationi mentis, ſed ignorantiæ deputandum. Qui enim cognitum ilicò ſequimur,olim vtiq; ſequeremur,ſi anteà cognouiſſemus. Sic autem vos de generis nobilitate iactatis, quaſi non morum imitatio magìs,quàm carnalis natiuitas filios faciat eſſe ſanctorum. Deniq; Eſau & Iſmael cùm de ſtirpe ſint Abrahæ, minimè tamen in filijs reputantur.

DECISIO APOSTOLI PAVLI.

His taliter altercantibus, Apoſtolus ſe medium interponens, ità partium dirimit quæſtiones,vt neutrum eorum ſua iuſtitia ſalutem meruiſſe cōfirmet, ambos verò populos & ſcienter & grauiter deliquiſſe: Iudæos quidem, quòd per præuaricationem legis Deum inhonorauerint: Gentes verò, ꝙ cùm cognitum de creatura creatorem, vt Deum debuerant venerari, gloriā eius in manufacta mutauerint ſimulacra. Vtroſque etiam ſimiliter veniam cōſecutos, æquales eſſe veriſſima ratione demōſtrat,præſertim cùm in eadem lege prędictū ſit, & Iudæos & gentes ad Chriſti fidem vocandos eſſe. Quamobrem viciſsim eos humilians,ad pacem & concordiam cohortatur. In prologo ad Romanos.

QVIS HVIVS SCRIPTIONIS SIT SCOPVS.

Intentio Pauli in hac epiſtola eſt, vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Iſraelitæ gloriari,quòd datæ ſibi legi ſeruiſſent, & ex hoc euāgelicam gratiam tanquàm debitam meritis ſuis percepiſſent, quia legi ſeruiebant: vndè nolebant eam gratiam dari gentibus tanq̄ indignis, niſi Iudaica ſacramenta ſuſciperent. Auguſtinus ad Simplicianum lib. 1. quæſtion. 2.

QVIBVS DE CAVSIS HAEC EPISTOLA ALIIS D. Pauli ſcriptis habeatur difficilior, ex Origene. TABVLA 39.

Quòd cæteris Apoſtoli Pauli epiſtolis difficilior putatur ad intelligendum hæc, quæ ad Romanos ſcripta eſt, duabus ex cauſis mihi fieri videtur:

I.

VNA, *quòd elocutionibus interdùm confuſis & minùs explicitis vtitur.*

II.

ALIA, *quòd quæſtiones in ea plurimas mouet, & eas præcipuè, quibus innitentes hæretici, adſtruere ſolent, quòd vniuſcuiuſque geſtorum cauſa, non ad propoſitum debeat, ſed ad naturæ diuerſitatem referri: & ex paucis huius epiſtolæ ſermonibus, totius ſcripturæ ſenſum, qui arbitrij libertatem conceſſam à Deo homini docet, conantur euertere.*

III.

HIS *idem Origenes paulò poſt etiam tertiam addit cauſam. Illud ſanè, inquit, non parùm cedit ad intelligentiæ difficultatem, quòd multa de lege Moiſis in hac eadem connectuntur epiſtola, de vocatione gentium, de Iſrael ſecundùm carnem, & de Iſrael qui non eſt ſecundùm carnem, de circunciſione carnis & cordis, de lege ſpiritali & lege literæ, de lege carnis & lege membrorum, de lege mentis & de lege peccati, de interiore & exteriore homine: quæ ſingula prædixiſſe ſufficiat: in his enim continentia haberi videtur epiſtolæ. Origen. in præfat. epiſtolæ ad Roman.*

DE PAR-

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD Romanos. TABVLA 40.

IN EPISTOLA PAVLI *ad Romanos, duo potiſſimum ſpectanda ſunt:*

- *Occaſio ſeu cauſa, quæ illum ad hoc genus argumenti tractandum permouerit.*
- *Forma ſeu ratio docendi, qua in hac epiſtola vſus eſt.*

DE SCRIPTI HVIVS OCCASIONE. TABVLA 41.

POSITO *iã fidei fundamẽto, diſſenſio orta eſt inter Chriſtianos conuerſos ex*

- GENTILIBVS, *qui ſe conuerſis ex Iudæorum numero, potiores habẽdos exiſtimabant ratione*
  - *Philoſophiæ & prudentiæ humanæ, quæ excellentior fuerit romanis & Græcis, quàm Iudæis.*
  - *Electionis ſeu vocationis & gratiæ ſingularis, qua Chriſtus Iudæis verbum ſuum reſpuentibus, conuerſus ſit ad gentiles.*
  - *Imperij & poteſtatis ſecularis, qua Deus optimus Max. gentes & inprimis populum Rom. præ cæteris illuſtrauerit.*
- IVDAEIS, *qui ſe contrà præferebãt Romanis propter*
  - *Legis diuinæ authoritatem, quæ non gentilibus, ſed Iudæis primum data fuiſſet.*
  - *Signum circunciſionis, & cæremonias in lege Moſaica contentas.*
  - *Vitæ ſanctimoniam, qua gentiles, quos propter idololatriæ cultum & alias vitæ ſordes, peccatores appellare ſolebant, antecellerent.*

DE RATIONE DOCENDI, QVAM HIC OBſeruare licet. TABVLA 42.

MODVS PROcedendi *in hac epiſtola, continetur*

- *Principio, cap 1. vſque ad verſ. Non enim erubeſco.*
- *Tractatu, Indè vſque ad cap. 15.*
- *Epilogo, cap. 15. & 16.*

DE PRINCIPIO. TAB. 43.

PRINCIPIVM *Epiſtolæ ad Rom. habet partes tres:*

- *Salutationem, in princip. cap. 1.*
- *Gratiarum actionem, de proſpero Chriſtianæ religionis & prædicationis ſuæ ſucceſſu. verſ. Primò quidem gratias ago. eod.*
- *Declarationem ſuæ erga Eccleſiam Romanam voluntatis, atque deſiderij illos coràm & videndi & docendi, verſ. Teſtis eſt mihi Deus, vſq. ad d. verſ. Non enim erubeſco, eod.*

DE IPSO TRACTATV. TABVLA 44.

IN IPSO TRActatu *diuus Paulus facit duo:*

- *Diſputat, & ratiõibus confutat partium argumẽta. à d. verſ. Non enim erubeſco, vſque ad caput 12.*
- *Exhortatur vtroſque & Iudæos & Græcos ad concordiam & vnitatem cum omnibus retinendam, à 12. cap. vſque ad cap. 15.*

DE RE-

DE REFVTATIONE RATIONVM, ET PRAEDIctę diſſenſionis compoſitione, prima huius epiſtolę parte. TABVLA 45.

LOCI, EX QVIbus diſſenſionis prædictæ argumenta refutantur, ſunt nouem: Agit enim Apoſtolus de	*Lege naturæ, ſiue naturali ratione & ſapientia, à ſæpè dict. verſicul. Non enim erubeſco. vſque in fin. cap. 1.* *Imperio & poteſtate iudiciaria. à princip. cap. 2. vſque ad verſ. Nõ enim eſt acceptio perſonarum, eod.* *Scripta lege decalogi, à prædict. verſ. vſque in fin. cap. 2.* *Circumciſione & cæremonijs legis Moſaicæ, tot. cap. 3.* *Fide & eius iuſtitia, cap. 4. per totum, & in princip. 5.* *Modo & forma iuſtificationis, cap. 5.* *Lege gratiæ vel ſpiritûs, cap. 6. & 7. vſque ad verſ. Quid ergò dicemus?* *Lege peccati ſiue culpa originali, prædictæ gratiæ legi contraria, c. 7. & 8. vſque ad verſ. Scimus autem quoniam diligentibus Deum.* *Electione Dei gratuita & prædeſtinatione æterna, à prædicto loco vſq; ad cap. 12.*

DE LEGE NATVRAE.

TABVLA 46.

PRIMAE GENTIVM RAtioni Paulus opponit Euangelium, ex quo pbat hominem fide, & non ſcientia Philoſophica, ſaluari. Non ergò eſſe quòd glorietur de ſapientia ſua, ſed magis illos iram mereri, quòd ea turpiſſimè fuerint abuſi. Sæpè d. verſic. Non enim erubeſco &c. vbi oſtendit	*Inter gentes quidem non exiguam fuiſſe Dei cognitionem. verſ. Deus enim manifeſtauit illis.* *Sed euanuiſſe illos in cogitationibus ſuis, ità vt nimium humanæ innixi prudentiæ, non ſtulti tantùm, ſed & reprobi fuerint facti. ver. Quia cùm cognouiſſet &c.* *Ex qua ſtultitia in grauiſſima inciderint peccata, quibus Dei in ſe prouocârunt iram & indignationem, verſ. Propter quod tradidit illos Deus.* *Atque hanc pœnam iure illis obtigiſſe declarat, à verſ. Et ſicut non probauerunt, vſque in fin. cap. 1.*

DE EXCELLENTIA IMPERII, ET IVDICIARIA authoritate. TABVLA 47.

NEQVE HAC ratione Hebræis gentiles eſſe potiores, tribus probat argumentis:	*Qui alijs imperant, aliósve pro authoritate iudicant, non habent indè ſe iactandi materiam: in quo enim alterum quis iudicat, in eo ſeipſum condemnat, cap. 2. in principio.* *Nec debent eſſe ſine metu, quòd in præſenti vitâ floreant, nec ſentiant vltionem. Neque enim auferri vindictam, quæ ex diuina longanimitate & patientia differtur ad tempus, verſ. An diuitias bonitatis eius &c.* *Sed Deum in die reuelationis iuſti iudicij ſeueriter vindicaturum, verſ. Secundùm autem duritiam. eod.*

DE LEGE SCRIPTA DECALOGI

TABVLA 48.

SIC HEBRAEOS *propter legis ſcriptæ ſeu decalogi dignitatem gentilibus nihil præferendos eſſe, conuincit hac ratione:*

Hebræi legem, quam ſcriptam habebant in tabulis lapideis, trãſgreſſi ſunt: itaque non gloriæ, ſed ignominiæ fuit illis. verſ. Non eſt enim acceptio perſonarum. eod.

Gentiles verò plerique cùm legem in ijs tabulis ſcriptam non haberent, operibus demonſtrârũt ſe habere legem in cordibus ſuis, quod eis maiori gloriæ fuit. verſ. Cùm enim gentes. vſque in fin. cap. 2.

DE CIRCVNCISIONE.

TABVLA 49.

ADVERSVS HEBRAEO- *rum ſecundam argumẽtationem, quã inſtituerant ex ritu cæremoniarum, maximè circunciſionis, D. Paulus in cap. huius epiſtolæ 3. ediſſerit duo:*

Circunciſionem Iudæis datam quidem ad vtilitatem eorum, verùm quandò adhuc ſub peccato manebant, ità vt non eſſet vſque ad vnum qui faceret bonum, non poterant ſe eius nomine gentibus anteferre. cap. 3. in princip.

Iuſtitiam Dei non per opera legis aut cæremonias, ſed per fidem in mediatorem fuiſſe. Eam autem fidem habuiſſe etiam gentiles quoſdam.

DE FIDE ET EIVS IVSTITIA.

TABVLA 50.

PRO CONFIR- *matione autem priorũ, diuus Paulus exemplo Abrahæ hominẽ oſtendit iuſtificari*

Non ex lege vel legalibus operibus. Nam ante legem datam ſcriptum eſt, quòd credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. cap. 4. in princip.

Sed ex fide in mediatorem Ieſum Chriſtum, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſsio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrûm. verſ. Ideò ex fide. vſque in fin. cap. 4. & in principio quinti.

DE FORMA IVSTIFICATIONIS.

TABVLA 51.

FORMAM, *& rationem, qua fides in mediatorem iuſtificat, declarat ex collatiõe*

Perſonarum Adæ & Chriſti: ſicut enim per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, atque ſic ex inobedientia vnius multi conſtituti ſunt peccatores: ità per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi. cap. 5. verſ. Propterea ſicut &c.

Peccati & gratiæ. Sed non ſicut delictum, inquit, ità & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit, &c.

PRO LEGE GRATIAE CONTRA carnis libertatem. TABVLA 52.

NE AVTEM HOMINES *Chriſtiani ex eo, quòd in locum legis Moſaicæ per Chriſtum introducta ſit lex gratiæ, fiant effrenes, aut in eam prolabantur hæreſim, vt libertatem ſpiritûs conuertant in libertatem carnis: oſtendit porrò, libertatem Chriſtianam non eſſe ocium aut libertatem carnis, ſed ſeruitutē ſpiritûs, cui omnes ſeruire, & non à peccatis tantùm abſtinere, ſed honeſtè etiam & piè viuere teneantur. Id quod probat ab*

- *Exemplo Chriſti & ſignaculo baptiſmi. Vt enim Chriſtus propter peccata noſtra primùm mortuus eſt, & deindè in vitam reſurrexit nouam & immortalem: ità homo Chriſtianus baptiſmo immerſus, peccato primùm mortuus, deindè ex fonte emergens, ideò nouis induitur veſtibus, quòd aſſumpta vita noua, ſanctè ambulare, nec ampliùs peccatis inſeruire debeat. à princip. cap. 6. vſque ad verſ. An neſcitis.*
- *Contrario: Nam is qui libertatem quærit carnis, in ſeruitutem incidit peccati, cuius ſtipendium mors eſt. Deo autem & iuſtitiæ qui ſeruiunt, fructum habebunt in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. verſ. An neſcitis, eodem.*
- *Exemplo vxoris & viri. Vt enim vxor non aliter ſit libera, quàm ſi maritus ſit defunctus: ità nos ei, cui reſurgenti coniuncti ſumus, Chriſto videlicet Ieſu* DOMINO *& liberatori noſtro, in vitæ nouitate atque ſanctimonia fructum ex nobis producere, & inſeruire tenemur. à princip. cap. 7. vſque ad verſ. Quid ergò dicemus?*

DE PECCATO ORIGINIS, SEV LEGE peccati, Legi gratiæ contraria. TABVLA 53.

ABSOLVTIS GEMINIS *vtriuſq; paris rationibus, aſſumit tertium argumentum Iudæorum de iactitata vitæ ſanctimonia, quod refutat rebellione carnis, cui ſine gratia Chriſti reſiſtere nemo queat. dict. verſ. Quid ergò dicemus? Vbi*

- PONIT *primò differentiam legis triplicem:*
  - *Primam ſcriptam, quæ dum prohibet peccatum, excitat in nobis concupiſcentiam. Nitimur enim in vetitum ſemper, &c.*
  - *Secundam ſpiritûs ſiue mentis, quæ dictat homini facienda &c.*
  - *Tertiam membrorum, quam ſtimulum dicimus carnis, legi Dei & mentis repugnantem, efficientemque vt non faciat bomo, quod mens dictat & imperat.*
- DEINDÈ *ex bis colligit duo:*
  - *Miſerum & infelicem eſſe hominē, quippe qui ſit legi & mortis & peccati ſubiectus. verſ. Infelix ego homo, vſque in fin. cap. 7.*
  - *Ab iſta lege ſeu potiùs ſeruitute peccati, ſola nos liberari gratia Chriſti, & lege ſpiritûs eius. Itaque non debet Chriſtianus ſeruire carni & peccato, ſed vitam agere iuſtitiæ & virtutum ſtudioſam. à princip. cap. 8. vſque ad verſ. Scimus autem, quoniam &c.*

DE ELECTIONE DEI GRATVITA, ET prædeſtinatione diuina. TABVLA 54.

VLTIMO LOco Paulus reſpondet etiam ad Gentilium rationem tertiam & poſtremam: Non eſſe nimirùm, vt glorientur de electione, eò quòd electio ſiue prædeſtinatio Dei æterna ex gratia, non ex meritis illorum fuerit. Ad hæc cùm Iudæorum reprobatio gentilibus ſit cauſa ſalutis, indignũ iudicat Paulus, quòd ſe hac ratione pre illis efferant. Quam diſputatiõnẽ in quinque partitus eſt hypotheſes ſiue propoſitiones: Quarum

- PRIMA eſt de vi & efficacia prædeſtinationis immobili, Prædeſtinatis ſcilicet omnia cooperari in bonum, nec illis creaturam vllam Chriſti charitatem poſſe eripere. d. verſ. Scimus autem. cap. 8.
- SECVNDA, de prædeſtinationis veritate. Nihil infirmari certitudinem prædeſtinationis, quòd non omnes filij Iſrael ad fidem ſint vocati. Promiſſio enim quæ facta eſt Abrahæ aut Iacob, non de omnibus eorum filijs ſecundùm carnem, ſed de quibuſdam intelligi debet, qui etiam ſunt vocati. Id quod ex duabus oſtendit ſacræ ſcripturæ authoritatibus. à princip. cap. 9. vſque ad verſ. Nunquid iniquitas.
- TERTIA, de prædeſtinationis ac reprobationis æquitate. Neque verò prædeſtinationem vel reprobationem Dei eſſe iniquam, quòd alios elegit, alios reprobauit ex Iudæis & gentibus, d. verſ. Nunquid iniquitas, eodem.
- QVARTA, de cauſa ob quam Iudæi fuerint reprobati: Quam ſtatuit duplicem:
  - Vnam Primariam, quæ fuit, Quòd offenderint in lapidem offenſionis & Petrã ſcandali, ſcilicet in Chriſtum. verſ. Quid ergò dicemus? vſque in finem cap. 9.
  - Et alteram immediatam, Quòd propriam iuſtitiã prætulerint iuſtitiæ Dei: ſuam iuſtitiam vſqueadeò zelantes, vt Chriſtum recipere noluerint. Id verò illis accidit, quòd æmulationem quidem legis habuerint, ſed non ſecundùm ſcientiam, cap. 10. per tot.
- QVINTA, qua in ſpecie reſpondet gẽtilium obiectioni poſtremæ: gentem videlicet Iudaicã propter reprobationem eius non eſſe contemnendam: tum quòd
  - Multi ex Iudæis fuerint vocati & electi, inter quos Paulus & ſe & alios numerat diſcipulos. cap. 11. in principio.
  - Etſi maior pars Iudæorum excæcata ſit, reliquiſſe tamen ſibi Dominum complures, qui ſalui fierent. verſ. An neſcitis quia in Elia. eod.
  - Reprobatio Iudæorum, gentium fuerit ſalus, ac ob id metuendum ſit gentibus, nè & ipſi aliquandò éxcidant. verſ. Nunquid ſic offenderunt. eodem, vbi ait, Propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas. noli altum ſapere, ſed time.
  - Iudæis cæcitas illa ex parte tantùm, & ad tempus acciderit: in poſterum verò futurum, vt cùm plenitudo intrauerit gentium, ſaluus fiat omnis Iſrael. verſ. Sed & illi ſi non permanſerint.
  - Incompræhenſibilia ſint humano generi iudicia ſapientiæ et ſcientiæ Dei, et inueſtigabiles viæ eius, verſicul. O altitudo, vſque in finem. cap. 11.

DE AL-

DE ALTERA HVIVS EPISTOLAE PARTE, HOC eſt, Exhortatione ad vnitatem in Eccleſia retinendam.

TABVLA 55.

REFVTATIS SIC, VT PRAEmittitur, partium argumētis, ac vna eademq́ opera diſsidij illius fundamento penitùs euerſo, D. Paulus in eo deindè totus eſt, vt vnitatem & concordiam in Eccleſia tueatur, ac ob id Romanis perſuadere nititur, vt habeant pacem cum

- *Aequalibus, quia ſinguli ſua peculiaria & ab alijs differentia accipiunt dona. cap. 12. per tot.*
- *Superioribus. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. toto cap. 13. vbi etiam agit de præſtādis tributis, & proximis diligendis.*
- *Infirmis in fide & imperfectis. cap. 14. per totum.*
- *Omnibus hominibus, ſicut Chriſtus, licèt eſſet Iudæus & miniſter circuncißionis, tamē etiam gentiles ſuſcepit. à prin. cap. 15. vſq; ad verſ. Certus ſum &c.*

EPILOGVS. TABVLA 56.

IN EPILOgo D. *Apoſtolus Paulus*

- *Excuſat Romanis audaciam ſuam, cur eos abſentes, necdùm viſos, & per alios conuerſos, tam liberè admonere fuerit auſus, idq́ ab officio ſuo, & quòd gentibus maximè deſtinatus ſit Apoſtolus. d. verſic. Certus ſum. Vbi recitat prædicationis ſuæ ambitum, & occaſionem quæris illos inuiſendi. Quod vt fiat in gaudio, implorat illorum ad Deum preces. vſque in fin. cap. 15.*
- *Salutat plurimos, itemque nonnullos commendat. per tot. cap. 16. & vltimū.*

EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS PRIMA, DE VARIIS FIDEI

dogmatibus & correctione morum, Liber Bibliæ LII, Partis ſecundæ libri quarti, ſecundus.

RATIO ORDINIS.

ILLA verò quę eſt ad Corinthios, iurè poſtponitur epiſtolæ ad Rom. quoniam eos qui fidem iam acceperant, in bono opere inſtruit. Primò enim iaciendum eſt fundamentū, id eſt, fides, & indè bona opera ſunt superędificanda. Anſelmus in pręfatione epiſtolæ ad Rom. & in arg. epiſtolæ ad Cor. 1. Hęc epiſtola, inquit, poſt illam ad Rom. iurè locata eſt, licèt ante illam ſcripta ſit: quia quiſquis in fide iam inſtructus eſt, de qua cum Romanis agitur, debet conſequenter à ſubrepentibus vitijs corrigi, & in virtutibus pleniùs informari, ſicut nunc corriguntur & inſtruuntur Corinthij. Ob hoc etiam poſita eſt hęc poſt illam, quoniā in materia quādam habet affinitatem cum illa.

QVOMODO CONVENIAT HAEC EPISTOLA cum illa, quæ eſt ad Romanos.

HAEC epiſtola, cum doctrina Pauli, quam tradidit Romanis, magnam habet affinitatem: vt enim illi de meritis ſuorum anteceſſorum gloriabantur, & ſuam ſaluationem non gratię deputabant, ſed quidam legis obſeruationibus, quidam verò facultati ingenij & libertati arbitrij: ſic & Corinthij de ſanctitate ſuorum baptizatorum gloriantes, & quidquid boni habebant, illis aſſcribētes, alij alijs prę ferri volebant. Anſelmus in argum. huius epiſtolę.

DE CORINTHIIS.

Corinthvs eſt ciuitas metropolis, caput Achaię, decus Gręciæ: Anſelm. hic cap.1.in princip. Vndè dicti ſunt Corinthij,qui inter omnes maximè Pauli erant diſcipuli. Idcircò ad eos locutus eſt: Si alijs non ſum apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: Nam ſignaculum apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino. Chryſoſt. in pręfat. ad hanc epiſtolam ad Corinth.primam.

QVAE D. PAVLVS IN HAC CIVITATE perpeſſus ſit.

In hac dęmon egreſſus eſt,quē cùm Iudęi adiurarent, paſſi ſunt moleſtiſſima. In hac coactos magorū libros pœnitētia ducti cremauerūt ad millia qnquaginta. In hac ante tribunal corā Gallione proconſule Paulus virgis cæſus eſt. Chryſo.ibid.

DE SCRIPTI HVIVS OCCASIONE, EX eodem Chryſoſtomo.

Corinthvs vrbs prima Gręcię, multa quondàm rerum omnium abundantia, maximè verò pecuniarum, florebat. Quamobrē quidam Scriptorū illorū, diuitē cam regionem appellauit. In Iſthmo enim Peloponenſi ſita, negociationibus q̄ opportuniſſima eſt. Erāt p̄tereà in hac ciuitate plurimi oratores atq; philoſophi, quorū vnus ex ſeptē ſapientū numero fuit. Rerum abundātia, corruptelā morū: oratorū verò p̄ſtantia, & inanis ſapiētię mūdanę perſuaſio, religionis ac fidei dogmatum peperit contemptū quendā. Hęc autē & alia nonnulla Apoſtolo Paulo occaſionem ſcribendi præbuerunt non iuſtam modò, ſed etiam neceſſariam.

VERBA CHRYSOSTOMI.

Cvm igitur diabolus ciuitatem magnam, populoſam, veritati inhærentem, diuitiarum & ſapientię nomine admirabilem, Gręciæ caput, (Athenienſium enim & Lacedæmoniorum res, amiſſo iam principatu, defecerant) maximè autem promptiſſimo animo verbum Dei ſuſcipientem videret, inter eiues diſcordiam diſſeminauit. Nôrat enim, regna quoquè firmiſſima, inter ſe diuiſa, deſolari.

Ad has autem inſidias, occaſioni ei fuêre diuitię, ſapientia, & indè incolarum factiones. Siquidem multitudo ſponte ſua quoſdam principes conſtituerat: alij alios tanquàm diuites, alios tanquàm ſapiētes ſecuti, à quibus perſuaſi homines, maius quiddam hos, quàm Apoſtolum, & dicere & docere poſſe contendebant. Quod Paulus ſignificans: Non potui, inquit, vobis loqui tanquàm ſpiritualibus: Quibus verbis oſtendebat, non ſua ipſius, ſed aliorum imbecillitate eos audire multa non potuiſſe. Quod etiam his verbis oſtēdit: Sine nobis diuites facti eſtis. Neque hoc paruum erat, ſed omnium maximè exitioſum, quòd laceraretur Eccleſia &c. Chryſoſt.in d.pręfat.epiſtolæ huius ad Corinth.primæ.

ALIA HVIVS SCRIPTIONIS CAVSA.

Qvin & Chriſtū ipſum Paulo hanc ſcribēdi neceſſitatē impoſuiſſe ſacrę teſtantur lrerę Act. 18. vbi ſcribitur, Chriſtū Paulo in Corintho apparuiſſe, & dixiſſe: Noli tacere, ſed loquere: quoniā populus eſt mihi multus in hac ciuitate. Vndè etiam factum eſt, q̄ Apoſtolus duos in hac ciuitate manſerit annos. Chryſo.ibid.

VBI ET QVANDO SCRIPTA FVERIT HAEC EPISTOLA.

Post vtranq; ad Theſſalonicenſes epiſtolā, ſcripram eſſe exiſtimo priorē ad Corinthios, poſtq̄ eos iam viderat & docuerat, vt p illā eos admoneret. Athanaſius in Synopſi. Eam autem ſcripſit, cùm Epheſi tūc tēporis ageret. Et hoc ipſe declarauit. Dicit enim circa finē epiſtolę: Permanebo aūt Epheſi vſq; ad Pentecoſten: oſtiū enim mihi apertū eſt magnū & efficax, & aduerſarij multi. Vénit aūt Epheſum poſtq̄ prędicaſſet Macedonibus & Athenienſibus & Corinthijs, vt docet hiſtoria actuum Apoſtolorum. Theodoret.in pręfat.in 14. ſancti Pauli epiſtolas.

Ex Epheſo itaq; Aſię Metropoli ſcripta eſt hæc epiſtola, vbi triennium Paulus commoratus, cum Aquila & Priſcilla hoſpitatus, nocte & die nō ceſſauit cum lachrymis vnumquenque admonere, Actor.20. Ioan. Driedo de ſcript. eccleſiaſticis lib.1.cap.3.part.3.

PER

PER QVOS CORINTHIIS HAEC Epiſtola ſit allata.

FERENDIS autem literis miniſterium exhibuerunt Stephanas & Fortunatus & Achaicus, ad ipſum miſſi à Corinthijs, vt ipſe docet in fine. Beatum enim Timotheum ad ipſos quidem miſit, ſed non cum epiſtola, & hoc ipſe oſtẽdit. Ait enim: Si venerit Timotheus, videte vt ſine metu ſit apud vos. Theodoret. hîc in Argumento.

QVIS HVIVS EPISTOLAE SIT SCOPVS.

CORINTHII per falſos quoſdam Apoſtolos à veritatis verbo multifariè ſeducti, atque adeò tandem fuerant ſubuerſi, vt nec reſurrectionem crederent mortuorum. Hieron. aduerſ. Luciferianos. Theophylact. in præfat. epiſtolarum Paulinarum. Quò alij à Philoſophiæ verboſa eloquentia, alij ſecta legis Iudaicæ inducti ſunt. Hos reuocat Apoſtolus ad verã fidem & Euangelicam ſapientiã. Hieron. hîc in Argumen. Vbi contra Theodoreti ſententiam, etiam hoc additur, Paulum hanc epiſtolam miſiſſe ab Epheſo per Timotheum diſcipulum ſuum. ſed in Græcis codicibus in calce huius epiſtolæ hæc leguntur verba:

EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIOR.

MISSA fuit à Philippis per Stephanam & Fortunatum & Achaicum & Timotheum.

PARTITIO EPISTOLAE AD CORINTHIOS PRIMAE. TABVLA 57.

ANIMADVERTIT *D. Paulus, in Eccleſiam, quæ erat Corinthi, grauiſſimos quoſdam irrepſiſſe errores: adeò vt*

- BAPTISMI *vim & efficaciam ex miniſtrorum metirentur ſanctitate: quo etiam nomine alios alijs præferebant, cap. 1. verſ. Obſecro, ac tot. cap. 3. & 4.*
- FIDEI *ſimplicitatem ad Philoſophiam reducere conarentur. d. cap. 1. verſic. Verbum enim crucis, vſque in finem, & toto cap. 2.*
- IMMVNDITIIS *& fornicationibus dediti & inquinati eſſent, Cap. 5. & 6.*
- VIRGINITATEM *intantum præferrent, vt damnarent matrimonium, cap. 7.*
- CVM *idololatris non abſque aliquo erga illos fauore dæmonijs immolata comederent, cap. 8. 9. & 10.*
- AD *Euchariſtiæ communionem non ritè accederent, cap. xj.*
- DE *donis gratiæ gratis datæ, non rectè ſentirent, cap. 12. 13. & 14.*
- MORTVORVM *reſurrectionem futuram negarent impiè, cap. 15.*
- AD *præſtandas & colligendas eleemoſynas in vſus Pauperum, qui erant Hieroſolymæ, eſſent tardiores, cap. 16.*

CONTRA ERROREM I.

TABVLA 58.

PRIMVS ERror verſatur circa miniſterium Apoſtolorum, & eſt duplex:

PRIMVM quidem exiſtimabant, Baptiſmum ex miniſtri ſanctitate fieri excellentiorem: ac ob id alius Pauli, alius Apollô, alius Cephæ, alius verò Chriſti diſcipulus & vocari & haberi volebat. Non aliter ác ſi diuiſus eſſet Chriſtus, verſ. Obſecro autem vos fratres, vt idipſum dicatis omnes.

DEINDE hoc ſanct.moniæ prætextu alios alijs magna contentione præferebant. Quæ res diuiſiones in Eccleſia varias excitabat, & pernicioſas. Ibid.

VTRVNQVE vanum eſſe & erroneum, ſeptem euincitur rationibus:

1. Quòd adhuc ſint carnales, nec conueniat inquirere, quæ ſint vltra captum ſuum, cap. 3. in princip.
2. Neque etiam Paulum, Cepham, aut alium miniſtrum ex ſe eſſe aliquid, ſed Deum qui dat incrementum.
3. Tum verò miniſtri vnum debent eſſe, & ab vno Deo propriam expectare mercedem.
4. Deindè miniſtri non horum aut illorum, ſed omnium Corinthiorum erant, vt abſurdum fuerit propter illos velle in factiones diſtrahi.
5. Quis autem alio ſit melior, id Domini declarabit dies, neque illorum erat indè contendere aut diſputare.
6. Ac vt maximè alius alio fuiſſet excellentior, nõ decuit tamen in eo gloriari, cùm id non ex ſe habeat, ſed à Deo, verſ. Nemo ſe ſeducat. vſque in fin. cap. 3.
7. Honor ex miniſtrorum labore proficiſcens, in Corinthios redũdabat. Eodem autem loco omnis murmuratio, & inflatio & contẽtio, vt res vnitati & publicæ tranquillitati pernicioſa, vehementer improbatur & repræhenditur.

CONTRA II. ERROREM.

TABVLA 59.

SECVNDVS Corinthiorum error verſabatur in eo, ꝙ ea quæ ſunt fidei, philoſophicis rationibus metiri, ac ſimpliciter credentes, præ ſe contemnere non vererentur. Cui errori has 4. opponit ſententias:

VERBVM crucis, pereuntibus quidem videri ſtultitiam: ſed ijs qui ſalui fiunt, Dei eſſe virtutem, cap. 1. verſ. Verbum enim crucis.

PLACVISSE Deo, per ſtultitiam prædicationis, hoc eſt, per fidem, quæ multa complectitur, quæ humanæ ſapientiæ videantur abſurda, ſaluos facere credentes, verſ. Nónne ſtultam fecit Deus. eod.

DEVM, quæ ſtulta videntur mũdo, elegiſſe, vt confundat ſapientes: infirma, vt confundat fortia: ignobilia item ac contemptibilia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Sed qui gloriatur, in Domino glorietur, verſ. Videte enim vocationem veſtram.

IPSVM quoquè Paulum, etſi eſſet ſapientiſſimus, nõ tamen prædicâſſe Chriſtum in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis. Vt enim ea quæ ſunt hominis, nemo intelligit, niſi ſpiritus hominis: ità et quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi ſpiritus Dei, qui perſcrutatur omnia, etiam profunda. eo. cap. 2.

CONTRA III. ERROREM.

TABVLA 60.

FORNICAtionem, tertiũ Corinthiorum errorem, Paulus

ABOMINATVR, & fornicatorem illum, qui cum vxore patris ſui concubuerat, excommunicat & tradit ſatanæ, vt ſpiritus in die Domini ſaluus & incolumis conſeruari queat, cap. 5.

CANE & angue peiùs fugiendam eſſe monet. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat, cap. 6.

CONTRA ERROREM IIII.

TABVLA 61.

FVERVNT APVD Corinthios, qui Matrimonium vt rem illicitam, nõ tantùm vetare, ſed etiam damnare auderent: Contra quorum errores oſtendit Quatuor:

BONVM quidem eſſe homini, mulierem non tangere, quod etiam conſulit, ſi quis cælibatûs legem capere poſſit. cap. 7. in princip.

SI qui tamen ſint, qui ſeſe continere nequeant, illis matrimoniũ non tantùm licitum, ſed commodum etiam eſſe atque conſultum. Ibidem.

ET coniugij & cælibatûs leges diligenter conſeruandas: quas ipſe hoc capite ſumma fide præſcribit, & ſeruandas præcipit, per tot.

VNVMQVENQVE debere permanere in ea vocatiõe, in qua vocatus eſt. Ibidem. vſque in finem cap. 7. Eodem autem loco præfert coniugio virginitatem, ſuoque exemplo hortatur alios ad amplectendum cælibatum.

CONTRA V. ERROREM.

TABVLA 62.

QVINTVS error eſt eorum, q in cibis immolatitijs ſumẽdis excedebãt. Id verò refutat Apoſtolus tribus huius Epiſtolæ capitibus: Nam in

OCTAVO facit duo:

- Comprimit arrogantiam & animi tumorem, quo ſibi ſcientiam plerique vendicabant, ſed eaipſa abutebantur.
- Reprehendit quòd iſta ſcientia inflati, idolis immolata comedebant. Ex qua re offendi poterant ſimpliciores, & colligere, tali comeſtione idolis præſtari reuerentiam, atque ſeipſos ad ſimilem quoquè cultum teneri.

NONO à quibuſdam alioqui licitis, ad euitationem ſcandali, quod inde ſequi poſſet, abſtinendum ſuo docet exemplo. Nam etſi poteſtatem habuerit manducandi & bibendi, mulierem item ſororem inſtar aliorum apoſtolorum circunducendi, ſe tamen ab his abſtinuiſſe demonſtrat, nè quos offenderet, & vt maiori cum fructu Chriſtum annunciaret.

DECIMO

- Redit ad ea, quæ de cibis immolatitijs dicere inſtituerat, oſtenditq́ filiorum Iſrael ex Aegypto egredientium exemplo cibum & potum illis & idololatriam colendi, & fornicandi, & murmurãdi, & omnis generis malorum præſtitiſſe occaſionem.
- Suam de ciborum diſcretione explicat ſententiam, & vt licitum, vel illicitum, ſit veſci immolatis: aitq́, vt ſiue manducent, ſiue bibant, vel aliud quid faciant, omnia in gloriam Dei faciãt, vbi hanc diſputationem totam hiſce concludit verbis: Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei.

CONTRA

CONTRA VI. ERROREM.

TABVLA 63.

SEXTVS ERror *verſatur circa Communionem* EU*chariſtiæ: Qua Corinthij abutebãtur tribus modis:*

- PRIMO, *ad hanc communionem viri contra decorum capite operto, mulieres verò aperto & nudo accedebant, cap. xj. in princip.*
- SECVNDO, *ditiores ſuas collocabant in Eccleſia menſas, vbi ſumpta Eucharistia lautè epulabantur, pauperioribus interim fame & egeſtate laborantibus. Ex qua re contentiones plerunquè naſcebantur ac hæreſes, ſæpè etiã percuſsiones. verſ. Hoc autem præcipio. eodem.*
- TERTIO, *Plerique nec probati, nec præmeditati, ſed ſine deuotione, ſine pietate, ſine conſcientiæ excuſsione, & abſque omni accedebant reuerentia, verſ. Quid dicam vobis? vſque in finem d. cap. xj.*

CONTRA ERROREM VII.

TABVLA 64.

ERROR CO-*rinthiorum vij, is erat, Quòd de donis gratiæ gratis datæ, non rectè iudicarẽt, ſed tribus modis à vero diſcederent:*

- VNO, *dum hæcipſa dona, qualia ſunt prophetia, donum linguarum, gratia ſanitatum, & id genus ſimilia, non (vt debebant) gratiæ diuinæ, ſed ſuis aſcribebant meritis. Sed hoc erroneum eſſe, patet ex eo, quòd vnus idem author ſit eorum omnium, Spiritus ſcilicet ſanctus, diuidens ſingulis prout vult. ca. 12.*
- ALTERO, *quòd ex his alia alijs ità præferrent, vt interim charitatem proximi, quæ inter omnes virtutes locum ſuſtinet primũ, neglectui haberent. Cuius quidem charitatis excellentiam egregiè explicat cap. 13.*
- TERTIO, *quòd in expetendis gratiæ gratis datæ muneribus præpoſtero ducerentur ſtudio, dum plerique donum linguarum prophetiæ anteponerẽt, tametſi in Eccleſia maiorem habet vtilitatem prophetandi, id eſt, docendi & ſcripturas interpretandi munus, quàm donum linguarum, cap. 14.*

CON-

CONTRA ERROREM VIII.

TABVLA 65.

IS ERROR octauus & præ cæteris erat grauiſſimus, quòd aliquos ex Corinthijs reſurrectionem mortuorũ negare non puderet. Quos confundit quinque rationibus, ſumptis à

- RESVRRECTIONE Chriſti. Si enim reſurrectio mortuorum non eſſet, neq; Chriſtus reſurrexiſſet: atque ſic inanis eſſet omnis de Chriſto prædicatio, & vana eſſet fides noſtra, cap. 15. vſque ad verſic. Ergò hi qui dormiêrunt in Chriſto.
- SPE communi omnium fidelium. Alioquì enim miſerrimi eſſent omnium pij homines, præſertim verò Apoſtoli & Martyres Chriſti. d. verſic. Ergò & qui dormiêrunt.
- INCONVENIENTI & abſurdo. Si enim mortui non ſint reſurrecturi, fruſtrà fierent pro defunctis baptiſmus, eleemoſynæ, & alia pia opera, verſ. Alioquì quid facient &c. eod.
- SIMILITVDINE ſeminis, quod fructum nõ producit, niſi priùs fuerit mortuum. Ità ſeminatur corpus animale, vt reſurgat ſpirituale. Qualis enim primus homo terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes, verſic. Sed dicet aliquis: Quomodò?
- SPATIO & tempore, quo reſurrectio omnium futura ſit. Id quod ſingularis myſterij loco explicat D. Paulus. à verſ. Eccè myſterium vobis dico. vſque in finem cap. 15.

CONTRA ERROREM IX.

TABVLA 66.

NONO TANdèm loco D. Paulus deſidiam perſtringit Corinthiorũ in colligenda pro Pauperum ſuſtentatione Eleemoſyna. Et hoc in cap. huius epiſtolæ vltimo, vbi

- PRIMVM hortatur, vt eo abſente tantum quiſque in vſus pauperum ſeponat, quantum velit, donèc ipſe Corinthum aduenire, & quid de his collectis fieri oporteat, poſſit conſtituere, cap. 16. in princip.
- DEINDE huic ſcripto ſuo imponit finem ſeu Epilogũ, in quo
  - ADVENTVM ſuum nunciat, verſ. Veniam autem.
  - COMMENDAT illis Timotheum, verſ. Si autem venerit.
  - HORTATVR eoſdem ad conſtantiam retinendam, ſuadetq; vt omnia faciant cum charitate, verſ. De Apollô.
  - OBSECRAT, vt ſubditi ſint paſtoribus ſuis, verſ. Obſecro autem vos.
  - PRECATVR illis ſalutem & gratiam diuinam, verſ. Salutant vos.
  - EXcommunicat non amantes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. In fin. cap. 16. & vltimi.

EPISTO-

EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS SECVNDA, LIBER BI-*bliæ LIII. Partis ſecundæ libri Quarti, Tertius.*

RATIO ORDINIS ET ARGVMENTI.

Postactam à Corinthijs pœnitentiam, conſolatoriam ſcribit eis epiſtolā Apoſtolus, à Troade per Titum, & collaudans eos hortatur ad meliora, contriſtatos quidem eos, ſed emendatos oſtendens. Hieron. hîc in Argu.

ALIA CONTINVATIONIS RATIO, ex Gloſſa Lyrani.

Postquam Apoſtolus ſcripſit Corinthijs, inſtruens eos de ſacramētis Eccleſiæ in epiſtola prima, hîc conſequenter ſcribit eis de miniſtris Eccleſiæ in epiſtola ſecunda. Cuius ratio fuit, quia poſt prædicationem Apoſtoli receperant Pſeudoapoſtolos, quos aliqui veris apoſtolis præferebant. Propter quod Apoſtolus ſcribit, commendans veros Apoſtolos, & eorum doctrinam: & vituperans falſos, & eorum falſitatem. Gloſſa Lyrani hîc in principio.

DE PRAECIPVIS HVIVS EPISTOLAE SCRIbendæ cauſis, quarum prima hæc erat.

Cvm in quarto prioris epiſtolæ capite dixiſſet, Veniam ad vos, & cognoſcam nō ſermonem eorum qui ſunt inflati, ſed vim. Rurſùm ſub epiſtolę finem, hoc ipſum ſeueriùs etiam pollicens: Veniam enim, inquit, ad vos, cùm Macedoniam trāſiero, per Macedoniam enim proficiſcar, apud vos autem fortaſsè permāſurus ſum, aut etiā hyematurus: dies verò præſcriptus iam præterijſſet, & tamen etiamnùm cunctabatur, ſpiritu nimirùm eum detinente in alijs multis magìs neceſſarijs, ob id opùs habebat altera Epiſtola. Chryſoſt. in hanc ipſam epiſtolam, homil. 1.

SECVNDA CAVSA.

Caetervm non ob hanc tantùm cauſam ſcripſit iterùm, verùm etiam eò quòd prior illa epiſtola reddiderat illos meliores. Par enim erat, vt quēadmodùm peccantes increpauerat, ità correctos complecteretur & collaudaret. Hinc eſt, quòd neque per totam hanc epiſtolam admodùm inuehitur in eos, ſed in paucis illius partibus, nimirùm circa finem. Nam erant & apud illos nonnulli ex Iudæorum gente, qui quemadmodùm ſeſe faſtu efferebant, ità Paulum traducebāt, vt impoſtorem, nulliusque precij virum. Idem Chryſoſt. ibidèm.

QVANDO SCRIPTA SIT HAEC EPISTOLA.

Secvnda quoquè ad Corinthios, poſt eam quæ prior ad illos miſſa eſt, ſcriptam eſſe exiſtimo. Cùm enim (vt erat pollicitus) ad eos non veniret, & aliquantum temporis in Macedonia ageret, illinc miſit. Et hoc rurſus in eadem declarauit epiſtola. Cùm enim quas in Aſia & Troade ſubijſſet, affictiōes narrâſſet, dicit in medio: Etenim cùm nos veniſſemus in Macedoniam, nullam quietem habuit caro noſtra. Sed omnem tribulationē paſſi ſumus. Foris pugnæ, intùs timores. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos in aduentu Titi. Non ſolùm autem in præſentia ipſius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis. Theodoretus in præfatione ad omnes D. Pauli epiſtolas.

VNDE ET PER QVOS FVERIT tranſmiſſa.

Misit Paulus hanc epiſtolam Corinthijs à Troade per Titum. ſuprà in explicatione continuationis & Argumenti. Vbì primùm venienti illi oſtenſa eſt viſio, vt tranſiret in Macedoniam. Vbì & ſecundò, dum rediret, commoratus ſeptem diebus, ſuſcitauit adoleſcentem mortuum, de cœnaculo lapſum. Actor. 20.

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD CORINTHIOS SECUNDÆ.

Rinthios ſecundæ. TABVLA 67.

- HVIVS *Epiſtolæ diſpoſitio ſumi poteſt ex duobus, videlicet ex*
  - GENERE ET CAVSA *dicendi. Sunt autem cauſæ, cur Paulus in hac epiſtola Corinthijs familiarius ſcribit, quàm in priori, quatuor: Tum quia*
    - FAMA *& exiſtimatio Corinthiorum, ex retectiõe illius fornicarij, qui Patris ſui violauerat torum, nõnihil videretur eſſe læſa atque diminuta.*
    - ACRIVS *aliquantulo errores eorum notâſſe, & hac ratiõe aliquos offendiſſe videri poterat, quos iterũm lenire ſtudet.*
    - PSEVDO *aliqui Apoſtoli & diſcipuli quidam falſi, apud Corinthios in maiori, quàm par erat, haberentur precio & reputatione.*
    - HI *ipſi pſeudoapoſtoli famam eius multis modis denigrare conarentur.*
  - SVMMA *argumẽti: cuius ratio eſt duplex:*
    - CONSOLATORIA: *Vt enim in priori epiſtola quorũdam animos errorũ explicatione exacerbârat, ità hîc pœnitentia ſecuta laudat eos, & mentes ſolatur afflictas: has ſubindè inculcans ſententias, ad quas referri poſſe vidẽtur pleraq; in hoc ſcripto expreſſa. Quales ſunt,*
      - *Deum ſuorum eſſe & liberatorem, & cõſolatorem, cap. 1.*
      - *Literam quidem occidere, ſpiritum autem viuificare, cap. 3.*
      - *Per vaſa humilia & fictilia Deum ſæpè magna efficere, cap. 4.*
      - *Hîc nos exulare, vt in cælo æternam obtineamus manſionem, cap. 5.*
      - *Triſtitiam, quæ eſt ſecundùm Deũ, non carere conſolatione, cap. 7.*
      - *Et ſimilia, quæ diligẽs lector per diſcurſum inſerta depræhendet.*
    - APOLOGETICA, *id eſt, defenſoria, qua contra pſeudo Apoſtolorum falſas criminationes defendit &*
      - *Se, ſuamque Doctrinam:*
      - *Corinthios, vtpotè in quorum vtilitatem redundâris hoc totum, quidquid dictum factumque fuerat.*

pp DE D.

DE D. PAVLI DEFENSIONIBVS.

TABVLA 68.

POTERANT *Corinthij calumnijs illis, quibus pſeudo apoſtoli D. Pauli authoritatem deprimere fruſtrà laborabant, nonnihil moueri, vt eo minùs ſuæ Doctrinæ haberent fidei. Quod nè fiat, hac epiſtola præcauere ſtudet. In qua plurimis oſtendit argumentis ſe nihil intermiſiſſe vnquàm, quod verũ deceat Apoſtolum Chriſti, & fideliſſimum fidei Doctorem. Verùm quandò laus propria plerunq; eſt ſuſpecta, cauſam ſuam tanta agit modeſtia, vt hoc ipſum quod facit, non niſi coactus, & in honorẽ* DEI *potiùs, quàm propriam laudem, feciſſe iudicari vllo modo aut debeat, aut poſsit. Argumenta autem, quibus Paulus doctrinam ſuam Corinthijs, aduersùs calumniatorum ſuorum falſas criminationes, purgare nititur, deſumpta ſunt partìm*

A PATIENTIA.

QVA *ſe aduerſa omnia æquo animo toleràſſe demonſtrat. Eſt autem patientia virtus præclariſsima, quæ in Paulo Apoſtolo fuit ſingularis & eximia, cap. 1. verſ. Benedictus Deus.*

II. AB INNOCENTIA SVA.

QVAE *fuit in eodem tanta, vt conſcientia teſte glorietur, ſe in ſimplicitate cordis & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, conuerſatum eſſe in hoc mundo, verſ. Nam gloria noſtra, eodem.*

III. A VERITATIS CONSTANTIA.

NAM *quod pſeudo facere ſolent apoſtoli, vt nuſquàm ſibi conſtent, ſed in nouas indiès mutentur formas, id ſe nunquàm feciſſe his indicat verbis: Quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt & Non. ſed eſt in illo Eſt, atque vna eademque ſemper & conſtans fidei profeſsio, verſ. Cùm ergò hoc voluiſſem.*

IIII. A PIETATE.

OSTENDIT *prioris Epiſtolæ, præſertim erga fornicarium illum, quem in 5. notauit capite, repræhenſionem à beneuolentia manâſſe, ſeq; non ſine lachrymis & ſaluandi magìs ſtudio, quàm contriſtandi voluntate, repræhendiſſe. Ac ob id fornicarium illum, quem anteà excommunicauerat, ob manifeſtam in eo pœnitudinem, iterùm recipiendum & conſolandum præcipit cap. 2. vſque ad verſ. Cùm veniſſem.*

V. A DEXTERITATE ET HABILITATE docendi.

QVA *tot gentiles ad Chriſti religionem traduxerat: adeò, vt Deus odorem notitiæ ſuæ manifeſtauerit per eum in omni loco. d. verſ. Cùm veniſſem. vſque in finem cap. 2.*

VI. AB EVIDENTIA, ET ERGA CORINthios conuertendos prærogatiua.

DICIT *enim ſe integritatis ſuæ nullo ſcripto egere teſtimonio, cùm Corinthij ipſi ſua ſint epiſtola, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Quæ ſcitur & legitur, inquit, ab omnibus hominibus, cap. 3. in princip.*

VII.
A DIGNITATE ET PRAEEMINENTIA MINIſterij & officij ſui, præ functione Moſaica.

IN *veteri teſtamento Moiſes velamen imponebat ſuper faciem ſuam, vt non intenderent in illam filij Iſrael, quandò ad illos loquebatur. Porrò in nouo teſtamento gloriam Domini, procùl remoto velamine, facie reuelata ſe ſpeculari Apoſtolus profitetur.*

VIII.
A SOLICITVDINE ATQVE DILIGENTIA.

DVM *ſe prouinciam ſuam ſemèl ſuſceptam, nunquàm deſeruiſſe aſſerit, ſed abdicâſſe procùl omnia, quæcunq; euangelij veritatem poſſent impedire. à principio cap. 4. vſq; ad verſ. Habemus autem.*

IX.
AB HVMILITATE.

VBI *ſe vaſi comparat fictili, expoſito multis afflictionibus & anguſtijs: Oſtēditq; ſe in omnibus quidem tribulationem pati, ſed non anguſtiari: aporiari, ſed non deſtitui: perſecutionem pati, ſed non derelinqui: humiliari, ſed non confundi: deijci, ſed non perire: ſemper mortificatiōem Ieſu Chriſti in corpore ſuo circunferre, vt & vita Ieſu manifeſtetur in illo. d. verſ. Habemus autem theſaurum. Id verò maximè contra illos facit, qui ex demandatis ipſis miniſterijs & functionibus animo intumeſcunt.*

X.
A SPE ET FIDVTIA.

QVONIAM *qui ſuſcitauit Ieſum, & nos, inquit, cum Ieſu ſuſcitabit. Licèt autem is qui foris eſt homo, corrumpatur: tamen is qui intùs eſt, renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, verſ. Habentes autem eundem ſpiritum, vſq; in finem cap. 4.*

XI.
A CONTEMPTV VITAE HVIVS.

SCIMVS *enim, ait, quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationē noſtram quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur, &c.*

XII.
AB INTENTIONE RECTA.

CVIVS *integritate fretus, dicit: Ideò contendimus ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi: additq; ſe Corinthijs non tam commendare ſeipſum, quàm occaſionem dare illis pro ſe gloriandi. Cùm voluntas ſua non ſolùm Deo, ſed ipſorum etiam conſcientijs, probè cognita ſit atq; perſpecta. d. verſ. Audentes.*

XIII.
A CHARITATE ERGA DEVM.
TABVLA 69.

VBI DOCET *tria eſſe, quæ ipſum, vt Chriſtum ſummè diligat, perurgeāt & extimulent:*

- QVIA *mortuus eſt pro ipſo, & pro omnibus.*
- QVIA *veteri lege abrogata, omnia innouauit virtutibus & ſcientia.*
- QVIA *mundum reconciliauit Deo. Itaq; hortatur Corinthios, vt ipſi quoq; velint Deo reconciliari per Chriſtum, verſ. Charitas enim Chriſti. vſque in fin. cap. 5.*

XIIII.
A VITAE ET DOCTRINAE SVAE exemplis.

CAPITE 6. *multa enumerat, quæ inſigniter ornent veros Dei miniſtros, qualis ipſe erat, quemadmodum tota eius à conuerſione exacta vita teſtabatur, & ipſe quoquè hoc loco ſatis indicat: vbi etiã hæc habet: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum &c.*

XV.
A GAVDIO OB FRATERNAM CORRECTIOnem ſuſcepto.

GAVDERE *ſe ait, non quia contriſtati ſint, ſed quia contriſtati ſint ſecundùm Deum ad pœnitentiã. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur, tot. cap. 7. Vbi ità concludit: Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.*

XVI.
A COMMISERATIONE ERGA PAVperes. TABVLA 70.

AD CVIVS *declarationem Corinthios hortatur ad eleemoſynã ſanctis, Hieroſolymæ degentibus, præſtãdam, idque ab*

- *Exemplo*
  - ALIORVM *fidelium, ſcilicet Macedonum, capit. 8. in principio.*
  - CHRISTI, *qui etſi ditiſſimus eſſet omnium, propter nos tamen factus eſt egenus. verſ. Scitis enim, eodem.*
- VTILITATE *& commodo, quod eleemoſynam plerunquè ſequitur, ver. Hoc enim vobis vtile eſt, eodem.*
- NVNCIORVM *opportunitate, per quos eleemoſynas ſuas tranſmittere poſſit, verſ. Gratias autem ago. d. cap. 8. & in principio 9.*
- FACILI. *Neque enim plus exigere Deum, quàm præſtare poſſint. In eo autem quod quiſque poſſit, Deum hilarem diligere datorem, verſ. Hoc autem dico. d. cap. 9.*
- REMVNERATIONE *diuina multiplici & immenſa, ver. Qui autem miniſtrat, vſque in fin. cap. 9.*

XVII.
A POTENTIA ARMORVM SPIRITVALIVM.

AIT *enim ſe non ſecundùm carnem militare, & arma militiæ ſuæ non carnalia eſſe, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentem & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentem omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentem vlciſci omnem inobedientiam, cap. 10.*

XVIII.
A DICTORVM FACTORVMQVE CONSTANTIA.

QVÒD *tam loquendo, quàm ſcribendo abſens æquè vt præſens, magna ſemper libertate & conſtantia tum repræhenderit, tum execratus ſit vitia, iisque deditos, cùm tamen obtrectatores eius pſeudoapoſtoli dicerent, epiſtolas quidem illius graues & fortes eſſe, porrò præſentiam corporis infirmam, & ſermonem contemptibilem, &c. verſ. Vt autem non exiſtimer. vſque in fin. cap. 10.*

XIX.
A MODESTIA.

INSIGNE *huius virtutis exemplum in D. Paulo hoc fuit: Quòd licèt eo tempore, quo fuit apud Corinthios, ſæpè egeret, nihil tamen ab illis, quamuìs iure poſſet, accipere voluit, nè cuiquam eſſet onero-*

onerosus: ità vt pſeudo faciebant Apoſtoli, qui cùm operarij eſſent ſubdoli, transfigurabant ſe in Apoſtolos Chriſti, vt hac ratione pecuniam à Corinthijs extorquerent. A princip. cap. xj. vſque ad verſ. Iterùm dico.

XX.
A LABORVM ET AFFLICTIONVM tolerantia.
TABVLA 71.

NECESSITATE *coactus D. Paulus, in Dei ſolùm honorem gloriatur ſe alijs fuiſſe parùm*

- AEQVALEM *vel parem genere. dict. verſ. Iterùm dico: Hebræi ſunt, & ego, &c.*
- SVPERIOREM
  - *Laboribus & rebus aduerſis perferendis, verſic. Miniſtri Chriſti ſunt, plùs ego. Vbi mox ſuos tùm labores, tum perpeſſiones enumerat:*
  - *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortis periculis frequenter, &c. ibidem.*

XXI.
A REVELATIONIBVS DIVINIS, ijsque eximijs.

TESTATVR *enim ſe raptum fuiſſe vſque in tertium cælum, & in paradiſum, vbi audiuerit arcana verba, quæ non liceat homini loqui. Etſi verò eo nomine poſſet gloriari, parcere tamen ſe, nè quis eum exiſtimet ſupra id quod in eo videret vel audiret. cap. 12. à princip. vſque ad verſ. Et nè magnitudo reuelationum.*

XXII.
A PVGNA ADVERSVS TENTATIONES.

AIT *enim datum ſibi ſtimulum carnis, & angelum ſathanæ, qui ipſum colaphizet, nè reuelationum magnitudine extollatur. d. verſ. Et nè magnitudo.*

XXIII.
A VERECVNDIA.

INVITVM *nanque prædicare teſtatur ea, quæ ad ſuam ipſius laudem pertineant. Cùm tamen hæc ſcire illos referat, maluiſſe ſe eorum gratia deſipere videri, quàm celare quippiam, quod ad illorũ pertineat ædificationem, verſ. Factus ſum inſipiens. vſque in fin. d. cap. 12.*

XXIIII.
AB ODIO VITIORVM ET CRIminum.

MINATVR *D. Paulus & ijs qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quandò iterùm eò ſit venturus, ſe nihil illis parciturum. Vt autem intelligant, ex qua authoritate id faciat, mox ſubdit: Ideò autem hæc abſens ſcribo, &c. Vt non præſens duriùs agat ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dederit ſibi in ædificationem, & non in deſtructionem. à princip. cap. 13. vſque ad verſ. Decæterò.*

XXV.
A STVDIO ET AMORE PACIS, VNITATIS, & concordiæ.

ID *quod indè colligi poteſt, quòd tam religiosè illis hæc tria inculcauerit: Idipſum ſapite, inquit, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum, d. verſ. Decæterò. vſque in fin. Vbi hanc epiſtolam concludit, in hæc verba: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritûs ſit cum omnibus vobis, Amen.*

EPISTOLA PAVLI AD GALATAS, QVAM RES INDIGNA ET

periculis plena ſit, religionis ſemel rectè imbutæ mutatio, Liber Bibliæ LIIII, Partis quartæ libri ſecundi, quartus.

RATIO ORDINIS.

Recte poſt epiſtolam ad Rom. & Corinthiorum ſecũdam, ſequitur hæc ad Galatas epiſtola. Magnam enim cum vtraque habet cognationem. Quod tum demùm cuiuis planum eſſe poterit, ſi priùs, quod huius epiſtolæ ſit argumentũ, intelligat. Anſelmus hîc in præfatione.

ARGVMENTVM.

Galatae cũ benè edocti ab Apoſtolo fuiſſent, ſynceteq; in Chriſtũ credidiſſent, peregrè profecto Apoſtolo, ſic à nonnullis ſurrepti ſunt, vt circunciderētur. His igitur cõpertis, Apoſtolus ſcribit ad eos: ac primùm quidē teſtimoniũ eis illius, quã erga Chriſtũ habebãt, fidei, ſynceriq; in Chriſtũ affectûs perhibet: redarguit porrò illos, vt qui ſtultè egerint, & immutati fuerint. Oecumenius ad eandem.

QVID HABEAT HAEC EPISTOLA CVM ea, quæ ad Romanos eſt, commune, ex Hieronymo.

Nvllvs quidem Apoſtoli ſermo eſt, vel per epiſtolam, vel præſentis, in quo non laboret docere, antiquæ legis onera depoſita, & omnia illa quæ in typis & imaginibus præceſſerunt, id eſt, ocium Sabbathi, circuncifionis iniuriam, Kalendarũ & trium per annum ſolennitatum recurſus, ſcrupuloſitatem ciborum, & per ſingulos dies lauacra iterùm ſordidanda, gratia Euãgelij ſubrepente, ceſsãſſe: quam non ſanguis victimatum, ſed fides animæ credentis impleret. Verùm alibi ꝓ parte, & vt ſe aliud agenti hæc quæſtio obtulerat, ex latere diſputatũ eſt, & penè perſtrictum. In his autem duabus, (ad Romanos & Galatas) vt dixi, epiſtolis, ſpecialiter antiquę legis ceſſatio, & nouę introductio continetur. Hieron. in proœmio huius epiſtolæ ad Paulam & Euſtochium: vbi etiam ait, eandem eſſe materiam & epiſtolæ ad Galatas, & quæ ad Romanos ſcripta eſt.

QVID DIFFERAT AB EADEM.

Sed hoc differt, inquit, inter vtranque, quòd in illa (ad Roman.) altiori ſenſu & profundioribus vſus eſt argumentis: hîc quaſi ad eos ſcribens, de quibus in conſequētibus ait, O inſenſati Galatæ: &, Sic inſipiētes eſtis: tali ſermone moderatus eſt, quòd increparet potiùs quàm doceret, & quem poſſent ſtulti intelligere: vt communes ſententias communi oratione veſtiret, & quos ratio ſuadere nõ poterat, reuocaret authoritas. Hierony. ibidem.

ALIA DIFFERENTIA, EX AVGVSTINO.

Differt ab epiſtola ad Romanos, in qua ſimilis quæſtio verti videtur, quòd ibi contentionem ipſam dirimit, litemq; componit, quæ inter eos, qui ex Iudæis, & eos, qui ex gentibus crediderant, orta erat: cùm illi tanqnàm ex meritis operum legis ſibi redditum enangelij præmium arbitrarentur, quod præmium incircuncifis, tanquàm immeritis, nolebant dari: Illi contrà Iudæis ſe præferre geſtirent, tãquàm interfectoribus Domini. In hac verò Epiſtola ad eos ſcribit, qui iam cõmoti erant authoritate illorum, qui ex Iudæis erãt, & ad obſeruationes legis cogebant: cœperant enim eis credere, tanquàm Paulus Apoſtolus non vera prędicãſſet, quòd eos circuncidi noluiſſet. Et ideò ſic cœpit: Miror ꝙ tam citò tranſferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium. Auguſt. in Præfatione expoſitionis in epiſtolam ad Galat.

QVID

QVID CONVENIAT HVIC CVM EPISTOLA ad Corinthios ſecunda.

Hae duę epiſtolę non quidem materia,ſed tamen in modo conueniunt repræhendendi.In vtraque enim repræhenduntur, qui pſeudoapoſtolos recipiebant, & eorum prędicationi,poſtpoſito veritatis apoſtolo, adquieſcebant. Anſelm. in pręfatione huius epiſtolę ad Galatas.

IN QVIBVS DISCREPENT.

Inter hanc & illam ad Corinthios ſecūdam hoc intereſt, quia in illa Corinthij non ſolùm ob hoc repręhenſi ſunt, quòd illos pſeudoapoſtolos audiuerint, ſed quòd alijs etiam multis & varijs vitijs erant irretiti. Anſel.ibidèm. Hîc verò Galatę nullius alterius arguuntur criminis, niſi de hoc tantùm, quòd callidiſſimis pſeudoapoſtolis crediderunt, vt ait Hieron.in pręfatione in omnes Pauli epiſtolas.vndè ad Galatas ſcribens,increpat potiùs,quàm doceat.increpat inquam,nō criminis illos arguendo,ſed ab errore,quo decepti erant,reuocando.Ioan.Driedo de eccleſiaſt.ſcript.lib.1.cap.3.part.3.

GALATAE QVI DICANTVR.

Galatae dicuntur aduenæ,qui cōmorabantur in Galatia, prouincia ſic appellata,quòd in eam Galli aliqùandò venientes,cum Gręcis ſe miſcuerūt. vndè primùm illa regio Gallogręcia,pòſt Galatia eſt nominata, proptereà quòd Gallos tanq̃ aduenas ſuſceperit.Quemadmodùm & ipſa Italia à Gręcis populis occupata,quondàm maior Gręcia appellabatur.Ioan.Driedo de ſcript. eccleſiaſt. lib. 1. cap.3.Part.3.vbì etiam hæc addit: Galli, inquit Lactantius, quondàm à candore corporis Galatę nuncupabantur,quos ex Antiochia veniens Paulus, confirmauerat in fide,vt patet Actor.18.

QVI FVERINT ILLI PSEVDOAPOSTOLI, per quos ſeducti fuerant Galatæ.

Qvi ex Iudęis crediderant,partìm occupati perſuaſione Iudaiſmi,partìm inanis glorię ſiti temulenti,dum ſibi doctorum cupiunt parare dignitatem authoritatemq;,profecti ad Galatas,docuerunt,illis opùs eſſe circuncisione,ſeruanda ſabbata & nouilunia,nec tolerandum eſſe Paulum,qui harum rerum tolleret obſeruationes. Chryſoſt.hic ad Galat.cap.1.

QVIBVS ARGVMENTIS ID GAlatis conari fuerint perſuadere.

Pro confirmatione huiuſcemodi erroris & falſæ doctrinæ ſuę, primùm pſeudò illi aſſerebant apoſtoli,Petrum quoquè & Iacobū & totas Iudæę eccleſias,Euangelium Chriſti cum lege veteri miſcuiſſe.Hieron.hîc in pręfatione.Deindè Pauli authoritatē,prę illis iam nominatis apoſtolis, huiuſmodi ſermonibus eleuare ſtudebant:Non eſt ferendus Paulus.Nam hic herì ac nudiuſtertiùs exortus eſt:At Petrus & qui cum illo ſunt,primi ſunt apoſtolorum. Tum hic quidem diſcipulus fuit apoſtolorum,illi verò Ieſu Chriſti. Prętereà hic ſolus eſt,illi multi & eccleſię columnæ.Deniquè & ſimulationis calumniam Paulo intendebant,dicentes:Hic ipſe qui tollit circuncisionem,alibì viſus eſt ijs vel quę damnat,aliter vobis,aliter alijs prędicans.Idem Chryſoſt.in cap.1.ad Galat.

ISTARVM CALVMNIARVM CONFVTATIO.

Sed hoc erroneum & falſum erat. Petrus & cęteri apoſtoli,legalium obſeruationem non pręceperunt,ſed ad tempus tantùm Iudæis permiſerunt. Et hoc ſolū, vt eorum qui ex Iudæis crediderant,imbecillitati morem gererent, & nè vllum eis facerent ſcandalum.Nam ſi primo ſtatim adgreſſu ritus illorum deſtruere cœpiſſent,futurum erat omninò,vt fidem noſtram abhorrerent citiùs, quàm ſuſciperent:ſic etiam Paulus,quandò verſatus eſt in Iudæa,Iudæis morem geſſit. Sed quotiès,vt in hac ad Galatas epiſtola gentibus prędicauit Paulus,nunquàm permiſit eis Iudaizare,ſed in legis euangelicę retinuit illos obſeruantia. Vide pręfationem Hieron.in hanc epiſtolam,& Chryſoſt.in cap.1.eiuſdem.

QVA MODERATIONE PAVLVS IN hac vſus fuerit epiſtola.

Qvamobrem cùm Paulus hîc non ſcribat ad eos, qui ex Iudæis in Chriſtum crediderant, & paternas putabant obſeruandas cæremonias: ſed ad eos, qui ex gentibus fidem euangelij receperant, & rursùm retrò lapſi, quorundam fuerant authoritate deterriti: tanquàm medius inter vtrunq; incedens, ità ſermonem temperat, vt nec occaſionē prębeat ex authoritate Maiorum credendi quidquā contra Chriſti gratiam, nec illis Maioribus faciat iniuriā, docens Petrum pro diſpenſatione quadam temporum, locorum & perſonarum, ad vtilitatem Iudęorum in fide adhuc infirmorum, piè ſimulâſſe, arguens tamen eundem, cui & ſic argui placuit ad inſtructionem gentium. Hieron. in pręfat. epiſtolæ ad Galat. & poſt eum Ioan. Driedo in loco ſæpiùs citato.

VBI ET QVANDO SCRIPTA SIT HAEC EPISTOLA.

Prima eſt earum, quas Apoſtolus miſit ex Roma, &, ſi temporum conſideres ordinem, octaua. Antequàm enim in Macedonia peregrinaretur; peruaſit Phrygiā & Galatię regionem, pręedicans euangelium. Deindè cùm aliquantum temporis in Macedonia & Achaia, & etiam in Aſia eſſet verſatus, profectus eſt quidem in Iudæam. Illinc autem poſt Epheſum Romā vénit. Et cùm intellexiſſet, quòd quidam pietatis decreta confunderent, illis ex ſcripturis petitam medicinam adhibuit. Theodoret. in pręfat. ad omnes D. Pauli epiſtolas.

QVAE APOSTOLO SCRIBENDAE HVIVS epiſtolæ fuerit cauſa.

Cavsa propter quam ſcribit Apoſtólus ad Galatas, hęc eſt, vt intelligant gratiā Dei id ſecum agere, vt ſub lege non ſint. Cùm enim prædicata eis eſſet Euangelij gratia, nō defuerunt quidā ex circunciſione, quanuis Chriſtiani nomine, nōdùm tamen tenentes ipſum gratię beneficium, & adhuc volentes eſſe ſub oneribus legis, quæ Dominus Deus impoſuerat, non iuſtitię ſeruientibus, ſed peccato, iuſtā ſcilicet legē iniuſtis hominibus dando, ad demonſtranda peccata eorum, non auferenda. Non enim aufert peccata, niſì gratia fidei, quę per dilectionē operatur. Sub hac ergò gratia iam Galatas conſtitutos, illi volebant conſtituere ſub oneribus legis, &c. Auguſtinus in præfatione in hancipſam epiſtolam.

QVO STYLO SIVE DOCENDI GENERE PAVlus in hac epiſtola fuerit vſus, ex Chryſoſtomo.

Caeterum hanc epiſtolā eſſe plenā vehementię, cuiuis perſpicuū eſt vel ex ipſo ſtatìm lectionis ingreſſu. Sed aperiendū eſt, quid Apoſtolū prouocârit in diſcipulos. Neq; enim id puſillū fuit, neq; parui momēti: alioquì nec ipſe tam acerbè fuiſſet in eos inuectus. Siquidē quibuslibet de cauſis iritari, hominis eſt puſillanimis, moroſi, miſeriq;: quēadmodùm exaduersò in grauibus cauſis ſupinū ac negligentem eſſe, viri eſt inertis ac ſomniculoſi. At huiuſmodi nequaq̄ erat Paulus. Quod igitur erat peccatū, quo ſic cōmotus erat? Profectò magnum erat & ſupra modū graue, quodq; illos omnes abalienabat à Chriſto, quemadmodùm ipſe in progreſſu ſermonis declarat, dicens: Eccè ego Paulus dico vobis, ꝙ ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis profuturus eſt. Ac rursùm: Quicunq; in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis &c. Porrò tam placidè leniterq; loq diſcipulis, cùm opùs eſt acrimonia, non doctoris, ſed corruptoris potiùs fuerit & hoſtis. Chryſoſto. in cap. 1. ad Galat.

DE HVIVS EPISTOLAE PARTITIONE. TAB. 72.

SI FORMAM HVIVS EPISTOLAE *diligētiùs quis intueatur, non incōmodè in 5. poterit diuidi partes. Oſtenſurus enim D. Paulus circunciſionē & antiquæ legis cæremonias, non tantùm inutiles, ſed pleraſq; etiā pernicioſas eſſe, aſſumit in ſe perſonā modò*

- *Paſtoris ſeu prælati eccleſiaſtici, cap. 1.*
- *Eccleſiaſtæ & præconis Euangelici, cap. 2.*
- *Doctoris & magiſtri, cap. 3. & 4.*
- *Conſultoris & amici benè pieq; monētis, ca. 5.*
- *Zelotypi & æmulatoris Chriſti, cap. 6.*

DE SVÆ

DE SVAE FVNCTIONIS AVTHORITATE,

prima huius epiſtolæ parte. TABVLA 73.

IN PRIMA *parte, vbi prælati vel paſtoris ſumit perſonã, hæc quinq; proſequitur:*

- *Exponit officij ſui authoritatem: ſeque non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem, apoſtolum inſtitutum aſſerit. cap. 1. in princip.*
- *Miratur Galatarum leuitatem, quòd ſe tam citò per falſos apoſtolos, à fidei puritate ſemèl acceptæ, transferri atque ſeduci paſsi fuerint. verſ. Miror. eod.*
- *Detegit malitiam eorum, per quos ſeducti fuerant: quorum ſtudium hoc erat vnicum, vt Euangelio Chriſti credentes ſubuerterent. ibidèm.*
- *Errorem illum, quo Galatæ malè perſuaſi fuerant, vt Chriſtianis circunciſionem neceſſariam crederent, grauiter & ſeueriter damnat, & vnà cum authoribus anathematizat. verſ. Sed licèt nos. eod.*
- *Excuſat ſuam hanc ſeueritatem, aitque ſibi non id ſtudio eſſe, vt hominibus placeat, vel adplauſum captet popularem, ſed vt placeat Deo. ver. Modò enim hominibus ſuadeo. d. cap. 1.*

DE DOCTRINAE SVAE AVTHORITATE.

TABVLA 74.

SVB ECCLE- *ſiaſtæ & præconis Euãgelici perſona, ſuam doctrinam, authenticam eſſe, ſex probat rationibus. Quarum*

- PRIMA *eſt, quia*
  - *Non ab hominibus ſibi data. Nam ipſemet*
    - *Perſecutor erat Eccleſiæ, & æmulator Paternarum traditionum.*
    - *Triennio antè Euangelium prædicauerat, quàm Hieruſalem veniſſet ad apoſtolos, vel cũ ijs vllam habuiſſet conſuetudinem.*
  - *Sed à Deo fuerit inſpirata, cuius authoritate & inſtinctu Euangelium & Iudæis annunciabat, & gentibus. verſ. Notum enim vobis facio &c. vſque in fin. cap. 1.*
- SECVNDA, *quia cum ijs, qui Euangelicæ doctrinæ exactã habuerunt cognitionem, de ea contulerit ac multò ante diſputârit. cap. 2. in princip.*
- TERTIA, *& ſi à falſis fratribus non ſemèl, nec ſine multo conatu ſit impugnata, nunquàm tamen expugnari potuerit. verſ. Sed neque Titus. eod.*
- QVARTA, *quia à præcipuis & excellẽtiſsimis apoſtolis, Petro ſcilicet, Ioanne & Iacobo, ſit approbata. verſ. Mihi enim qui videbantur. eod.*
- QVINTA, *quia D. Petro Antiochiæ in faciem reſtiterit, cùm is timore Iudæorum ſe ſubduxiſſet. verſ. Sed cùm vidiſſem &c. eod.*
- SEXTA, *quia opinionem contrariam duo ſequantur abſurda:*
  - *Vnum, quòd hac ratione repræhenderetur factum Chriſti, quo cæremonias legis antiquæ abrogauit, et ſic miniſter diceretur peccati. verſ. Nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt?*
  - *Alterum, quòd fruſtrà paſſus fuiſſet Chriſtus, ſi circunciſio conferat hominibus iuſtificationem. in fin. cap. 2.*

DE TERTIA HVIVS EPISTOLAE PARTE, IN qua perſonam magiſtri & doctoris ſumit. TABVLA 75.

CONTRARIAM GALAtarum de circũciſionis præſumpta neceſſitate opinionem, qua illos Chriſtum non tantùm proſcripſiſſe, ſed in ſeipſis vituperâſſe, atque adeò de nouo crucifixiſſe affirmat, quatuor refutat modis:

- *Rationibus ſiue argumentis, cap. 3. in princip.*
- *Sacræ ſcripturæ authoritate, à verſ. Qui ergò vobis tribuit ſpiritum. vſque in finem d. cap. 3.*
- *Conſuetudine, cap. 4. in princip.*
- *Figura quadam & allegoria veteris teſtamenti, verſ. Sed tunc quidem ignorantes. vſque in fin. eiuſdem cap. 4.*

DE RATIONIBVS. TABVLA 76.

FIDE GAlatas, & non ex legis operibus, eſſe iuſtificatos, totidèm conuincit rationibus.

Iuſtificationis eadem ratio eſt, quæ accipiendi ſpiritusſancti. Vt ergò ſpiritusſanctus non ex operibus legis datus eſt Galatis, ità neque iuſtificatio, ſed ex auditu fidei & gratia Dei. verſ. Hoc ſolum à vobis. In princip. cap. 3.

Quod ſpiritu cœptum eſt, id carne velle conſummare, ſtultum eſt. Galatæ ergò cùm ſpiritu iuſtificari cœpiſſent, ſtultè fecerunt admodùm, quòd eius perfectionem quæſîerint ex carnis circuncisione. Spiritus enim eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam. verſ. Sic ſtulti eſtis, &c.

Si fides non iuſtificat ſine circunciſione, fruſtrà ceſſiſſe omnia, quæ Galatæ à Iudæis & ciuibus ſuis anteà paſſi fuerant, eò quòd in Chriſtum crederent, nec vellent circuncidi. verſ. Tanta paſſi eſtis.

Conſtat apud Galatas nulla edita eſſe miracula ab illis, qui eos volebant circuncidi, nec ex legis operibus eos feciſſe miracula, ſed poſtquàm crediderant, Deũ in illis miraculorum virtutes eſſe operatum: itaque non ex operibus legis, ſed ex auditu fidei eos eſſe iuſtificatos. verſ. Qui ergò tribuit &c. cap. 3.

DE SCRIPTVRAE AVTHORITATE. TABVLA 77.

CONFIRMAT eandem ſententiam duabus ſacræ ſcripturæ ſententijs, quæ proponuntur

Geneſis 15. Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Adeò vt etiam filijs eius promiſſa ſit benedictio, Geneſ. 22. Filij autẽ Abrahæ ſunt, qui fidem illius imitantur. Fide ergò illi omnes, & non legis operibus, iuſtificantur. Iuſtus enim ex fide viuit. Abac. 2. verſ. Sicut ſcriptũ eſt &c. d. cap. 3.

Geneſis 22. iuramento promiſit Deus Abrahæ hæreditatem, nõ ergò debetur ex lege, nè vanum reddatur iuramentum, quaſi teſtamento cõfirmatum. Iam ſi fas non eſt, humanum infringere teſtamentum, multo minùs Dei labefactanda eſt voluntas. verſ. Fratres, ſecundùm hominem dico. vſque in fin. cap. 3. Vbi elegantem ſubijcit limitationem, quæ legis fuerit vtilitas.

DE CONSVETVDINE.

QVEMADMODVM hæres etſi dominus ſit facultatum paternarũ, dum tamen infans eſt & paruulus, nihil differt à ſeruo, ſed tutorũ ſubiectus eſt poteſtati: ità nos quoquè, poſtquàm temporis vénit plenitudo, in qua Deus vnigenitũ filium ſuũ miſit in hunc mundum, à legis eiusque ſeruitutis iugo liberati, & in adoptionem filiorum recepti ſumus. cap. 4. à princip. vſque ad verſ. Sed tunc quidẽ ignorãtes.

DE VETERIS TESTAMENTI FIGVRIS, QVIbus hæc controuerſia non tantùm præfigurata, ſed etiam deciſa eſt.

TABVLA 78.

STATVS HVIus controuerſiæ deſignatur per duo teſtamenta, ſeu duos filios Abrahæ:

- VNVM *ex ancilla per carnem, cui comparatur lex quæ Moiſi data eſt in monte Sina.*
- ALTERVM *ex libera p repromiſſionem, qui legis nouæ, hoc eſt, Euangelij figuram exhibet.*

Iam

- *Vt ancilla vnà cum filio olim eiecta eſt:*
- *Ità legem antiquam vnà cum obſeruatione eius abolitam & antiquatam oportuit. verſ. Sed tunc quidem. vſque in fin. cap. 4.*

DE D. PAVLI AMICO CONSILIO, PARTE huius epiſtolæ quarta.

TABVLA 79.

ETSI PRAEmiſſa omnia in vtramuis partem ſint firmiſſima, cùm tamen ſint aliqui quos magis vtilitatis cõmendatione, quàm argumentorum ponde reflectere poſſis, ideò D. Paulus perſonã amici aſſumit benè rectéq; conſulentis. Conatur itaq; plebẽ eccleſiæ Galateñ, à legis obſeruatione ad fidei cultũ adhuc duabus reuocare rationib⁹:

- ENVmeratione
  - *Incommodorum circunciſionis, quæ cõtinetur his veluti axiomatibus:*
    - *Chriſtũ nihil ipſis circũciſis profuturũ, c. 5. in prin.*
    - *Circunciſos, debitores fieri vniuerſæ legis, ibidẽ.*
    - *Excidere à gratia eos, q in lege iuſtificatur. ibid.*
    - *Non habere illos ſpem iuſtitiæ, quæ eſt ex fide, p charitatem operante. ibid.*
    - *Breuiter in Chriſto Ieſu neque circuncifionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem quæ per charitatem operatur, ibidèm.*
  - *Commodorum fidei, quæ ſunt*
    - *Libertas ſpiritûs abſque omni onere legis moſaicæ.*
    - *Impletio totius legis quæ in vnico conſiſtit verbo, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*
    - *Ambulare non in carne, ſed in ſpiritu, atq; ità non carnis, ſed ſpirit⁹ exercere opa. ver. Vos enim. d. c. 5.*
- COLlatione
  - *Operum carnis, q̃ ſunt* *Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, Idolorũ ſeruitus, Veneficia, Inimicitiæ, Contentiones, Aemulationes, Iræ, Rixæ, Diſſenſiones, Sectæ, Inuidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comeſſationes, & his ſimilia. verſ. Manifeſta autem. eod.* — *Quæ excludunt hominem à Regno Dei.*
  - *Fructuum ſpiritûs 12.* *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas, verſic. Fructus autem. vſque in finem cap. 5. Et à princip. 6. vſque ad verſic. Videte qualibus literis.*

DE PRO-

DE PROBATO D. PAVLI ERGA VERAM pietatem zelo. TABVLA 80.

MOTVS D. *Paulus veræ religionis amore, & pietatis, qua vrgebatur, zelo, prorumpit tandem in has ſequentes exclamationes, tum*

- **CONTRA**
  - *Infidelitatem & ignauiam pſeudoapoſtolorum, quos ad defenſionem huius ſchiſmatis, putà de obſeruanda circuncisione, nihil mouebat aliud, quàm vt hac ratione effugerent crucis Chriſti pſecutionem, quam Paulus multiplicem patiebatur, quòd doceret, circuncisionem & pleraque alia legis Moſaicæ eſſe abolita, ver. Videte qualibus literis. cap. 6.*
  - *Superbiam eorundem, eò quòd ſuam ex Galatarum circumciſione aucuparentur gloriam, vt ſcilicet in carne eorum gloriarentur.*
- **AD**
  - *Seipſum, oſtendens ſuum erga Chriſti crucem ſtudium & amorem, in qua ipſe longè potius ſibi gloriandum ſtatuiſſet, quàm in carne. Mihi autem abſit gloriari, inquit, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. eod.*
  - *Vniuerſum mundum, cuius id maximè intereſſe exiſtimauit, vt ſciret, quid potiſſimùm cuique conſectandum ſit & expetendum. In Chriſto enim Ieſu, ait, neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. eod.*
  - *Galatarum cœtum, nè hac legis æmulatione ſibi ampliùs ſint moleſti, ſed ſententiam prædictam pro communi obſeruent regula. Vndè dubio procul id ſint conſecuturi, vt pax & miſericordia veniat ſuper illos & ſuper Iſrael Dei. Circa finem cap. 6. & vltimi.*

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS, DE LAVDIbus conſtantiæ in retinenda vera fidei Catholicæ doctrina,

Liber Bibliæ LV, Partis ſecundæ libri quarti, Quintus.

ORDINIS RATIO.

HAEC epiſtola rectè poſt illam, quæ ad Galatas inſcribitur, collocata eſt: Quia vt ibì Galatæ reuocantur ad fidem, ità hìc Epheſij confirmantur in fide. Ibì carnales legis obſeruantię ab illis, qui eas ſuſcipere cœperant, remouentur: hìc, nè ſuſcipi debeant, prędamnantur. Anſelmus hìc in prętatione ad Epheſios.

FALSA ET ERRONEA HAERETICORVM quorundam de hac epiſtola opinio.

SCIENDVM ſanè, quòd hanc epiſtolam, quam nos ad Epheſiòs ſcriptam habemus, hæretici & Marcioniſtæ ad Laodicenos attitulant. Gloſſa hìc in princip.

EPHESII QVI FVERINT.

EPHESII ſunt Aſiani ab Epheſo ciuitate, quam incolebant, ſic dicti. Epheſus autem metropolis ciuitas eſt Aſiæ, in qua Paulus triennio moratus eſt, prędicans Euangelium ità, vt omnes qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini & Iudęi & gentiles. Anſelmus ibidèm.

QVIS EPHESIOS PRIMVM DOCVERIT FIDEM Chriſtianam.

QVIDAM ex ijs qui diuinum apoſtolum anteà interpretati ſunt,dixerunt diuinū Ioannem Euangeliſtam,ſalutarem prædicationem primùm tradidiſſe Epheſijs, aliqui verò aliquos alios hoc feciſſe dixerunt: Diuiniſſimū autem Paulum, cùm nondùm vidiſſet Epheſios,hanc ad eos ſcripſiſſe epiſtolam. Theodoret. in argu. hîc ad Epheſios.In qua ſententia diuus etiam fuit Athanaſius, dum ait: Miſit & iſtam è Roma,cùm nondùm eos vidiſſet,ſed audiſſet de illis.

Sed apoſtolicorum actuum hiſtoria nos neutrum eorum docet.Vbi Paulus ſic de ſe teſtatur ipſe:Quapropter vigilate,inquit,recordantes, quia triennio nocte ac die non ceſſaui cum lachrymis monere vnumquenque veſtrûm:& nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ eius,qui potens eſt ædificare & dare vobis hæreditatem in ſanctificatis.Ex quibus verbis clarum eſt,eum,cùm eis euangelium anteà prędicâſſet,hanc ſcripſiſſe epiſtolam Actor.20.Qui enim Epheſijs prędicauerat,ſecundò in Macedoniam &Achaiam profectus eſt,& illinc in Iudæam.Deindè cùm Epheſij verſatus eſſet,venit Romam.Theodoretus ibidèm.

QVO TEMPORE SIT SCRIPTA HAEC EPISTOLA.

HAEC epiſtola ordine temporis ſequitur eam,quę ad Philippēſes ſcripta eſt. Vide Theodoreti præfationem in omnes D.Pauli epiſtolas. Scribit verò illam per Tychicum ex Roma vinctus in carcere.Quemadmodùm & ipſe dicit: Orate pro me,vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, vt cum libertate notum faciam myſterium euangelij,cuius gratia legatione fungor in catena. Chryſoſt. in argumento huius epiſtolæ.

SCRIBENDI OCCASIO QVAE D. FVERIT PAVLO.

OCCASIO autem huius ſcribendæ epiſtolę hęc eſt: Epheſij cùm credidiſſent in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,genuinam habebant in ipſum fidem, & in omnes ſanctos dilectionem,cupiebantque à Paulo confirmari. Hoc vbi cognouiſſet,ſcribit ad eos hanc epiſtolam,velut inſtruendi gratia.Athanaſ. in Synopſi.

ARGVMENTVM.

ET principiò oſtendit,fidei noſtræ myſterium non eſſe recens,ſed ab initio & ante iacta mundi noſtri fundamenta,eſſe iſtam beneuolentiam Dei, qua Chriſtum pro nobis pati,noſque ſaluare voluit.

Deindè differit de vocatione gentium,vt oſtenderet eos rectè credidiſſe,declaratque nos non per hominem aliquem,ſed per Chriſtum eſſe vocatos, qui filius Dei eſt: vt etiam ex eo diſcerent, hominis ſe cultores non eſſe factos, vbi in Chriſtum crediderunt,ſed veros cultores Dei. Significans ſe quoquè huius gratia amandatum eſſe,vt prędicaret euangelium, & curam eorum haberet ſingularem.

Poſt iſta,adhortatorios ſermones viris ac mulieribus, patribus & liberis, dominis ac ſeruis in hac epiſtola ponit, & circa finem vniuerſos contra diabolum & dęmones eius inſtructos reddit,dicens,aduersùs illos nobis eſſe luctam. Et vbi tanquàm bonus athletarum pręceptor omnes contra diabolicas operationes doctrinæ verbis inunxit,epiſtolam claudit. Oecumenius hîc in argumento.

IN QVO GENERE ORATIONIS PRAESENS hæc verſetur epiſtola.

ABVNDAT autem, vt dixi, vehementer ſublimibus & excellētibus ſenſibus. Nam quæ ferè nuſquàm locutus eſt, hic loquitur, vtporè cùm dicit: Vt nota fiat principatibus ac poteſtatibus cæleſtibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Et iterùm: Excitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cæleſtes. Et, Quod alijs generationibus non eſt manifeſtum, nunc reuelatum eſt ſanctis ipſius Apoſtolis ac Prophetis in ſpiritu, nimirùm quòd gentes cohæredes ſunt, & eiuſdem corporis, conſorteſque hæreditatis ipſius in Chriſto. Chryſoſt. in argumento Epiſtolæ ad Epheſios.

SVMMA QVAE INTENTIONEM HVIVS exprimit epiſtolæ.

CVM non minor virtus ſit, quàm quærere, parta tueri, & adeò lubrica vſque hominis ſit vita, vt qui nunc ſtat, facilimè iterùm cadere poſſit, 1. Corinth. 10. Paulus in hac epiſtola Epheſios ſuos, primùm in ea, qua præditi fuerant, conſtantia fidei confirmare: deindè ad maiora etiam prouocare nititur. Inprimis verò illud etiam inculcat, nè ipſius deſerant traditiones, nec rebus efferantur ſecundis. Vide Gloſſ. ad hanc epiſtolam in argumento.

DE IPSIVS EPISTOLAE PARTIBVS.

TABVLA 81.

TOTA HAEC *epiſtola exhortatoria eſt, qua Epheſios hortatur ad*	*Gratitudinem Deo pro beneficijs acceptis exhibendam, vt iugi iſtorum memoria, eo firmius in fidei conſtantia & morum integritate retineantur. cap. 1. 2. & 3.*
	Omnis generis virtutum ſtudia capeſſenda. vt intelligant non nudam requiri in homine Chriſtiano fidem, ſed eam quæ operatur per charitatem, à cap. 3. vſque in finem.

DE GRA-

DE GRATITVDINE, PRIMA HVIVS epiſtolæ parte. TABVLA 82.

- **GRATIArum actionem ſuadet à beneficiorum**
  - **ENVMERATIONE, quorū ſunt alia**
    - *Generalia,*
      - *Cæleſtis benedictio, cap. 1. in principio.*
      - *Aeterna Dei præelectio, qua elegit nos ante conſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu Dei in charitate. verſ. Sicut elegit nos. eod.*
      - *Adoptatio in filios & cohæredes regni cælorum per Ieſum Chriſtum, ibid. verſ. Qui prædeſtinauit nos. eod.*
      - *Redemptio per ſanguinem eius & remiſsio peccatorum. verſ. In qua glorificauit nos.*
    - *Specialia duo:*
      - *Internum, plenitudo ſapientiæ, quam præ alijs fidelibus ſuis contulit apoſtolis. eodem cap. 1. verſ. Quæ ſuperabundauit in nobis &c.*
      - *Externum, reſtauratio omnium per miniſterium apoſtolorū. Cùm enim infideles per apoſtolos ſunt conuerſi, cæli inſtaurati ſunt, angelorum reparata ruina, & terra moribus & doctrina innouata eſt. verſ. Vt notum faceres nobis. eod.*
    - *Vnum peculiare, quo vocati ſunt ad fidem, & quidem*
      - *Primò Iudæi. verſ. In quo & nos ſorte. eod.*
      - *Deindè verò Epheſij. verſicul. In quo & vos.*
  - **MAGNItudine, quā oſtendit ex**
    - *Collatione*
      - *Dignitatis beneficiorum adeptorum, quam etiam difficile ſit vel intelligere ità vt oportet, dignasque pro illis gratias agere.*
      - *Potentiæ authoris iſtorum beneficiorum, ipſius ſcilicet Chriſti qua reſurrexit à mortuis, & nunc ſedet à dextris patris ſui cæleſtis, atq; tum triumphanti illi præſidet, tum huic militanti Eccleſiæ ſua dona impertit. verſ. Propter eà & ego audiens. vſque in fin.*
    - *Duplici ſtatûs fidei & paganiſmi differentia:*
      - *Primò,*
        - *Dum in paganiſmo verſarentur Epheſij, erant mortui:*
        - *Per fidē aūt, vitæ iterùm ſunt reſtituti.*
      - *Secundò, qui priùs erant à populo Dei alieni, hoſpites & aduenæ, ciues iam ſanctorum & domeſtici Dei ſunt facti. cap. 2. per tot.*
    - *Suo ſtudio & ardore, quo ipſe apud Deū pro Epheſijs intercedit, vt det eis virtutem*
      - *Fidei, per quā Chriſtus inhabitet & corroboretur in cordibus eorū,*
      - *Charitatis & dilectionis,*
      - *Sapientiæ & ſciētiæ, cæterorumq; donorū ſpiritusſancti plenitudinē.*

DE VIRTVTIBVS HOMINIS CHRISTIANI, ſecundo huius epiſtolæ capite. TABVLA 83.

SECVNDA PARS MO. *dum deſcribit, quo gratitudinem ſuam quiſque declarare queat, virtutum ſcilicet ſtudia. De quibus hîc D. Paulus ſub triplici agit diſcrimine:*

- *Primùm de diuerſis virtutibus in genere, cap. 4. & partim in 5.*
- *Secundò, de officijs hominum ſingulorum, cap. 5. & ex parte in 6.*
- *Tertiò, de armis ſpiritualibus, quibus homo Chriſtianus contra dæmones & vitia pugnare & poſsit & debeat.*

DE VIRTVTIBVS IN GENERE.

TABVLA 84.

ITAQVE D. *Paulus primò generatim hortatur Epheſios ad virtutes, putà*

- *Humilitatem & manſuetudinem, cap. 4. in princip.*
- *Charitatem, pacem, & concordiam, atque ſpiritus vnitatem, verſicu. Solciti ſeruare vnitatem. eod.*
- *Pudicitiam, caſtitatem, & honeſtatem. verſ. Hoc igitur dico. eod.*
- *Veritatem ſermonis, verſ. Propter quod eod.*
- *Patientiam & lenitatem, verſ. Iraſcimini, & nolite peccare. eod.*
- *Laboris ſtrenuitatem, verſ. Qui furabatur, iam non furetur.*
- *Modeſtiam & benignitatem*
  - *Oris, verſ. Omnis ſermo malus.*
  - *Cordis, verſ. Omnis amaritudo, vſque in fin. cap. 4.*
- *Imitationem Chriſti, & vitationem gentilis conuerſationis. cap. 5. in princip. Eſtote imitatores Dei &c.*
- *Prudentiam & circunſpectionem, verſ. Videte itaque fratres. eod.*
- *Sobrietatem, orationem, contemplationem & laudem diuinam in Pſalmis, hymnis & Canticis, verſ. Nolite inebriari. eod.*

DE OFFICIIS SINGVLORVM.

TABVLA 85.

OFFICIA DE- *indè D. Paulus deſcribit particulatim hominũ ſingulorum, nempe*

- *Vxorum, vt maritis ſuis exhibeant obedientiam & ſubiectionem. Nam vt Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ità vir vxoris caput eſt & dominus. verſ. Subiecti inuicem eſtote. d. cap. 5.*
- *Maritorum, vt vxores ſuas diligant, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiã. verſ. Viri, diligite vxores veſtras. eod.*
- *Filiorum, vt reuereantur parentes, cap. 6. in princip. verſ. Filij, obedite parentibus.*
- *Parentum, vt éducent filios in diſciplina & correptione Domini. verſic. Et vos patres. eod.*
- *Seruorum, vt obediant dominis cum timore et tremore, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, verſ. Serui, obedite. eod.*
- *Dominorũ, vt ſeruis clementes ſint et benigni, nec duriùs eos tractent. verſ. Et vos domini.*

DE ARMIS CHRISTIANORVM SPIRITVALIBVS.

TABVLA 86.

QVANDO MIlitia eſt vita hominis ſuper terram, & perpetuò nobis luctandũ eſt aduerſùs mundum, carnem & diabolũ, iam poſtremò D. Paulus inſtruit Epheſios ad hanc pugnã armis ſpiritalibus: Qualia ſunt

Cingulum continentiæ, quo carnis libido coërcetur. verſic. State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate. d. cap. 6.

Lorica iuſtitiæ, quô vndiquè procegantur. Ibidèm, in verbo, Loricã.

Ornamenta pedum, vt ſint expediti tum ad annunciandũ, tum ad exequendum euangelium pacis. In verbis, & calceati, ibid.

Scutum fidei, vt nihil noceant tela nequiſſimi ſatanæ ignea. In verb. In omnibus ſumentes ſcutum.

Galea ſalutis æternæ, cuius ſpes mentem confirmat, nè in perſecutionibus deficiat. In verb. Galeam, ibidèm.

Gladius ſpiritûs, id eſt, verbum Dei à ſpirituſancto promulgatum. in verb. Et gladium ſpiritûs. d. verſic. State ergò ſuccincti. vſque in fin. cap. 6. & vltimi.

EPISTOLA PAVLI

APOSTOLI AD PHILIPPENSES, DE *fugienda primatûs ambitione, & ſtudio humilitatis amplectendo, Liber Bibliæ LVI, Partis ſecundæ quarti libri, ſextus.*

ORDINIS RATIO.

POST editam ad Galatas epiſtolam, Paulus ex Roma proximè miſit hanc, quam ſcripſit ad Philippẽſes, cùm illos ſemèl vidiſſet & docuiſſet. Sic enim id finis huius declarat epiſtolæ: Salutant vos, inquit, qui ſunt de domo Cæſaris. Theodoret. in præfat. ad omnes D. Pauli epiſtolas, & Athanaſ. hîc in Synopſi.

PHILIPPENSES QVI FVERINT.

PHILIPPENSES, quos hoc loco coronam ſuam vocat Apoſtolus, dicti ſunt à Philippis ciuitate Macedoniæ, quæ eſt ciuitas Colonia, quẽadmodùm Lucas refert. Chryſoſt. in ſuo ad hanc epiſtolã argumento. Quæ ciuitas hoc nominis à conditore ſuo Philippo ſortita fuit, ſub Theſſalonica metropoli conſtituta. Theophylact. hîc in prologo.

QVAE HVIC CIVITATI IN PAVLI prædicatione contigerint præclara.

HIC purpurarum venditrix mulier vehementer pia, rebusq́; diuinis attenta, ad Dominũ conuerſa eſt. Hîc archiſynagogus Domino credidit: Hîc Paulus ac Silas virgis cęſi ſunt: Hîc Magiſtratus, vt abirẽt, precati ſunt eos, idq́; non ſine timore. Habuit & hîc ſplendidũ Euangelij p̄dicatio initiũ. Chryſoſt. hîc in arg. & Act. 16.

DE SCRIPTIONIS HVIVS OCCASIONE, ex Theophylacto.

TRANSMISERANT Philippẽſes Paulo per Epaphroditum, quę illi ad vitã eſſent neceſſaria, ac ſimul etiam reſcire cupiebant, vt tunc eum co ageretur. Et quoniã par erat, illos, cùm pręceptorem vinctum intellexiſſent, animo haud mediocriter angi, ad eos ſcribens commonefacit, nihil propterea hos vel mœrore affici, vel offundi perturbatione debere, quin potiùs lætari magnoperè & gaudere, quandoquidem pro Chriſto hæc patiatur. Theophylactus hîc in argumento.

ALIA SCRIBENDI CAVSA.

TANTVM iam ex pręedicatione Pauli tam in fide quàm in moribus profecerant, vt illorũ vita per omnia ferè eius reſponderet doctrinę: de primariu rãtùm inter

eos erat contentio, quoniam alij ſe volebant alijs prçferre, quaſi gloriãdo de meritis. Qua de cauſa apoſtolus, prçcipuè ſcribens illis à Roma, intendit illos ad humilitatem reuocare, licèt vt de meritis non glorientur, neque alter alteri ſe præferat: ſed quidquid boni habet, ſiue remiſſionem peccatorum, ſiue dona virtutũ, gratię Dei aſſcribat, à quo totum habet, & nihil à ſe. Anſelm. ibidèm.

Atque hinc colligunt, Paulum in hac epiſtola officij ſui nomẽ & authoritatis, quod eſt apoſtolus, ideò non poſuiſſe, quoniam illos inuitet ad humilitatẽ, ibidẽ. Ambroſius tamen id ideò factum putat, quia ad illos ſcribat, qui rectè de eo ſentiebant. Ambroſ. cap. 1. ad Philippen. in principio.

QVID PRAE CAETERIS MAXIME PAVLVS in Philippenſibus commendauerit.

Philippenses verò multo magìs collaudãtur, quàm Epheſij, vt qui nec audire quidem falſos apoſtolos voluërint, non ſolùm iam credentes in Chriſtum, ſed & patientes, ac certamen habentes pro illo: Vobis, inquit, donatum eſt, vt non ſolũ in eum crèdatis, ſed vt etiam patiamini pro illo. ad Philippen. 1.

IN QVO GENERE DICENDI VERSETVR hæc epiſtola.

Videtur autem, illis potiſſimùm cum magna honorificentia & nihil omninò obiurgatorium ſcribere: id quod & virtutis illorum indicium eſt, nimirùm quòd nullam prçceptori dederint occaſionem, quó vel per modum reprçhẽſionis, ſed duntaxàt adhortando omnia ad eos ſcriberet. Hoc autem ipſum eſt, quod initiò dixi, nempe quòd hæc ciuitas tãtum commoditatis ad fidem Chriſti exhibuerit. Chryſoſt. hìc in explicatione argumenti.

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD Philippenſes. TABVLA 87.

IN HAC EPISTOLA APO*ſtolus Philippenſes ad aſſlictiones & perſecutiones Chriſti cauſa perferendas hortatur, quippe qui*
- *In fidei retinenda veritate conſtantes ſe præbuerant.*
- *Pſeudoapoſtolos fidem ſubuertere nitentes reſpuerant.*
- *Pro Chriſti nomine paſſi fuerant.*

DE HVIVS EPISTOLAE PRINCIPIO. TAB. 88.

PRINcipio autẽ *vtitur*
- *Salutatione, cap. 1. in princip.*
- *Congratulatione, quòd*
  - *Fidem Chriſtianam non receperint tantùm,*
  - *Sed eum iam fecerint profectũ, vt ſint ipſius Pauli ſocij*
    - *Defenſionis & confirmationis euangelij.*
    - *Perſecutionis gaudij.*
  - *Nihil aliud illis deeſſe videatur ad ſalutem ampliùs, quàm vt ità perſeuerent, creſcantque et abundent in charitate ad Dei laudem et gloriam. verſic. Gratias ago Deo. eod.*
- *Communicatione animi et propoſiti ſui admodùm familiari, in qua illis explicat*
  - *Vincula ſua, quibus Romæ ligatus fuerat, plus ſuæ doctrinæ commodi attuliſſe, quàm incommodi, eò quòd tum non pauci exemplo ſuo animati, liberiùs multo, quàm anteà, euangelium prædicare videbãtur. verſ. Scire autem vos volo. cap. 1.*
  - *Spem ex vinculis conceptam, quòd per ea ſperet acceſſum ad ſalutem et gloriam. verſ. Dum omni modo. eod.*
  - *Expectationem atque deſiderium ad martyrium et mortem pro Chriſti nomine ſuſtinendam. verſ. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, et mori lucrum. eod.*
  - *Dubitationem, an mortem potiùs, an vitam ſibi precari et eligere debeat. verſ. Coarctor autem. eod.*

DE EX-

DE EXPLICATIONE EORVM, QVAE D. Paulus Philippenſes ex hac epiſtola ſcire & intelligere voluït. TABVLA 89.

DEINdè verò luculēter & egregiè

- **PRAEMOnet eos, vt ſibi caueant**
  - *INSTRVit eos in*
    - *Genere ad conſtantiam æquo animo perferendi & martyrium, & alia aduerſa omnia, verſ. Et in nullo terreamini. in fin. cap. 1. Vbi ait: Quia vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm, vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & audiſtis de me.*
    - *SPEcie ad*
      - *Vnitatem fidei, cap. 2. in princip. Vt idem ſapiatis.*
      - *Humilitatem veram, Ibidèm in verb. Nihil per contentionē, neq; per inanem gloriam.*
      - *Timorem Dei, verſ. Itaque chariſſimi. eod.*
      - *Animi tranquillitatem & ſuauitatem, verſ. Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus &c. eodem.*
  - *à pſeudoapoſtolis, quos vocat*
    - *Malos operarios,*
    - *Non circuncisionem, ſed conciſionem irridiculè, cap. 3.*
  - *VT imitentur*
    - *Ipſum Paulum, & circūciſionem ſpiritûs quærant potiùs quàm carnis. Vbi oſtendit verè circunciſos, qui ſpiritu ſeruiunt Deo.*
    - *Non autem inimicos crucis Chriſti, quales erant, qui Euangelij gratiam, circunciſionis obſeruatione obfuſcare conabātur. verſ. Imitatores meî eſtote. Vſque in fin. d. c. 3.*
- **SOLATVR afflictos, Ab**
  - *Auxilio perfectorum atque ſanctorum hominum, cap. 4. in princip.*
  - *Aduentu Chriſti, quem in auxilium illorum prædicit eſſe propinquum, verſ. Dominus propè eſt, eodem.*
  - *Virtutum ſtudio, vt quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunq; iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitent, verſ. De cætero. eodem.*
  - *Sic Deum pacis futurum cum illis. ibidèm.*

DE ACCEPTIS A PHILIPPENSIBVS beneficijs. TABVLA 90.

POSTREMO GRATAM *oſtendit memoriam eorum quæ ipſi in vinculis detento Philippenſes ſuppeditauerant. Quorum nomine teſtatur ſe in Domino vehementer gauiſum,*

- NON *propter ſuā, quam patiebatur, penuriam, vt qui in omnem euentū inſtitutus eſſet, omnia æquo ferre animo: & ſatiari, & eſurire: & abūdare, & penuriā pati.*
- SED *quòd ſuî tam piam habuiſſent rationem, atq; ſic ipſius meriti tribulationum ſuarum effecti eſſent participes. verſ. Gauiſus ſum autem. vſque in fin. cap. 4. & huius epiſtolæ vltimi.*

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES, DE

recta ad Deum Patrem via, nempe per Chriſtum, Liber Bibliæ LVII. Secundæ Partis Quarti libri, Septimus.

ORDINIS RATIO, EX CHRYSOSTOMO.

VIDETVR autẽ iſta epiſtola poſt eam quæ ad Romanos eſt, data eſſe. Nam illam quidem Romanis ſcripſit, cùm eos nondùm vidiſſet: iſtam verò, cùm iam vidiſſet, & prope finẽ eſſet prædicationis ſuæ: id quod & ex eo liquet, quod in epiſtola ad Philemonem inquit: Cùm talis ſim, nempe Paulus ſenex, & rogem pro Oneſimo: in iſta verò ipſum mittit Oneſimum, quẽadmodùm dicit: Quem miſi vnà cum Oneſimo fido & dilecto fratre, & dilectum & fratrem cum vocans.

Arbitror autem hac vetuſtiorem eſſe eam, quę eſt ad Timotheũ, & circa mortem eius quoquè ſcriptam. dicit enim illic: Nam ego nunc immolor, 2. Timot. 4. Vetuſtior ſanè eſt iſta, quàm ea ſit, quam ad Philippenſes ſcripſit. Chryſoſto. ad Coloſ. cap. 1. in principio.

DE COLOSSENSIBVS.

COLOSSAE ciuitas erat Phrygiæ, quod ex eo liquet, quòd vicinam habuit Laodiceam. Chryſoſt. ibidèm & ad Philemon. homil. 2. Vndè dicti ſunt Coloſſenſes, quos Paulus hac epiſtola ſuſcepit inſtituendos. Hos epiſtolæ huius Argumẽtum dicit Aſianos, ſicut & Laodicenſes. Nam etiã Phrygia ipſa, pars eſt Aſiæ minoris.

VNDE ET QVANDO COLOSSENSIbus ſcripſerit Paulus.

ET hanc vinctus miſit Roma, quẽadmodùm ſcribens dixit: Propter quod & vinctus ſum, vt manifeſtem illud, ſicut oportet me loqui. Chryſoſt. vbi ſuprà. In argumento huic epiſtolæ præfixo ſcribitur, eam ab Epheſo per Tychicum Diaconem, & Oneſimum Acolytum fuiſſe tranſmiſſam. Sed Theodoretus eodem tempore dicit Apoſtolum ſcripſiſſe & Epheſijs & Coloſſenſibus, admirabili Tychico vſum tabellario. Romæ autem ſcripſiſſe, cùm iam prius euaſiſſet periculum, idq́; hoc ipſum oſtendere epiſtolæ huius prooemium. Theodoret. hìc in explicatione argumenti.

NVM APOSTOLVS COLOSSENSES PRIVS viderit, quàm hæc ad illos ſcriberet, ſententia Chryſoſtomi, Anſelmi, & Gloſſæ.

NONDVM viderat autem Apoſtolus neque iſtos, neq; Romanos, neq; Hebræos, cùm ad eos ſcriberet. Et de illis quidem multis ex locis clarũ eſt, de iſtis verò audi, quid ipſe dicat: Et quotquot faciem meam in carne non viderunt. Et iterùm, Licèt carne abſens ſim, tamen ſpiritu vobiſcum ſum. Chryſoſt. ibidèm. Athanaſ. in Synopſi. Anſelmus & Gloſſa hìc in principio.

DE EODEM, SENTENTIA Theodoreti.

ATQVI nonnulli quidẽ dicunt, diuinum Apoſtolum cùm nõdùm vidiſſet Coloſſenſes, ſcripſiſſe ad eos epiſtolã, idq́; conãtur cõfirmare ex illis verbis: Volo enim

vos ſcire, qualem ſolicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs, qui ſunt Laodiceæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne. Col. 2.

Oportebat autem eos conſiderare verborum ſententiam. vult enim dicere: Nõ ſolùm veſtrùm, ſed eorũ etiã, qui me nõ viderũt, maximam curam gero. Si enim de ijs ſolùm qui eum non viderant, curam gerebat: eorum qui illum viderant, & ab eo doctrinam acceperant, nullam omninò curam gerit.

Iam verò nos etiam docuit beatiſſimus Lucas in Actis, quòd eodem tempore petraſit Phrygiam & Galatiam, Act. 18. Coloſſæ autem ſunt Phrygiæ, cuius Metropolis & vicinia eſt Laodicea. Quomodò ergò fieri potuit, vt qui in Phrygiam venerit, non eis diuinum tradiderit euangelium?

Nec verò dixerit quiſpiam, eum fuiſſe à diuina prohibitum gratia hoc facere. De Aſia enim & Bithynia dixit B. Lucas, eos prohibuiſſe ſanctum ſpiritum. De Phrygia autem nihil dixit tale. Sed de hac re quidẽ ſentiat quis quod velit. Neq; enim vllam dogmatum inducit differentiam, an hoc vel illo modo dicatur. Theodoretus in Argumento huius epiſtolæ.

ARGVMENTVM.

COLOSSENSIVM aliqui per angelos ſe credebant conciliatos, acceſſum habere ad Deũ: & multas habebant obſeruationes tam Iudaicas quàm Gentiles. Iſtas itaq; corrigit. Vndè & initiò ſtatim dicit: Per voluntatem Dei, &c. Chryſoſt. hîc ca. 1. in principio.

DE PRIMA SCRIBENDI OCCASIONE.

Ex his verbis duæ colliguntur ſcribendæ huius epiſtolæ occaſiones. Quarũ prima, dogma illud prauum illorum, qui (vt dictum eſt) putabant, nequaquàm per filium, ſed per Angelos ad Deum & Patrem ſe adduci, abſurdum putantes credere, quòd filius Dei in extremis temporibus apparuerit, cùm in veteri teſtamẽto per angelos omnia fierent. Theophylact. hîc in Argument.

ALIA HVIVS SCRIPTIONIS OCCASIO, ex ſententia Anſelmi.

COLOSSENSIBVS non ipſe Apoſtolus prædicauit, ſed eius diſcipuli Epaphras & Archippus, quandò ex his originem ducebant. Epaphras enim quæ à Paulo didicerat, prædicans eis, conuertit illos, & factus eſt Apoſtolus eorum, Archippus verò epiſcopatum ſuper eos accepit. Superuenientibus autem pſeudoapoſtolis, carnales obſeruantias prædicantibus, dubium fuit quibus potiùs credendũ eſſet.

Vndè Paulus, cuius authoritas celebris erat, quaſi medius iudicat, quæ pars ſit potiùs tenenda. Deſcribit autem Chriſtum & eius beneficia, quomodò eſt ſufficiens ad omnia: carnalia verò omninò improbat. Vndè fit, vt hęc epiſtola magnã affinitatem & ſimilitudinem habeat cum illa, quæ eſt ad Epheſios. In illa quippe & in iſta ſimili modo commendatur eminentia diuinorum beneficiorum, & carnalium obſeruatio legis deſtruitur, & mores Dei inſtruuntur. Anſelm. in præfat. ad hanc præſentem epiſtolam.

SCOPVS.

INTENTIO D. Pauli eſt hæc, vt Coloſſenſes hac epiſtola in eadem confirmet fide & doctrina, quam à diſcipulis eius acceperant: doceatque, non in alio quàm in Chriſto ſpem ponendam eſſe ſalutis. Gloſſa hîc in explicatione argumenti.

PAR-

PARTITIO. TAB. 91.

VT PLERAEQVE *aliæ D. Pauli epiſtolæ, ità & hæc diuidi poterit in Partes principaliores tres:*

- PRINCIPIVM, *cap.1. vſque ad verſ. Cum gaudio gratias agentes.*
- STATVM *cauſæ, ſiue argumenti ſuſcepti tractationem, d. cap. 1. 2. 3. & 4. vſque ad verſ. Orationi inſtantes.*
- CONCLVSIONEM *ſeu Epilogum, à loco præfat. vſque in fin. cap. 4. & vltimi.*

DE PRINCIPIO. TAB. 92.

PRINCIPIO *ſibi illorum animos præparat per*

- SALVTATIONEM *familiarem & amicabilem, cap. 1. in principio.*
- LAVDEM
  - *Fidei,*
  - *Spei,*
  - *Dilectionis in Deum & ſanctos,*
  - *Omniuariæ perfectionis.*
- PRECA*tionem piam, vt*
  - *Impleantur agnitione voluntatis eius in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.*
  - *Dignè ambulent Deo per omnia.*
  - *In omni opere bono fructificent, & creſcant in ſcientia Dei.*
  - *In omni virtute confortentur, ſecundùm potentiam claritatis eius.*
  - *In omni quoquè patientia & longanimitate, verſ. Gratias agimus Deo &c. eod. cap. 1.*

DE STATV CAVSAE. TAB. 93.

ARGVMENTI *tractatio duabus abſoluitur partibus:*

- INCITATIONE *ad amorem Chriſti, eiusq́ doctrinam ſeu fidem Euangelicam magis magisq́ ſectandam.*
- EXHORTATIONE *ad varia virtutum genera, & honeſta hominis Chriſtiani officia.*

DE AMORE CHRISTI ET FIDEI CHRIſtianæ. TABVLA 94.

SVMMA huius epiſtolæ hæc eſt, quòd D. Paulus Coloſſenſes allicere ſtudet in amorẽ Chriſti. Argumenta aũt quibus id efficere conatur, ſumũtur partim à

- **PERſona**
  - **CHRISTI**, cuius beneficia rurſus metienda ſunt ex perſona
    - *Noſtra*,
      - Quòd ſorti nos ſanctorũ & collegio adiunxerit fideliũ.
      - Quòd nos de poteſtate eripuerit tenebrarum, Diaboli et inferni.
      - Quòd nos tranſtulerit, & inſeruẽrit in regnum filij dilectionis ſuæ.
      - Quòd nobis redemptionem acquiſiuerit & remiſſionem peccatorum.
    - *Dei patris*,
      - Quia imago ſit ipſius Patris.
      - Quia à Patre genitus, ac omnis generationis ad ſalutem ſit principium: vndè primogenitus dicatur omnis creaturæ.
    - *Omnium rerum*,
      - Quòd per ipſum omnia ſint condita.
      - Quòd omnia exiſtant per ipſum, & in ipſo, & ſub ipſo tanquàm protectore & conſeruatore.
    - *Totius corporis Eccleſiæ:*
      - Quia ſolus ſit caput eccleſiæ ſuæ viuificans.
      - Quia ſit primogenitus inter reſurgentes, reſurrectionem annuncians.
      - Quia ipſe Deitatis fons ſit vberrimus, eccleſiam Deo reconcilians. à verſ. Gratias agentes. vſq; ad verſ. Cuius factus ſum ego. d. cap. 1.
  - **PAVLI**, in qua cõſiderãtur tria:
    - Exemplum patientiæ & conſtantiæ, quam teſtatur his verbis: Nunc gaudeo in paſſionibus, & adimpleo ea, quæ deſunt, paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt eccleſia.
    - Authoritas, quam oſtendit ſe hábere à DEO. Cuius, inquit, factus ſum ego Paulus miniſter, ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi. à d. ver. Cuius factus. vſq; in fin. cap. 1.
    - Amor, quo ipſe complexus eſt Coloſſenſes. Nam etſi eos oculis humanis nunquàm viderit, ſe tamen eorum cauſa admodùm ſolicitum eſſe affirmat, nè per aliquorum verba ſublimia & fallacia decipiantur. cap. 2. in princip. vſque ad verſic. Videte nè quis vos decipiat per philoſophiam.
- **MVNERE** ſapientiæ diuinæ, cuius præſidio pſeudoapoſtolorum technas, ex ſpinoſa philoſophia, humanis traditionibus, & elementis mundi conſtructas poſſint &
  - *Intelligere ex*
    - Praua doctrina, qua carnis tribuunt conciſioni, quod tribuendum erat baptiſmo, quo ſpiritus mundatur à præputio peccatorum. d. verſ. Videte nè quis.
    - Moribus improbis: Foris enim præ ſe ferunt humilitatem & religionem angelorum, interiùs fruſtrà inflantur ſenſu carnis ſuæ. verſ. Nemo vos ſeducat.
  - *Auertere & diluere rationibus duab⁹:*
    - Prima, Quia carnis cõciſio non prodeſt quidquã. Baptiſmus autem qui in eius ſucceſſit locũ, tinctos & à mortuis ſuſcitauit, & Chriſti corpori inſeruit. d. verſ. Videte.
    - Secunda, Quia Chriſti morte circuncisio, et alia id generis legalia, ſublata & extincta ſunt pleraq; omnia. d. verſ. Nemo vos ſeducat. vſque in fin. cap. 2.
- **POTENTIA** Dei glorioſa, qua vicit mortem, & nũc triumphat ad dexteram ſui Patris. Quo miniſterio monemur, vt quæ ſursùm ſunt, ſapiamus, & ſpem noſtram non ponamus in his, quæ ſunt in terra, ſed conuerſatio noſtra cùm Chriſto ſit in cælis. cap. 3. in principio.

DE NE-

DE NECESSARIIS QVIBVSDAM homini Chriſtiano virtutibus. TABVLA 95.

HAEC PARS *Parænetica eſt. Hortatur enim Coloſſenſes ad*

- VIRTVTES *Sex:*
  - *Mortificationem membrorum, quæ ſunt ſuper terram: Fornicationis ſcilicet, immunditiæ, libidinis, concupiſcētiæ malæ, & auaritiæ, quæ eſt ſeruitus ſimulacrorum, verſ. Mortificate ergò. d. cap. 3.*
  - *Renouationem ſeu depoſitionem affectuum, vt iræ, indignatiõis, malitiæ, blaſphemiæ, & turpis ſermonis, verſ. Nunc autem deponite.*
  - *Emendationem totius vitæ. Ibidèm in verb. Nolite mentiri. Vbi exuto veteri, nouum hominem induendum eſſe monet.*
  - *Ornamenta noui hominis induenda, qualia ſunt, Miſericordia, benignitas, humilitas, modeſtia, patientia, clementia, pax, & ſimilia virtutum Chriſtianarum genera, verſ. Induite vos. eod.*
  - *Charitatem, quæ vinculum eſt perfectionis, verſ. Super omnia autem hæc. eodem.*
  - *Animi gaudium excitandum Pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, verſ. Verbum Chriſti habitet in vobis. eodem.*
- OFFICIA *ſex:*

Mulierum	erga	*Viros.*	*Cap. 3. & principio 4.*
Virorum		*Vxores.*	
Filiorum		*Parentes.*	
Parentum		*Filios.*	
Seruorum		*Dominos.*	
Dominorum		*Seruos.*	

DE EPILOGO. TAB. 96.

IN EPILOGO *facit duo:*

- REQVIRIT *illorum interceſſionem, vt Deus aperiat apoſtolis ſuis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtent illud ità, vti oportet eos loqui. d. c. 4. verſ. Orationi inſtate &c.*
- SALVTEM *illis nunciat diuerſorum Chriſti miniſtrorum nomine, vt mutuam inter illos retineat beneuolentiam, verſ. Salutat vos Epaphras. vſque in fin. cap. 4. & vltimi.*

EPI

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMA,

DE PATIENTIA IN ADVERSIS PROPTER SPEM FVTVræ reſurrectionis retinenda, *Liber Bibliæ LVIII, Secundæ Partis libri Quarti, Octauus.*

ORDINIS RATIO.

DE fide hactenùs pcipuè diſputatū eſt: hîc nunc de opere agitur fidei. Sed quid Paulus vocat opus fidei? Quòd nemo, inqt, inſtantiam veſtrā infregit. Hoc enim opus eſt fidei. Si credis, omnia patere: Si non pateris, non credis. Etenim an talia non ſunt, quæ nobis promiſſa ſunt, vt credentem etiam mille mortes pati mâlle oporteat, q̄ ipſis excidere? Propoſitum eſt regnum cælorum, & immortalitas, & vita æterna. Itaque qui credit, omnia patitur. Proindè fides per opera probatur. Chryſoſt. in epiſtola Pauli ad Theſſal. 1. homil. 1.

THESSALONICENSES QVI, ET VNDE fuerint dicti.

THESSALONICA eſt vrbs nobilis in Macedonia, & eius regionis Metropolis, à qua Theſſalonicenſes ſunt dicti. Anſel. in præfatione huius epiſtolæ, & Theophylact. ibidèm. Hi, vt præ cæteris maiori laude digni, duabus ab Apoſtolo cōmendantur epiſtolis, & quòd non ſolùm fidem inconcuſſam veritatis ſeruauerint, ſed & in perſecutione fuerint conſtantes, perferentes etiam alacriter perſecutiones à ciuibus ſuis. Ioan. Driedo De ſcriptur. eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. par. 3.

DE HVIVS EPISTOLAE TITVLO, CVR NIHIL in eo de ſeipſo ponat, nec apoſtolum ſe, nec ſeruum Chriſti vocans, ex Chryſoſtomo.

MIHI videtur, ob id authoritatem ſuam nō poſuiſſe, ꝙ iſti recèns in fide eſſent inſtructi, ſuiq; nondùm experientiam cepiſſent, eſſetque adhuc initium prædicationis ad eos factæ. Chryſoſt. hîc cap. 1. in principio. vel, vt ibidèm Anſelmus, qa ipſi ad obediendum proni erant, ideò non ponit nomen authoritatis ſuæ, vel officij, ſed vt pares admonet.

CVR SILVANI ET TIMOTHEI NOMEN huic epiſtolæ in titulo præfixerit.

SILVANVM autem (id eſt, Silam) & Timotheum ideò ſecū poſuit, quia in conuerſione Theſſalonicenſium fuerant cum illo participes laboris, vel quia nunc erant cum ipſo Athenis. Anſel. ibid.

QVANDO, VNDE, ET PER QVOS MISERIT hanc epiſtolam Paulus.

PRIMA epiſtolarum omnium, quas D. ſcripſit Paulus, eſt illa prior ad Theſſalonicenſes. Eam enim miſit Athenis, vt ad eos ſcribens docuit. In medio enim epiſtolæ ſic dicit: Propter quod non ſuſtinētes ampliùs, placuit nobis Athenis remanere ſolis, & miſimus Timotheū fratrē noſtrum, & fidelem miniſtrum Dei, & cooperatorem noſtrum in Euangelio Chriſti, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra. 1. Theſſ. 3. Theodoretus in præfatione ad omnes D. Pauli epiſtolas, & beatus Anſelmus in præfatione ad Theſſalonicen̄. Miſit autem poſtquàm eôs & vidiſſet, & in fidei rudimentis inſtituiſſet: per Tychicum quoq; diaconem & Oneſimum. Theodoret. & in vulgato huius epiſtolæ Argumento.

Licèt Athanaſ.in Synopſi,& Theophyl.in præfatiõe ad omnes B. Pauli epiſtolas,ſcribant, eum hac epiſtola Timotheum ad Theſſalonicenſes miſſum fuiſſe. Sed perpenſo eo,ꝙ Timotheus in titulo,& in ſalutationis formula numeratur, tanq̃ vnà cum Paulo ſcribens, veriſimilius eſt, per eum non fuiſſe tranſmiſſam, ſed quòd tunc Athenis cum D.permanſerit Paulo.

DE OCCASIONE SCRIBENDI THESSAlonicenſibus.

Qvoniam mulra cùm in Berrhœa, tum Macedoniæ ciuitate Philippis, tum Corinthi & Theſſalonicæ Paulus fuerat perpeſſus,veritus eſt,nèvel ſuis preſſuris illi offenſi, haud ſatìs ſtabiles forent, vel mœrore nimio ob ſuorum è vita diſceſſum conficerentur, quo patrio more alioquì plurimùm angebantur,hãc miſit illis epiſtolam,vt in fide ſic confirmarentur,nè quoquo pacto ab ea deſciſcerent,ſiue ipſi affli ctarentur,ſiue alios cernerent affli ctari, adeò vt nec morientium ægriùs ferrent caſus, ſed eam ſectarentur vitam,quam ab eo accepiſſent,vt hac de re D.ſentit Athanaſ.hîc in Synopſi.

DE EADEM EX THEODORETO.

Cvm autem eorum qui crediderant, perpetuò curam gereret, beatiſſimum Timotheum Athenis miſit Theſſalonicã,vt eos fulciret & cõfirmaret,& omnibus aduerſariorum machinationibus eos potentiores efficeret.Is reuerſus laudauit quidem eorum fidem inexpugnabilem: dixit autem eos opùs habere aliqua exhortationis doctrina, de quibuſdam quæſtionibus, quæ apud eos mouebantur. Quibus intellectis Paulus, pro ſuo in omnes Chriſtianos amore, permotus fuit de his rebus aliquid ad eos ſcribere. Theodoretus hîc in Argumẽt.

QVID IN SVMMA SCRIPSERIT.

Primvm quidem laudat eorum ſingularem in fide conſtantiam : Deindè hortatur eoſdem, vt mortuorum certam expectent reſurrectionem: tum illud etiam monet,nè in Domini aduentu inueſtigãdo nimìs ſint curioſi aut ſoliciti. Idẽ Theodoret.ibid.

QVIS TOTIVS EPISTOLAE SCOPVS.

Evm autem hæc ſcribit in finem,vt leniter corrigat erranres: perfectiores verò commonefaciat,nè rebus cedant aduerſis,néve apoſtolis falſis aliquid præſtent fidei, quin & ipſi potiùs alios corrigant errantes.

PARTITIO. TABVLA 97.

GRATVLATORIA *eſt hæc epiſtola, & in duas diſtribuitur partes: Quarum*

- PRIOR *ad communem pertinet totius Eccleſiæ Theſſalonicenſis laudem, cap.1.2.& 3.*
- ALTERA *priuatorum quorundam notat errores & imperfectiones, quibus D.Paulus commoda adhibet remedia.*

DE LAV-

DE LAVDIBVS THESSALONICENSIVM in communi. TABVLA 98.

PARS PRIMA, *quæ circa laudem verſatur Theſſalonicenſiũ, tria cõtinet capita:*

- GRATIARUM *actionem, qua gratulatur*
  - SIBI, *quòd euangelium ſuum ad Theſſalonicenſes non fuerit in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spirituſancto, & in plenitudine multa.*
  - IPSIS *Theſſalonicenſib⁹ propter affectuam perfectionem in*
    - *Operibus fidei,*
    - *Suſtinētia ſpei,*
    - *Plenitudinē charitatis,*
    - *Et omni virtutum genere.*
    - *Quare effecerunt, vt*
      - *Fides illorum toti innoteſceret orbi.*
      - *Forma eſſent omnibus credentibus.*
      - *Imitatores fierent D. Pauli, cap. 1. per totum.*
- CONSOLATIONEM, *qua in medijs laborũ & moleſtiarum fluctibus ſolatur*
  - *Seipſum,*
    - *Quòd ſuo ad eos aduentu non inanem luſerit operam, cap. 2. in princip.*
    - *Quòd nullos induxerit errores, nec ad fauorem popularem, ſed ad Dei prædicauerit gloriam ea quæ vera ſunt & ſancta. ver. Exhortatio enim noſtra, eod.*
    - *Quòd ab omni adulatione, auaritia & vanæ gloriæ cupiditate, quæ re vera peſtes ſunt religionis peſtilẽtiſſimæ, ſemper alienus fuerit & immunis. verſ. Neque enim aliquandò fuimus.*
    - *Quòd nemini fuerit oneri, nec vllis pepercerit laboribus. verſ. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe. eod.*
    - *Quòd animam ſuam poſuerit pro euangelio. ibid.*
  - THESSALONICẼSES.
    - *Quòd Euangelium non vt hominum, ſed Dei verbum acceperint. verſ. Ideò & nos gratiam agimus. eod.*
    - *Quòd ſicut eadem paſſi ſunt à ſuis perſecutoribus, quæ Apoſtoli à Iudæis: ità cum illis habituri ſint eandem ſpem, idem gaudium, et æqualem gloriæ coronã. ver. Quia eadem paſſi eſtis et vos. vſque in finem cap. 2.*
- AMOREM *D. Pauli erga Theſſalonicenſes ſingularem. Quem teſtatũ illis facit tribus præcipuè argumentis:*
  - *Quòd miſerit illis Timotheum, vt eos per fidem ſuam confirmaret et exhortaretur. cap. 3. in principio.*
  - *A gaudio ſingulari, quod ex felici illorum in fide progreſſu concipiat: verſ. Quoniam nunc viuimus, ſi ſtatis. eod.*
  - *Interceſſione ſua pia et fideli, qua obſecrat, vt Dominus multiplicet eos, et abundare faciat Charitatem, tam inter ſe, quàm erga alios, et corda eorum in aduentum vſque Chriſti corroboret atque confirmet. verſ. Quam enim gratiarum actionem. vſque in fin. cap. 3.*

DE ERRORIBVS ET IMPERFECTIONE quorundam priuata. TABVLA 99.

IMBECILlitati *& erroribus hũanis, qui Chriſti fideles in ſuſcepto ſalutis itinere impedire plerunquè & remorari ſolent, duo D. Paulus adhibet remedia:*

- CORREctionem, *qua reprębendit errantes, & præſertim*
  - FORNICARIOS, *ver. Hæc eſt enim voluntas Dei. eod. cap. 4.*
  - DECEPTORES, *ver. Et nè quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem ſuum. eodem.*
  - OCIOSOS, *ver. Rogamus autem vos fratres, vt abundetis &c. eodem.*
  - SOLICItos nimium De
    - *Morte amicorum, ver. Nolumus autem vos ignorare fratres. vſque in fin. d. cap. 4.*
    - *D.e Iudicij, Qui*
      - *Infidelibus quidem terribilis,*
      - *Fidelibus autem nihil formidandus.*
- EXHORtationem, *vt*
  - *Agnoſcant eos qui in eccleſia laborant, & præſunt in Domino, eosq́ propter opus Euangelij & diligant, & pacem habeant cum eis.*
  - *Corripiant inquietos.*
  - *Conſolentur puſillanimes.*
  - *Suſcipiant infirmos.*
  - *Patientes ſint ad omnes.*
  - *Nè quis malum pro malo alicui reddat, ſed quod bonum eſt, exerceat in omnes.*
  - *Semper gaudeant.*
  - *Sine intermiſſione orent.*
  - *In omnibus gratias agant.*
  - *Spiritum nè extinguant.*
  - *Prophetias nè ſpernant.*
  - *Omnia probent: quod bonum eſt, retineant.*
  - *Ab omni ſpecie mala abſtineant.*
  - *Alius pro alio oret.*
    - SIC *futurũ, vt*
      - *Sanctificentur à Deo pacis per omnia.*
      - *Integer eorum ſpiritus & anima & corpus, ſine querela in aduentu Domini conſeruetur. verſ. Rogamus autẽ vos fratres. vſque in fin. cap. 5. & vltimi.*

EPI-

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECVNda, *De nouiſſimis temporibus, & de aduerſarij, hoc eſt, Antichriſti deiectione, Liber Bibliæ LIX, Secundæ Partis Quarti libri, Nonus.*

ORDINIS RATIO, EX AMBROSIO.

QVONIAM in prima epiſtola ad Theſſalonicenſes data, inter cætera etiam de aduentu Domini quædam ſcripſit, & de reſurrectione ſanctorum: nunc aliam ſcribit ad eos,in qua ſignificat, licèt obſcurè, neq; enim poſſet apertè ſcribere, de abolitione regni Romani, & de Antichriſti apparentia & damnatione, & de quorundam fratrum inquietudine. Ambroſius hic in præfatione.

VBI ET QVANDO SIT SCRIPTA.

NON multò poſt primam ſcripta eſt hæc ad Theſſalonicenſes epiſtola: Theodoret.in præfatione ad omnes D.Pauli epiſtolas. Ab Athenis,vt idem Theodoretus in fine huius docet epiſtolæ,per Titum Diaconem & Oneſimum Acolytū. Hic in Argumento vulgato.

ARGVMENTVM.

HVIVS epiſtolæ ſumma eadem ferè eſt, quæ prioris. Nam vt ibi, ità hic etiam Theſſalonicenſes ad patientiam, qua poteſt maxima hortatur diligentia: oſtendens iuſtum Dei iudicium, vt boni gloriam conſequantur, mali verò pœnam. Gloſſa hic in principio.

CVR BIS SCRIPSERIT AD EOSDEM.

CVM reſciuiſſet diuinus Apoſtolus vtilitatem quam receperant Theſſalonicēſes ex prioribus literis, & quòd grauiter pro fide oppugnati, forti & generoſo animo ferrent aduerſariorum impetus, ad eos quoq; ſcripſit ſecundam epiſtolam, ad virtutem & animi magnitudinem excitans, & ſpe futurorum conſolās, Theodoretus hic in argumento.

Vel (vt Origenes ait) ob eam cauſam, quòd quidam ſub nomine Pauli apoſtoli falſam epiſtolam ſcripſiſſent, vt conturbarent Theſſalonicenſes, quaſi inſtaret dies Domini, & ſeducerent eos. Nam propter hanc epiſtolam dixit: Rogamus vos fratres &c. neque per epiſtolam tanquàm per nos miſſam. cap.2. Ruffin. in apolog. pro Origene hæc citat.

ALIA HVIVS SCRIPTIONIS OCCASIO.

IN Theſſalonica quidam ocioſi & inordinatè viuentes circuibant, ac fratres ſeducebant, quaſi iam tum dies Domini præ foribus eſſet. Seducebant autem audientes eo prætextu, quaſi hoc ab Apoſtolo id manifeſtante,& ab ipſo Spirituſancto audiuiſſent. Athanaſ. in Synopſi.

Hanc ſuſpicionem aliquibus non parùm augere videbatur id, quod ipſe in priori epiſtola ſcripſerat Paulus: Mortui in aduentu eius reſurgent primi, deindè nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul rapiemur cum illis. Quæ verba ità contriſtauerunt eos, vt putarent iam vicinum eſſe diem Domini, timebantq; nè damnarentur, eò quòd tardè ad fidem venientes, imperfecti eſſent. Gloſſa hic in principio.

Atque hunc metum illis diabolus procul dubio ob hanc iniecerat cauſam, vt ſpem illis futuræ adimeret reſurrectionis, & Chriſti ipſius de aduentu ſuo prædictionem, quæ Matth.24.habetur capite, in illorum mentibus irritam faceret

& inanem, atque ſic, quod crudelius eſt, Spiritumſanctum ipſum, quantum in ſe eſt, redderet mendacem. Theophylactus hic in argumento id inſinuat.

Has ob cauſas Apoſtolus Paulus etiam hanc ſcripſit epiſtolam. In qua eos inter cætera, de prædicto Saluatoris noſtri aduentu, his inſtruxit verbis: Rogamus autem vos fratres, inquit, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non moueamini citò à ſenſu veſtro, neq; terreamini, neq; per Spiritum, neq; per ſermonem, neq; per epiſtolam, tanquàm per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nemo vos ſeducat vllo modo. 2. Theſſ. 2.

QVAE SIGNA D. PAVLVS ANTE DIEM extremi iudicij prædixerit euentura.

PRIMVM Chriſtus ipſe multam huic rei diligentiam & curam impendit: & ſedens in monte, de omnibus quæ ad conſummationem ſeculi pertinent, exactè ad diſcipulos diſputat. Quamobrem? nè locus eſſet illis, qui antichriſtos & pſeudochriſtos inducunt. Ponit autem & ipſe multa ſigna, vnum quidem maximũ, dicens: Quandò prædicabitur Euangelium apud omnes gentes. Et aliud quoquè, nè quòd ad eius pertinet aduentum, errarent: Sicut fulgur, inquit, veniet. Quod non in angulo quodam occulitur, ſed vbiq; reſplendet. Non opùs habebit indicatore. ità erit illuſtris, quemadmodùm neq; fulgur neceſsè habet indicari. Chryſoſt. 2. Theſſalon. hom. 1.

Matt. 24.

Signa iudicij extremi.

Dedit etiam Paulus aliud quoddam extremi iudicij ſignum, dicens: Quoniã niſì venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ità vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquàm ſit Deus. Defectionẽ autem, ipſum vocauit Antichriſtum, à re ipſa ei nomine impoſito: conatur enim homines à veritate abducere, & efficere vt deficiant. Theodoretus. 2. Theſſ. 2.

SCOPVS.

Triplicem Apoſtolus videtur in hac epiſtola ſcopum ſibi habuiſſe præfixum. Vnum, vt bonos & quietos ad patientiam moneret. Alterum, vt inquietos corrigeret. Tertium, vt quæ in præcedenti epiſtola paulo dixerat obſcuriùs, hîc aliquo modo apertiùs oſtenderet. Gloſſ. hîc in princip.

DE PAR-

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD THESSALOnicenſes ſecundæ. TABVLA 100.

ADHVC THESſalonicenſes in fide quidem conſtãtes, ſed de temporibus & momentis magis, quàm par erat, anxios

- *Cõmendat à*
  - *Fidei conſtantia, cap. 1. in princip. verſ. Gratias agere debemus &c. Quoniam ſupercreſcit fides veſtra.*
  - *Mutua charitate, ibid. verſ. Et abundat charitas vniuſcuiuſq.*
  - *Patientia in tribulationibus, verſ. Ità vt & noſipſi. ibidèm.*
  - *Merito vitæ æternæ. verſic. Vt digni habeamini. eod. vbi etiam de bonis diſſerit malorum, & pro martyrij orat honore atque dignitate. vſque in fin. cap. 1.*
- *Leniter repræhendit, magìs tñ ſolatur & p̃munit adverſùs timorem de die iudicij extremi,*
  - *Quòd tam citò non ſit ventura, quàm illi credere ac nimiùm formidare videbantur, cap. 2. in princip. verſ. Vt non citò moueamini, neque terreamini.*
  - *Quòd eam p̃ceſſura ſint hæc ſigna:*
    - *Diſceſſio primùm ab imperio, ſcilicet Romano, & obedientia eccleſiæ Romanæ.*
    - *Deindè homo peccati, & filius perditionis, id eſt, Antichriſtus. verſ. Nè quis vos ſeducat. eod.*
  - *Etſi eius ſpeciem habere poterat, qui tum ſæuiebat in Chriſtianos Nero, non tamen illum verum eſſe Antichriſtum. verſ. Et nunc quid detineat, ſcitis. eod.*
  - *Deum priùs Antichriſti fraudem & dolum reuelaturum. verſ. Et tunc reuelabitur ille iniquus. d. cap. 2.*
- *Monet duo maximè neceſſaria:*
  - *Primum, vt caueant ſibi à ſocietate & conuerſatiõe pſeudoapoſtolorum, inordinatè & non ſecundùm traditionem verè apoſtolicam viuentium, & ipſum potiùs imitentur Paulum, cap. 3. à princip. vſque ad verſ. Vos autem fratres. Vbi iterùm inuehitur in homines ocioſos, publicam eccleſiæ tranquillitatem perturbantes.*
  - *Secundũ, nè deficiant in bono: Et, ſi quis non obediat Euãgelio, vt eum notent per epiſtolam, nec conſuetudinem habeãt cum eo. Ità tamẽ, vt magìs vitia fugiant quàm hominem: nec oderint vt inimicum, ſed corripiant vt fratrem. à d. verſ. Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. vſque in fin. ca. 3. & vltimi.*

QVAM OB REM HOS DISCIPVLOS PAVLVS TVM demùm, cùm eis Eccleſiæ gubernacula commiſerat, & non potiùs anteà, reddiderit inſtructos.

SIC enim dicto in loco vlteriùs quærit Chryſoſtomus: Cur autem diſcipulo, inquit, qui iam in magiſtri tranſierat ordinem, hanc epiſtolam ſcribit? Nonne anteà perficiendus erat, quàm præficiẽdus eccleſiæ? Quòd ſi iam perfectus erat, ſuperfluò illi hanc epiſtolam ſcribit. Sed enim doctrina illi opùs erat, non eadẽ, qua diſcipuli inſtruebantur, verùm quæ magiſtro præceptoriq́; congrueret. Videas nanq; illum per totam epiſtolam, doctori congruam inferre doctrinam, ſtatimq́; ex ipſis initijs non ait, Nè intendas his qui aliter te docent: ſed quid? Vt eos admoneas, non docere aliter. Chryſoſt. ibid.

VBI ET QVANDO EDITA SIT HAEC epiſtola.

CLARVM eſt, quòd quandò ſecundò ex Epheſo venit B. Paulus in Macedoniã, tunc illic optimum Timotheum reliquit, vt eorum curam gereret, qui ſalutarem prædicationem ſuſceperant. Theodoretus in omnes D. Pauli epiſtolas.

ARGVMENTVM EX ATHANASIO IN Synopſi.

IN hac epiſtola Paulus, inter cætera de quibus inſtruit Timotheum ſuum per Aſiam epiſcopum, Canones illi præſcribit eccleſiaſticos: De conſtituendis epiſcopis, presbyteris, & diaconis. Quomodò hi ſeſe gerere, quales eſſe, & quid præcipuè in eccleſia pro ſtatu & conditione omnis generis hominũ docere debeant. Ex quibus etiam, quis huius epiſtolæ ſit ſcopus & intentio, facilè quiuis intelligere & cognoſcere poterit.

DE PARTIBVS PRIMAE AD TIMOTHEVM epiſtolæ. TABVLA 101.

EPISCOPI *officiũ conſiſtit in*
- *Defenſione doctrinæ ſanæ, cap. 1. per tot.*
- *Oratione, tot. cap. 2.*
- *Impoſitione manuum ſeu ordinum collatione, integro cap. 3.*
- *Honeſtate vitæ. cap. 4.*
- *Liberalitate erga pauperes. à princip. cap. 5. vſque ad verſ. Aduerſùs presbyterum.*
- *Iuriſdictione eccleſiaſtica. à d. verſ. vſque in finem cap. 5.*
- *Prædicatione Euangelij, cap. 6.*

DE VER-

DE VERBI DEFENSIONE.

TABVLA 102.

SANAM DOctrinam D. Paulus eam eſſe affirmat, quæ eſt ſecundùm Euãgelium gloriæ beati Dei, quod ipſi erat creditũ. cap. 1. verſic. Scimus autẽ. Cuius

- *Summa conſiſtit*
  - *Non in tractatione*
    - *Fabularum*
    - *&*
    - *Diſputationum de genealogijs interminatis, ca. 1. in princip.*
  - *Sed in prædicatione ad ædificationem Dei, quæ eſt in*
    - *Fide*
    - *&*
    - *Charitate, quæ finis eſt præcepti, verſ. Quæ quæſtiones. eod.*
  - *Et in diſcrimine legis & Euangelij. Nam*
    - *Lex impio, non autem iuſto, hoc eſt, iam per fidem Chriſti & grati Dei iuſtificato poſita eſt, q ea velut pædagogo indigeat, vt legis terrore iuſto incitetur ad benè agendum, ſed ſpontè & ex charitate Dei præcepta ſeruat.*
    - *Euangelium autem datum eſt omni credẽti, in tanta abundantia, vt qui illud ſeruauerit, vnà etiam adimpleuerit totum, quidquid habet lex boni d. verſ. Scimus eod.*
- *Effectus ſunt*
  - *Gratia Domini noſtri cum fide & dilectiõe, quæ eſt in Chriſto Ieſu. verſ. Superabundauit autem gratia. eod.*
  - *Remiſſio peccatorum. verſ. Fidelis ſermo. eod.*
- *Modus docẽdi ac veræ illius doctrinæ nõ tãtùm conſeruãdæ, ſed etiã propagandæ ratio duplex. Quarum*
  - *Prima exemplis eorũ qui conuertuntur ad fidẽ, quod D. Paulus ex ſua declarat vocatione. Nam ob id maximè ſe ex blaſphemo & perſecutore conuerſum eſſe aſſerit, vt in ſe primo Chriſtus oſtenderet omnem patientiã ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitã æternam. verſ. Gratias ago ei &c. eod.*
  - *Secũda, Prædicatio ex*
    - *Corde puro,*
    - *Cõſciẽtia bona,*
    - *Fide non ficta.*
    - — *in princ. & in fine cap. 1.*

DE ORATIONE. TAB. 103.

ALTERũ paſtoris officiũ eſt: orationi vacare, qua de re D. Paulus monet tria:

- *Quales eſſe debeant preces Chriſtianorũ, q̃ diuiduntur in*
  - *Obſecrationes pro ijs rebus, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ, cap. 2. in princip.*
  - *Gratiarum actiones pro beneficijs acceptis. Ibid.*
- *Pro quibus faciendę ſint precationes. Orandum eſt autẽ pro*
  - *Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam ſub illis & tranquillam agamus vitam in omni pietate & caſtitate. ibidèm.*
  - *Omnibus hominibus, vt ad agnitionem veritatis perueniant. Nam & Deus ipſe omnes vult ſaluos fieri. Eodem loci.*
- *Quo ritu ſit orandum. Nã*
  - *Viros vult orare in omni loco, leuantes puras manus, ſine ira & diſceptatione. verſ. Volo ergò viros. d. cap. 2.*
  - *Mulieres verò in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate, nõ in tortis crinibus aut auro vel veſte precioſa. ver. Similiter & mulieres. eod.*
  - *Docere autem mulieri, aut dominari in virum, permittit nunquàm. verſ. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. eod.*
  - *Nec tamen ob id deterior mulierum conditio cenſeri debet: Saluabuntur enim & ipſæ per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. verſ. Saluabitur autem. vſque in fin. cap. 2.*

DE MI-

DE MINISTRIS ECCLESIAE ORDINANDIS.

TABVLA 104.

- QVANTVM *ad Eccleſiæ miniſtros attinet, diuus Paulus hoc loco*
  - PRIMVM *deſcribit qualitates*
    - *Epiſcopi, in quo requiruntur tria,*
      - *Vt ſit irrepræhēſibilis, vnius vxoris vir, ſobrius, prudens, ornatus, pudicus, hoſpitalis, doctor: nō vinolentus, non percuſſor, ſed modeſtus: non litigioſus, non cupidus, cap. 3. in princip.*
      - *Qui benè poſſit domui ſuæ præeſſe. Ibid.*
      - *Et teſtimonium habeat ab ijs, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli. verſ. Oportet. eod.*
    - *Diaconis, qui & ipſe vnius vxoris vir ſit, & benè præſit & filijs & domibus ſuis. verſ. Diaconos ſimiliter. eod.*
  - DEINDE
    - *Pollicetur ijs qui benè adminiſtrauerint,*
      - *Bonum gradum.*
      - *Fiduciam in fide multam, quæ eſt in Chriſto Ieſu. verſ. Qui enim benè. eod.*
    - *Rationem reddit Timotheo, cur hæc ad eum perſcripſerit, vt ſi vlterius non conueniat, ſciat nihilominus, quomodò oporteat eum verſari in domo Dei, quæ eſt eccleſia Dei, columna & firmamentum veritatis. verſ. Hæc tibi ſcribo. vſque in fin. cap. 3.*

DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM.

TABVLA 105.

- REQVIRIT *D. Paulus non tantùm in Epiſcopo, ſed in quouis ſacerdote & clerico, vt bonus ſit miniſter. c. 4. ver. Hæc proponēs fratribus. Quod futurum ait,*
  - *Si caueant ſibi ab impoſturis eorū, q diſcedūt à fide. d. c. 4. in princip. vbi mores deſcribit hæreticorum. Quòd ſint*
    - *Attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentiū mendacium.*
    - *Cauteriatam habentes conſcientiam.*
    - *Prohibentes licita & permiſſa, vt nubere & abſtinere à cibis: Ibid.*
  - *Si ineptas & aniles deuitēt fabulas, & ſe ad pietatem potiùs exerceant. Quæ ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ verſ. Ineptas autem &c.*
  - *Si bonum exhibeant fidelibus exemplum in*
    - *Verbo,*
    - *Conuerſatione,*
    - *Charitate,*
    - *Fide,*
    - *Caſtitate, verſ. Nemo adoleſcentiam tuam.*
  - *Si attendant*
    - *Lectioni,*
    - *Hortationi,*
    - *Doctrinæ. verſ. Dum venio ad te. eod.*
  - *Si obſeruent gratiam, quæ data eſt illis*
    - *Per Prophetiam,*
    - *Cum impoſitione manuum presbyterij. verſ. Noli negligere gratiam. eodem.*
  - *Hæc facientes, ſaluos facient &*
    - *Seipſos,*
    - *&*
    - *Alios omnes, qui eos audiunt. verſ. Hoc enim in fine d. cap. 4.*

DE BO-

DE BONIS ECCLESIAE IN VSVS PAVPERVM diſtribuendis. TABVLA 106.

IN HAC parte D. Paulus

- *Præmiſſa priùs admonitione de moribus erga*
  - *Seniores non increpandos, ſed vt parentes obſecrandos:*
  - *Iuuenes, vt fratres:*
  - *Anus, vt matres:*
  - *Iuuenculas, vt ſorores in omni caſtitate, cap.5. in principio.*
- *Agit de liberalitate epiſcoporũ, vbi præcipit, ex bonis eccleſiæ ali debere*
  - *Viduas (quibus hodie ſuccedũt potiſſimũ pauperes religioſi) non quidem ſine diſcrimine oẽs, ſed eas*
    - *Quæ verè ſint viduæ & deſolatæ.*
    - *Quæ inſtant obſecrationibus & orationibus nocte & die.*
    - *Non quæ in delicijs viuunt.*
    - *Sed quæ ſunt irrepræhenſibiles, & probatæ in regimine domus ſuæ.*
    - *Non minùs 60. annorum, quæ vnius viri fuerit vxor, in bonis operibus teſtimonium habens.*
    - *Non fornicariæ, nec verboſæ, curioſæ aut vagæ, verſ. Viduas honora, hoc eſt, vt D. interpretatur Auguſtinus, iuua & ſubleua. d. cap.5.*
  - *Presbyteros & prædicatores eos, qui benè præſunt. Nam hi duplici digni ſunt honore, maximè qui laborant in verbo & doctrina. verſ. Qui benè præſunt. eod.*

DE IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA. TABVLA 107.

IVRISDICTIO *Eccleſiaſtica verſatur circa*

- *Authoritatem coercendi delicta, in qua hæ ſeruandæ ſunt regulæ:*
  - *Non quamlibet accuſationem contra presbyteros admittendam, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, verſ. Aduerſus presbyterum. d. cap.5.*
  - *Publicè peccantes, publicè arguendos. verſ. Peccãtes coram omnibus. eod.*
  - *Nè in alteram partem declinet iudex. verſ. Teſtor coram Deo. eodem.*
  - *Iudicem debere eſſe irrepræhenſibilem, nè, dum alios iudicat, ſeipſum cõdemnet. verſ. Teipſum caſtum cuſtodi. eod.*
- *Manuum impoſitionem: Vbi cauendum præcipit,*
  - *Nè citò alicui manus imponat. verſ. Manus citò. eod.*
  - *Nec peccatis communicet alienis. Ibidem.*

TABVLA 108.

PRAEDIcatoris partes, de quibus hîc quidem fit mẽtio, ſunt duæ:

- *Retinere populũ in officio. Et quia hominũ alij alijs aut*
  - *Subſunt, admonet eorum officiũ eſſe, obedire & reuerentiã exhibere dominis, non tantùm*
    - *Fidelibus,*
    - *ſed etiam*
    - *Infidelibus, cap.6. in princip.*
  - *Præſunt, & quia plerũquè ſunt diuites, monet eos*
    - *Primùm, diuitias nõ affectare. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum, verſ. Habentes autem. eodem.*
    - *Deindè, ſi honeſto modo contingant, quomodò eis ſit vtendum: Nè ſcilicet ſperent in incerto diuitiarũ, ſed ſtudeant diuites fieri in bonis operibus. verſic. Diuitibus huius ſeculi præcipe.*
  - *Vtriuſque verò generis homines varijs diſtinguuntur conditionibus & qualitatibus. Quibus triplicem ſcribit regulam:*
    - *Fugere cupiditatem, quæ radix omnium eſt malorum, verſ. Radix. eod.*
    - *Sectari*
      - *Iuſtitiam,*
      - *Pietatem,*
      - *Fidem,*
      - *Charitatem,*
      - *Patientiam,*
      - *Manſuetudinem.*
    - *Perſiſtere in vocatione ad quam quiſque vocatus eſt, verſ. Certa bonum certamen fidei.*
- *Sanam tueri doctrinã, cuius rei ſumma quatuor conſtat p̃ceptis.*
  - *Inanes fugiant quæſtiões & pugnas verborũ, ex quibus oriuntur*
    - *Inuidiæ,*
    - *Contentiones,*
    - *Blaſphemiæ,*
    - *Suſpiciones malæ,*
    - *Conflictationes hominũ ſeditioſorum. ver. Hæc doce & exhortare. ibid.*
  - *Mandatum Dei ſeruent ſine macula irrepræhenſibile, vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. d. verſ. Certa bonum certamen.*
  - *Depoſitum, hoc eſt, doctrinam ab apoſtolis traditam cuſtodiant. verſ. O Timothee, eod.*
  - *Prophanas deuitent vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Eodem verſ. O Timothee. dicti cap.6. & vltimi.*

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM SEcunda,

quomodò paſtoribus eccleſiæ pro animarum ſalute ſit certandum, ſiue de Martyrio pro vera fidei catholicæ doctrina libenter ſuſcipiendo, Liber Bibliæ LXI, Secundæ partis quarti libri, vndecimus.

ORDINIS RATIO.

Etsi inter hanc poſteriorem,& illam ad Timotheum priorem epiſtolam, editæ ſunt epiſtolę ad Titum,ad Romanos,ad Galatas,ad Philippenſes,ad Epheſios,ad Coloſſenſes,ad Philemonem & Hebræos,quæ omnes hanc ſecundam ad Timotheum epiſtolam temporis ordine præcedunt,adeò vt prior illa ordine quinta, hæc verò omnium ſit poſtrema:tamen optima ratione hæc poſt illam à Maioribus noſtris collocata eſt.

Quantalibet enim quiſque,vt piè ſcribit hoc loco Chryſoſtomus,animi virtute polleat,cùm tamen clauum & eccleſiæ gubernacula ſuſcipit, inſperatis fluctibus quatitur,& varijs vndiquè negocijs actus,penè ſubmergitur. Quod cũ ſemper aliâs ferè contingit,tum in ipſo prædicationis initio neceſſariò fiebat, cùm omnia eſſent plena periculis,cũ maria vndiquè & vndiq; cælũ,cũ pſecutiõibus & inimicitijs cuncta feruerent,cùm omnia ſimul obſiſterent,cùm prætereà ex Iudaicis obſeruationibus hæreſes inchoarent,quas & in priore ſignauit epiſtola.

Cùm ergò de officio epiſcopi atque adeò cuiuſuis verbi Diuini prædicatoris dignitate in prima ad Timotheum actum ſit epiſtola,rectè nunc ſequitur ſecunda,in qua de perſecutionibus,inuidia,exilio,damnis & mille alijs agitur veri paſtoris periculis, ad quorum aculeos leniter patienterque perferendos, Paulus epiſcopum ſuum Timotheum atque bonos eccleſiæ doctores omnes admonere voluit.

VBI ET QVO TEMPORE SIT EDITA.

Hanc epiſtolam omnium quas ſcripſit Paulus, eſſe poſtremam, & ab eo iam ex hoc mundo tranſituro Roma ex vinculis ad Timotheum fuiſſe tranſmiſſam, cõſtans omnium ferè ſanctorum eſt hoc loco patrum ſententia: videtur enim tũc eam ſcripſiſſe,cùm eſſet proximus fini. Ego enim,inquit,iam delibor,& tempus meæ reſolutionis inſtat. Et iterùm: In priore mea defenſione nullus mihi adſtitit. Chryſoſt. hîc in d. principio. Ambroſius item, Theodoretus, Theophylactus & Anſelmus ibidèm.

QVA OCCASIONE HANC SCRIPSERIT epiſtolam.

Qvid ſibi vult,quòd ſecundam quoq; ad Timotheum epiſtolam ſcribit? Dixerat, ſpero celeriùs venire ad te. Fruſtratus ille ſpe & expectatione ſua,conſolatur eum literis,corporalis pręſentię vice,fortaſsis ob hoc ipſum mœrentem,& quòd iam gubernationis onus ſubijſſet. Chryſoſt. homil. 1. ſuper hanc epiſtolam.

SCOPVS.

Hoc agit in hac epiſtola Paulus,vt Timotheum roboret contra falſos prædicatores,& eum de omni primùm regula veritatis,deindè etiam de his,quæ vltimis futura ſunt temporibus,ac poſtremò de ſua inſtruat paſſiõe. Breuiter,ſuo ipſius exemplo hortatur illum ad martyrium, pro fide fortiter ſubeundum. Anſelmus in præfatione huius 2. ad Timotheum epiſtolæ.

ARGVMENTVM.

In vinculis exiſtens Paulus,fecerat iam ſecundam coram Nerone confeſſionem. Ex qua re facilè colligere poterat,nihil ſibi ſupereſſe aliud, quàm martyriũ, atq; ipſam adeò mortem. Quamobrem Timotheo fidei negocium hac epiſtola commendat, ac veluti teſtamento relinquit,vt ſi ei, quod timebat, accideret, idem Timotheus ſibi in apoſtolatum ſuccederet. Petrus Aureolus.

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD TImotheum ſecundæ. TABVLA 109.

IN HAC ERgò epiſtola Paulus in Apoſtolatu ſuo ſubſtituit Timotheum. Quam ſubſtitutionem vt in ſe recipiat, conatur ei perſuadere à

- *Sua in Timotheum fiducia, quam conceperat erga illum iamdudùm propter fidem non tantùm ſuam, ſed etiam matris eius & auiæ non fictam. cap. 1. poſt princip.*
- *Gratia diuina, quam ipſe Timotheus à D. Paulo per manuum impoſitionem vberiorem alijs acceperat, ſpiritum ſcilicet non timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis, verſ. Propter quam cauſam. eodem.*
- *Neceſſitate: Quia non Phygellus tantùm & Hermogenes, ſed omnes, quotquot in Aſia erant diſcipuli, ab ipſo auerſi fuerant, verſ. Bonum depoſitum cuſtodi. vſque in finem d. cap. 1.*
- *Comparatione ad*
  - *Militem, qui debet eſſe ſtrenuus.*
  - *Athletam, in quo legitimum requiritur certamen.*
  - *Agricolam, qui debet eſſe in laborando ſolicitus, vt in fructibus percipiendis ſit primus, cap. 2. verſ. Labora &c.*
- *Spe futuræ gloriæ, ad quam vt congregentur, quantùm fieri poſſit, omnes, bono paſtori omnia ſuſtinenda ſunt. Si enim commortui ſumus, & conuiuemus: Si ſuſtinebimus, & conregnabimus, verſ. Memor eſto. eodem.*
- *Petulantia & procacitate hæreticorum, quæ veritatis ſtudio refrenanda eſt, & compeſcenda, verſ. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile eſt. vſq. in fin. cap. 2.*
- *Multitudine improborum hominum, qui ſunt in diebus nouiſſimis graſſaturi. Contra quos ità ſe armare debet Timotheus, & paſtor quilibet bonus & fidelis: Primùm, vt eos deuitet. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus. Deindè, vt permaneat in eis quæ didicit, & credita ſunt ei. Deniquè, vt ſacræ ſcripturæ ſe muniat authoritate. cap. 3. per tot.*
- *Periculis imminentibus*
  - *In genere omnibus. Futurum enim eſſe ait, vt hæretici quidam ſanam doctrinam deſerant, & à veritate ad vanas conuertantur fabulas. Quos arguere, obſecrare, & increpare debent epiſcopi. cap. 4. in principio.*
  - *Sibi, martyrij ſcilicet & mortis: Ego enim iam delibor, ait, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Eodem cap. 4. & vltimo. Quæ verò indè in finem vſque huius ſequuntur epiſtolæ, familiaria quædam ſunt, quæ ideò D. Paulus Timotheo communicat, vt ſuum ad ſe aduentum maturet.*

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD TITVM, DE VITA ET

honeſtate clericorum, Liber Bibliæ LXII, Partis ſecundæ Libri quarti, duodecimus.

RATIO ORDINIS.

VT in præcedentibus epiſcopos inſtituit Paulus, ità in hac epiſtola, quales non ipſi tantùm epiſcopi, ſed eorum etiam in ſpiritualibus miniſtri, ſacerdotes, diacones, & clerici omnes eſſe debeant, ediſſerit. Ex ſententia Petri Aureoli.

ALIA CONTINVATIONIS RATIO.

NON ſolùm ijs qui in continenti, ſed etiam q in inſulis habitabant, diuinus Apoſtolus doctrinam impartitus eſt ſalutarem. Theodoret. hîc in argum. Nam ea intentione Titum apud Cretenſes epiſcopum reliquerat, vt vniuerſam inſulã Cretam regeret & doceret. Eius verò gubernationis modum illi in hac breui præſcribit epiſtola. Anſelmus in præfatione ad Titum.

DE TITO.

VNVS ex Pauli ſocijs hic vir fuit probatus: neq; enim profectò illi integram inſulam permiſiſſet, neque ea quæ deerant, præcepiſſet implenda: (ait enim: Vt quæ deſunt, corrigas) & tam multorum epiſcoporũ iudicium commiſiſſet, niſi multũ illi confideret. Chryſoſt. hîc in princip. cap. 1.

CVIAS TITVS FVERIT, ET QVALIS.

AIVNT autem quidam hunc iuuenem fuiſſe, idcircò quòd ad eum ſcribens Paulus, eum filium vocet: ſed hoc ſanè non ſatis manifeſtum eſt. Arbitror autẽ ipſius etiam in Actibus Apoſtolorum fieri mentionem. Erat autem fortaſsè Corinthius, niſi alius aliquis apud eos fuerit eodem nomine. & Zenam quidẽ ad ſe aduocat, atque Apollon mitti cupit, hunc autem non: nanque coram Cæſare plus illis fortitudinis atque virtutis fore teſtatur. Idem Chryſoſt. ibidèm.

DE EODEM, EX ISIDORO.

TITVS Pauli diſcipulus, & in baptiſmo ſpiritualis filius, natione Græcus, ex gentibus ſolus à Paulo circuncîſus poſt Euangelium: quem ad inſtruendas Eccleſias reliquit Apoſtolus Cretæ, ibíque in pace defunctus eſt atq; ſepultus. Iſidorus de patribus noui Teſtamenti.

CRETENSES QVI ET VNDE DICTI fuerint.

CRETENSES dicti fuerunt à Creta, quæ maxima erat inſula, quam Apoſtolus cognitionis luce illuminauerat. Theodoretus hîc in argumento.

CVR BREVIVS TITO QVAM ALIIS ſcripſerit Paulus.

BREVEM ſcribit epiſtolam meritò, quod virtutis teſtimonium fuit ipſius Titi: neque enim is ille erat, cui verbis plurimis opùs eſſet, ſufficiebatque illũ tantùm breuiter admoneri. Chryſoſt. ad Tit. cap. 1.

VBI ET QVANDO SIT SCRIPTA.

Ex Nicopoli data fuit hæc epiſtola,ſtatìm poſt illam ad Timotheum priorem,ſic vt numero ſit ſexta. Cùm enim in Macedoniæ locis Paulus ageret, iuſſit Tito vt ad ſe veniret. Sic autem dicit: Cùm miſero ad te Arteman vel Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: Ibì enim ſtatui hyemare. ad Tit.3. Dicunt autem Nicopolim eſſe vrbem Thraciæ,& eſſe Macedoniæ propinquã. Theodoretus in præfatione ad omnes D. Pauli epiſtolas. Sita eſt autem in Actiaco littore. Anſelmus ibidèm.

DE EODEM, EX CHRYSOSTOMO.

Videntvr autem mihi, inquit, tempora quædam media intercesſiſſe, Paulumq́; dum iſta ſcriberet, in libertate fuiſſe. Nihil enim de tentationibus loquitur, cæterùm aſſiduè Deo gratias verſat, quæ credentibus erat ſufficiens conſolatio ad incitamentum virtutis: nanque cùm diſcerent, quæ ſuis meritis deberentur, & ad quæ per gratiam vocati eſſent, non minimum ex hoc ſolatium capiebant.

Videtur autem mihi eam præcedere, quam ad Timotheum (ſecundò) ſcripſit: illã etenim inſtante morte ſcripſit: hic aũt liber & abſolutus eſſe depræhenditur. Nam quod ait, decreui hyemare Nicopoli, ad Tit.3. certum argumentũ eſt, quòd necdùm in vincula fuerit coniectus: illic autem vinctum ſe aſſiduè vocat. Chryſoſt. cap.1. hîc in princip.

CVR HIC PAVLVS INCREPARIT IVDAEOS.

Invehitvr etiam aduersùs Iudæos: quòd ſi in totam gentem inuehitur, nihil eſt quod mireris: & hoc enim ipſum, ſcribens ad Galatas, facit: O inſenſati, inquiens, Galatæ. Porrò hoc non contumelioſi erat affectus, ſed amoris propenſioris. Nam ſi ſuî gratia iſtud feciſſet, meritò quis illi crimen inureret: Sin verò ignitus & zelo fidei feruens, & gratiam prædicationis inſinuans, ità loquitur, non iniurioſè id facit. Nanque & Chriſtus multa & ſæpenumerò Phariſæis ac ſcribis criminatur. Verùm non ſuîjpſius gratia, ſed ideò, quòd alios omnes perderent. Chryſoſt. ibidèm.

ARGVMENTVM EX THEODORETO.

Primvm quidem docet, quales eſſe oporteat eos, quibus creditum eſt diuini ſacrificij munus. Deindè etiam accuſat aliquos, qui ex Iudæis crediderant, qui ſalutarẽ prædicationem conabantur corrumpere. Ac diuinæ tandèm meminit Oeconomiæ, eius etiam oſtendens cauſas. Theodoretus in argumento ad hanc, quæ Tito inſcripta eſt, epiſtolam.

DE PARTIBVS EPISTOLAE AD TITVM.

TABVLA 110.

DVO *ſunt, quæ D. Paulus pertractat in hac epiſtola:*

- PRIMO *cauſam explicat Tito, cuius rei gratia reliquerit eum Cretæ, vt ſcilicet ea quæ deſunt corrigat, & per ciuitates presbyteros conſtituat, ità vt idem ſibi diſpoſuerat Paulus. verſ. Huius rei gratia. cap. 1.*
- DEINDE *inſtruit eũdem,*
  - *Quales debeat ordinare epiſcopos & presbyteros, in quibus requiritur, vt ſint*
    - *Sine crimine. d. verſ. Oportet &c. Hoſpitales, benignos, &c. ibidem.*
    - *Potentes exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere, verſic. Vt potens.*
  - *Moribus & officijs*
    - *Presbyterorum, & epiſcoporum, vt*
      - *Loquantur quæ decent ſanam doctrinã, cap. 2. in principio.*
      - *In omnibus præbeant ſe exemplum bonorum operum &c. vt qui exaduersò eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de illis, verſic. In omnibus. d. cap. 2. Item verſic. Fidelis ſermo. & verſic. Diſcant. circa fin. cap. 3.*
    - *Senum, vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia, verſ. Senes. d. cap. 2.*
    - *Anuum, vt ſint in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſeruientes, verſ. Anus. eodem.*
    - *Adoleſcentularum, vt viros ſuos ament, ſint prudentes, caſtæ, ſubditæ viris, vt non blaſphemetur verbum Dei, verſ. Adoleſcentulas. eod.*
    - *Iuuenum, vt ſobrij ſint, verſ. Iuuenes. eod.*
    - *Seruorum, vt dominis ſuis ſint ſubditi in omnibus, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, verſ. Seruos dominis. eod.*
    - *Omnium Chriſtianorũ, vt principibus & poteſtatibus ſint ſubditi, ad omne opus bonum parati, nõ blaſphemi, non litigioſi, ſed modeſti, omnem oſtendentes manſuetudinem erga omnes homines. cap. 3. in principio.*
  - *Quæ vera ſit Chriſtianæ religionis doctrina de*
    - *Fide: Cuius ſumma ſub his breuiſſimis verbis comprehenditur: Apparuit enim gratia, inquit, Dei & Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo: expectãtes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populũ acceptabilẽ, ſectatorẽ bonorum operum. ver. Apparuit enim. vſq; in fin. ca. 2.*
  - *Quomodò tractandi ſunt*
    - *Falſi Chriſtiani, qui vniuerſas ſubuertunt domos, turpis lucri gratia docentes quæ non oportet, ſunt redarguendi.*
    - *Extranei ſeu à fide Chriſtiana alieni, manſuetè & leniter monendi. d. princip. cap. 3.*
    - *Heretici poſt vnam atque alteram correptionem deuitandi. verſ. Hereticum hominem. d. cap. 3. & vltimo.*

EPISTO-

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM DE

pœnitentibus iterùm in gratiā recipiendis, Liber Bibliæ LXIII, Partis ſecundæ libri quarti, decimuſtertius.

RATIO ORDINIS.

Nè quis putet apud Deū vllum eſſe reſpectum perſonarū, non abſq; ſingulari factum eſt ſpiritusſancti conſilio, quòd à Maioribus noſtris etiā hęc epiſtola in hūc ordinē ſit collocata: vt dum videmus Apoſtolū, hominis etiā ſerui, & fugitiui; & furis, tam diligentē habere curā, certiſſimum indè capiamus argumentū, nemini viam, neq; ad doctrinam fidei, neq; ad gratiam ſalutis ęternę conſequēdam, vllo vnquàm tempore fuiſſe pręcluſam, iuxta mentem Theodoreti hîc in argumēto.

ARGVMENTVM.

Commendatitia eſt hæc epiſtola tota. Aufugerat enim à Philemone ſeruus Oneſimus, rebus quibuſdam furto ſecum ablatis. Is cùm Romam fortè veniſſet ad D. Paulum, & ab eo dum erat in vinculis, fuiſſet baptizatus, tantum profecit, vt dignus haberetur cui prędicationis poſteà committeretur officium. Quamobrem Paulus eum Philemoni cum hiſce remittit literis, ac ità cômendat, vt eum in gratiam priùs receptum, non tantùm aſſerat liberum, ſed etiam complectatur vt fratrem. Eam enim eſſe huius epiſtolę ſummā teſtantur omnes, quotquot eam iuſtis illuſtrârunt commentarijs.

PHILEMON QVIS FVERIT.

Philemon &ſi Phryx fuerit genere, moribus tamē fuit fidelis. Theophylact. hîc in prolog. de quo circa principium huius epiſtolæ ſic ſcribit Chryſoſt. Philemon quidam vir fidelis ac nobilis. Quòd enim fuerit virtute mirabilis, ex eo inprimìs conſtat, quòd domus quoquè eius omnis fidelis erat, atque adeò fidelis, vt eccleſia etiam appellaretur. Quocircà ſcribit ad eum Apoſtolus: Saluta & eccleſiam quæ eſt in domo tua. atteſtatur autem & illi ſingularis obediētię meritū, & quòd in eo viſcera ſanctorum quieuerunt: ipſe quoquè in hac epiſtola admonet, vt ſibi hoſpitium paret: ideò mihi videtur illius domus, ſanctorum fuiſſe diuerſorium. Chryſoſt. in argumento in epiſtolam ad Philemonem.

DE ONESIMO.

Onesimvs ſernus fuit Philemonis, qui fugerat dominum, quibuſdam rei domeſticæ compilatis. Nam quòd furatus quędam ſit, audias Apoſtolum ſic dicentem: Si quid autem te læſit, aut debet, ego perſoluam. Chryſoſt. in arg. Eundem autē Oneſimum B. Paulus epiſcopum ordinās, prędicationisq́; verbum ei cōmittens, apud Epheſiorum ciuitatem reliquit: cui epiſcopus poſt beatum Timotheum & ipſe reſedit. De quo & beatus Ignatius Epheſijs ſcribēs epiſtolam, ità dicit: Quoniam ego ſuſcepi multitudinem veſtram in nomine Domini, in Oneſimo dilecto pręceptore noſtro, veſtro autem epiſcopo. Obſecro eum ſecūdùm Chriſtum Ieſum diligere vos, & vos oēs in cōcordia eius in ipſo eſſe. Benedictus enim Deus, qui vobis talibus talem epiſcopum donauit habere in Chriſto. Hic Romam perductus, atque ibì pro fide Chriſti lapidatus, ſepultus eſt Chriſti martyr primū ibì: deindè ad loca vbì fuerat ordinatus epiſcopus, corpus eius delatum. Ado Treuirenſ. in martyrologio, 14. Calend. Martij.

VBI ET QVANDO SCRIPTA SIT HAEC EPISTOLA.

Romae ſcripſit Paulus hanc epiſtolam, dum ibì in Neronis detineretur vinculis. Edita autem eſt ante epiſtolā ad Philippenſes, mox poſt eam, quæ ad Galatas ſcripta eſt. Theodoretus in pręfatione ad omnes D. Pauli epiſtolas. Miſſa verò per Oneſimum, vt ex hisipſis patet literis.

CENSVRA D. HIERON. DE EPISTOLA PAVLI AD PHILEMONEM.

De hac epiſtola ſic loquitur Hieron. Volunt aliqui hanc epiſtolam q̄ ſcribitur ad Philemonem, aut nō eſſe Pauli, aut etiamſi Pauli ſit, nihil habere quod ædificare

nos poſſit,& ob id à pleriſque veteribus repudiatam, dum commendādi tantùm ſcribatur officio,non docendi.

AT è contrario,qui germanę authoritatis eam eſſe defendunt,dicunt nunquàm in toto orbe à cunctis eccleſijs fuiſſe ſuſceptam, niſi Pauli Apoſtoli crederetur. Hieron.in pręfat.ad Philemonem.

DE EIVSDEM EPISTOLAE SIMPLICITATE ac breuitate.ex eodem.

SED mihi videntur,dum epiſtolam ſimplicitatis arguunt, ſuam imperitiam prodere,non intelligentes quid in ſingulis ſermonibus virtutis ac ſapientię lateat.

SI autem breuitas habetur contemptui,contemnatur Abdias,Nahũ, Sophonias, & alij duodecim Prophetę,in quibus tam mira & grandia ſunt quæ feruntur,vt neſcias vtrùm breuitatem ſermonum in illis admirari debeas,an magnitudinem ſenſuum.

Quod ſi intelligerent hi,qui epiſtolam ad Philemonem repudiant, nunquàm breuitatẽ deſpicerent:quę pro laciniosis legis oneribus,euangelico decore conſcripta eſt,dum breuiatum conſummatumque ſermonem facit Dominus ſuper terram.Hieron.in prooemio Commentariorum in hanc epiſtolam.

QVAE HVIVS EPISTOLAE SINT VTILITAtes, ex Chryſoſtomo.

Spiritualis vitæ actus oēs proſunt omnibus.

CAETERÙM quòd hæc epiſtola nimiùm neceſſariò conſcripta ſit, hac præterea ratione diſcetis. Cùm quis enim ſpiritualiter viuit,huius habitus ipſe,& inceſſus, & verba,& actus,& omnia prorsùs audientibus proſunt,nihilque id impedit aut prohibet fieri. Verùm quod neceſſariò hæc epiſtola miſſa ſit, hinc iam animaduerte,quantumque habeat in ſe vtilitatis.

PRIMA VTILITAS.

PRIMÙM quidẽ nihil negligere monemur hoc exemplo. Si enim Paulus pro fugitiuo fure,pro ſeruo tantum prouidentiæ oſtendit,nec dubitat illum cumulatũ tot laudibus mittere,nihilque veretur:quanto magìs nos conuenit,in huiuſmodi quoquè non eſſe negligentes?

VTILITAS SECVNDA.

DEINDÈ ſeruilem conditionem deſperandam non eſſe, etiamſi vitijs omnibus dederit manus,quādoquidem fur iſte atque fugitiuus adeò virtutibus claruit, vt illum voluërit & Paulus habere ſocium, ſcribensq; ad dominum, dixerit, Vt pro te mihi miniſtret:quanto magìs liberos non eſſe deſperandos?

TERTIA VTILITAS.

TERTIÒ,ſeruos à dominis non oportere abſtrahi.Nam ſi Paulus, qui ità Philemoni confidebat,Oneſimum ſibi adeò vtilem & neceſſarium ad miniſterium tenere noluit pręter ſententiam domini: multo ſanè magìs id nobis quoquè ſeruandum eſt.Si enim ſeruus virtute clarus eſt,ideò inprimìs oportet illum in ſeruitute durare,dominatumque recognoſcere,vt omnibus qui ſunt in domo,commodo & vtilitati eſſe poſſit.

VTILITAS QVARTA.

ADDAM & aliam huius epiſtolę vtilitatem: docet nos ſeruos non erubeſcere,ſi probi ſint.Nam ſi Paulus excelſior atque excellentior omnibus tanta de ſeruulo loquitur,multo ſanè magìs nos de noſtris id facere conuenit.

Cùm ergò tam multa nobis commoda largiatur epiſtola, & certè necdùm omnia diximus,audet quis adhuc ſuperfluam dicere? Quantæ iſtud,quæſo,temeritatis eſt? Chryſoſt.in huius epiſt.argumento.

DE PAR.

DE PARTIBVS EPISTOLAE AD Philemonem. TABVLA III.

COMMENdatitia ergò eſt hæc epiſtola, qua Oneſimũ Philemoni recõciliare ſtudet tribus modis. Nam

- PRIMO *beneuolentiam captat à*
  - LAVDIBVS *Philemonis, propter eius charitatem & fidem, quam habebat in Domino. cap. vnico, verſ. Gratias ago Deo meo.*
  - *Sua in Philemonem fiducia ſingulari. verſ. Propter quod multam fiduciam &c.*
- DEHINC *precatur eidem veniam*
  - PER *viſcera ſua. Oneſimum enim vt ſuam propriam diligebat animam.*
  - PROPTER *commune ſocietatis vinculum.*
  - ET *mutuum inter illos amorem. verſ. Obſecro te pro meo filio.*
- TANDÈM
  - FACTVM *ſumma excuſat modeſtia. Forſan enim, ait, diſceſſit ad horam à te, vt æternùm illum reciperes.*
  - POLLICETUR
    - *Vtilitatem, vt ſi Philemoni aliquandò Oneſimus fuerit inutilis, iam vtrique, & Paulo, & Philemoni, futurus ſit vtiliſſimus.*
    - *Indemnitatem, dum ſibi rogat imputari, ſi quod ei damnum ab Oneſimo fuerit illatum.*

EPISTOLA PAVLI

APOSTOLI AD HEBRAEOS PRO

euangelio & fide Chriſtiana, contra legis antiquæ cultum & obſeruantiam, Liber Bibliæ LXIIII, Secundæ partis quarti libri, Decimusquartus.

ORDINIS RATIO.

QVANVIS hęc epiſtola ratione temporis quo ſcripta eſt, ſit ferè vltima, eſt tamẽ doctrinę ordine facilè prima: tum quòd lingua Hebraica, in qua ſcripta eſt, alijs omnibus ſit antiquior: tum quia hîc de veritate legis agitur euangelicę, in reliquis verò de Euangelij obſeruantia potiſſimùm fuit dictum. Sed certum eſt, Euãgelij veritatem in promiſſionibus veteris teſtamenti de venturo Meſſia etiam tunc multis ſeculis antè extitiſſe, quàm de eius obſeruãtia vllum ſcriptum haberetur verbum.

VBI ET QVANDO SCRIPTA, CVIVSqVE MINIſterio hæc epiſtola fuerit tranſmiſſa.

Ordine temporis eſt hæc epiſtola penultima: ſcripta eſt enim proximè ante ſecundam ad Timotheum editam, quæ (vt diximus) omnium fuit poſtrema. Theodoret. in Præfat. ad omnes D. Pauli epiſtolas. Miſſa autem fuit ex Italia. Theophylact. ibid. & D. Athanaſ. in Synopſi: Per Timotheũ filium apoſtoli Pauli ſpiritualem. cap. vltimo hic ad Hebręos, & Lyranus in prolixo huius epiſtolæ procemio.

AD QVOS SCRIPTA SIT.

Hebraei, ad quos hoc loco ſcripſit Apoſtolus, dicũtur illi, qui ex Iudęis ad Chriſtum ſunt conuerſi. Interpretantur aũt Hebræi tranſitores vel tranſeuntes, quią; radicem cordis in amore præſentis mundi non plantauêre, ſed aſſiduis deſiderijs ad ſuperna tranſeunt: qui peregrinationem terræ non diligunt pro habitatione patriæ, ſed veram patriam inquirunt, ipſi ſunt verè Hebręi, & ad ſe ſcriptam eſſe credant hanc epiſtolam. Anſelmus hic in præfatione epiſtolæ ad Hebræos.

Hebræi qui ſint.

QVONAM HAEC EADEM SCRIPTA ſit epiſtola, & quomodò, ex Chryſoſt.

Sed quonàm ad eos epiſtolam mittit? Mea opinione, Hieroſolymam, & in Palęſtinam. Sed quomodò ſcribit? Quemadmodùm & baptizabat, non habens mandatum vt baptizaret. ait enim ſe non miſſum ad baptizandum. Nec tamẽ vetitus erat, ſed operæ auctarium hoc fecit. Et quî poterat his non ſcribere, pro quibus vel deuoueri volebat? Chryſoſt. hic in præfat.

IN QVA LINGVA EDITA SIT hæc epiſtola.

Hanc epiſtolam fertur Apoſtolus ad Hebræos conſcriptã, Hebraica lingua. miſiſſe, cuius ſenſum & ordinem retinens Lucas Euangeliſta, poſt exceſſum B. Apoſtoli Pauli, Gręco ſermone compoſuit. Author argumenti, huic epiſtolę in ſacris Biblijs præfixi.

DE EPISTOLAE HVIVS AVTHORE DVBITATIO.

Hanc epiſtolam multi Pauli eſſe aiunt, quidam verò negant. Auguſt. de ciuitar. Dei. lib. 16. cap. 22. Nam creditur vel Barnabæ eſſe, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangeliſtæ, iuxta quoſdã: vel Clementis Romanæ poſteà Eccleſiæ epiſcopi, quẽ aiunt ſentẽtias Pauli proprio ordinâſſe & ornâſſe ſermone: vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputauerit. Hieron. in Catal.

RATIO DVBITANDI DE PAVLO PRIMA, ex Hieronymo.

Epistolam quæ ad Hebræos ſcribitur, quidam Pauli non eſſe cõtendunt, eò ꝙ non ſit eius nomine intitulata. Hieron. in dicta præfatione ad epiſtolas Pauli.

SECVNDA DVBITANDI RATIO.

Ob ſermonis ſtyliq́ue diſtantiam, quòd hæc dictione nonnihil politiori cõcepta videatur, quàm reliquæ D. Pauli epiſtolæ. Hieron. ibidèm. & in Catal.

OPINIO HAC DE RE COMMVNIS.

Sed vſus eccleſiæ Catholicæ communis, & temporis longi pręſcriptio manifeſta, contrarium iąm diù non ſemèl obtinuit, eſtq́ue hac de re conſtãs Patrum ferè omnium ſententia, huius epiſtolæ non alium eſſe authorem, quàm diuum Paulum, vt quę & ſemper, & vbiquè, & ab omnibus ferè, aut maiori ſaltem parte habita & credita ſit ipſius Pauli.

RESPONSIO HIERONYMI AD PRIMAM dubitandi rationem.

Si propterea, inquit, non eſt Pauli, quia eius non habet nomen: ergò nec alicuius erit, quia nullius nomine intitulatur. Quod ſi abſurdum eſt, eius magis cenſenda eſt, quę tanto ſuę doctrinę fulget eloquio. In pręfat. in omnes epiſtolas Pauli, quę Hieronymo aſſcribitur.

CVR

CVR HIC NOMEN SVVM TACVERIT Paulus, ex eodem.

Sed quia apud Hebræorum eccleſias quaſi deſtructor legis falſa ſuſpiciõe habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis & veritate Chriſti reddere rationem, nè odium nominis in fronte prætitulati, vtilitatem lectionis excluderet. Hieronymus ibidèm, & in Catal.

DE EODEM, SENTENTIA AVGVSTINI.

Pavlvs in hac epiſtola, inquit Auguſtin. principium & ſalutationem propterea dicitur obmiſiſſe, nè Iudæi q aduersùs eum pugnaciter oblatrabant, nomine eius offenſi, vel inimico animo legerent, vel omninò legere non curarẽt, quod ad eorum ſcripſerat ſalutem. Auguſt. in epiſt. ad Roman. inchoatæ expoſ. ex ſententia Clementis Alex. apud Nicephorum lib. 4. hiſt. eccleſ. cap. 33. & Euſeb. lib. 6. hiſt.

RESPONSIO AD SECVNDAM DVBItandi rationem.

Nec ſanè mirum, ſi eloquentior videatur in proprio, id eſt, in Hebræo, quàm in peregrino ſermone, id eſt, in Græco, quo cæteræ epiſtolę ſcriptę ſunt. Hieron. in d. pręfat. & in Catal.

ALIA RESPONSIO EX HVIVS EPIſtolæ argumento.

Aptissima demùm illa ratio videtur, quæ in huius epiſtolæ continetur argumento. Inprimìs, ait, videndum eſt, cur Apoſtolus Paulus in hac epiſtola ſcribenda, nõ ſeruauerit morem ſuum, vt vel vocabulum nominis ſui, vel ordinis deſcriberet dignitatem. Hęc cauſa eſt, quòd ad eos ſcribens, qui ex circunciſione crediderant, quaſi Gentium Apoſtolus, & non Hebręorum, ſciens quoquè eorum ſuperbiam, ſuamq́; humilitatem ipſe demonſtrans, meritum officij ſui noluit anteferre. Nam ſimili modo etiam Ioannes Apoſtolus propter humilitatẽ in epiſtola ſua nomen ſuum eadem ratione non protulit. Author arg. epiſtolę ad Hebręos.

PRO EADEM RESPONSIONE SENTENTIA Michaëlis à Medina.

De ſermonis autem diſtantia, quanuis ea ratio quam affert Hieron. multùm arrideat, ſunt tamen qui putent, hanc epiſtolã non tantum lepóris ab authore contraxiſſe, quantum nunc habet. Sed inſupèr multum illi ex traductione in Græcũ ſermonem à Luca vel Clemente acceſſiſſe, eùm non tam verbis, quàm ſententiæ in traducendo inhęrerent: quod, vt erant apoſtolici ſenſûs cõſultiſſimi, & eiuſdẽ Apoſtoli comites indiuiſi & diſcipuli, abſque vlla infidelitatis nota facere potuerunt. Qua ſententia & veterum opiniones, quas Hieròn. refert, quæ Lucæ, Barnabę, aut Clementi eam epiſtolam tribuebant, in concordiam adducuntur, dum compoſitio quidem Apoſtolo Paulo, elegantia verò & dicendi lepor, vni iſtorũ tribuitur. Mich. à Medina de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 25.

ALIA DE RE EADEM CENSVRA eiuſdem Medinę.

Est & magnoperè cum ratione conueniens illa ſententia, quæ credit, inuentionem quidem eorum, quæ in hoc ſcripto tractantur, eſſe Apoſtoli Pauli: diſpoſitionem verò, amanuenſis ſcribę: ità vt, quod frequentiſſimè ſolet accidere, immò, quod eſt in quotidiano vſu ijs, qui non tantum laboris pondus ſuſtinẽt, locos tractandos, docto & eleganti amanuenſi tribuerint, amanuenſis verò dictionem polinerit. Neque enim hac ratione deſinit eſſe Pauli, quemadmodũm neque Regis aut Pontificis literę, quarum ipſi locos ſuggerunt, ſi ſcribantur à Notario, non erunt regis aut Pontificis.

Porrò Paulũ in ſcribẽdis epiſtolis amanuẽſi miniſtro, quẽ modò ſecretariũ aut notariũ vocamus, fuiſſe vſum, ex fine eius epiſtolę, quã ad Roman. ſcribit, apertè cognoſcitur. Saluto, inquit, vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolã. Fuit enim is Tertius D. Pauli notarius, cuius permiſſu nomen ſuũ epiſtolę inſeruit. Medina ibid.

DE HVIVS EPISTOLAE AVTHORITATE, ex D. Melchiore Cano. TABVLA 112.

Hæreticum eſſe, epiſtolam ad Hebræos ex canonicarum ſcripturarum numero reÿcere.

ARGVMENTVM I.

PRIMÒ, *quoniam aduerſatur definitioni omnium pontificum & Conciliorum ſacros libros enumerantium: vt Innocentij primi atque Gelaſij, Concilij 3. Carthag. cap. 47. Florentini inſuper ac Tridentini, deniquè Laodicenſis Can. 59. Quod vtiquè Concilium manifeſtè confirmatum eſt, à Synodo Trullana.*

II.

DEINDÈ *probatur hæc concluſio, quoniam epiſtola ad Hebræos recepta eſt in Concilio Niceno, vt author eſt D. Thomas in Commentarijs ſuper eandem. Rem verò adeò grauem vir S. non adſtrueret, niſi compertam habuiſſet.*

III.

PRAETEREA *manifeſtè id oſtenditur ex Concilio Epheſino, cuius verba ſunt cap. 10. Pontificem et apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, diuina ſcriptura commemorat: Si quis ergò Pontificem & Apoſtolum noſtrum negat eſſe factum ipſum Dei verbum, anathema ſit. Hactenùs Concilium. Id autem non alio loco, niſi in epiſtola ad Hebræos, Apoſtolus dixit. Diuina igitur ſcriptura eſt, ex cuius etiam ſolius authoritate efficax argumentum trahitur ad hæreſim reuincendam.*

IIII.

QVÒD *ſi poſt tam præclara & ſummorum Pontificum & Conciliorum teſtimonia ſanctos authores in huius ſententiæ confirmationem citare voluero, vereor mihi illud obijciatur, quòd afferam in re non dubia teſtes minimè neceſſarios. Atqui non eſt leue argumentum, quod ex communi omnium ſanctorum conſenſione ducitur.*

Atque vt Græcos ſcriptores prætercam, quorum omnium (vt Hieronymus ad Dardanum ait) manet ad vnum firma conſenſio: vt& Latinos omittam reliquos, D Auguſtinus conſtantiſſimè vbiquè tenet hanc epiſtolam eſſe canonicam. Nam & lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. in canonem ſanctarum ſcripturarum refert. & lib. 3. de Trinitate, cap. 11. ità ſolidam credit huius epiſtolæ authoritatem, vt ab ea (ſicut ne ab alijs quidem diuinis ſcripturis) aberrare non liceat. Vide eundem lib. 1. de baptiſ. par. ſiue de peccat. meritis, cap. 27.

V.

CVMQVE *poſt Auguſtini tempora omnes ſancti, omnes Theologi, omnes Catholici, pro canonica eam epiſtolam habuerint, quid eſt quod Iuniores iſti in meridianam lucem tenebras inferre conantur? niſi volunt vniuerſam Eccleſiam abhinc mille annos in ſummo errore, in& magna huius quæſtionis ignoratione verſatam: cuius videlicet vſu cunctis gentibus nomine Apoſtoli hæc epiſtola legitur. Canus lib. 2. de locis Theologicis, cap. 9.*

PAVLO HANC EPISTOLAM *adſcribendam eſſe, ex eodem.*

CÙM hæreticum ſit, hanc epiſtolam à ſacris ſcripturis excludere, certè temerarium eſt, (nè quid ampliùs dicam) de huius epiſtolę authore dubitare. Quē Paulum fuiſſe, certiſſimis teſtimonijs confirmatur.

Origenes inprimìs lib. 1. Commentariorū ſup Matthæū, & refertur ab Euſebio lib. 6.

lib.6.eccleſ.hiſt.cap.18. Ego dico, ait, quòd ipſa manifeſtiſſimè eſt Pauli Apoſtoli, & ſemper omnes antiqui Maiores noſtri eam vt Pauli Apoſtoli ſuſceperunt. & opinio vſque ad nos peruénit, quòd ſermo eius, eſt Græco ſermone compoſitus vel per Clementem Romanæ vrbis epiſcopum, vel per Lucam.

Clemens item Alexandrinus apud Euſebium 6. Eccleſ. hiſt libro, cap.11. Manifeſtè (inquit) eſt Pauli, ſcripta quidem Hebræo ſermone tanquàm Hebręis, ſed à Luca in Græcum interpretata.

Euſebius quoquè in eandem ſententiã iuit 3.lib.hiſt.eccleſ.cap.38. vbi cùm dixiſſet Clementem Romanum epiſcopũ in epiſtola ad Corinthios nomine Pauli teſtimonijs huius epiſtolæ vſum, continuò ſubijcit: Vndè conſtat, quòd Apoſtolus hanc epiſtolam tanquàm Hebręis mittendam, patrio eam ſermone conſcripſerit: & vt quidam tradunt, Lucam Euangeliſtam, alij autem Clementem interpretatum eſſe: quod & magìs verum eſt: quia & ſtylus ipſe epiſtolæ Clementis cũ hac concordat, & ſenſus nimirùm vtriuſque ſcripturæ plurimam ſimilitudinem ferunt. Hactenùs Euſebius. Et cap.3. eiuſdẽ libri, Pauli manifeſtè 14. ſunt epiſtolę.

Dies me deficiet, ſi velim enumerare authores Gręcos, q̃ hanc epiſtolã Paulo tribuerũt. Nec minùs, ſi cõmemorem etiã Latinos. Quid enim referã Athanaſiũ in epiſtola ad epiſcopos Africanos, & lib.11. de fide Trinitatis? Quid Cyrillũ 12. libro theſaurorũ, cap.9? Quid Chryſoſtomũ infinitis propè locis? Quid Ignatium? quid Irenęũ? Quid Damaſcenũ? Quid Anacletũ in epiſtola 8. de ordinatione Epiſcoporũ? Quid Higinũ in epiſtola 1. ad oẽs Chriſti fideles? Quid Conciliũ Laodicenum? Quid tãdèm Conciliũ Epheſinum? Cùm oẽs Græci ſcriptores (vt author eſt Hieron. ad Dardanũ) hanc epiſtolã apoſtoli Pauli eſſe vna voce fateãtur. Theophylactus certè miratur eorum impudentiã, qui hanc epiſtolã Pauli eſſe inficiantur: affirmatq́; eos non ſecùs peccare, quàm ſi à Paulo abeſſe Chriſtũ negarẽt.

Quid Latini? Nempe fatentur etiam. Fatetur Ambroſius ſuper Pſalmum, Beati immaculati, ſerm.8. & libro de his qui myſterijs initiãtur, cap.8. Auguſtinus inſupèr 2.lib. de doctrina Chriſtiana cap.8. & ſæpè aliàs. Item Gregor.5.lib. Moralium, cap.3. Gelaſius cum concilio 70. Epiſcoporum, Innocentius papa, Conciliũ Carthaginenſe, Florentinum, Tridentinum.

Quid moror? Mille quingẽtos abhinc annos Eccleſia legit hanc nomine Pauli apoſtoli: & audemus nos in dubium vertere, quod omnes Catholici tot retrò ſeculis ſine ambiguitate tenuerunt?

Omitto quòd Petrus, niſi me valdè opinio fallit, teſtatur Paulum Hebręis epiſtolã ſcripſiſſe. Nam primã Petri Hebręis ſcriptã eſſe, ſalutatio ipſa apertè docet. At ſecunda Petri eiſdẽ quoquè ſcripta eſt. Ait enim: Eccè iam vobis hanc ſecundam ſcribo epiſtolã. In huius verò fine ſic Petrus inquit: Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſcripſit vobis, ſicut & in omnib⁹ epiſtolis &c. vobis ſcilicet Hebręis, ad quos ſcribebat Petrus. Vndè facta diſtinctiõe, ſubiũgit: Sicut & in oĩbus epiſtolis: vt non obſcurè intelligeres, quòd Paulus Hebręis de longanimitate & ſalute Chriſti idem & in alijs epiſtolis ſcripſerit. Nõ eſt ergò cur de authore huius epiſtolę quiſquã dubitet. Melchior Canus lib.2. de locis Theologicis, cap.11.

HIERONYMVS AN DVBITAVERIT.

NEGAMVS Hieronymũ ancipitem hoc loco (quod illi falſiſſimè impingitur) habere ſententiã. Nam vt innumera loca ſilẽtio prętereamus, quibus refert Hieronymus ex hac epiſtola nomine Pauli teſtimonia: vt illud etiam diſſimulemus, ꝙ de viris illuſtribus in Paulo, cùm quorundã contrarium ſenſum expreſſiſſet, eorũ argumenta refellit: ille profectò locus Hieronymianę ſentẽtiæ clariſſimus teſtis eſt, qui habetur in epiſtola ad Dardanum de terra promiſſionis, in hęc verba:

Vas electionis loquitur ad Hebręos: Fide q vocatur Abrahã &c. Nec me fugit, ꝙ perfidia Iudęorum hęc teſtimonia non ſuſcepit. Illud noſtris dicendũ eſt, hanc epiſtolam q̃ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab eccleſijs Oriẽtis, ſed ab omnibus retrò eccleſijs, & Gręci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli apoſtoli ſuſcipi.

Licèt plerique eam vel Barnabę, vel Clemētis arbitrentur: & nihil intereſſe cuius ſit, cùm eccleſiaſtici ſit viri, & quotidiè eccleſiarum lectione celebretur.

Quòd ſi eam Latinorum conſuetudo inter ſcripturas Canonicas non recipit, nec Gręcorū quidē Eccleſię Apocalypſim Ioannis eadē libertate ſuſcipiūt: & tamen nos vtraq; ſuſcipimus, nequaq̃ huius temporis cōſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum authoritatem ſequentes, qui plerunquè vtriuſq; abutuntur teſtimonijs, non vt interdùm de apocryphis facere ſolent, quippe qui & gētilium literarum raro vtantur exemplis, ſed quaſi canonicis & eccleſiaſticis. Et in epiſtolā ad Titum cap. 2. Lege (inquit) ad Hebræos epiſtolam Pauli Apoſtoli, ſiue cuiuſcunq; alterius eam eſſe putas, quia iam inter Eccleſiaſticas eſt recepta.

Argumenta quæ contra huius epiſtolæ ad Hebræos authoritatem adferūtur, doctiſſimè confutata ſunt ab eodem R. Melchiore Cano in eodem vndecimo capite, & à D. Michaele à Medina, lib 6. de recta in Deum fide, cap. 25.

Hic idem Medina magnum habet ſanctorum patrū catalogum, qui in ſcriptis ſuis pro confirmatione eccleſiaſticorum dogmatū, multa teſtimonia ex hac epiſtola deſumpſerunt: inter quos ſunt Clemens Romanus, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nyſſenus, Baſilius, Hilarius, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & Damaſcenus. Quærantur ipſa teſtimonia cap. 9. eiuſdem libri 6.

QVA OCCASIONE PAVLVS PERMOTVS, HANC ſcripſerit epiſtolam, ex Ambroſio.

QVA ratione, quóve conſilio ſcripſerit B. Paulus genti ſuę populo Hebræorum, ex ipſius verbis depręhenditur. Timuit eis, nè ſuperati tentationibus, ad infidelitatem relaberētur. Nulla enim gens obſtinatioribus animis repugnabat euāgelio Chriſti, q̃ Iudęorū, qui Paulo erāt infenſiſſimi, ꝙ ſe gentiū apoſtolū profiteretur, quas Iudæi vt prophanas & impias abominabantur: quodq; legem Moſaicā, quā illi ſacroſanctā habebant, & euāgelij vice per vniuerſum orbem ſpargi cupiebāt, antiquare videretur, adeò vt eſſent inter hos quoquè qui Chriſti doctrinam receperant, qui putarent legis obſeruationem cum euangelio miſcendam.

Hieroſolymis igitur, qui crediderant, varijs calamitatibus afficiebantur ab ijs qui reſiſtebant Euāgelio. Nam penès hos erat publica authoritas: conijciebātur in vincula, cædebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaque conſolatur Paulus partìm exemplo veterum ſanctorum, quorum pleriq; ſimilibus aut grauioribus calamitatibus exerciti ſunt, quò virtus illorū eſſet exploratior, ſpectatiorq;, ac pręcipuè exemplo Chriſti, partìm ſpe pręmij cęleſtis.

Deindè declarat coruſcātc iam Euāgelio Chriſti ceſsâſſe vmbras legis Moſaicę, multa repetēs ex veteri teſtamēto, & ad Chriſtum adcōmodans. Docet non ex obſeruatione legis, ad tempus datę & imperfectæ, ſperandā eſſe ſalutem, ſed ex fide, qua veteres, etiā illi probatę ſanctimonię viri, quorum memoria Iudæis erat ſacroſancta, Deo potiſſimùm placuiſſent. Tandèm tradit pręcepta quędā ad patientiam & mores Chriſtianos facientia &c. Ambroſius in p̄fat. epiſt. ad Hebręos.

ARGVMENTVM EX ATHANASIO.

QVONIAM Iudæi legi & vmbris illius incūbebant, ob eam cauſam Paulus Apoſtolus, doctor gentiū factus, & ad gētes amādatus, vt euangeliū illis prædicaret, cùm omnibus gentibus ſcripſiſſet, iam deinceps omnibus etiā Hebręis q ex circunciſione crediderant, epiſtolā hanc declarationibus & probationibus inſtructā, de Chriſti aduentu & de legis vmbra, ꝙ illa deſierit, ſcribit. Et principiò declarat, ꝓphetas ob id eſſe miſſos, vt de ſeruatore p̄nunciarent, & vt poſt illos ſeruator ipſe veniret. Seruos eſſe prophetas & nuncios aduentûs ipſius. Ipſum verò Chriſtum filiū eſſe Dei, per quē omnia facta ſint. Et ꝙ hunc filiū incarnari, hominemq; fieri oportuerit, vt per corporis ipſius oblationē mortē aboleret. Neq; enim per ſanguinem vituli aut hirci, ſed per ſanguinem Chriſti conſtare mortalibus ſalutem.

Oſtendit etiā, ꝙ lex neminē reddiderit perfectū, ſed vmbrā habuerit futurorū bonorum, & ꝙ populus requiem per illam non inuenerit, ſed communis nobis omni-

omnibus relicta ſit quietis dies. Item quòd ſacerdotale illud ſummi ſacerdotis munus ab Aarone ad Chriſtum tranſlatum ſit, cuius typus fuerit Melchiſedec, non è Leui ortus. Et quòd patres fide ſint, non ex operibus legis, iuſtificati. Tandèm vbi & iſtos ad morum inſtitutionem adhortatus eſt, ac tolerantiam eorum propter Chriſtum laudauit, ſuaſitque vt ſeniores honore afficiant, abſoluit epiſtolam. Athanaſ. hîc in Synopſi.

EX CHRYSOSTOMO.

NE ſe putarent Hebræi in áduerſitatibus derelictos, inter cætera Paulus duobus eos in hac epiſtola inſtruit modis: primò, quæcunque acciderint, iubẽs ferre fortiter: deindè ſperare certum præmium. Deum enim non neglecturum inhonoratum Abelem, & reliquam deinceps iuſtorum ſeriem. Et triplicem illis conſolationem adhibet. Vnam exemplo paſſionis Chriſti, dicentis non eſſe potiorem ſeruum, quàm ſit ipſius Dominus. Alteram, oſtentato credentium præmio: Tertiam, dum docet, qualiſnam hæc ſit aduerſitas: nec per futura ſolùm eos confirmat, quibus minùs moueri poterant, verùm etiam per præterita, quę acciderunt ipſorum Patribus. Chryſoſto. in pręfatione epiſtolæ ad Hebræos.

QVIS HVIVS EPISTOLAE SIT Scopus.

INTENDIT Apoſtolus principaliter Hebræos in puritate fidei Chriſtianæ confirmare, & à legalibus obſeruantijs, quibus adhuc detinebãtur, prorsùs auellere. Anſelmus hîc in præfatione.

DE PARTITIONE EPISTOLAE AD Hebręos. TABVLA 113.

STATVS HVIVS EPISTOLæ, *generis eſt Iudicialis. Tota enim in contentione verſatur. Artificium autem diſpoſitionis tum demùm rectè intelligemus, ſi obſeruemus hæc tria:*	ARGVMENTA *Hebræorum, quorũ gratia plùs illi legum cæremonijs, quàm fidei myſterijs tribuere videbantur.*
	REFVTATIONEM *ſeu potiùs retorſionem eorundem pro confirmatione fidei.*
	SENTENTIAM, *qua D. Paulus prædictam dirimit controuerſiam.*

DE ARGVMENTIS HEBRAEORVM.

TABVLA 114.

ARGVMENTA, *quibus Iudæi conuerſi adhuc iudaizare, & plus æquo ad legis obſeruationem inclinari, atque ſic fidei Chriſtianæ puritatē obſcurare videbãtur, ſunt 14.*

- MINISTERIVM *angelorum, per quos legem ordinatam eſſe ipſe teſtatur Paulus, 3. ad Galat. capite.*
- MOISIS *authoritas, quem eodem loci mediatorē datæ legis idem vocat Paulus: iuxta quod ipſe dicit Deut. 5 Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius.*
- PONTIFICATVS *Aaronis, cuius Maieſtas Eccleſ. 45. his exprimitur verbis: Excelſum fecit Aaron fratrem eius, & dedit illi ſacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria.*
- SVCCESSIO *ſacerdotij legalis perpetua, quæ promiſſa fuit non ipſi tantùm Aaron, ſed & ſemini eius in ſecula. d. cap. 45. Eccleſ.*
- TABERNACVLI *per Moiſen ad ipſius Dei præſcriptum fabrefacti celebritas. Exodi 25.*
- LEGIS *ipſius per ſe conſideratæ dignitas atque præſtantia. De qua Moiſes Deut. 4. Quæ enim alia gens, inquit, ſic inclyta, vt habeat cæremonias iuſtaq́ iudicia & vniuerſam legem?*
- SANCTIMONIA *eorum, quæ in præfato continebantur tabernaculo: quæ ſancta dicebantur ſanctorum. De quibus per tot. agitur Exod.*
- SACRIFICIORVM *efficacia, quorum virtute, vt ex toto patet Leuitico, credebant populo omnis generis remitti peccata.*
- PROMISSIONES *veteris teſtamenti, ſanguinis effuſione firmatæ. Exodi enim 24. lecto Domini mandato, hæc verba protulit Moiſes: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis his ſermonibus.*
- FREQVENTATIO *hoſtiarum, ſiue continuus ſacrificiorũ vſus. Vndè propheta Daniel ceſſationem ſacrificij, abominationem vocat deſolationis, Dan. 9.*
- VESTIGIA *Maiorum, & eorum circa legis obſeruationem religio: Vt ſancti fuerunt Patriarchæ & Prophetæ, quorum D. Ioan. in 8. euangelij ſui meminit capite. Vbi Iudæi de iſtorum gloriantur ſanctitate: Nunquid tu maior es Patre noſtro &c.*
- SIGNA *& miracula, quibus in veteri teſtamento Deus legis authoritatē confirmauit. Nam vbi lex data eſſet Moiſi, ibi cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, totusq́ue mons Sinai fumigabat. Exod. 19.*

DE CON.

DE CONFVTATIONE SEV POTIVS retorſione prædictorum Argumentorum. TABVLA 115.

IN HAC PARTE, PRIuſquàm ad confutationem ſingulorum perueniatur argumẽtorum, illud inprimis notatu dignum eſt: Quòd D. Paulus argumẽta illa pro legis defenſione adducta, vno modo infirmat penè omnia, ſcilicet ex collatione ſeu comparatione,

- CHRISTI ad
  - Angelos,
  - Moiſen,
  - Aaron,
  - Reliquos Patriarchas & Prophetas,
  - } Quos illi legis ſuæ iactabant authores.
- EVANGELICAE veritatis & fidei efficaciæ ad vmbram, tam
  - Legis, quàm
  - Cæremoniarum.

DE MINISTERIO LEGIS.

TABVLA 116.

CONTRA primum Hebræorũ fundamentum, in hunc modum procedit Paulus:

- OSTENDIT nobilius eſſe miniſterium Chriſti, quàm angelorum.
  - CHRISTVS enim tanto melior effectus eſt angelis, quanto differentius habet nomen. Filius enim agnitus eſt Dei, per quem facta ſunt ſecula. Hæres vniuerſorum, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ &c.
  - ANGELI autem Spiritus quidem ſunt, ſed miniſtri tantùm, miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. cap. 1. per tot.
- INFERT concluſionem euangelicam. Si ergò tam efficax fuit, quod ab angelis olim prolatum fuerat, vt puniretur quiſquis dicto illorum non fuiſſet obtemperans: maiori pœna digni ſunt illi, qui Euangelij authoritatem negligere non verentur. à princip. cap. 2. vſque ad verſ. Non enim angelis.
- OCCVRRIT obiectioni. Nam etſi de Chriſto ſcriptum ſit, Minuiſtì eum paulo minùs ab angelis &c. non tamen ob id inferior factus eſt angelis, ſed ideò humiliatus, & nobis in paſſionibus factus eſt frater, vt nos eſſemus illius cohæredes. dicto ver. Non enim angelis ſubiecit.

DE AVTHORITATE MOISIS.

TABVLA 117.

LONGE CHRI- *ſtum Moiſe excellentiorem eſſe, ac ob id fidei potiùs q̈ legi inhærendum eſſe aſſerit Paulus in principio ca. 3. & probat hocipſum tribus rationibus:*

- PRIMÒ
  - MOISES *quidem ſcripturæ teſtimonio, Num. 12. fidelis erat ſeruus in domo Dei. Quæ ciuitas eſt Dei, & ſanctiſſima omnium electorum congregatio.*
  - CHRISTVS *autem eo pliis præſtitit, quòd hanc domũ ipſe ædificauit, & in ea non vt ſeruus, ſed vt filius eſt verſatus. cap. 3. in princip.*
- SECVNDÒ
  - LEX *Moſaica tranſgreſſoribus æternam minabatur mortem.*
  - CHRISTVS *pœnitentibus æternam largitur requiem. ver. Quapropter dicit Spirituſſanctus. Vbi eleganter admodum diuus Paulus explicat verba Dauidis Pſalm. 94. Hodiè ſi vocem eius audieritis. vſque in fin. dict. cap. 3. & cap. 4. vſque ad ver. Viuus eſt enim ſermo Dei.*
- TERTIÒ
  - TOTA *legis cæremoniarum vis, mortuæ ac lætiferæ inhærebat literæ.*
  - DEI *autem ſermo, viuus eſt & efficax, ac omni penetrabilior gladio, ad diuiſionem vſque pertingens animæ. d. verſ. Viuus eſt enim.*

DE PONTIFICIA DIGNITATE Aaronis.

TABVLA 118.

OSTENSV- *rus longè nos tutiùs à Chriſto auxilium petere, q̈ ab Aarone olim petebãt Iudæi, duo facit hoc loco Paulus:*

- *Deſcribit qualitates veri põtificis:*
  - *Cuius virtus penetret cælos.*
  - *Qui poßit compati infirmitatibus noſtris.*
  - *Qui ipſe per omnia tentatus ſit, pro ſimilitudine abſque peccato tamen. ver. Habentes ergò Pontificem &c.*
- OSTENDIT *has qualitates in Chriſto omnes multo fuiſſe ꝑfectiores, quàm in Aarone: Quia*
  - *Non ex humanis tantùm aſſumptus erat, ſed filius etiam Dei, ſacerdos in æternum conſtitutus ſecũdùm ordinem Melchiſedech, ca. 5. in princip.*
  - *Nec clarificauit ſemetipſum, ſed à Patre, vt pontifex fieret, miſſus fuerat.*
  - *Didicit ex ijs quæ paſſus erat, compati infirmitatibus noſtris: cuius preces, quas in cruce ad Patrem obtulit, pro ſua reuerentia ſunt exaudita.*

DE SVCCESSIONE SACERDOTII LEgalis. TABVLA 119.

SVCCESSIoni, *quam peculiarem eſſe ſacerdotio Aaronis gloriabantur Hebræi, D. Paulus nouæ legis opponit ſacerdotium, quod eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech. De cuius myſterio hoc loco tangit tantùm quatuor:*

- *Excuſando ſe cur non plura nunc ea de re diſſerat, non obſcurè reprehendit eorum in rebus fidei negligentiam & incuriam. Nam etſi Hebræi tum ætate quidem poterant ac debebant eſſe magiſtri, eos tamen adhuc vixdùm diſcipulos eſſe elementarios conqueritur. Quam ob rem illi non ſolido, ſed lacteo indigeant cibo, qui grauiores de fidei doctrina diſputationes non admittant, verſ. De quo nobis grandis ſermo.*
- *Indicat ſe non velle modò fidei initia pertractare, vpotè de*
  - *Fide & pœnitentia ante baptiſmum neceſſaria.*
  - *Sacramentis primis, ſcilicet*
    - *Baptiſmo,*
    - *Manuum impoſitione ſiue Confirmatione.*
  - *Articulis fidei,*
    - *Reſurrectione mortuorum.*
    - *Aeterni iudicij pœnis, cap. 6. in principio.*
- *Ratio, cur velit ea prætermittere, eſt iſta:*
  - *Quia impoſſibile eſt, ſemèl baptizatos, ſi relabantur, renouari per lauacrum regenerationis. ſicut enim terra culta, ſi denuò ſpinas profert, non colitur, ſed comburitur: ſic homo peccans poſt baptiſmum, ſecundò non abluitur, verſ. Impoſſibile eſt enim &c.*
- *Chriſti ſacerdotium legali excellentius eſſe, duplici probat ratione:*
  - *Quòd inſtitutum ſit, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pſal. 109. cuius ſacerdotium, Leuiticum ordinem ſuperabat in tribus:*
    - *Dignitate. Melchiſedech enim (qui typum Chriſti gerebat) interpretatur Rex iuſtitiæ. Idem etiam rex Salem dicitur, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Aſſimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. cap. 7. in princip.*
    - *Authoritate: quippe qui benedixit Abrahæ, cui & decimas dedit idem patriarcha: & per conſequens etiam Leui & Aaron, qui adhuc in lumbis patris erant, verſ. Intuemini autem. eod.*
    - *Perfectione: Si enim conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem? Huius itaque aduentu ſacerdotium Leui & Aaron fuit translatum ad tribum Iuda & ſtirpem Dauid. Translato autem ſic ſacerdotio, eadem opera, ipſa quoquè lex, cuius illud erat ſacerdotium, in totum translata ſit neceſſè eſt, verſ. Si ergò conſummatio.*
  - *Quòd ſacerdotium Chriſti, quædam habuerit ſingularia. Quòd ſcilicet*
    - *Iureiurando traditum, verſ. Et quantum eſt.*
    - *Perpetuum ſit futurum. In quo ſacerdotio vnicus eſt ſacerdos perpetuus, atque is impollutus, innocens, ſegregatus à peccatoribus, &c. verſic. Et alij quidem. vſque ad finem cap. 7.*

APPENDIX EX OECVMENIO.

QVI A etiam Chriſtus ſine ſanguine hoſtiam obtulit, deindè poſtmodùm ſuum ipſius etiam corpus: propterea ergò aptè dictum eſt, Chriſtum eſſe ſacerdotē ſecundùm ordinem Melchiſedec. In æternum verò, eò quòd ij qui ab ipſo fungentur ſacerdotio, quorum Deus pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerrent. Nam hoc ſignificat, In æternū. Neque enim de ea, quæ ſemèl à Deo facta eſt oblatio & hoſtia, dixiſſet, In æternum: ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur: qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij.

DE COLLATIONE VTRIVSQVE TABERNACULI. TABVLA 120.

VETVS TESTAmentum ipſum antiquatū eſſe oſtendit ex collatione tabernaculi veteris & noui. Quæ differunt partim

- LOCO: *veteris enim tabernaculi miniſterium, locum tantùm habuit in terra: Noui autem tabernaculi, hoc eſt, eccleſiæ Chriſtianæ pontifex, Officium ſuum exercet etiam in cælis, vbi ſedet in gloria Dei patris.*
- MATERIA *& efficiente cauſa, quia tabernaculū illud terrenum manu fuit factum, hoc autem ipſe fixit Deus.*
- VSV: *maiora nanque offeruntur in nouo, quàm in veteri teſtamento.*
- FINE: *quia antiquum illud legis Moſaicæ tabernaculum, figura tantùm fuit noui. à princip. cap. 8. vſque ad verſic. Nunc autem melius.*

DE ANTIQVAE LEGIS PER SE CONSIDERATAE PRÆSTANTIA. TABVLA 121.

FALLI HEBRAEOS, *quòd maiorem putent antiquæ legis dignitatem, quàm Euangelij, declarat ex diſcrimine vtriuſque Teſtamenti:*

- *Veteris, quod*
  - *Promittit tantùm terrena, Eſaiæ 1. verſ. Si audieritis me.*
  - *Imperfectum fuit, vt patet ex promiſſione noui, Ieremiæ 31.*
  - *In membranis ſolùm fuerat ſcriptum.*
- *Noui, quod*
  - *Promittit ſpiritualia, Matthæi 5.*
  - *Perfectū eſt: quia ſubrogatum in locum imperfecti.*
  - *Non atramento, ſed ſpiritu in mente & cordibus ſcriptum eſt, Chriſtianorum. à d. verſ. Nūc autem melius.*

DE PAR-

DE PARTIBVS TABERNACVLI ET SANCTImonia eorum, quæ in eis retineri ſolebant. TAB. 122.

QVAM INfirma fuerit Hebræorum ex his petita argumentatio, patet ex diuiſiõe Tabernaculi

- *Veteris teſtamẽti in*
  - *Sancta, priorẽ ſcilicet tẽpli partem, in*
    - *Qua erant*
      - *Candelabra,*
      - *Menſa,*
      - *Propoſitio panum.*
    - *Quam ingrediebãtur*
      - *Omnes ſacerdotes,*
      - *Quotieſcunquè perficienda eſſent ſacra.*
  - *Sancta ſanctorum, poſteriorẽ tabernaculi partem, à priori, velamine quodam ſeparatam atq; diſtinctam, atque*
    - *Seruabantur ibi*
      - *Thuribulum aureum.*
      - *Arca teſtamenti, & in ea*
        - *Vrna aurea habens manna.*
        - *Virga Aaronis quæ fronduerat.*
        - *Tabulæ teſtamenti.*
    - *Sacri peragendi cauſa eò ingrediebatur*
      - *Nonniſi ſummus pontifex, ſemèl tantùm in anno.*
      - *Nec ſine ſanguine, quem & pro ſua & populi offerret ignorantia.*
- *noui teſtamẽti, in eccleſiam*
  - *Militantem ſeu peregrinantem, id eſt, huius ſeculi congregationem, quam ingredi poterant*
    - *Sancti patres etiam veteris teſtamẽti, qui & ipſi de eccleſia & ciuitate erant Dei.*
    - *Omni tempore.*
  - *Triumphantem, ad quam ante Chriſti aſſcenſionem, nulli vnquàm patuit acceſſus. Quanto itaque cœleſtis conuerſatio, huic terrenæ ſocietati eſt præſtantior, tanto etiam quæ in eccleſia geruntur Chriſtiana, præſtant ijs, quæ in veteri cõtinebantur tabernaculo. à princip. cap. 9. vſq; ad verſ. Quæ parabola eſt temporis inſtantis.*

DE SACRIFICIORVM EFFICACIA.

TABVLA 123.

SACRIFICIA VETERIS *legis eam efficaciam non habere, quã habet oblatio Chriſti, hoc loco non ampliùs quidẽ vna, ſed euidentiſſima demonſtrat ratione:*

- *Hircorum ſanguine, aut vitulorum cinere, corporum tantùm conferebatur ſanctificatio: quæ ſignificatio fuit ſanguinis Chriſti.*
- *Sanguis autem Chriſti ipſam confert gratiam, quam ſacrificia illa denotabant, & emundat hominum conſcientias ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuẽti. d. verſ. Quæ parabola eſt. vſque ad verſ. Et ideò noui teſtamenti mediator. eod. cap. 9.*

DE CON-

DE CONFIRMATIONE PROMISSIONVM vtriuſque teſtamenti. TABVLA 124.

QVOD HEBRAEI *iactabant veteris legis promiſſiones ſanguinis effuſione fuiſſe firmatas, id infringit Paulus ratione*

- *Ferè pari, quali in priori vſus eſt parte, quæ ad efficaciam pertinet ſacrificiorum: quòd ſcilicet lex noui teſtamẽti, longè precioſiori ſanguine roborata ſit, quàm antiquæ legis pacta.*
- *Alia etiam non minus firma: cùm enim voluntas teſtatoris non niſi mortis eius interuentu rata habeatur, atq; ea in veteri teſtamento non interceſſerit, ſed in nouo: conſequens eſt vt firmior ſit noui, quàm veteris, teſtamenti ſponſio.*

DE IVGI SACRIFICIORVM VSV. TABVLA 125.

FRVSTRA GLOriari *Iudæos de iugi & continuo veteris legis ſacrificio. Nam quòd oblationes teſtamenti*

- *Veteris frequentiùs repetebantur, id imperfectionis erat indicium, verſ. Non enim. vſque ad finem cap. 9.*
- *Noui autem teſtamenti oblatio mortis interuentu ſemèl tãtùm facta, non ſolùm perfecta, ſed omnibus omnium peccatis abluendis ſufficiens fuit & idonea: partim*
  - *Quia Chriſtus fuit vnus & ſolus, qui voluntatem diuinam, veriſſimum Dei ſacrificiũ, in omnibus adimpleuerit.*
  - *Quòd iam ſedeat ad dexterã Dei patris, cui ſe exhibet tanquàm pontificem pariter & hoſtiam pro totius mundi peccatis oblatam, toto cap. 10.*

APPENDIX EX B. CHRYSOSTOMO.

QVID ergò nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodò vna eſt, & non multæ? Quia ſemèl oblata eſt, oblata eſt in ſancta ſanctorum: hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius: idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium: ſed ſemper eundem ipſum. Proindè vnum eſt hoc ſacrificium hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquàm, ſed vnus vbiquè eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbiquè offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora, ità etiam & vnum ſacrificiũ. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit: ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem, conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meam commemorationem. Homil. 17. in epiſtola ad Hebræos.

DE PATRVM VETERIS TESTAMENTI RELIGIone in cæremoniarum legis obſeruatione. TABVLA 126.

PATRES *veteris teſtamenti Deo non legis obſeruatione, ſed fide potius placuiſſe,*

- *probat primũ à*
  - *Fidei definitione, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentũ non apparentium, cap. xj. in princip.*
  - *exemplo patrum, qui fuerunt*
    - *Ante legem, nempe*
      - *Abelis, qui fide meliorem obtulit hoſtiam, quàm Cain, verſ. Fide plurimam. eod.*
      - *Enoch fide translati, nè videret mortem, verſic. Fide Enoch. eod.*
      - *Noæ, qui fide aptauit arcam in ſalutẽ domûs ſuæ. verſ. Fide Noë. eod.*
      - *Abrahæ, qui fide exiens de terra ſua, & neſciẽs quò iret, terram promiſſam incognitam eſt ingreſſus, verſic. Fide, qui vocatur Abraham. eod.*
      - *Iſaac, qui de futuris benedixit Iacob & Eſau. verſ. Fide & de futuris. eod.*
      - *Iacob, qui moriens ſingulos benedixit filiorum Ioſeph, & adorauit faſtigium virgæ eius, verſ. Fide Iacob.*
      - *Ioſeph, qui moriens, de profectione filiorum Iſrael vaticinatus eſt, verſ. Fide Ioſeph. eod.*
    - *Eorum quæ acciderunt tẽpore datæ legis ſub Moiſe & Ioſue: Fide enim*
      - *Moiſes*
        - *Natus, occultatus eſt menſibus tribus à parẽtibus ſuis, verſ. Fide Moiſes. eod.*
        - *Grandis factus, negauit ſe filium eſſe Pharaonis. ibid.*
        - *Reliquit Aegyptum, ibid.*
        - *Celebrauit Paſcha, ibid.*
      - *Filij Iſrael tranſierunt mare rubrũ, tanquàm per aridam terram, verſ. Fide tranſierunt. eod.*
      - *Muri Iericho corruerunt, verſ. Fide muri. eod.*
      - *Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores, verſ. Fide Raab.*
    - *Poſt iam datam legem, tẽpore ſcilicet Iudicum & Prophetarũ, qui & ipſi per fidem*
      - *Vicerunt regna,*
      - *Operati ſunt iuſtitiam,*
      - *Adepti ſunt repromiſſiones,*
      - *Obturauerunt ora leonum,*
      - *Extinxerunt impetum ignis,*
      - *Effugerunt aciem gladij,*
      - *Conualuerunt de infirmitate,*
      - *Fortes facti ſunt in bello,*
      - *Caſtra verterunt exterorum,*
      - *Acceperunt mulieres de reſurrectiõe mortuos ſuos, verſ. Et qd adhuc dicã? d. c. xj.*
- *Deindè ex hac probatione concludit, in fide Chriſtiana perſeuerandum, ac eius nomine pro cuique quiduis perferendum eſſe, cap. 12. in princip.*
- *Ad hæc Hebræorum hac in re negligentiam reprehendit, & incuriam, verſ. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. &c. eod.*
- *Deniquè modum præſcribit, quo hanc virtutem, quam tantoperè deſiderauit in Hebræis, fidei ſcilicet conſtantiam, acquirere quis ac tueri queat: id quod efficitur*
  - *Vitæ honeſtate.*
  - *Morum ſanctimonia, verſic. Propter quod remiſſas. eod.*

DE SIGNIS

DE SIGNIS ET MIRACVLIS RECTE dijudicandis. TABVLA 127.

MAIORA ESSE *ſigna & miracula nouæ legis, quàm antiquæ, iterùm per collationem oſtendit Teſtamenti*

Veteris, cuius tanta erat aſperitas, vt etiam perfecti terrerētur: neque in tanta, quæ tum erat, conſcientiarum perturbatione auxiliatricem habebant gratiam. verſ. Non acceſſiſtis, cap. 12. & ibi gloſſa. in verb. Et ſi beſtia tetigerit &c.

Noui, cuius iugum etiam imperfectis ſuaue eſt, & onus leue. Ibidèm. vſque in ſin. d. cap. 12. & Matthæi xj.

DE SENTENTIA, QVA PRAEFATA controuerſia deciditur. TABVLA 128.

SVMMA HVIVS SENtentiæ *hæc eſt, quòd cùm legis euangelicæ ratio, antiquæ legis obſeruationem non dignitate tantùm, ſed authoritate etiam, haud aliter quàm corpus ſuperet vmbram: in ea religionis puritate cuiuis, qui modò ſaluari cupiat, cum omni timore & reuerentia ſit perſeuerãdum. verſ. Itaque regnū. in ſin. ca. 12. Quod ità futurum putat, ſi ſequamur*

Charitatem fraternam. cap. 13. in principio.

Hoſpitalitatem, ibid.

Caſtitatem, verſ. Honorabile connubium. eod.

Mediocritatem, verſ. Sint mores ſine auaritia. eodem.

Sinceram fidem orthodoxæ religionis, ſpretis doctrinis varijs & peregrinis, verſ. Mementote præpoſitorum. eod.

Sobrietatem & abſtinentiam ab eſcis carnalibus, verſic. Optimum eſt enim gratia. eod.

Gratiarum actionem, verſic. Per ipſum ergò offeramus. eodem.

Obedientiam & humilitatem, verſic. Obedite præpoſitis veſtris. vſque ad verſic. Orate. Nam quæ indè ſequuntur vſque in finem capitis huius decimitertij & vltimi, commendationem continent mutuam, qua D. Paulus hanc concludit epiſtolam.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO AC PIO BARTHOLOMAEVS LAVRENS, COGNOmento vulgari Poin, Salutem.

QVæ ſequitur hoc loco, id eſt, facie huius ſolij altera, de ſanctiſſimo Ieſu aut Chriſti nomine figuralis tabula, ea cõplures ante annos à me obitèr in ocio, licèt non abſque negocio & labore ſingulari, confecta fuit: idque in vſum & gratiã eorum, qui vel ſtudioſè pij, vel piè ſtudioſi quidem ſint, verùm ꝑ occupatiões varias ac multiplices, quibus aſſiduè & variè diſtrahũtur, eiuſcemodi anxijs numerandi aut ſupputandi ſtudijs, qualibus in ſequenti hac tabula vtendum fuit, inſiſtere nec velint, nec poſſint. Edendæ autem eiuſdem ſeu Tabulæ ſeu figuræ nulla ſe mihi iãpridèm apta cõmodáve obtulit occaſio, tametſi diù anxiè expectata, niſi ꝙ paucis quibuſdam familiaribus calamo pennáve ſolùm cõmunicaretur. Eapropter cùm aliquandò tandèm poſt diutinã expectationem, hoc præſens Tabularum ſiue Partitionum Theologicarum clariſſimi doctiſſimique viri D. Georgij Ederi Opus hîc apud nos edẽdum obtigiſſet, tum verò mihi hactenùs fruſtrà diuque ꝑſtolato, vlteriùs viſum non eſt, opportunitatẽ vllam aliã, quæ vel commodior vel aptior eſſe viderive poſſet, diutiùs aut petitũ, aut ꝑſtolatum iri. Miſſaque hac mea meis cum literis ad ſupradictum D. Ederũ tabulari deſcriptione, citiùs ac faciliùs, q̃ ſpes erat, non modò hoc ipſum quod volui, impetraui: verùm plus etiã, immò maius aliq̃d àc petij, petereve auſus fui, obtinui. Conſultus enim ſeu rogatus à me ipſe D. Ederus de hac ſupradicta tabula, nũ videlicet æquo ſufferre poſſet aut vellet animo, ſi cum bona D. ſuæ venia, eiuſmodi quid ſuarũ Tabularũ fini, perindè atq; auctarij ſeu Corollarij non impertinentis inſtàr adijceretur: conſultationem ſiue petitionẽ hanc meam non ſolùm nõ reiecit, ſed vltrò etiã obuijs quodãmodò vlnis accepit: voluitq́; ac iuſſit, vt antedicta hæc de Ieſu aut Chriſti nomine figuralis tabula, vel ante ſuas illarũ quatuordecim Apoſtoli Pauli epiſtolarum Tabulas, vel certè mox ab earum expeditarũ fine, quẽadmodùm & hîc ob oculos factũ appáret, insereretur. nam huc, id eſt, ad ipſum apoſtolum Paulũ, ſeu ad eius quatuordecim epiſtolas, eam Tabulã peculiariter ac vnicè ſpectare. Habes ſtudioſe lector breuiter ac dilucidè redditam oſtenſamq́; ſequentis Tabellulæ huc aliundè ꝑter ſpem inſertæ rationem & occaſionem. Si proindè tibi hæc ipſa quæ hîc ſequit̃ ſiue tabula ſiue figura, videbitur neq; ingrata, neque illepida, neque inutilis aut in præſentiarùm eſſe, aut in poſterũ fore, memineris & nôris, editionem hanc eius præſentem, non tam authori, q̃ promotori eiuſdem D. Georgio Edero acceptum ferri oportere. Id ſedulò curaturus, noſtrã hanc qualemcunq; opellam boni conſule: meiq́; in tua apud Dominum Ieſum Chriſtum deuotione haud obliturus, benè diuque vale. Coloniæ ex officina Quenteliana, quarto Idus Decemb. 1567.

DE SVAVISSIMO ET SANCTISSIMO CHRISTI IESV nomine, quotiès eius in Paulinis tantũ epiſtolis & ſalutaris & celebris fiat mentio, authore Bartholomæo Laurente Neomagenſi.

NOMIne *IESV CHRISTI, ſeu CHRISTI IESV cõiunctim, aut ſeorsìm Chriſti, ſeorſimq́ Ieſu, vſus eſt Apoſtolus Paulus in ſuis 14. epiſtolis quadringentiès ac ſexagiès, id eſt, vicibꝰ quadringentis & ſexaginta:*

vtputà in epiſtola ad — *Videlicet in capite*

Epiſtola ad	Videlicet in capite
Romanos, bis ac ſeptuagiès, id eſt, vicibus ſeptuagintaduabus.	*Primo quinquies, ſecũdo ſemel, tertio ter, quarto ſemel, quinto ſepties, ſexto ſepties, ſeptimo bis, octauo nouies, nono ter, decimo quinquies, (vndecimum vacat) duodecimo ſemel, decimotertio ſemel, decimoquarto quinquies; decimoquinto duodecies, decimoſexto octies.*
Corinthios — *Priore, tèr & ſeptuagiès, id eſt, vicibus 73.*	*Primo ſepties ac decies, ſecundo ter, tertio quater, quarto ſepties, quinto quater, ſexto ter, ſeptimo ſemel, octauo bis, nono ter, decimo ter, vndecimo quater, duodecimo quater, (decimũtertium & decimumquartum vacãt) decimoquinto quindecies, decimoſexto ter.*
Corinthios — *Altera, octiès & quinquagiès, id eſt, vicibus 58.*	*Primo octies, ſecũdo quinquies, tertio ter, quarto decies, quinto nouies, ſexto ſemel, (ſeptimum vacat) octauo bis, nono ſemel, decimo quinquies, vndecimo ſepties, duodecimo quater, decimotertio ter.*
Galatas, ſemèl & quadragiès, id eſt, vicibus 41.	*Primo ſepties, ſecundo nouies, tertio vndecies, quarto ter, quinto quinquies, ſexto ſexies.*
Epheſios, nouiès & quadragiès, id eſt, vicibus 49.	*Primo vndecies, ſecundo octies, tertio nouies, quarto ſepties, quinto decies, ſexto quater.*
Philippenſes quadragiès, id eſt, vicibus 40.	*Primo decies ac nouies, ſecundo octies, tertio nouies, quarto quater.*
Coloſſenſes, octiès & viciès, id eſt, vicibus 28.	*Primo octies, ſecũdo ſepties, tertio nouies, quarto quater. Quanq̃ inter hæc Ieſus ꝓ alicuiꝰ diſcipuli nomine, cognomẽto Iuſti, ſemel vſurpatur.*
Theſſalonicenſes — *Priore, viciès, i. vicibus 20.*	*Primo ter, ſecundo quater, tertio ter, quarto ſexies, quinto quater.*
Theſſalonicenſes — *Altera, quatèr ac deciès, id eſt, vicibus 14.*	*Primo ſexies, ſecundo quater, tertio quater.*
Timotheum — *Priore quindeciès, i. vicibꝰ 15.*	*Primo ſepties, ſecundo ſemel, tertio ſemel, quarto ſemel, quinto bis, ſexto ter.*
Timotheum — *Altera, quater ac deciès, id eſt, vicibus 14.*	*Primo ſexies, ſecundo quater, tertio bis, quarto bis.*
Titũ, quater, i. vicibus 4.	*Primo bis, ſecundo ſemel, tertio ſemel.*
Philemonem, nouiès: id eſt, vicibus nouem.	
Hebræos, tèr & vigeſiès, id eſt, vicibus 23.	*Secundo (nam primũ vacat) ſemel, tertio ter, quarto bis, quinto ſemel, ſexto bis, ſeptimo ſemel, (octauũ vacat) nono quater, decimo bis, vndecimo ſemel, duodecimo bis, decimotertio quater. Quanuis & inter hæc Ieſus ſemel pro Ioſue vſurpetur.*

Hoc vno eſt tantùm nomine certa ſalus.

DE EPI.

DE EPISTOLIS CANONICIS.

CONTINVATIO.

DISTRIBVTIS per ſuas partes illis epiſtolis, quæ ab Apoſtolo Paulo nominatìm vel ad certos populos, vel ad perſonas ſcripræ ſunt certas: ſupereſt, vt earum nũc epiſtolarum, quas alij apoſtoli non vni populo, aut ciuitati, ſed vniuerſæ ſcripſerunt eccleſiæ Chriſtianæ, ac ob id vel canonicæ, vel catholicæ appellari conſueuerunt, fiat diſtributio.

QVAE ET QVOT EPISTOLAE SVNT CANONICAE.

TABVLA 129.

VT SEPTEM *ſunt ſpiritusſancti dona, ità ſeptē ſunt epiſtolæ Canonicæ:*
- *Iacobi I.*
- *Petri II.*
- *Ioannis III.*
- *Iudæ I.*

Quæ pertinent vel ad
- *Omnium eccleſiarum membra,*
- *Diuerſos hominum ordines & ſtatus,*
- *Virtutes Theologicas,*
- *Confirmationem doctrinæ Apoſtolicæ.*

QVARE DICANTVR CANONICAE.

CANONICAE hæ dicuntur epiſtolæ, vel à ſacro ſcripturarum Canone, id eſt, authenticæ, ꝙ hæ ad differentiam earum, quas alij ſub falſo apoſtolorum ediderãt nomine, ſolæ in catalogum ſacrarum ſcripturarũ receptæ ſint, & authoritatem diuinæ habeant ſcripturæ, vel à regula, ꝙ ſaluberrima atq; certiſſima credendorum agendorumq;, hoc eſt, cùm fidei, tum morum, contineant præcepta. Gloſſa & Dionyſ. hîc in prooemio.

QVAM OB REM NON ET PAVLI EPISTOLæ dicantur Canonicæ.

ET quanuìs propter has rationes etiam apoſtoli Pauli epiſtolæ poſſent dici Canonicæ, magis tamen hoc nomen his impoſitum eſt epiſtolis, ꝙ à diuerſis authoribus ſint conſcriptæ, & ità ab vno eorum peculiare aliquod nomen ſortiri nequirent, ſed commune eis aliquod tribuendum erat nomen, Nomen vtiq; cõdignum & venerabile. Dionyſ. ibid.

VNDE APPELLATAE SVNT CATHOLICAE

CATHOLICAE dicuntur, ꝙ eam contineant fidei doctrinam quæ vniuerſalis eſt, & à communi Apoſtolorum conſenſu nihil diſcrepat. Gloſſ. in d. procem. Auguſtinus eaſdem vocauit apoſtolicas, in lib. de fide & operibus, cap. 14.

ALIA RATIO EX OECVMENIO.

CATHOLICAE, id eſt, vniuerſales dicuntur hæ ſiue orbiculares, ꝙ nõ diſtinctìm vni genti aut ciuitati (quemadmodùm D. Paulus Romanis aut Corinthijs) has dedicat epiſtolas huiuſmodi diſcipulorum Domini cœtus, ſed vniuerſaliter fidelibus, ſiue Iudæis qui diſperſi erant, ſicut etiam Petrus, aut etiã omnibus Chriſtianis ſub eadẽ fide degentibus. Oecumenius ante Cõmentar. in epiſt. Iacobi.

DE DVPLICI EPISTOLARVM CANONIcarum ordine.

TABVLA 130.

DVPLEX EST, *vt babēt hoc loco præfatio vulgata & Gloſſ. harum epiſtolarum ordo:*

Dignitatis, de quo hîc in prologo vulgato legitur: Nõ ità ordo eſt apud Græcos, inquit, qui integrè ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, ſicut in Latinis codicibus inuenitur: vt quia Petrus eſt primus in ordine apoſtolorum, primæ ſint etiam eius epiſtolæ in ordine cæterarum &c.

Temporis, quo ab authoribus ſuis ſunt editæ. Scripſerunt enim hi apoſtoli eo ferè ordine, quo eorum ſcripta in ſacris Biblijs communiter collocata ſunt.

DE HARVM EPISTOLARVM MATERIA SIVE argumento, ex præfatione D. Thomæ ad eaſdem. TABVLA 131.

MATERIA, inquit, huius libri eſt, contemptus mūdanæ proſperitatis. Nam in Canonica
- *Iacobi*
- *Petri*
- *Ioannis*
- *Iudæ*

Deſcribitur
- *Suſtinentia aduerſitatis.*
- *Amor ſupernæ & diuinæ charitatis.*
- *Fuga carnalis voluptatis.*
- *Deletio veterum literarum, hoc eſt, peccatorum: & ſuperſcriptio nouarum, id eſt,*
  - *Gratiarum,*
  - *Virtutum,*
  - *Donorum,*
  - *Bonorum operum.*

DE HVIVS VOLVMINIS PARTIBVS.

TABVLA 132.

LIBER EPISTOLARVM CANOnicarum *diuiditur ſecundùm numerum*
- *Authorum*
- *Epiſtolarum*

In partes
- *Quatuor,*
- *Septem.*

VTRIVSQVE PARTIS PROBATIO, EX HIERON.

IACOBVS, Petrus, Ioannes & Iudas, ſeptem ediderunt epiſtolas, tam myſticas, quàm ſuccinctas, & breues pariter ac longas: Breues in verbis, longas in ſententijs, vt rarus ſit, qui non in earum lectione cæcutiat. Hieron. ad Paulin.

EPISTOLA CATHOLICA IACOBI APOSTOLI, DE FIDEI FRVCTIBVS,

& hominis Chriſtiani operibus, Liber Bibliorum LXV, Partis ſecundæ libri quarti, decimusquintus.

ORDINIS RATIO.

CVM D. Iacobus inter reliquos huius ordinis apoſtolos omnium ſcripſerit primus, meritò eius epiſtola primum inter Catholicas obtinuit locum, prout explicatiùs in proxima dicetur epiſtola Petri prima. Lyran. in prolog. canon. epiſt.

DE HVIVS EPISTOLAE AVTHORE.

ETSI ex nouatorib⁹ aliqui affirmare auſint, cùm plures huius nominis fuerint, (vnus enim Zebedæi, alter Alphæi dicebatur filius, quibus aliqui etiam addunt tertium, qui, vt Paulus, extra numerum duodecim ad apoſtolatum ſit vocatus) incertum eſſe, vter ex his, præſentem ſcripſerit epiſtolam: D. Hieron. tamen in libro de viris illuſtribus ità eum graphicè deſcripſit, vt dubium eſſe nemini queat, huius epiſtolæ eum eſſe authorem, qui dictus eſt Alphæi, ſiue Iacobus minor: Minor, inquam, vocatione ad Apoſtolatum, nō virtutum ſanctitate & perfectione. Dionyſ. Carthuſian. hîc cap. 1. in princip.

VERBA D. HIERONYMI.

IACOBVS qui appellatur frater Domini cognomento Iuſtus, vt nōnulli exiſtimant, Ioſeph ex alia vxore: vt autem mihi videtur, Mariæ ſororis matris Dñi, (Ioan. 19.) cuius Ioannes in libro ſuo meminit, filius, poſt paſſionem Dñi, ſtatìm ab apoſtolis Hieroſolymorum epiſcopus ordinatus, vnam tantùm ſcripſit epiſtolam, q̄ de ſeptem Catholicis eſt. Hieron. de viris illuſt. vbì etiam alia de hoc ipſo Iacobo ex patribus adducit teſtimonia, vt ſunt hæc quæ ſequuntur:

EX EGESIPPO.

EGESIPPVS, inquit, vicinus apoſtolorū temporū, in q̄nto Cōmentariorū libro de Ia-

de Iacobo narrans, ait: Suſcepit eccleſiam Hieroſolymæ poſt apoſtolos frater Domini Iacobus,cognomento Iuſtus. Hic de vtero ſanctus fuit: Vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunq̃ attonſus eſt,nec vnctus vnguento,nec vſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum. Veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſolusq; ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur, vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum eſſet.

EX IOSEPHO ET CLEMENTE.

SED & Ioſephus in XX.libro Antiquitatum,& Clemens in ſeptimo hypotypoſeon, id eſt, informationum, dicunt: Mortuo Feſto, qui Iudæam procurabat,Albinum ſucceſſorem eius miſſum à Nerone, qui cùm needùm ad prouinciam ꝑueniſſet, Ananus,inquit, pontifex adoleſcens, Anani filius,de genere ſacerdotali, accepta occaſione ἀναρχίας, Concilium congregauit, & compellens publicè Iacobum, vt Chriſtum Dei filium denegaret,contradicentem lapidari iuſſit. Qui cùm præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, ſemiuiuus tollens ad cælum manus, diceret: Domine,ignoſce eis: quod enim faciunt, neſciunt: fullonis fuſte in cerebro percuſſus,interijt.

TESTANTVR ETIAM ACTA APOSTOLORVM.

TRIGINTA annos Hieroſolymis rexit eccleſiam, vſq; ad ſeptimū Neronis annum. Iuxta templum,vbì & præcipitatus fuerat, ſepultus eſt. Titulum vſque ad obſidionem Titi & vltimam Adriani,notiſſimum habuit.Quidam è noſtris, putauerunt eum in monte oliueti conditū: ſed falſa eorū eſt opinio.Hieron.ibid.

SENTENTIA VENERAB. BEDAE.

DIXIT de hoc Iacobo Paulus ad Galat.2.Iacobus,& Cephas,& Ioannes,qui videbantur columnæ eſſe,dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentibus, illi autem in circunciſione prædicarent. Beda hîc cap.1. in princip.

AN HAEC EPISTOLA SIT AVTHENTICA.

SEDITIONIS illius, qua etiamnùm catholica premitur eccleſia,author, eò adductus eſt aliquandò blaſphemiæ, vt hanc epiſtolam, quam ſuo de fide & operibus falſo dogmati conſtanter obſiſtere videbat, à ſacro ſcripturarum Canone, authoritate ſeu libidine potiùs priuata,penitùs excludere nō ſit veritus. Quam blaſphemiam aliqui, quos habuit ille dogmatis ſui ſectarios,hoc prætextu colorare nitebantur, quòd de illius epiſtolæ authoritate D.etiam Hieron.& Euſebius Cæſarecnſis iam olìm addubitâſſe viderentur.

QVAE D. HIERONYMI HAC DE RE FVERIT SENTENTIA.

D. Hierony.ſentētiam de authoritate huius epiſtolæ, iam ſuprà recitauimus in hæc verba: Iacobus qui appellatur frater Dñi &c.vnā tantū ſcripſit epiſtolā, q̃ de ſeptē catholicis eſt, q̃ & ipſa ab alio quodā,noīe eius edita aſſeritur,licèt paulatim ꝓcedente tempore obtinuerit authoritatē. Hieron.de viris illuſtrib.

SENTENTIA EVSEBII.

HACTENVS de Iacobo,inquit, cuius illa habetur epiſtola, quæ prima ſcribitur inter eas, quæ catholicæ appellantur.Sciendum tamen eſt,quòd à nonnullis nō recipiatur,nec facilè quis antiquorū meminerit eius:ſicut ne illius quidem quæ dicitur Iudæ,q̄ & ipſa eſt vna de ſeptem.Nos tñ ſcimus etiam iſtas cum cęteris,ab omnibus penè eccleſijs recipi. Euſeb.lib.eccleſiaſt.hiſtor.2.cap.23.

RESPONSIO AD VTRANQVE AVTHORITATEM.

ILLVD hoc loco monendum eſt, neq; Hieronymum, vt iſti falsò illi imponunt, neque quenquam eorum,quos ꝓbatæ fidei tulit antiquitas, de hac epiſtola dubitâſſe, ſed tantùm aliquorum dubitationem,cui tamen ipſi non ſubſcriberēt, retuliſſe. Quod verum eſſe,nō obſcurè ex vtriuſq; patet verbis. Nam etſi ab alio edita aſſereretur,inquit Hierony. paulatim tamē obtinuit authoritatem. Et Euſebius: Nos tamen ſcimus,ait, etiam iſtas (Iacobi ſcilicet & Iudæ) cum cæteris ab omnibus penè eccleſijs recipi.

Demùm, ſi fuerunt aliqui, qui de hac epiſtola dubitârint, cùm illos, qui fuerint, neſciamus, neque veterum rerum ſcriptores eorum nomina poſteritati mandârint: quis niſi rerum nouarum molitor, eoſdem ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, tum Græcis, tum Latinis, qui ex eadem epiſtola teſtimonia citât, aut in eam ſcripſerunt commentaria, præponat? Certè ſi dignæ illorum fuiſſent dubitandi rationes, nec Hieron. nec Euſebius eas tacuiſſent, Immò aut illis darent victas manus, aut eaſdem diluerent, vt in minoribus cõtrouerſijs agere ſolent. Medina de recta in Deum fide lib.6.cap.23.

HAERETICVM ESSE, EPISTOLAM IACOBI in canonicas non referre, ex D. Melchiore Cano.

PRIMO, quoniam Hieronymus in lib. de viris illuſtrib. aſſerit hanc (licèt aliqñ fuerit dubitatum) paulatìm tamen procedente tempore meruiſſe authoritatē. Iam ergò vel D. Hieron. ætate epiſtolam hanc Eccleſia receperat.

Item, quoniam Innocentius & Gelaſius cum concilio 70. epiſcoporum, Cõciliaque omnia, Carthaginenſe, Laodicenſe, Florentinum, Tridentinũ, eam inter ſacras repoſuerunt.

His adde ſanctos antiquos, Vrbanum Papam in epiſtola de cõmuni vita, Alexandrum 5. à Petro, in epiſt. ad omnes epiſcopos, Anacletum in epiſt. de oppreſſione epiſcoporum, Marcellum papam in epiſtola ad epiſcopos Antiochenæ prouinciæ, Concilium Mileuitanum canon.7. Omnes deniq; iuniores cum veteribus Theologis ſcholaſticis, breuiter omnes Catholicos vſu quippe Eccleſię legitur vbiq; gentium pro ſacra & apoſtolica, & quos dixi, hanc epiſtolam Iacobi Apoſtoli, Iacobi inquam apoſtoli eſſe affirmârunt, idq; Eccleſiæ vniuerſalis vſu confirmante. Temerarium eſt itaq;, nè dicam erroneum, huius epiſtolæ certitudinē velle aut ex incerto authore, aut ex ſtylo ſalutationis (vt alij quidam faciũt) infirmare, idque argumento leuiori quàm cui reſpondere debeamus. Canus libro 2. de locis Theologicis cap.9. & 11.

QVI AVTHORES HVIVS EPISTOLAE VSI fuerunt teſtimonijs. TABVLA 133.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

IACOBI *epiſtola vtitur Dionyſius Areopagita, in lib. de cæleſti Hierarchia, illo loco: Omne datum optimum, Iacobi 1.*

IOANNES DAMASCENVS

IN *hiſtoria Barlaam vſurpat illud, Fides ſine operibus mortua eſt. Iacob. 2.*

CYRILLVS ALEXANDRINVS

LIBRO *de recta fide ad reginas, vſurpat illud, Vnus eſt enim legiſlator & Iudex &c. Iacob. 4. & dialog. 1. de Trinit. illud, Si quis indiget ſapientia, Iacob. 1. Idem lib. de fide ad Reginas, vſurpat illud, Omne datum optimum, Iacob. 1. & illud, Subditi eſtote Domino, Iacob. 4.*

AVGVSTINVS

IN *libro de vanitate ſeculi, cap. 1. vſurpat illud, Amicitia huius mundi inimica eſt Deo. Iaco. 4. Idem in Euangelium Ioan. tract. 6. & de verbis Apoſtoli ſerm. 16. illud, Dæmones credunt, & contremiſcunt, Iacobi 2. Idem lib. de ſancta virginitate, cap. 42. illud, Si quis indiget ſapientia, Iacobi 1. Idem libro de rectitudine catholicæ conuerſ. illud, Beatus vir qui ſuffert tentationem, Iacobi 1. Libro de fide & operibus, cap. 14. 15. & 16. tractat illud, Fides ſine operibus mortua eſt, Iacobi 2. libro de 4. virtutibus charitatis illud, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi &c. Iacobi 2. Libro de natura & gratia contra Pelag. cap. 58. illud, Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Iacobi 4. De viſitatione infirmorum, cap. 4. Illud, Infirmatur quis in vobis? Iacobi 5. & ibidèm illud, Confitemini alterutrùm peccata veſtra, Iacobi 5. Libro de natura & gratia contra Pelagian. & de verbo Domini ſerm. 4. illud: Linguam nullus hominum &c. epiſt. 29. ad Hierō. exponit illud, Offendēs in vno, factus eſt omnium reus cum ſimilibus alijs penè infinitis. Medina d. lib. 6. cap. 9.*

Etiam dæmones credunt.

TESTI-

TESTIMONIVM ADVERSARIORVM.

QVIN ipſi quoq; aduerſarij, blaſphemiam præceptoris ſui agnoſcentes, rei ipſius veritate permoti, hãc epiſtolam admittere coacti ſunt. Sic enim ad eam ſcripſit tandem illorum anteſignanus quidam: Etſi de hac epiſtola nonnihil apud quoſdam addubitatum eſt, tamen quia nulla eſt cauſa, ob quam repudianda ſit, libenter eam ſine cõtrouerſia amplectimur, tum propter antiquitatem, tum ꝓpter ſalubria quæ illic continentur præcepta. Et alius in hæc verba: Quarè nobis ad recipiendam hanc epiſtolam ſatis eſt, quòd nihil cõtinet Chriſti apoſtolo indignum, multiplici verò doctrina ſcatet, cuius vtilitas ad omnes Chriſtianæ vitæ partes latè patet.

AD QVOS SCRIPSERIT APOSTOLVS Iacobus.

DVODECIM ſcribit tribubus, quæ ſunt in diſperſione. Legimus enim, occiſo à Iudæis B. Stephano, quia facta eſt, in illo die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis. & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos. His ergò diſperſis, qui perſecutiõem paſſi ſunt propter iuſtitiam, mittit epiſtolam. Nec ſolùm his, verùm etiam illis, qui percepta fide Chriſti, necdùm operibus perfecti eſſe curabant, ſicut ſequentia epiſtolæ teſtantur. Necnon & eis, qui etiam fidei exortes durabant, quin & ipſam in credentibus, quantùm valuêre, perſequi ac perturbare ſtudebant. Beda hìc cap. I. in principio.

ARGVMENTVM EX OECVMENIO.

SCRIBIT autem aptam ad docendum epiſtolam, docens de tentationum varietate, quænam à Deo ſit, & quæ à proprio corde hominum, quodq; non verbo tantùm, ſed & opere fidem oporteat oſtendere, neq; auditores legis, ſed effectores iuſtificari. De diuitibus quoq; præcipit, nè in cœtu eccleſiæ præponantur pauperibus, ſed potiùs increpentur, tanquàm faſtuoſi ac ſuperbi.

Et tandem conſolatur illos, qui iniuria afficiuntur, eosq; hortatur vt lõganimes ſint vſque ad iudicis aduentum: Vbi etiam de Patientiæ commodo, exemplo Iob docuit, præcipit aduocari presbyteros ſuper infirmos, vtque ſtudeant ad veritatem conuertere eos, qui ſeducti ſunt, aut qui errãt: ait enim, huius mercedem eſſe à Domino peccatorum remiſſionem, & ità concludit epiſtolam.

ALIVD BREVIVS ARGVMENTVM, QVOD in Biblijs huic præfixum eſt epiſtolæ.

IACOBVS Apoſtolus ſanctum inſtituit clerum de cultura cæleſtium præceptorum, & regula Catholicæ obſeruantiæ. & de inuictæ patientiæ Maieſtate, & de reuelatione plurimorum, & de mendacio Magiſtrorum. Author argumenti ad hanc epiſtolam.

DE PARTIBVS EPISTOLAE D. IACOBI Apoſtoli. TABVLA 134.

QVANDO ad virtutem pertineat, vitiũ fugere, D. hîc Iacobus eos, qui ex 12. tribubus diſperſi fuerant, contra omnis generis vitia quæ tum in Eccleſiam irrepſiſſe videbantur, munire ſtudet armis

- FORTITVDINIS *& conſtantiæ, à princip. cap. 1. vſque ad verſ. Si quis autem.*
- SPEI *& fiduciæ, d. verſ. Si quis. eodem.*
- AEQVANIMITATIS, *verſ. Glorietur eod.*
- PVDICITIAE, *ver. Beatus vir qui ſuffert tentationem. eod.*
- VERBI *Dei, ver. Scitis autem fratres mei. vſque in fin. d. cap. 1.*
- IVSTITIAE, *à princip. cap. 2. vſque ad verſ. Sic loquimini &c.*
- OPERVM *miſericordiæ & pietatis, d. ver. Sic loquim.*
- ASSIDVITATIS *& vigilantiæ. ver. Sed dicet aliquis. vſque in fin. cap. 2.*
- LINGVAE *temperatæ. in princip. cap. 3.*
- SAPIENTIAE, *ver. Quis ſapiens? vſque in finem eiuſdem cap. 3.*
- HVMILITATIS *& obedientiæ, cap. 4. in princip.*
- POENITENTIAE, *ver. Appropiate. eod.*
- BENIGNITATIS *& beneuolentiæ, ver. Nolite detrrahere eod.*
- INTEGRITATIS *conſcientiæ, ver. Eccè nunc qui dicitis. vſque in fin. cap. 4.*
- MEDIOCRITATIS, *cap. 5. in princip.*
- SOBRIETATIS *& temperantiæ. ver. Epulati eſtis. eod.*
- LONGANIMITATIS, *verſ. Patientes eſtote, eod.*
- RELIGIONIS, *ver. Ante omnia fratres, eod.*
- CHARITATIS *proximi. ver. Confitemini ergò, & orate.*
- CORREPTIONIS *mutuæ, verſ. Si quis autem ex vobis. vſque in fin. cap. quinti & vltimi.*

DE FOR-

DE FORTITVDINE ET CONSTANTIA.

TABVLA 135.

CHRISTIANO HOmini in aduerſis gaudendũ eſſe, ferè tali probat gradatione. Nã
- TENTATIO
- PATIENTIA
- PERFECTIO

Operatur
- *Patientiam,*
- *Perfectionem,*
- *Vitã æternam. cap.1.ver. Omne gaudium exiſtimate.*

DE SPE ATQVE FIDVTIA.

TABVLA 136.

NECESSITATIS *tempore ad Deum recurrendum, eiq́ fidendũ eſſe, quinq́ docet argumẽtis. Quia dat*
- *Libenter, modò nihil hæſitet qui in fide poſtulat.*
- *Omnibus, nemine excluſo.*
- *Liberaliter.*
- *Abſque omni exprobratiõe.*
- *Certò.*

Patet ex verſic. Si quis aũt, ponderando dictiones,
- *Poſtulet,*
- *Qui dat omnibus,*
- *Affluenter,*
- *Et non improperat,*
- *Et dabitur ei. d. verſ. Si quis autem.*

DE AEQVANIMITATE. TABVLA 137.

HVIVS VIR*tutis proprium eſt, animum in*
- *Proſperis*
- *Aduerſis*

Non
- *Efferre,*
- *Deijcere. verſ. Glorietur. d. cap. 2.*

DE PVDICITIA ET CASTITATE.

TABVLA 138.

DESCRIBENS *caſtitatis pugnã cum libidine, docet duo:*
- *Deum non eſſe, qui nos tentet laſciuia, ſed carnẽ propriam. Nõ enim genuit nos Deus vt ſimus mali, ſed boni, cùm poteſtatẽ dederit omnibus filios fieri Dei. Itaque*
  - *Caro*
  - *Concupiſcẽtia*
  - *Peccatum*

  parit
  - *Cõcupiſcẽtiam,*
  - *Peccatũ,*
  - *Mortem.*
- CONTRA *eam tamen carnis malitiam ſiue ſtimulum, eſſe hoc quaſi remedium & ſingulare donum Dei, continentiam, cuius præſidio reſiſtitur tentationi, eaq́ ſuperatur. verſ. Beatus vir qui ſuffert tẽtationem, &c.*

DE VER-

DE VERBO DEI. TABVLA 139.

VERBVM dei, de quo Apoſtolus agit in verſ. Scitis fratres.d.cap.1. conſiſtit

- NON in
  - *Linguæ petulantia,*
  - *Ira & contentione verborum,*
  - *Neque nudo auditu. Nõ enim qui auditores ſunt verbi, iuſtificabuntur, ſed factores.*
- SED in
  - *Manſuetudine cordis,*
  - *Bonis operibus,*
  - *Religiõe munda & immaculata, cuius actiones ſunt,*
    - *Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum:*
    - *Immaculatũ ſe cuſtodire ab hoc ſeculo, d.v. vſque in fin.cap.1.*

DE IVSTITIA. TABVLA 140.

RESPECTVM *perſonarũ eſſe pernicioſum, tribus oſtenditur argumentis, tum*

- QVIA *reſpectus eiuſmodi per ſe eſt iniquus:*
- QVIA *Deus elegit pauperes in hoc mundo,*
  - *Diuites in fide,*
  - *&*
  - *Hæredes regni.*
- QVIA *diuites plerunq; ſunt*
  - *Crudeles*
  - *&*
  - *Blaſphemi & infideles, cap. 2. à princ. vſq; ad verſ. Sic loquimini.*

DE OPERIBVS MISERICORDIAE ET pietatis. TABVLA 141.

OPERA PIETATIS *& miſericordiæ homini Chriſtiano eſſe neceſſaria, propter hæc tria,*

- LEGEM *libertatis Chriſtianæ, hoc eſt, charitatis fraternæ, qua proximum iubemur diligere ſicut noſipſos, verſ. Sic loquimini, & ſic facite, cap. 2. in verb. ſicut per legem.*
- IVDICIVM *diuinum. Non enim alij miſericordiam conſequentur, quàm qui ipſi fuerint miſericordes. ibidem in verbo, Iudicium enim &c.*
- FIDEI *veritatem. Nihil enim proderit cuiquam, ſi dicat ſe habere fidem, opera autem non habeat. d. ver. Sic loquimini, in verſ. Quid proderit?*

DE AS-

DE ASSIDVITATE ET PERSEVERANtia in operibus fidei. TABVLA 142.

TRIA SVNT, *quæ hominem Chriſtianum ad perſeuerantiam in operum exercitio mouere debent. opera enim,*

- QVAM *quiſque fidem habeat, declarant. verſ. Sed dicet quis. eod. ca.2. in verbo, Oſtende mihi fidem ſine operibus.*
- EX *fide profecta, hominem iuſtificant. Ibid. in verb. Abraham nónne ex operibus iuſtificatus eſt?*
- FIDEM *non augent tantùm aut ornant, ſed perficiunt etiam, eamq́ aliâs per ſe mortuam, reddunt viuam. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ità & fides ſine operibus mortua eſt. in fin. cap. 2.*

DE LINGVAE TEMPERANTIA.

TABVLA 143.

CVM NVSQVAM MAGIS *linguæ noceat procacitas, quàm in rebus ſacris & Verbi Diuini prædicatione: hinc Apoſtolus ad docendi munus non protinùs omnes, nec quoſuis admittēdos: admiſſis verò, ab hoc garrulitatis vitio vel inprimìs cauendum eſſe monet. Idq́ ob varia & penè innumera eius incōmoda, quorum aliqua hoc loco videas enumerata. Loquacitas enim*

- PARIT *præſumptionem: nolunt enim plures eſſe magiſtri, cap. 3. in princip.*
- IN *multis offendit, ibid. in verb. In multis.*
- IMPEDIT *perfectionem, verſic. Si autem equis frena.*
- MAGNA *exaltat, ver. Ità & lingua modicum quidem membrum.*
- IGNIS *eſt lingua mala, & vniuerſitas iniquitatis, ver. Et lingua. eod.*
- MACVLAT *totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis, hoc eſt, curſum vitæ noſtræ. verſ. Lingua conſtituitur. eod.*
- DOMARI *non poteſt, ver. Omnis enim beſtiarum.*
- INQVIETVM *malum eſt lingua, plena veneno mortifero. verſ. Linguam autem nullus hominum domare poteſt.*

DE LOQVACITATIS REMEDIO Sapientia. TABVLA 144.

SAPIENTIA, DE *qua in ver. Quis ſapiens, hîc capite 3. agit Apoſtolus, eſt duplex:*

- VERA, *quæ de ſurſùm venit, &*
  - *Primùm quidem pudica eſt:*
  - *Deindè pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis.*
- FALSA, *quæ vt contentiones alit, ità terrena eſt, animalis & diabolica.*

DE HVMILITATE ET OBEDIENTIA.

TABVLA 145.

QVAE LAVS SIT *humilitatis, ſupbiæ declarat vituperio. Superbia enim mala eſt, atque deteſtanda, cũ quo ad*

- PROXIMVM: *Nam oriũtur ex ea bella, lites, inuidia, cædes. cap. 4. in princip. verſ. Vndè bella & lites in vobis?*
- SEIPSVM: *Gignit enim in corde hominis præſumptionem, vt quæ à Deo ſunt petenda, aut prorſus non petat, aut malè petat. Ibid.*
- DEVM: *Quia amicitia huius mundi, inimicitia eſt Dei. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. à d. princip. vſque ad verſ. Appropiate Deo. eod. cap. 4.*

DE POENITENTIA. TAB. 146.

POENITENTIAE *partes, quas deſcribit in d. ver. Appropiate, ſunt tres:*

- CONTRITIO, *quam deſcribit in verbo, Miſeri eſtote, lugete & plorate.*
- CONFESSIO, *quæ non obſcurè in his compræhenditur verbis:*
  - *Emundate manus peccatores.*
  - *Purificate corda duplices animo.*
- SATISFACTIO, *De qua ità ſcribit Apoſtolus: Humiliamini in cõſpectu Domini. eod.*

DE MVTVA INTER CHRISTIANOS BENEuolentia retinenda. TABVLA 147.

HVIVS OFFICIVM PRAEcipuum ferè eſt, *alienæ non detrahere famæ aut honori. A quo vitio vnuſquiſque tribus de cauſis alieniſſimus eſſe debet. Qui enim obloquitur proximo,*

- PRIMVM *detrahit legi.*
- DEINDE, *quod iniuſtius eſt, iudicis ſibi ſumit partes, atque eas quæ ſolius Dei ſunt.*
- POSTREMO *ſeipſum condemnat, à verſ. Nolite detrahere. vſque ad ver. Eccè nunc qui dicitis.*

DE IN-

DE INTEGRITATE CONSCIENTIAE.

TABVLA 147.

CONSCIENTIAE *integritatem duobus ſeruabimus modis:*
- SI *temerè nihil ſuſcipiamus, ſed tantùm quæ bona ſcimus faciamus.*
- SI *in Dei nomine omnia aggrediamur.d. verſ. Eccè nunc qui dicitis.vſque in fin.cap.4.*

DE MEDIOCRITATE AVREA.

TABVLA 148.

MEDIOCRITATEM, *cuius ea vis eſt propria, vt ſuo quiſq; contentus viuat, probaturus, vitium deteſtatur ei contrarium, ſcilicet auaritiam. Cuius mala & incommoda ſunt hæc:*
- EO *adducit hominem, vt ſuæ conditionis obliuiſci videatur, cap.5.in princip.*
- EXCAECAT *omnem animi prudentiam, vt auarus fortunæ ſectetur inconſtantiam.ibid.*
- TRANQVILLITATEM *adimit humanis mentibus, & grauiſſimis eas & ſuperfluis implicat curis.ibidem.*
- EXCLVDVNTVR *auari à regno cælorum, Theſaurizant enim ſibi iram in nouiſſimis diebus, triſtiſſimam audituri ſententiam, Eſuriui, & non dediſti mihi.*
- NEC *ferè vnquàm ei ſtudetur ſine pauperum oppreſſione, quorum clamor ad aures vſque pertingit Domini ſabaoth. à d.princip.cap.5. vſque ad verſ.Epulati eſtis. eod.*

DE SOBRIETATE ET TEMPERANTIA.

TABVLA 149.

REPRAEHENDIT *duo, huic virtuti cõtraria vitia:*
- *Gulam*
- *&*
- *Luxuriam.*

Quorum effectus
- *Ignauia*
- *&*
- *Crapula.*

dict. verſic. Epulati eſtis. eodem cap. 5.

DE PATIENTIA. TAB. 150.

VT MINATVS eſt Apoſtolus pauloantè pauperū oppreſſoribus, ita nunc oppreſſos ſolatur, à
- SPE futuræ liberationis, verſ. Patientes igitur eſtote. d. cap. 5.
- PROMISSIONE aduentûs Domini, ibidèm.
- EXEMPLO ſanctorum Patrum, qui patientia omnes mundi huius vicerunt perſecutiones.

DE RELIGIONE ET VERO DEI cultu. TABVLA 151.

VERO DEI cultui
- REPVGNAT iurandi leuitas, verſ. Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare neque per cælum, neque per terram, d. cap. 5.
- CONVENIUNT
  - Simplex veritas, verſ. Sit autem ſermo veſter, Eſt eſt, &c. eod.
  - Sacrificium laudis & oratio, verſ. Triſtatur autem aliquis veſtrûm? cret. eodem.
  - Extrema vnctio. verſ. Infirmatur quis in vobis? eodem.

DE CHARITATE PROXIMI. TABVLA 152.

HAEC CONSIſtit in cura ſalutis
- PROPRIAE, per confeſſionem peccatorum, verſ. Confitemini ergò. d. cap. 5.
- PROXIMORVM, per orationem mutuam. Quæ quantùm apud Deum valeat, oſtendit exemplo Eliæ. ibid.

DE ADMONITIONE FRATERNA. TABVLA 153.

QVI CORRIPIT fratrem peccantem, duo facit commoda:
- SALVAT animam eius a morte, verſicul. Fratres mei, eodem capit. 5.
- OPERIT multitudinem peccatorum, ibidèm. vſque in fin. d. cap. 5. & vltimi.

EPISTOLA

EPISTOLA PETRI APOSTOLI PRIMA, DE NOVO INDVCENDO homine, ſiue de reformandis in eccleſia moribus, Liber Bibliorum LXVI, Secundæ Partis Quarti libri, decimusſextus.

RATIO ORDINIS.

PETRI epiſtolas, poſt illam de qua hactenùs dictum eſt, D. Iacobi epiſtolam, ſcriptas fuiſſe, ſic declarat Nicolaus Lyranus: Iacobus, inquit, triginta annis rexit eccleſiam Hieroſolymitanam poſt paſſionem Domini, ſcilicet vſque ad ſextum annum Neronis, & tunc fuit martyrizatus. Petrus verò trigintaocto, id eſt, vltimo Neronis anno.

Et certò conſtat, quòd in vltimo tempore vitæ ſuæ ſcripſerit. Nam de ſeipſo teſtatur 2. Pet. 1. Certum eſt, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Atque ſic patet, poſt diuũ ſcripſiſſe Iacobum. Lyranus in prolog. ad 7. epiſtolas Catholicas.

DE HVIVS EPISTOLAE AVTHORE D. PETRO, & primùm de varijs eius nominibus.

SIMON obediens interpretatur, eò quòd obediens fuit Domino dicenti: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Petrus autem interpretatur agnoſcens, eò quòd agnouit, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui: vel Petra, id eſt, firmamentum eccleſiæ. Vndè viciſsìm audire meruit: Tu es Petrus, & ſuper hãc Petram ædificabo eccleſiam meam. Cephas etiam, id eſt, caput dictus eſt eccleſiæ. Viterb. in Chronicis, Parte 14. & Iſidorus de patribus noui teſta.

DE EIVS ORIGINE.

PETRVS filius Ioannis, frater Andreæ Apoſtoli, ortus in vico Bethſaida, prouinciæ verò Galilææ, quæ eſt iuxta ſtagnum Genezareth, qui primò vocatus eſt Bariona. Hieron. De viris illuſtribus, & Viterbien. & Iſidorus vbi ſuprà.

DE VITA ET OFFICIO EIVSDEM.

PETRVS apoſtolorum princeps eſt, primus confeſſor Dei atq; diſcipulus, Paſtor humani generis, clauiger æthereus, Chriſti amator, Chriſti & negator: q cùm Antiochienſi Eccleſiæ 7. præfuiſſet annis, euãgelium prædicauit in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia: Secundo verò anno Claudij, ad expugnandum Simonem Magum peruenit Romam. Vbi annis 25. eiuſdem vrbis tenuit pontificatum, vſque ad vltimum Neronis annum, id eſt, quartumdecimum. ibid.

DE MORTE ET SEPVLTVRA eiuſdem.

ANNO XXXVI, tertio Calendas Iulias, poſt Paſſionem Chriſti, à Nerone cruci affixus, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerẽs ſe indignum, quòd ſic, vt Dominus, crucifigeretur. Sepultus eſt Romę in Vaticano iuxta viam triumphalem, tertio lapide ab vrbe ad Orientem plagã, vbi totius orbis veneratione celebratur. Hieron. & Viterbien. & Iſidorus vbi ſuprà.

DE B. PETRI APOSTOLI MIRACVLIS.

Mare pedibus gradiendo calcauit,pteriens languidos vmbra ſua ſanauit. Claudis greſſum reſtituit: paralyticis membra reparauit. Viduam defunctam Dorcadem,id eſt,Tabitham mortuam ſuſcitauit. Ananiam & Saphiram reos perfidiæ, mortis etiam animaduerſione damnauit. Simonem magum cælum aſſcendentē, ad terram colliſit. Viterbienſ.& Iſidorus ibidem.

DE EDITIS AB EO SCRIPTIS.

Scripsit duas epiſtolas,quæ Canonicæ nominantur,quarum ſecūda à pleriſq; eius eſſe negatur,propter ſtyli cum priore diſſonantiam. Sed & euangelium iuxta Marcum,qui auditor eius & interpres fuit,huius dicitur. Libri autem eius,è quibus vnus actorum eius ſeribitur,alius euangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypſis,quintus iudicij,inter apocryphas ſcripturas reputantur. Hieron. de viris illuſtribus.

AD QVOS SCRIPSERIT HANC EPISTOlam Petrus.

Sicvt Paulus Apoſtolus principaliter ad Gentes, ità Iacobus & Petrus ad Iudæos miſſi fuerunt. Sub hoc tamē diſcrimine,vt Iacobus,cuius Paulus meminit in ſecundo ad Galatas capite,prædicaret eis, qui ex circunciſione conuerſi fuerunt: Petrus verò illis,qui ex gentibus circūcidebantur primùm,& fiebant Iudæi: deindè verò ad Chriſtianam conuertebantur fidem, Atque hi ſunt,quos idē Petrus in principio huius epiſtolæ vocauit aduenas. Græcè proſelyti dicuntur. Dionyſ. Carthuſ. hic cap.1. in princip.

Hebræi Proſelyti.

Quo proſelytorum nomine appellabant Iudæi eos, qui de gentibus nati, in Deum credere,& circunciſione accepta, Iudaico more, iuxta Dei legem, vitam ducere maluerunt. De quorum numero fuêre quidam eorum, qui in die ſancto Pentecoſtés,quo apoſtoli ſpiritum ſanctum in ignis viſione perceperunt,ad prędicationem eorum Chriſto crediderunt,dicente ſcriptura, quòd Iudæi quoque & proſelyti adeſſent. Electos ergò aduenas dicit,qui de Gentilitate ad agnitionē ac ſuſceptionem diuinæ legis,ac perceptis Sacramentis legalibus,ad acceptionē gratiæ fidei peruenire meruerunt. Beda hic cap.1. in princip.

DE EODEM DIONYSIVS.

Veruntamen verius reor,quòd non eis duntaxàt,ſcilicet Proſelytis, id eſt, ex Gentibus qui Iudæorum religionem amplexi erant: ſed Iudæis vniuerſis ad Chriſtum conuerſis ſcripſit,quemadmodùm Iacobus,ſiue ante ſuſceptionē Iudaiſmi fuerunt Gentiles,ſiue non. Omnium nanque generaliter habuit curam. Omnes etenim Chriſtiani,viatores & aduenæ vocantur,quia ad veram & cæleſtem atq; perpetuam Patriam tendunt,& in ſeculo iſto,tanquàm in exilio,in terra aliena, in via lachrymarumque valle degunt. Dionyſ. Carthuſ. ibidem.

Oēs Chriſtiani viatores & aduenæ.

VBI ET QVANDO SCRIPSERIT HANC epiſtolam.

Scribit autem eis à Roma,tempore Claudij Cæſaris. Thomas Aquinas hic ca.1. in princip.& Gloſſa in Prolog. eiuſdem.

QVID IN EA PERSCRIBERE voluerit.

Primvm quidem enarrat & oſtendit,quòd fides in Chriſtum,à Prophetis annūciata ſit, & per ipſos ſignificata redemptio, quæ per ipſius ſanguinem fieret: quodque ipſis ac gentibus annunciata ſint omnia, ad quæ deſiderant angeli proſpicere.

Deindè,

Deindè, vbì ſuaſit, vt dignè ad eum qui ipſos vocauit, conuerſentur : exhortatur, vt etiam Regibus honorem deferant: & mulieribus ac viris cōcordiam præcipit.

Et pauca circa mores exhortatus, ſignificat, quòd etiam in infernum facta ſit à Domino prædicatio ſalutis ac reſurrectionis: vt qui priùs mortui ſunt, reſurgāt quidem & iudicentur in corpore, ſed per gratiam reſurrectionis perſeuerent. Etiā in inferno facta eſt prædicatio ſalutis.

Et quòd finis omnium deincèps immineat, debentque omnes parati eſſe, tanquàm iudici rationem reddituri: & ità concludit epiſtolam. Oecumenius hîc in præfatione, ex Synopſi Athanaſij.

ARGVMENTVM.

DISCIPVLOS Saluatoris inuicti toto orbe diffuſos & peregrinos in hoc ſeculo monſtrat, & præteritę vitæ pœnitere ſuadet, & in nouam vitam proficere tota cum ſolicitudine exhortatur. Author Argumenti vulgaris in hanc epiſt.

IN QVO GENERE ORATIONIS HAEC ipſa verſetur epiſtola.

HORTATORIA ſimul & expoſitoria eſt hæc epiſtola. Hortatur ad vitam nouam, & conſtantem in eius perſeuerantia patientiam. Explicat vim veritatemq; fidei Chriſtianæ, & charitatis officia cum dignitate patientiæ. Claudius Guilliaudus hîc in Argumen.

CVR NONNIHIL VIDEATVR obſcurior.

OBSCVRA eſt hæc epiſtola tum propter reconditas ſententias, tum propter confuſum & perturbatum ſermonis ordinem. Multam quoquè præ ſe fert authoritatem & Maieſtatem apoſtolicam, atque ideò verè digna apoſtolorum Principe, paucis quidem contenta verbis, ſed ſententijs & reconditiſſimis grauida myſterijs. ibidèm.

SCOPVS.

EOS qui ex Iudæis crediderant, in fide & vitæ integritate cōfirmat. Oecumenius hîc in argument.

PARTITIO. TABVLA 154.

HVIVS EPISTOLAE *Summa in duas ſcinditur Partes, in quibus agitur in*

- *Specie* — De — *Gratiarum actione, tot. cap. 1. & 2. vſque ad verſ. Chariſſimi, obſecro vos &c.*
- *Genere* — De — *Alijs Chriſtiani hominis virtutibus. à prædicto loco vſq; in fin. totius epiſtolæ primæ.*

DE GRATIARVM ACTIONE, PRIMA huius epiſtolæ Parte. TABVLA 155.

PRIMAM hãc prioris epiſtolæ partem, ſi doctrinæ ſpectes ratione atq; Methodũ, tribus abſoluit quaſi mẽbris:

- **PRIMO** Sex tangit beneficia, Quorum nomine pro ſe quiſq; perpetuas agere debet gratias:
  - Primum eſt baptiſmus, quo regenerati ſumus in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, cap. 1. poſt princip. verſ. Benedictus.
  - Secundum, virtus Dei, qua cuſtodimur per fidem in ſalutem, ibidem in verbo, Qui in virtute Dei.
  - Tertium, facultas reſiſtendi omnis generis perſecutionibus, quibus fides noſtra multo rectius, quàm aurum probatur in igne. d. verſ. Benedictus. in verbo, Modicùm nunc.
  - Quartum, ſalus animarum, quæ efficit vt Chriſtum diligamus etiam non viſum, & in eum credamus non videntes, verſ. Quem cùm non videritis, eod.
  - Quintum, Donum prophetiæ, quo nobis non paſſiones tãtùm Chriſti prænunciatæ, ſed futura etiam poſthàc gloria reuelata eſt. ibidem in verbo, De qua ſalute exquiſierunt.
  - Sextum, Spiritusſancti miſſio, cuius beneficio ea, quæ per prophetas promiſſa fuerant, perfecta ſunt omnia & abſoluta. ſæpius allegato ver. Benedictus. in verb. Quibus reuelatum eſt. vſque ad ver. Propter quod. d. cap. 1.
- **SECVNDO** modum præſcribit, quo rectiſſimè Deo nos gratos exhibere poſſimus.
  - Quod apoſtolus futurum aſſerit, Si
    - Omne fugiamus genus vitiorum,
    - Et morum ſectemur ſanctimoniam.
- **TERTIO** ſeptem eſſe docet, quæ nos ad vtrunq; tam ad gratiarum actionem, quàm ad vitæ ſanctimoniam impellere debeant. Videlicet,
  - Gratiam, quæ nobis vltrò fuit oblata, & qua in tam ſanctam Chriſti conuerſationem vocati & adoptati ſumus, vt ſancti ſimus, quia & ipſe ſanctus eſt, d. verſ. Propter quod. eod. cap. 1.
  - Obligationem, qua ad antidota excitamur, & vocationi tam dignæ & honeſtæ parére tenemur, quicunque filiorum priuilegio gaudere cupimus. ibidèm in verbo, Quaſi filij obedientiæ.
  - Mutuam inter Deum Patrem & nos eius filios coniunctionem, quæ cõſiſtit in eo, vt eum, quem nos vt filios diligere ſcimus, reuereamur viciſsim vt Patrem. ver. Et ſi Patrem. eod.
  - Precij, quo nos redempti ſumus, magnitudinem. Non enim auro aut alia re quauis corruptibili, ſed precioſo agni immaculati redempti ſumus ſanguine. ver. Scientes quòd non corruptibilibus. eod.
  - Regenerationis noſtræ dignitatem. Non enim ex corruptibili renati ſumus ſemine, ſed per verbum Dei, cuius virtus manet in æternũ, ver. Animas veſtras. vſque in fin. ſæpè d. cap. 1.
  - Guſtum Domini dulciſſimum, quo reficiuntur ij qui deponunt omnẽ malitiam & omnem dolum, æmulationes, inuidias & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes.
  - Certitudinem fidei noſtræ, quæ ædificata eſt ſuper lapidẽ viuum, ab hominibus quidẽ reprobatũ, à Deo autẽ electum & honorificatũ, cui nos tanq̃ lapides viui ſuperædificati, facti ſumus
    - Domus ſpiritualis,
    - Sacerdotium ſanctum,
    - Offerentes hoſtias
      - Spirituales, Acceptabiles per IESVM Chriſtum. verſ. Ad quem accedentes. dict. capit. 2.

DE MO-

DE MORIBVS CHRISTIANORVM Reformandis. TABVLA 156.

IN MORVM REFORMAtione duplex hominum conſiderandus eſt ordo:
- Ciuilis vnus, de quo in ſecundo agitur capite, à verſ. Chariſſimi, obſecro. vſque in fin. cap. 4.
- Alter eccleſiaſticus, cuius ratio in quinto explicatur capite.

DE STATV HOMINVM CIVILI. TABVLA 157.

CIVILIS HOMInum conditio triplex eſt:
- Seruilis, à d. verſ. Chariſſimi. vſque in fin. cap. 2.
- Coniugalis, à principio capitis 3. vſque ad verſic. In fide autem vnanimes.
- Politica. Indè vſque in finem capitis quarti.

DE OFFICIIS ET MORIBVS EORVM, QVI IN ſeruili ſunt conditione. TABVLA 158.

SERVI debent
- Sibijpſis abſtinentiam à carnalibus deſiderijs. d. verſ. Chariſſimi, cap. 2.
- Proximo bonum præbere exemplum, ibidem in verb. Conuerſationē veſtram inter gentes habentes bonam. eod.
- Magiſtratui obedientiam. verſ. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. eod.
- Deo religionem, reuerentiam & timorem. Ibid. in verb. Quaſi liberi.
- Dominis etiam iniquis & dyſcolis morem gerere, ac eorum importunitatem patienti ferre animo. verſ. Serui, ſubditi eſtote.
- CHRISTO imitationē. Fuit enim Chriſtus in ſua paßione exemplar omnis
  - Sanctitatis & innocētiæ,
  - Veritatis & iuſtitiæ.
  - Manſuetudinis & patientiæ.
  - Humilitatis & clementiæ,
  - Magnanimitatis & fortitudinis,
  - Longanimitatis & miſericordiæ,
  - Charitatis & amicitiæ,
  - Deſiderij pro ſalute humana,

  Quia
  - Peccatum non fecit. verſ. In hoc enim vocati eſtis.
  - Dolus in ore eius nō inuētus.
  - Cùm malediceretur, non maledicebat:
  - Cùm pateretur, non comminabatur.
  - Tradebat ſeipſum iniuſtè iudicanti.
  - Iniurias ſibi illatas non vindicauit.
  - Peccata noſtra ipſe pertulit.
  - Suo liuore nos ſanauit, vt pec catis mortui, iuſtitiæ viuamus. à d. verſ. In hoc enim vocati. vſque in fin. cap. 2.

DE OFFICIIS CONIVGVM.

TABVLA 159.

SVNT ET *coniugum, inter ſe mutua quædam officia, quibus alterutrim deuincti ſunt. Hinc apoſtolus hortatur*

- VXORES *ad*
  - *Humilitatem & obedientiam, cap.3. in principio.*
  - *Honeſtam conuerſationem, vt morum comitate maritos lucrifaciant, Ibidèm.*
  - *Cultum & ornatum potiùs animi, quàm corporis, quærendum. Ibidèm in verbo, Quorum non ſit extrinſecus.*
- VIROS *vt*
  - *Cohabitent vxoribus ſecundùm ſcientiam. verſ. Viri ſimiliter. d. cap.3.*
  - *Cedant interìm aliquid illorum moribus propter ſexûs imbecillitatem. ibid. in verbo, Quaſi infirmiori vaſculo. eod.*
  - *Exhibeant eis honorem vt cohæredibus gratiæ vitæ.*
  - *Abſtineant interdùm etiam à legitimo earum vſu, vt orationi vacare queant, d. verſic. Viri. in verbo, Vt non impediantur orationes veſtræ. eod.*

DE PO-

DE POLITICA HOMINVM CONVERSAtione. TABVLA 160.

OFFICIA HOminis cuiuſuis in Chriſtiana Repub. verſantis, apoſtolus metitur ex varijs rerum circunſtantijs, præcipuè verò ex duabus:

- **COLLAtione hominis ad**
  - *Hominẽ, id eſt, proximum ſuũ cuiuſcunque ſit ordinis: Quo cũ tunc rectè cõuerſari poterimus, ſi has amplectamur virtutes:*
    - *Concordiam, verſ. In fide autem omnes vnamines, d. cap. 3.*
    - *Humanitatem, vt ſimus compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles &c. Ibidem.*
    - *Pietatẽ, non reddentes malũ pro malo. Ibid.*
    - *Iuſtitiam, quæ cõſiſtit in eo, vt declinemus à malo, & faciamus bonũ. ver. Declinet à malo.*
    - *Innocentiam, vt ſi quis ſpei noſtræ rationem à nobis poſtulet, ſemper ad reſpondendum parati eſſe poſſimus. verſ. Dominum autem Chriſtum ſanctificate. vſque in fin. cap. 3.*
  - *Seipſum & corpus ſiue carnem ſuam propriam, cuius concupiſcẽtijs reſiſtendum eſt, adeoque ipſam mortificandam eſſe docet apoſtolus, vt ſic animæ ſalutẽ integram & illæſam retinere queamus. à princip. cap. 4. vſq. ad verſ. Omnium autem finis appropinquauit. eod.*
- **CONtẽplatione**
  - *Finis, ad quẽ omnia ſunt dirigenda. d. ver. Omnium autẽ finis. In quo iterùm conſideranda ſunt duo*
    - *Media, quibus ad eum finem peruenitur:*
      - *Prudẽtia, ver. Eſtote itaq. prudẽtes. eod*
      - *Vigiliæ, Ibidèm in verb. Vigilate.*
      - *Oratio, ibidèm in verb. in orationibus.*
      - *Charitas, verſ. Ante omnia autem. eòd.*
      - *Hoſpitalitas, ver. Hoſpitales inuicèm.*
      - *Donorum Dei liberalis diſpenſatio ſiue communicatio. verſ. Vnuſquiſque ſicut accepit. eod.*
    - *Summa, vt in omnibus actionibus noſtris honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. verſ. Si quis loquitur, tanquàm ſermones Dei &c. eod.*
  - *Nominis Chriſtiani. In homine enim Chriſtiano, qui hoc nomen iure ſuſtinere cupiat, requiruntur*
    - *Conſtãtia in fide, nè nouitatis ſtudio huc aut illuc diſcurrat, nè ve in minimo vacillet. ver. Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore &c. eod.*
    - *Fortitudo in perſecutionibus, pro Chriſti nomine & fide catholica perferẽdis. verſ. Si exprobramini in nomine Chriſti. eod.*
    - *Cautio diligens, nè vel in peccatum incidat, aut præſumptuoſus fiat. Nam ſi vix iuſtus ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Ibidèm.*

DE STA-

DE STATV ECCLESIASTICO.

TABVLA 161.

IN ECcleſia alij

- PRAESVNT vt paſtores, quorum eſt edocere
  - *Cum fide & diligentia, cap.5. in princip. in verbo, Paſcite.*
  - *Non coactè, ſed ſpontè, ibidèm.*
  - *Nec turpis lucri gratia, ibidèm.*
  - *Abſque ſuperbia, eod. loco. In verb. Neque vt dominantes in cleris.*
  - *Bono exemplo honeſtæ conuerſationis, d. princip. in verb. Sed forma facti gregis ex animo.*
- SVBSVNT vt oues, quas decent
  - *Obedientia, verſ. Similiter adoleſcentes, d. cap.5.*
  - *Humilitas, ac mutua inter eas reuerentia & obſequium, ibid. in verb. Omnes enim inuicèm humilitatem &c. Quia Deus ſuperbis reſiſtit, &c.*
  - *Timor Dei, verſ. Humiliamini igitur. eod.*
  - *Spes firma, ibidèm in verb. Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in Deum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. eod.*
  - *Sobrietas & vigilantia, verſ. Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter &c. eod.*
  - *Fortitudo & conſtantia, verſ. Cui reſiſtite fortes in fide. eod.*
- *Vtriſque gloria promittitur vitæ æternæ, circa fin. ſæpè d. cap.5. & vltimi. Deus, inquit, omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, conſolidabitque. Ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.*

EPISTO-

EPISTOLA PETRI APOSTOLI SECVNDA, DE FIDEI PRAEſtantia, & futura rerum omniũ viciſsitudine, Liber Bibliæ LXVII, Partis ſecundæ libri quarti, decimusſeptimus.

RATIO ORDINIS.

Primitivam eccleſiam impugnabant primùm Tyranni gladio materiali, perſecutionibusque diuerſis, hæretici autem doctrinis peſtiferis. Quemadmodùm ergò in prima epiſtola excellẽtiſſimus apoſtolici chori vertex, hortatus eſt ad patientiam in aduerſis, nè perſecutionibus cederẽt: ità in hac eos hortatur epiſtola, nè hæreticorũ decipiantur figmentis. Dionyſius Carthuſianus hîc ca.1. in princ.

ALIA CONTINVANDI RATIO.

In prima Petri epiſtola principaliter fit (inquit B. Thomas) inſtructio in morib', in ſecunda principaliter in fide: vel, Secunda inducitur ad confirmationẽ primę: vel, Prima ſecundùm Bedam ſcribitur inferioribus ſiue imperfectis, ſecunda autem maioribus ſiue perfectioribus.

AD QVOS PETRVS HANC SCRIPSERIT epiſtolam.

Hanc epiſtolam ſcribit eiſdem quibus & præcedẽtem, ſcilicet electis proſelytis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithynię. Quos mox in ipſa huius epiſtolæ fronte ſibi cognoſcit coæquales, non quia circunciſionem ex lege acceperant, quam ipſe vt natura Iudæus habebat, ſed quia eandem, quam ipſe Chriſti illuſtrante gratia acceperat, ſortiti ſunt fidem, camq; per opera exercent iuſtitiæ euangelicæ, de qua Chriſtus dicit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plùs quàm ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnũ cęlorũ. Beda hîc cap.1. in princi.

DE HVIVS EPISTOLAE AVTHORITATE.

Aliqvi hanc epiſtolam à ſacræ ſcripturæ Canone duabus de cauſis excludere conati ſunt, ſed friuolis planè & ineptis.

PRIMA DVBITANDI RATIO.

Primùm eodem vtuntur a[illegible]to, quo Iacobi epiſtolam oppugnare nitebãtur, quòd ſcilicet patrum aliqui de epiſtolæ huius authore ipſis dubitâſſe videantur: vtputà Euſebium in eccl[illegible]ſt. hiſtoria lib.3. cap.25. & Hieron. de viris illuſtribus, & in epiſtola ad Cyprian.

SECVNDA DVBITANDI RATIO.

Secvndò hanc epiſtolam ob id ſuſpectam reddere moliuntur, quòd phraſi & dictione cum priore diui Petri epiſtola, non per omnia conueniat.

REFVTATIO PRIMAE RATIONIS.

Contra primum argumentum illud hic obſeruare conuenit, quod pauloantè de D. Iacobi dictum eſt epiſtola, Hieronymum & Euſebium de harum epiſtolarũ authoribus non propria dubitâſſe ſententia, aut quod ità ſibi videretur, ſed quòd tale aliorũ fuiſſet iudicium. Quod profectò n[illegible]q̃ tale [illegible]uiſſet, niſi prius vel illi, q primitùs originalẽ epiſto[illegible]m acceperunt, ante mortẽ Petri non prodidiſſent, (vt fieri ſolet) aut alia ratione de eius epiſtolæ authore dubitari cœptum fuiſſet.

Vndè cœptæ ſubindè quoq[illegible] à curioſ[illegible] exquiri rationes, quibus eandẽ epiſtolam apoſtolica authoritate nudatam, è numero ſanctarum ſcripturarum expungerent, ità vt nõ dictionis iudicium dubitationem, ſed dubitatio dictionis iudicium multò ante præcederet.

Quod in aliar[illegible] ſcriptur[illegible] cenſura quotidiè cõtingit: priùs enim doctrina accuſatur, deindè, ſi res indigna tali authore videatur, diuerſitas ſtyli & dictionis exquiritur, quę, cùm [illegible] authores etiam in eiſdem libris ſibi reſpondeant, facilè inuenitur. Medina de recta in Deum fide lib.6. cap.[illegible]3.

REFV-

REFVTATIO SECVNDAE RATIONIS.

Negant ſcriptores eccleſiaſtici aut vllam, aut tantam ſtyli in his duabus epiſtolis eſſe diuerſitatem, quę, cùm nulla alia in contrarium extet probatio, authorem meritò ſuſpectum reddere poſſit. Ad hæc, ſi aliqua ſit inter eas diſcrepantia, eam D. Hieron. ex diuerſitate interpretum potiùs, quàm authorum differentia, enatã fuiſſe putat. Hieron. ad Hedib. queſt. 11.

QVIBVS RATIONIBVS HAEC EPISTOLA probetur eſſe Petri.

Petri eſſe probatur hęc epiſtola, primùm ex eo, quòd in cap. eius tertio ipſe dicit: Ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam. Deindè, quòd hîc quoquè transfigurationis illius, cui is Matth. 17. interfuit, manifeſtam facit mentionem, 2. Pet. 1. ſicut benè animaduertit B. Gregor. homil. 18. in Ezechielē. Tertiò, quòd diuini illius apoſtoli, atque adeò Chriſti ipſius vbiquè ſapit ſpiritum atq; virtutē. Loco verò omnium ſacroſancta eſt Catholicę eccleſię authoritas, & patrum antiquorum penè omnium immobilis conſenſus, qui huius epiſtolę tanquàm Canonicę & apoſtolicę ſententijs pro aſſertione doctrinę Catholicę frequentiſſimè vti conſueuerunt.

TESTIMONIA PATRVM, EX SECVNDA PETRI epiſtola. TABVLA 162.

ET PRIMVM ANACLETI, B. CLEMENTIS ſucceſſoris.

In *epiſtola quam ſcripſit omnibus epiſcopis & cunctis fidelibus, vtitur ſententia iſta ex vltimo cap. epiſtolæ 2. Petri: Sicut chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti deprauant.*

AMBROSII:

Qvi *ſcribens in cap. 2. epiſtolæ ad Timotheum, Petri nomine citat ex hac epiſtola illud, Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, 2. Petr. 1. Et in epiſtolam ad Philippenſ. cap. 1. adducit illud, Vt ſitis conſortes diuinæ naturæ, 2. Petr. 1. Medina lib. 6.*

AVGVSTINI:

Libro *de verbis Apoſtoli, nomine item Petri Apoſtoli adducit illud, Audiuimus vocem delatam de cælo, 2. Petr. 1. Idem lib. de fide & operibus illud, Hi ſunt fontes ſine aqua, 2. Petr. 2. Idem ibidèm cap. 25. illud: Si enim refugientes, 2. Pet. 2. Libro de natura boni aduerſ. Manichæ. cap. 33. illud, Deus angelis peccantibus, 2. Petr. 2.*

ALIORVM COMPLVRIVM.

Sed & alij grauiſſimi religionis noſtræ profeſſores, Origenes, Hieronym⁹, Chryſoſtomus, & Didymus, authoritate huius vſi fuerunt epiſtolæ tanquàm apoſtolicæ & canonicæ. Claudius Guil‘and. hîc in argum.

DE EADEM EPISTOLA, EX D. MELCHIORE CANO.

Erroneum eſt, nè dicam hæreticum, ſecũdam illam epiſtolã, Petri apoſtoli eſſe negare. Adueſatur enim inprimis omnibus ſanctis. Deindè Innocentio & Gelaſio. Prętereà Concilijs Laodiceno, Carthaginenſi, Florentino, Tridentino. Deniquè vſui Catholicę Eccleſiæ, quæ legit eam in Feſto Transfigurationis nomine Petri apoſtoli.

Contineret enim aliquid falſi, ſi Petrus apoſtolus eius author nõ fuiſſet. Nam licèt argumentum ex ſalutatione ipſius epiſtolæ fortaſſe eluderetur, quod à falſario quopiam eſſet adiecta: at quod capite 1. illius epiſtolę legitur, eludi nulla ratione poteſt. Hanc vocem (ait) nos audiuimus de cælo allatã, cùm eſſemus in mõte ſancto cum ipſo. Quod ſi Petrus non ſcripſit epiſtolã, Ioanni autem, Iacobóve tribuere ſtultitiæ manifeſtariæ eſt, falſum epiſtola cõtinet. Quod eſt hæreticum.

Argu-

Argumentum verò illud quod Eraſmum mouit, immò plerosque olim ante Hieronymum, infirmum eſt: cùm eundem authorem ſæpè contingat non aliam modò, verùm eandem ſententiam ſtylo ſcribere differenti. Quod (vt reliquos prætereamus) in D. Gregorio videre licet. Cuius epiſtolas ſi cum alijs eiuſdem operibus conferas, iudiciumque feras ex diuerſo dicendi charactere, ab alio authore ſcriptas eſſe iudicaueris. Hieronymus tamen ad Hedibiam aliter reſpondet, ex diſſimili ſtylo non diuerſos authores colligens, ſed interpretes differentes. Apoſtoli enim in aliena lingua malebant per interpretem ſcribere, quàm dono linguarum abuti: quod non ad elegantiam & luxum, ſed ad vſus neceſſarios acceperant. Nec me fugit, quòd Eraſmus hunc locum Hieronymi detorquet: ſed more ſuo facit, vt pro ſua libidine interturbet omnia. Canus lib. 2. de locis Theologicis, cap. 11.

TESTIMONIVM ADVERSARIORVM.

QVIN illi etiam, quorum ſectę tantoperè epiſtolarum Canonicarum certitudinem labefactare conati fuerũt, ipſi tandèm fateri coacti ſunt, maiorem eſſe huius quoquè epiſtolæ authoritatem, quàm quæ vlla ratione expugnari queat. Etſi enim (inquit illorum quidam) dubitatum eſt de huius epiſtolæ authoritate, (quęadmodùm refert Euſebius) nihil tamen eſt, quod ab eius lectione nos auertere debeat. Et alius: Interìm omnium conſenſu adeò nihil habet Petro indignum, vt vim ſpiritûs apoſtolici & gratiam vbiquè exprimat.

QVALE SIT IPSIVS DICTIONIS GENVS.

EXHORTATORIA eſt hæc epiſtola, ſingulis propemodùm verbis maxima adducens myſteria. Dum ſpiritu admonitus diem ſuæ mortis inſtare cognoſceret, paterno quodã ductus amore, munus ſaluberrimæ eruditionis ipſis Aſianis, adeoq́; toti eccleſiæ relinquere voluit. Claud. Guilliaudus hìc in argumento.

QVOD EPISTOLAE HVIVS SIT ARGVMENTVM.

DOCET religionem, quam acceperant, ſanctam & veram eſſe. Deindè hortatur, vt puritati vitæ & innocentiæ ſtudeant: in qua vt firmiùs perſtent, & pſeudoprophetas venturos faciliùs vitent, teſtimonia verę religionis adducit, quibus illorũ verſutias & exitium prænuncians, omnes illius magnæ diei, certiſſimę quidem, ſed nemini tamen cognitæ, admonet. Idem ibidèm.

ALIVD ARGVMENTVM.

SIMON Petrus per fidem huic mundo ſapientes mortuos eſſe declarat, eiſdemq́; pietatis quanti ſit magnitudo, luce ipſa clariùs manifeſtat. Author argumenti, quod huic præfixum habetur epiſtolæ.

SCOPVS.

APOSTOLI ſcopus in hac epiſtola is eſt, vt qui perſecutoribus non ceſſerũt, nec hæreticis vllo pacto cedant. Gloſſa hic in principio.

PARTITIO. TABVLA 163.

SECVNDA *epiſtola duas habet partes:*
- *Commendationem fidei, cap. 1.*
- *Doctrinam de moribus, cap. 2. & 3.*

DE COMMENDATIONE FIDEI.

TABVLA 164.

FIDES *commendatur à*

- PRAEMIIS, *Quorum alia ſunt in*
  - *Re, vt diuina virtutis dona omnia, q̃ pertinent vel ad*
    - *Vitam*
    - *Pietatẽ, c. 1. in princip.*
  - *Spe, Nam præter iſta nobis alia etiam maxima & precioſa promiſſa donata ſunt, ibid.*
- SANCTITATE, *quæ manifeſtatur per*
  - *Adquiſitionem naturæ diuinæ,*
  - *Liberationem à corruptione eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ. verſ. Vt per hoc efficiamini.*
- VI *& efficacia, quam nè putemus ocioſam eſſe aut mortuam, ponit hìc fidei effectus per quoſdã veluti gradus Qui ſunt in*
  - *Fide, Virtute, Scientia, Abſtinentia, Patientia, Pietate, Fraterno amore*
  - *Miniſtrare*
  - *Virtutem. Scientiam. Abſtinentiam. Patientiam. Pietatem. Fraternum amorem. Charitatem. verſ. Vos autem curã omnem.*
- CERTITUDINE, *quæ probatur*
  - *Viuæ ipſius Dei vocis oraculo cœlitùs demiſſo: Hic eſt filius meus dilectus. verſ. Accipiens enim à Deo patre. eod.*
  - *Prophetico teſtimonio, verſic. Et habemus. vſque in fin. d. cap. 1. Vbi hanc tractationem ità concludit apoſtolus: Non enim voluntate humana allata eſt aliquandò prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

DE MORVM DOCTRINA, SECVNDA HVIVS epiſtolæ parte. TABVLA 165.

HAEC PARS DVO *habet capita, in quibus agitur de*

- *Fugienda hæreticorum conuerſatione, cap. 2.*
- *Præparatione ad futurum iudicium, cap. 3.*

DE HÆ-

DE HAERETICORVM DISSIDIIS.

TABVLA 166.

CAPVT *primũ continet tria membra, videlicet*

- CAVſas *hæreſis, q̃ ſunt*
  - *Vana præſumptio, cap. 2. in princip. in verb. Qui introducent ſectas perditionis.*
  - *Carnis libertas & luxuria. verſ. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur. eod.*
  - *Auaritia, ibidem. in verbo, Et in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur.*
- POENAS *non hæreticorum tantùm, ſed luxuriãtium animorum omnium: Quarũ ſeueritatem oſtendit exemplo*
  - *Angelorum, quibus ob ſemèl commiſſum peccatum vſqueadeò non pepercit Deus, vt eos in tartarum inferni detruſerit perpetuò cruciandos. verſic. Si enim Deus angelis. eod.*
  - *Totius mundi originalis, qui propter impietatẽ populi, diluuio iam olim extinctus fuit. ibid. in verb. Et originali mũdo.*
  - *Sodomorum & Gomorrhæorum, quorum ciuitates in cinerem redactæ, exemplum ſunt eorum, qui impiè acturi ſunt, ibidèm in verb. Et ciuitates Sodomorum. eod.*
- MORES *& vitam hæreticorum, quorum gratia illorum conuerſatio optimo cuique ſit fugienda, vt ſunt*
  - *Ignorantia, vndè Apoſtolus vocat eos irrationabilia pecora. ver. Hi verò. d. cap. 2.*
  - *Impietas, ibid. in verb. blaſphemantes in corruptione ſua peribunt. eod.*
  - *Immunditia, ibid. in verb. Voluptatem exiſtimantes. eod.*
  - *Gaſtrimargia. ibid. in verb. Delicijs affluentes, eod.*
  - *Impudicitia, ibid. in verb. Oculos habentes plenos adulterij.*
  - *Auaritia, ibid. in verb. Cor excæcatum auaritia. eod.*
  - *Hypocriſis & inanis gloria, verſ. Hi ſunt fontes ſine aqua.*
  - *Studium malignum, & voluptas peruerſa. verſ. Superba enim vanitatis loquentes.*
  - *Dolus & mendacium. In errore enim verſantibus libertatem promittunt, quam ipſi vt ſerui corruptionis non habent. ibid. in verb. Libertatem illis promittentes. eod.*
  - *Ingratitudo, qua poſt agnitionem retrorsùm conuertuntur ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato, vt canis ad vomitum, & ſus ad lutum, quo priùs hærebat. verſ. Melius. vſque in fin. cap. 2.*

DE EXTREMO IVDICIO ET FINE MVNDI.

TABVLA 167.

SEPTEM FERè ſunt, Quæ de hoc negocio diuus hîc tractat Apoſtolus Petrus:

Proponit ſuam de extremis temporibus ſententiam: Venturos nimirum in nouiſſimis illis diebus aliquos, qui vt eo liberiùs & licentiùs omnes carnis concupiſcentias poſſint explere, non vereantur negare vllum omninò aut bonorũ aut malorum futurum eſſe iudicium. cap. 3. poſt principium.

Confirmat hanc ſententiam per
- *Teſtimonium Prophetarum,*
- *Traditionem Apoſtolorum,*
- *Præceptum Domini ſaluatoris.*

à quibus hæc omnia multò antè prædicta fuerant, ibid. in verb. Vbi eſt promiſſio?

Cauſam repetit dubitationis eorum, quos tantam impietatem tam impudenter aſſerere non puduit. Ex quo enim patres dormiêrunt, omnia ſic perſeueratura putabant, vt ab initio erant creata. verſ. Ex quo enim. eod.

Refutat errorem ab ignorantia authorum iſtius impietatis. verſ. Latet enim eos, cælum & terram igni reſeruatos eſſe in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. eod.

Reſpondet obiectioni: Etſi longanimis & miſericors ſit Dominus, non eum tamen promiſſionis ſuæ vnquàm obliuiſciturum. Vnus enim dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Hic dies vt fur veniet, in quo cæli magno impetu tranſient, elemẽta calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. verſ. Vnum verò hoc.

Excitat & inſtruit fideles omnes, quo animo hæc quiſq; expectare debeat. Satagite, inquit, immaculati & inuiolati ei inueniri in pace: & Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitramini. verſ. Propter quod chariſſimi. eod.

Suam doctrinam cum diui Pauli doctrina conuenire, eiuſque Pauli ſcripta à quibuſdam malè deprauari aſſerit. Addens deniquè hanc piam admodum exhortationem: Vos igitur fratres præſcientes, cuſtodite, nè inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate: creſcite verò in gratia, & in agnitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti. vſque in finem capitis 3. & vltimi.

EPISTO-

EPISTOLA IOANNIS
APOSTOLI PRIMA, DE TRIBVS VIRTVTIbus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, Liber Bibliæ LXVIII, Secundæ partis Quarti lib. Decimusoctauus.

RATIO ORDINIS.

IOANNES non multò poſt euangelium & epiſtolas ſcripſit, ſcilicet poſt mortem Domitiani, quia reuerſus de exilio, inuénit eccleſiam per hæreticos perturbatã, & runc ſcripſit euangelium & epiſtolas contra ipſos. Sic ferè Gloſſ. in prologo. ad 7. Canonicas epiſtolas.

DE SCRIPTVRAE HVIVS AVTHORE.

AVTHOR huius epiſtolę eſt diuus Ioannes apoſtolus & Euangeliſta, de cuius vita ſuprà ad Euangelium ſuum ſatìs dictum eſt, rum etiam quantùm ad differentiam attinet aliorum, qui hoc appellantur nomine.

QVOT D. IOANNES SCRIPSERIT EPISTOLAS, ex D. Thoma. TABVLA 168.

D. IOANnes Apoſtolus tres poſt ſe reliquit epiſtolas:
- *Prima eſt generalis, ad omnes Chriſtianæ religionis cultores:*
- *Reliquæ duæ ſpeciales, ſcriptæ cuidam*
  - *Matronæ*
  - *patrifamiliâs*

De affectu et effectu charitatis:
- *Communiter ad* *Deum ſimul* / *Et proximũ.* — *In epiſtola prima*
- *In ſpecie, quo ad*
  - *Deum, in ſecunda epiſtola.*
  - *proximum, in epiſtola tertia & vltima. diuus Thomas hîc in principio.*

1

AD QVOS D. IOANNES HANC SCRIPSErit epiſtolam.

SCRIBIT ad omnem ętatem: ad pueros, ad adoleſcentes, ad ſenes: Quòd Deus quidem cognitus ſit, diabolica verò energia poſthàc deuicta ſir, abolita morte. Oecumen. hîc in argumento.

QVA OCCASIONE SIT SCRIPTA HAEC EPISTOLA.

QVIBVS cauſis D. Ioannes ſanctum ſcripſit Ieſu Chriſti Euangelium, iiſdem penè rationibus ad hoc ſcriptionis genus permotus eſſe videtur, videlicet proprer impias hęreſes Cerinthi, Marcionis, & Ebionitarum, qui Chriſtum ante Mariã non fuiſſe contendebant. Beda hîc cap. 1. in princip.

QVIBVS DE REBVS HAEC SCRIPTIO SIT inſtituta, ex Oecumenio.

ET primùm quidem ſicut in Euangelio, ità & in hac epiſtola Theologicè tractat de verbo, oſtendẽs ipſum in Deo ſemper eſſe, docensq́; patrem eſſe lucem, vt hoc etiam modo cognoſcamus verbum tanquàm ſplendorem ex ipſo eſſe. Nec tamẽ recens hoc apud nos eſſe myſterium, ſed ipſum quidem ab initio ſemperq́; fuiſſe, nũc autẽ per Dominum fuiſſe manifeſtatum, qui eſt vita ęterna & Deus verus. Vbi etiam cauſam ponit aduentûs & manifeſtationis ipſius, hanc eſſe dicens, vt diſſoluat opera diaboli, noſque à morte liberaremur, & cognoſceremus patrem ac ipſum filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Deindè tota poſtmodùm epiſtola de dilectione & charitate docet, volens vt nos inuicèm diligamus: & oſtendens quòd nos oporteat mutuò diligere, quandoquidem & Chriſtus dilexit nos. Cuius rei occaſione diſcrimen oſtendit inter timorem ac dilectionem, & filios Dei ac filios diaboli. Atq; etiam agit de peccato ad mortem, & de eo quod non eſt ad mortem, & de diuerſitate ſpirituum: vbì diſtinguit, quis ſpiritus ex Deo ſit, & quis ſpiritus erroris: Quo pacto cognoſcamus filios Dei, ac filios diaboli: de quo item peccato precari debeamus pro his qui peccant, & de quo non oporteat precari: φ́que is qui proximum non diligit, non ſit dignus vocatione, nec poſſit dici Chriſti.

Deniquè vnitatem filij oſtendit ad patrem: & quòd is qui filium negat, neque patrem habeat. In qua parte diſceptat hoc eſſe proprium Antichriſti, dicere non eſſe filium ipſum Ieſum Chriſtum, vt videlicet, cùm ille non ſit, mēdax ipſe ſe eſſe dicat. Et in fine epiſtolæ, rursùm ad memoriā reducit, quòd filius Dei vita ęterna ſit, Deusq́ue verus, & vt ipſi ſeruiamus, ac nobis caueamus à ſimulacris. Oecumen. hîc in argumento.

SVMMARIVM EX EODEM.

Exhortatvr autem tota epiſtola credentes in Dominum, nè contriſtentur, ſi odio habeantur in mundo, ſed gaudeant potiùs, quòd odium mundi oſtendat, credentes migrâſſe ab hoc mundo, ac deincèps cæleſtem habere conuerſationē. ibidèm ex Athanaſio in Synopſi.

EPISTOLAE EIVSDEM SCOPVS.

Scopvs huius epiſtolę is eſt, vt illorum coarguat impietatem, qui eccleſię pacē veſano dogmate turbabāt, Cerinthi maximè & Marcionis, qui (vt dictū eſt) Chriſtum ante Mariam non fuiſſe contendebant. Beda hîc cap. 1. in princip.

PARTITIO. TABVLA 169.

VIRTVTES QVAS *vocant Theologicas, D. Ioan. tanto inculcat ſtudio, vt eum in hac prima epiſtola ad vnam eandemq́ materiam tertiò redire non piguerit. Quam ob id, iuxta dum doctrinæ ſuæ modum, in tres diuidemus tractatus, de*

- FIDE
  - *Primò, cap. 1. per tot. & cap. 2. in princip.*
  - *Secundò, cap. 4. à princip. vſque ad ver. Chariſſimi, diligamus nos. &c.*
  - *Tertiò, cap. 5. verſ. Quoniam omne quod natum eſt, vſque ad verſ. Et hoc eſt teſtimonium. eod.*
- SPE
  - *Primò, cap. 3. per totum.*
  - *Secundò, cap. 4. verſ. In hoc perfecta eſt charitas.*
  - *Tertiò, cap. 5. verſ. Et hoc eſt teſtimonium. vſque in fin.*
- CHARITATE
  - *Primò, tot. cap. 2.*
  - *Secundò, cap. 4. à verſ. Chariſſimi, vſq; ad verſ. Timor non eſt in charitate.*
  - *Tertiò, cap. 4. verſ. Nos ergò diligamus. vſque in finem.*

DE FL

DE FIDE PRIMO.

TABVLA 170.

FIDEM *Chriſtianã b omnib s amplectendam multis probat rationibus, collectis ab*

- **HONESTO,** *quod ipſum oſtẽditur à*
  - VERITATE *fidei, quæ eſt de verbo vitæ,*
    - *Quod fuit ab initio,*
    - *Quod ipſi audiuerunt Apoſtoli,*
    - *Quod viderunt,*
    - *Quod perſpexerunt,*
    - *Et quod manibus contrectauerunt, cap. 1. in princip.*
  - DIGNITATE, *quæ patet ex duobus:*
    - *Primò, per fidem contrahitur ſocietas, non cum omnibus tantum ſanctis, ſed etiam cum Deo Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. verſ. Quod vidimus & audiuimus, annunciamus. eodem.*
    - *Deindè, vt Deus ipſe, ità etiam fides in Chriſtum, lux eſt. ver. Quoniam Deus lux eſt, eod.*
- NECESSARIO. *Quandò enim omnes ſumus peccatores, omnes etiam indigemus*
  - *Fide iuſtificante. verſ. Quoniam ſi dixerimus nos peccatum non habere, ipſi nos ſeducimus, & non eſt in nobis veritas. eod.*
  - *Confeſſione peccatorum, vt emundemur ab omni iniquitate. ver. Si confiteamur peccata noſtra.*
- VTILI, *quod duplici æſtimatur argumento. Fide enim*
  - *Et iuſtificamur. verſ. Si autem in luce ambulamus &c. ſanguis Chriſti emundat nos. d. cap. 1.*
  - *Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris. cap. 2. in princip.*

DE CHARITATE PRIMO.

TABVLA 171.

CHARItas conſiſtit in

- **DILECTIone**
  - *Dei: Neque enim ſufficit Deum cognoſcere, ſed illud etiam ad ſalutem eſt neceſſarium, vt mandata Dei ſeruemus. verſ. Et in hoc ſcimus. d. ca. 2.*
  - *Proximi, Nam*
    - *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine illo de quo in primo dictum eſt capite, manet. verſicul. Qui diligit. eodem.*
    - *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. ibidem.*
  - *Virtutis, ad quam D. Ioannes inuitat*
    - *Filios, Parentes, Adoleſcentes, Infantes, Senes, Iuuenes.* — *Et p hos in vniuerſum omnes. verſ. Scribo vobis filioli.*
- **CONtemptu**
  - *Mundi propter*
    - *Immunditiam. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt. verſ. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. eod.*
    - *Inconſtantiam. Tranſit enim mundus, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. verſ. Et mundus tranſit. eod.*
  - *Hæreticorũ, qui ex nobis quidem*
    - *Prodiêrunt. ver. Filioli, nouiſſima hora eſt. eod.*
    - *Sed ex nobis nõ erant, quamobrem ſunt*
      - *Deuitandi. verſ. Ex nobis prodiêrunt. eod.*
      - *Amplectenda autem veritas, quam ab initio accepimus. verſ. Vos quod audiſtis ab initio. eod.*
  - *Vitiorum, quæ omninò omnia cauenda atque fugienda ſunt, vt in veritate permanere queamus. Ad quam nos introducit vnctio Spiritusſancti per ſacramenta eccleſiaſtica. verſ. Et vos vnctionem, quam accepiſtis &c. vſque in fin. cap. 2. Vbi concludit: Vt iuſtus eſt Deus, ità omnis qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt.*

DE SPE PRIMO. TAB. 172.

IN HVIVS *virtutis diſcuſsione D. Ioannes perpendit quinque:*

CVR *ſperandum ſit, prima ſtatim verba, quibus tertium auſpicatur capitulum, aperiunt: Propter immenſam videlicet charitatem, quam dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. d. princip. cap. 3.*

QVID *ſperare debeamus, quòd ſpem noſtram perficiat. Id verò vnicum eſt, æterna Dei fruitio. Quæ ſanctificat omnes in Deum credentes, ſicut & ille ſanctus eſt, in quem credimus. ver. Chariſsimi, nunc filij Dei ſumus. eodem.*

QVOMODO *ſit ſperandum. Eſt enim veræ ac viuæ ſpei hæc veluti forma, vt eum, cui credimus, & in quẽ ſperamus, imitari ſtudeamus, in* { *Doctrina, Vita, & Moribus,* } *verſic. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe. eodem.*

QVAE *res ſpem in nobis*
- *Erigere debeat. Ea autem eſt in meritum Paſsionis Chriſti. vt notatur in ver. In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli. eod.*
- *Tueri & promouere poſſit. Id quod mutua inter homines præſtat dilectio. Qui enim proximum ſuum non diligit, ex Deo non eſt, ac ob id quomodò in eum ſperare poteſt? Vt probat D. Ioannes exemplo Cain. ver. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo,*

QVAE *ſint ſigna veræ ſpei.*
- *Conſciẽtiæ puritas. ver. In hoc cognoſcimus, inquit, quòd ex veritate ſumus, & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra: Quoniam ſi repræhenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.*
- *Dei ad nos inclinatio, qua preces noſtras clementer exaudit. ver. Chariſsimi, ſi cor noſtrum non repræhenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus. vſque in fin. cap. 3.*

DE FIDE SECVNDO. TAB. 173.

FIDEI *Donum*

- *Oritur à Spirituſancto. Non ergò debemus credere* { *Omni ſpiritui,* } { *Sed probare ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. cap. 4. in princip.* }
- *Verſatur circa Deitatem Chriſti, cùm humanitate coniunctam. Nam qui ſoluunt Chriſtum, non verum habent fidem, ver. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei.*
- *Diſcernit* { *Veritatem, Fideles* } *Ab* { *Errore. Hæreticis, qui fidem veram non habent. ver. Vos ex Deo eſtis filioli. eod.* }

DE CHA-

DE CHARITATE SECVNDO.

TABVLA 174.

FRVCTVS *Charitatis enumerantur quatuor:*

- FILIOS *nos facit Dei. Quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt. verſ. Chariſsimi, diligamus nos. eodem.*
- PARIT *in nobis cognitionem Dei. ibid. in ver. Et cognoſcit Deum.*
- RECTIVS *Chriſtum imitari nequimus, quàm per charitatem, vt cùm is prior nos dilexerit, & nos mutuò diligendos eſſe intelligamus, ver. In hoc apparuit charitas* DEI. *eod.*
- CONIVNGIT *ac vnit nos cum Chriſto.* DEVS *enim charitas eſt: & qui manet in charitate, in* DEO *manet, &* DEVS *in eo. ver. Si diligamus. eodem.*

DE SPE SECVNDO.

TABVLA 175.

SPEI VIRTVS

- PROFICISCITVR *ex charitate. Nam ea quæ ſine charitate eſt fiducia, præſumptio potiùs dicenda eſt, quàm ſpes. ver. In hoc perfecta eſt charitas* DEI *nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij.*
- EXCLVDIT *timorem. ver. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem.*

DE CHARITATE TERTIO.

TABVLA 176.

HORTATVR *Chriſtianos in fide confirmatos, ad amorem*

- DEI. *verſ. Nos ergò diligamus* DEVM, *quoniam* DEVS *prior dilexit nos. d. ca. 4.*
- PROXIMI, *quem amandum eſſe triplici oſtendit ratione, ſcilicet à*
  - *Maiori & incommodo. verſ. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quẽ videt:* DEVM *quem non videt, quomodò poteſt diligere?*
  - *Authoritate. Nam hoc mandatum habemus à* DEO, *vt qui diligit* DEVM, *diligat & fratrem ſuum. in fin. cap. 4.*
  - *Effectu. Charitas enim leuia facit mãdata* DEI, *cap. 5. poſt principium, verſ. Hæc eſt enim charitas* DEI *&c.*
- VTRIVSQVE. *Vt enim ex proximi dilectione amor ſequitur* DEI, *ità ex amore* DEI *dilectio demonſtratur proximi. d. princip. cap. 5.*

DE FI-

DE FIDE TERTIO. TAB. 177.

ITERVM *De fidei agit*

- PRAESTANTIA *cum vtilitate coniuncta, ver. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. verſ. Quoniam omne quod natum eſt. d. cap. 5.*
- CERTITVDINE *& veritate tam quo ad diuinam, quàm humanam Chriſti naturam, quæ probatur*
  - *Rerum, quas credimus, firmitate. Chriſtus enim in quem credimus, is eſt, qui non venit in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine nos redemit: & in ſumma ea fecit opera, quæ nulla vnquàm potuit natura, verſ. Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem. eod.*
  - *Teſtimonio diuino, Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in*
    - *Cælo,*
      - *Pater,*
      - *Verbum, &*
      - *Spiritusſanctus.*
    - *Terra,*
      - *Spiritus,*
      - *Aqua, &*
      - *Sanguis. ver. Et Spiritus eſt qui teſtificatur. eod.*
  - *Propria cuiuslibet hominis conſcientia. Quotiès enim mens humana rerum à Chriſto geſtarum & miraculorum perpẽdit magnitudinem, velit nolit, re ipſa quiuis aſſentire, & experientia conuictus, veritati teſtimonium perhibere cogitur. Et hoc eſt, quod dicit hoc loco D. Ioan. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui autem nõ credit filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimoniũ, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo. verſ. Si teſtimonium hominum accipimus. eod. cap. 5.*

DE SPE TERTIO. TAB. 178.

QVAE VNVS- *quiſque ſperare debeat aut poſſit, ea omnia ad hos ſeptem poſſunt reduci quaſi fontes, ſeu regulas generales,*

- *Dediſſe nobis Chriſtum vitam æternam, verſ. Et hoc eſt teſtimonium. d. ca. 5.*
- *Deum preces noſtras exaudire, ver. Et hæc eſt fiducia, quã habemus ad Deũ: Quia quodcunq; petiêrimus, ſecundùm voluntatem eius, audit nos. eod.*
- *Obſecrationes noſtras etiam pro alijs efficaces eſſe, verſ. Qui ſcit fratrem ſuũ peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita &c. eod.*
- *Credentes qui ex Deo ſunt nati, cuſtodiri à peccato, & ab omni maligno conſeruari ſpiritu. ver. Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. eod.*
- *In omnibus periculis, Deum ſuis etiam in hoc mundo adeſſe, ver. Scimus quoniam ex Deo ſumus. eod.*
- *Deum iam olim veniſſe, & non ſuî tantùm, ſed etiam filij ſui dediſſe cognitionem. verſ. Et ſcimus quoniam filius Dei vénit.*
- *Datam & confirmatam eſſe nobis religionem veram & immaculatam, quæ nihil habeat cum idololatria aut ſuperſtitione commune, ver. Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

EPISTO.

EPISTOLA IOANNIS APOSTOLI SECVNDA, DE PERFECTIONE fidei, quæ in vera conſiſtit charitate, Liber Bibliorum LXIX, Partis Secundæ libri Quarti, decimusnonus.

RATIO ORDINIS EX D. THOMA.

In præcedenti epiſtola actum eſt de affectu & effectu dilectiõis ad Deum & proximum communiter: Hic autem de ea potiſſimùm, quæ ad Deum eſt, agitur charitate. Thomas hic cap.1. in princip.

DE HVIVS ET SEQVENTIS EPISTOLAE Authore.

Negant aliqui hanc & ſequentem epiſtolam, eſſe huius euangeliſtæ: quam ſententiam pertinaciſſimè tueri videntur Eraſmus & Caietanus. Melch. Canus De locis Theolog. lib.2. cap.10.

RATIO DVBITANDI PRIMA AB Authoritate.

Rationes qnibus ſe moueri aſſerunt, ab authoritate primùm petũt Euſebij & Hieron. Euſebius enim Cęſareenſ. dum Ioannis apoſtoli ſcripta commemorat, poſtquàm euangelium & vnam Canonicam, de quibus nnlla vnquàm fuit controuerſia, recenſuit: De reliquis autem duabus, ait, epiſtolis & reuelatiõe, & nũc anceps ſententia eſt. lib. eccleſiaſt. hiſtor.3. cap.24.

Et Hieronymus de viris illuſt. Reliquæ, inquit, duæ, quarũ principium eſt, Senior Electæ Dominæ & natis eius: & ſequens, Senior Caio chariſſimo &c. Ioannis presbyteri aſſeruntur.

DE ARGVMENTIS PRO SECVNDA DVbitandi ratione.

Deinde hnius rei argumẽta eſſe volunt, quòd presbyteratûs in ijs epiſtolis mẽtio fiat, apoſtolatûs verbum nullum ponatur. Quodque vterque Ioannes Epheſi & vixerit, & obierit.

CATHOLICA DE HIS DVABVS EPISTOlis ſententia Bedæ.

Qvidam putant hanc & ſequentem, inquit, epiſtolam, non eſſe Ioannis Apoſtoli, ſed cuiuſdam presbyteri Ioannis: cuius ſepulcrum vſque hodiè demonſtratur in Epheſo. Cuius etiam Papias auditor apoſtolorum, & in Hierapoli epiſcopus, in opuſculis ſuis ſæpè meminit.

Sed nunc generalis Eccleſiæ conſenſus habet, quòd has quoquè epiſtolas Ioannes apoſtolus ſcripſerit, quæ re vera multam verborum & fidei ſimilitudinem cum prima eius epiſtola oſtendunt, & ſimili zelo deteſtantur hæreticos. Beda hîc in princip.2. Ioannis epiſtolæ.

EADEM SENTENTIA, PATRVM CONfirmata teſtimonijs.

Saepe dictas duas epiſtolas, non eſſe alterius Ioannis, quàm Euangeliſtæ, ac ob id in numero ſacrarum habẽdas eſſe ſcripturarum, teſtantur Origen. in Pſal.1. apud Euſeb.6. lib. Eccleſiaſt. hiſto. cap.18. Clemens lib.2. Stromat. Damaſcenus lib.4. cap.18. Iſidorus Etymologiar.6. cap.1. Auguſt. de Doctrina Chriſtiana lib.2. cap. 8. Hieron. ad Euagrium. Innocentius primus, Gelaſius 93. Diſtinc. cap. Legimus. Concilium item Laodicenum, Carthaginenſe, Florentinum, ac ipſum deniquè Tridentinum.

Sed & tẽpore Paſchali vniuerſalis eccleſia duas has epiſtolas noĩe Ioãnis apoſtoli popu-

populo legit. Quis autem non Eccleſiæ concilijs & ſanctis antiquis tutiùs ſe cõmittat, quàm nouitijs iſtis authoribus? Certè vel hoc ſolo, ꝙ ſemper dictæ ſunt Canonicæ, illius eſſe credẽdum eſt, ſub cuius nomine ſacro ſemper aſſcriptę ſunt Canoni. Si Ioannis cognomento ſenioris aſſeruntur, non ſunt profectò canonicæ. Nec enim quiſquã Ioannem presbyterum authorem ſacrum exiſtimauit. Sunt ergò Ioannis Euãgeliſtę. Idem Melchior Canus de locis Theolog. li. 2. ca. 11.

RESPONSIO AD PRIMAM DVBITANDI RATIONEM.

ETSI Euſebius & Hieronymus, quibuſdam harum epiſtolarum authoritatem dubiam fuiſſe ſcribant, (quod hæreticis quibuſdam hominibus, nouandi & contradicendi ſtudio tam fuit procliue, vt horum aliquos non puduerit, de tota interim dubitare ſcriptura) nec tamẽ vel ipſi, vel alius ex ſanctis Patribus quiſquã, de earum vel authore, vel authoritate, dubitâſſe vnq̃, ſed ſemper, vt Catholica & apoſtolica coluiſſe ſcripta, abundè teſtantur ab illis edita de rebus diuinis opera. Medina de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 22.

ALIA RESPONSIO AD SECVNDAM DVBITANDI rationem, cur Ioan. apoſtolus dictus ſit Senior.

SENIOREM autem ſe dicit Ioannes, vel quia iam ꝓuectus erat ætate, quandò has ſcripſit epiſtolas, vel quia nomen ſenioris, id eſt, presbyteri, etiam Pontifici, ꝓpter maturitatem ſapientiæ & grauitatis, congruit. Beda vbi ſuprà.

Etſi verò in his duabus epiſtolis, apoſtolatus memoria non fiat, ꝙ ad fœminam & viros ſibi notiſſimos, & pro ſingulari cauſa, & vbi non erat tam authoritate, q̃ amore certandum, ſcribantur, ipſa tamen doctrina apoſtolicum odorem, & non alium quàm Ioannis, clariſſimè inſinuat.

Sic licèt alius diſcipulus, Ioannes presbyter, Apoſtoli Ioannis fuerit contemporaneus, non tamen niſi leuiſſimis rationibus perſuaderi poteſt, illum has duas ſcripſiſſe epiſtolas: præſertim cùm & ſtylus & materia, cum ſtylo & materia prioris epiſtolæ per omnia conueniat. Quæ ratio etiam obſtinatos hæreticos, & qui ſua libidine & iudicio priuato ſcripturas diuina authoritate euacuare ſunt ſoliti, vel ſola conuincere poteſt. Nihil enim in his duabus poſtremis epiſtolis, q̃ amor & dilectionis mandatum, quæ duo Ioannis Euangelium & epiſtola prior, per ſingulas periodos ſpirat, frequentiùs ſcribitur. Medina vbi ſuprà.

ADVERSARIORVM TESTIMONIVM.

POSTEAQVAM vnitatis Catholicæ aduerſarius quidã varias diuerſorum de his epiſtolis enumerâſſet opiniones, tandèm in hãc nolens volens ꝓlabitur ſententiam: Reliqui, inquit, non hanc modò, (ſcilicet ſecundam) ſed & ſequentem, quæ Ioannis tertia inſcribitur, ab ipſo Ioanne Euangeliſta, dilecto Chriſti diſcipulo & Apoſtolo ſcriptam, non ſine probabili coniectura affirmârũt. Similes enim videntur primæ, quæ eſt Ioannis Apoſtoli, in verbis & aſſertione fidei & charitatis, aduersùs hæreticos.

DE ELECTA ILLA, CVI HAEC SCRIBITVR EPISTOLA.

PERSONA illa cui D. Ioannes hanc ſcripſit epiſtolàm, quædam matrona erat Babylonia, quæ Electa proprio nomine vocabatur: per quã vniuerſalis deſignatur eccleſia, & per filios eius, minores ab eccleſia geniti in fide. Gloſſ. 2. Ioan. 1. Vſqueadeò autem ad ſanctam ſcribit fœminam, vt eandem in his literis non dubitet appellare Dominam. Author arg. quod in Biblijs huic præfixũ eſt epiſtolæ.

QVA OCCASIONE SCRIPTA SIT HAEC SECVNda Ioann. epiſtola, ex Oecumenio.

OCCASIO verò epiſtolæ fuit hæc: Cùm videret filios Electę illius rectè in fide con-

conuerſari, multosque ſeductores circumire ac dicere, non eſſe aduẽtum Chriſti in carnem, contra eos hanc illi ſcripſit epiſtolam. Oecumenius hîc in argument. & Athanaſ. in ſynopſi.

DE QVIBVS SCRIPSERIT REBVS.

PRIMVM quidem commendat ipſius Electæ filios, quòd rectè ambulent. Deindè docens non eſſe recens myſterium, quod apud nos eſt, rursùm de dilectione exhortatur, & vt maneant in doctrina ſibi tradita. Et conſequenter docet, eum eſſe Antichriſtum, qui ait Chriſtum in carne non veniſſe. Præcipit autem nè qs ſuſcipiat huiuſmodi in domum, neque dicat ipſis, Aue. Idem Oecumen. ibidèm & Athanaſ.

DE EPISTOLAE HVIVS BREVITATE.

CAVSAM breuitatis epiſtolæ in hac & in ſequenti Ioan. docet hanc eſſe, quòd ſperaret ſe ad eos venturum, ſuaque præſentia & adſpectu additurum quæ deeſſent. Oecumen. in fin. huius epiſtolæ.

SCOPVS.

HVIVS epiſtolæ ſcopus is eſt, vt deteſtàtis hæreticorum qui Chriſtum diuidũt, opinionibus, vniuerſæ perſuadeat eccleſiæ, extra charitatem non eſſe fidei perfectionem. Gloſſa hic in principio.

DE PARTIBVS EPISTOLAE D. IOANNIS ſecundæ. TABVLA 179.

VNICO ABſoluitur hæc epiſtola contextu, qui etſi per ſe planus ſit & breuis, ipſius tamen argumenti tractatio tria videtur continere capita:

- *Congratulationem, in qua gloriatur de profectu, quem honeſta matrona Electa vnà cum liberis & ſubditis ſuis in fide conſecuta fuerat. cap. vnic. poſt princip. verſ. Gauiſus ſum valdè.*
- Exhortationem
  - *Pro retinenda fide Catholica, ac ſemèl & ab initio ſuſcepta Doctrina De*
    - *Fide,*
    - *Spe, &*
    - *Charitate.*
    - *Verſ. Et nunc rogo te Domina. eod.*
  - *Contra hæreticorum impoſturas & impias nouationes. ver. Quoniam multi ſeductores exiêrunt in mundum.*
- *Deſignationem*
  - *Præmiorum, quæ pollicetur D. Ioannes ijs, qui in doctrina apoſtolorũ permanſerint. verſ. Qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet.*
  - *Pœnæ, quam minatur non ipſis tantùm hæreticis, ſed ijs etiam qui cum illis colludunt. Quos omnes ferit excommunicationis fulmine. verſ. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert: nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. circa fin. ſecundæ huius epiſtolæ.*

EPISTO-

EPISTOLA IOANNIS APOSTOLI TERTIA, DE VERIS DEI FIlijs,

quales ſoli ſunt illi, qui benè operantur, ſiue de hoſpitalitate, Liber Bibliæ LXX, Secundæ Partis Quarti libri, vigeſimus.

CONTINVATIO.

SICVT in præcedēti epiſtola, de ea agit charitate, quæ eſt erga Deum, ità in hoc ſcripto de dilectione agit proximi. Thomas hîc in principio.

DE AVTHORE.

IDEM huius epiſtolæ author eſt, qui & Priorum, Ioannes ſcilicet Euangeliſta, & nō (vt quidam putârunt) alter ille, qui cognominatus eſt Presbyter. Quod facilè quiuis tam ex affectionis, quàm orationis ſimilitudine, intelligere poteſt. Idem Thomas ibid.

DE CAIO, AD QVEM SCRIPTA EST hæc epiſtola.

CAIVS iſte, cui ſcribit hoc loco Apoſtolus Ioannes, creditur vir ille fuiſſe Corinthius, de quo ad Rom. 16. loqtur Paulus: Salutat vos Caius hoſpes meus. ET 1. Corinth. 1. Neminem veſtrûm baptizaui, niſì Criſpum & Caiū. Dionyſius Carthuſianus hic in princip. ERAT autem is idem Caius vniuerſæ tum hoſpes eccleſiæ. Oēs enim qui ad ſe veniebant, & prædicatores videlicet & auditores verbi, benignè ſuſcipiebat, ſicut hæc præſens indicat epiſtola. Beda ibidèm.

ARGVMENTVM.

CAIVM pietatis cauſa extollit, atque vt in ipſa pietate maneat, exhortatur: Diotrephen impietatis & ſuperbiæ cauſa obiurgat: Demetrio autem bonum teſtimonium perhibet cum fratribus vniuerſis. Author argumēti, quod huic epiſtolæ præfixi.

PARTES. TAB. 180.

ET HAEC EPIſtola breuior eſt, quàm vt in multas ſcindi queat partes. Simpliciter D. Ioannes Caium ſuum

- EXTOLlit ab
  - *Aliorum Chriſtianorum teſtimonio. Poſt principium epiſtolæ, verſ. Gauiſus ſum valdè.*
  - *Honeſta conuerſatione, Ibidèm in verb. Sicut tu in veritate ambulas.*
  - *Hoſpitalitate. verſ. Chariſſime, fideliter facis &c. Vbi oſtenditur, adiuuandos eſſe eos, qui nomen Dei gratis annunciant.*
- COMMOnefacit, vt
  - *Caueat ſibi à Diotrephe & eius ambitione, qua tyrannidem ſuam in Eccleſia exercere conabatur. verſ. Sed is qui amat primatum &c.*
  - *Studeat verò imitari Demetrium, cui ab omnibus bonum reddebatur teſtimonium. ver. Demetrio teſtimonium redditur. vſque in finem tertiæ huius epiſtolæ.*

EPISTOLA IVDAE CATHOLICA, DE FIDE CVM CHARITATE

coniuncta, Liber Bibliæ LXXI, Partis Secundæ libri quarti, vigeſimus primus.

RATIO ORDINIS.

VLTIMO loco ponitur Iudæ epiſtola, vel quia poſtremò edita, vel quia minoris famæ & dignitatis erat, Thomas hîc in principio.

DE HVIVS EPISTOLAE AVTHORE.

AVTHOR huius epiſtolæ eſt Iudas ille, quem in Euangelio Matthæus 10. cap. & Marc. 3. vocant Thaddæum, Lucas verò in 1. Actuum Apoſtolorum capite Iudā Iacobi vocauit: qui, vt in lib. de viris illuſtrib. refert Hieronymus, etiam Corculus, id eſt, proprij cordis cuſtos, appellatus eſt. Et quāuis etiam frater eſſet Simonis illius Zelotis Apoſtoli, hic tamen ſe Iacobi tantùm, hoc eſt, Alphæi, qui minor dici conſueuit, vocauit fratrem, eò quòd is vti primus Hieroſolymitarum antiſtes, inter eos præcipuus haberetur. Dionyſius Carthuſ. hîc in principio, & Thomas ibidèm.

AD QVOS SCRIPSERIT HANC EPISTOlam Iudas.

SCRIBIT D. Iudas Apoſtolus hoc loco eis, qui ex omnibus populis & nationibus ad fidem cōuerſi fuerant Chriſtianam. Athanaſ. hîc in Synopſi, & Oecumenius in huius epiſtolæ argumento.

CONTRA QVOS EDITA SIT HAEC EPISTOLA.

INTENDIT ſtyli ſui aciem contra eoſdem vnitatis eccleſiaſticæ fideiq́; Chriſtianæ corruptores, quos & Petrus & Ioannes in ſuis damnant epiſtolis. Beda hîc in princip.

QVA OCCASIONE AD HOC SCRIPTVM permotus fuerit Iudas.

QVVM ſubingreſſi eſſent quidam, qui non id tantùm docerent, Peccatum eſſe adiaphoron quiddam & vulgare, ſed etiam Dominum ipſum negare non verentur, eorum procacitati & impietati hac epiſtola occurrere, ac fratres, immò Chriſtianos omnes, hac epiſtola in vera religione confirmare voluit. Ex ſentētia Athanaſij & Oecumenij in ipſo huius epiſtolæ argumento.

Adiaphorō

DE QVIBVS SCRIPSERIT REBVS.

ARGVMENTVM Iudas tractat penè idem, quod ſibi præcedentes duo ſumpſerūt Apoſtoli, Ioannes ſcilicet & Petrus. De fide enim, vt illi, agit & charitate. Gloſſa & Thomas hîc in principio.

QVO ORDINE SCRIPSERIT.

PRIMVM quidem exhortatur Chriſti fideles, vt certent & permaneant in fide ſibi tradita. Deindè detegit huiuſmodi ſeductores, ac pcipit vt cum talibus nullā habeant communionem. Neq; enim ſatis eſt, vocatum eſſe, niſi dignè quiſq; in vocatione ſua ambulet. Tandèm exhortatur ad mores, & precatus illis in fide conſtantiā, concludit epiſtolam. Athanaſius & Oecumenius in argument.

Non ſatis eſt, vocatū eſſe.

DE EPISTOLAE HVIVS AVTHORITATE.

IVDAS frater Iacobi, paruam qdem, q̄ de ſeptē Catholicis eſt, epiſtolā reliquit. Et quia

quia de libro Enoch,qui apocryphus eſt, in ea ſumit teſtimonium, à pleriſq; reijcitur,tamen authoritatem vetuſtate iam & vſu meruit,& inter ſanctas ſcripturas computatur.Hieron.in catalog.Scriptorum eccleſiaſt.

QVIS EX ANTIQVIORIBVS EIVS AUTHORITATE fuerit vſus.

EX hac epiſtola Anacletus beati Clementis ſucceſſor, ſumit ſententiam, qna dicitur:Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab apoſtolis Domini,qui dicebāt vobis, Quoniam in nouiſſimo tempore venient illuſores,ſecundūm deſideria ſua ambulantes in impietate. Hi ſunt qui ſegregāt ſemetipſos.

DE LIBRO ENOCH, AVGVSTINVS.

QVID Enoch ſeptimus ab Adam? Nonne etiam in canonica epiſtola apoſtoli Iudæ prophetâſſe prædicatur? Cuius ſcripta vt apud Iudæos & apud nos in authoritate non eſſent,nimia fecit antiquitas,propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta,nè proferrentur falſa pro veris.Nam & proferũtur, quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur,ab eis qui pro ſuo ſenſu paſsim quod volunt,credunt. Sed ea caſtitas canonis non recipit: non ꝙ eorum hominum qui Deo placuerunt, reprobetur authoritas, ſed ꝙ iſta eſſe non credantur ipſorum.Auguſt,lib.18.de ciuitate Dei,cap.38.

D. MELCHIOR CANVS DE EODEM, SIMVL obiectionibus reſpondens.

CITAT (aiunt)Iudas librum apocryphum. Forſan apud Hebræos apocryphus non erat.Quòd ſi eſſet,vt & Hieronymo & pleriſq; alijs placet,nihil mirum,ſi ab apoſtolo Iuda referatur, cùm teſtimonia referat Paulus ex Arato,Menandro, Epimenide,ethnicis prophaniſq; poëtis.vide Hieronymũ in epiſtolam ad Ephe. ſios cap.5.& ad Tit.1.

Atque aliud eſt,totum librum apocryphum eſſe,quod Hieronymus ait,quia ſcilicet quædam in eo libro continerentur quæ eſſent ambigua: aliud, particulã illam quam Iudas citauit, apocrypham eſſe: quod nec Hieronymus,nec alius ex Catholicis dixit. Nam licet ex alio loco non haberemus eam eſſe ꝓphetiam: at authoritas Iudæ ſatis eſt, vt illam veriſſimè à Spirituſancto extitiſſe ſentiamus, ſicut credimus illa verba,Beatius eſt magis dare,quàm accipere,Ieſu Chriſti eſſe, quia Paulus dixit. Canus lib.2.cap.11.de locis Theologicis.

TESTIMONIVM ADVERSARIORVM.

ADVERSARIORVM quidam de hac epiſtola,contra eos, qui temerè de eius dubitant authoritate,talem protulit ſententiam: Tametſi autem de hac quoquè epiſtola diuerſis ſententijs inter veteres certatum fuit, quia tamen vtilis eſt lectu, nec quidquam ab Apoſtolicæ doctrinæ puritate alienum continet,iamque olim apud optimos quoſq; authoritatem obtinuit, quamlibenter alijs adnumeramus.

SCOPVS.

EA deniq; Apoſtolus Iudas ſcribit intentione,vt eoſdem admoneat fideles, nè conſentiant hæreticis, à fide eos & charitate retrahẽtibus.Thomas hic in principio.

PARTITIO EPISTOLAE IVDAE. TAB. 181.

- *VTCVNq; breuis, vtiliſſima tamē hæc eſt epiſtola: Et partes habet tres, videlicet*
  - EXHORTATIONEM *ad omnes omniū eccleſiarū fideles, quos inſtruit ad*
    - *Conſtantiam perſeuerandi in Doctrina ab Apoſtolis ſemèl tradita.*
    - *Certamen fidei ſuſcipiendum.*
    - *Defenſionem propriæ ſalutis. ſtatim à principio huius epiſtolæ.*
  - INVECTIVAM, *qua inuehitur contra impios quoſdā hæreticos, qui ab initio ſtatim eccleſiæ vnitatem ſcindere ſtudebant, & gratiā Dei in luxuriā trāſferre conabātur, quos*
    - *Primùm indicat ac manifeſtos facit 4. quaſi notis:*
      - *Quòd homines ſint impij,*
      - *Ad hoc iudicium ex diuina præſciētia olim præuiſi,*
      - *Gratiā Dñi noſtri trāſferentes in luxuriam,*
      - *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſolum dominatorem turpiter negantes. verſ. Subintroierunt enim quidam.*
    - *Secundò refutat atque confundit exēplis tribus*
      - *Præuaricantis populi ducti ex Aegypto. Qui poſtquàm à fide ſemèl accepta temerè defeciſſent, omnes ſimul perditi & extincti fuerunt. verſ. Commonere autem vos volo.*
      - *Degenerantium angelorum; qui propter ſuperbiæ crimen de cælo detruſi, vinculis reſeruantur æternis. ibid. in verb. Angelos verò.*
      - *Fornicantium ciuitatum Sodomæ & Gomorrhæ, quæ quòd carnis ſequerentur libidinem, nō ſolùm igne & ſulphure ſunt extinctæ, ſed etiam æterni ignis ſuſtinent pœnam. verſ. Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates.*
    - *Tertiò deſcribit, ac mores eorum ſuis depingit coloribus, dum hæreticos confert modò cum*
      - *Brutis animalibus, ver. Hi autem, quæcunq; quidem ignorant, blaſphemant.*
      - *Impietate* — *Cain, Balaā, Core.* — *Ver. Væ illis qui in via Cain abiērunt.*
      - *Rebus inanimatis.*
        - *Nubibus ſine aqua, quæ à vento circunferuntur.*
        - *Arboribus autumnalibus, infructuoſis, & bis mortuis.*
        - *Fluctibus maris, deſpumantibus ſuas confuſiones.*
        - *Sideribus errantibus. ver. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore.*
    - *Condemnat denique iudicio doctrinæ*
      - *Propheticæ. ver. Prophetauit autem de his ſeptimus ab Adam Enoch &c. Venit Dominus arguere impios.*
      - *Apoſtolicæ. ver. Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborū, q̃ pdicta ſunt ab apoſtolis, &c. Quoniā in nouiſſimis tēporib. venīēt illuſores.*
  - *Cautionem, quomodò hæretici ſint tractandi: Sunt enim,*
    - *Si ſpes ſit reſipiſcētiæ, miſericordia digni, ac ob id conſolādi magìs q̃ contemnendi, & hortādi vt reſipiſcere velint.*
    - *Si ità à ſatana ſint capti, vt frōtem perfricuerint, ac omnē depoſuerint pudorem, redarguendi & fugiendi. verſ. Et hos quidem arguite iudicantes, vſque in fin.*

PARS

PARS QVARTI LIBRI TERTIA, DE NOVI TESTAMENTI PROPHETIA.

CONTINVATIO.

QVEMADMODVM veteris teſtamenti libri in ſcripta diuiduntur legalia, hiſtorialia, ſapientialia, vt vocant, & prophetica: ità noui quoq; teſtamenti librorum alij legales ſunt, vt Euangelia: alij hiſtoriales, vt acta apoſtolorum: alij ſapientiales, quales apoſtolicæ ſunt epiſtolæ: alij verò prophetici dicuntur, vt diuina eſt beati Ioannis reuelatio. Cùm ergò abſoluta ſint, quæ ad tres priores noui teſtamenti pertinent partes omnia, rectè tandem ſequitur hæc de totius eccleſiæ decurſu prophetia.

ALIA ORDINIS RATIO.

DEVS & Dominus pater præuidens tribulationes, quas paſſura erat ſancta eccleſia, poſtquàm ab apoſtolis fuit fundata, diſpoſuit cum filio & ſpirituſancto eas tribulationes, earumq; præmiá reuelare. Iacula enim quæ pͧuidentur, minùs lædunt. Anſelmus in Apocalypſin in principio.

DE PROPHETIAE HVIVS PRAE CAETERIS excellentia.

EST hæc prophetia alijs omnibus excellentior, vel quia de Chriſto & eccleſia magna ex parte iam adimpleta ſacramenta denunciat: vel etiam ideò, quia cùm alijs vnifaria, iſti trifaria data eſt prophetia ſimul, ſcilicet de præterito, & præſenti, & futuro. Gilbertus Pictauieñ hîc in præfatione. Et hæc prophetia continetur in poſtremo Bibliæ lib. qui inſcribitur, Apocalypſis B. Ioannis apoſtoli.

APOCALYPSIS B. IOANNIS APOSTOLI, DE TOTO VNIVERSALIS *Eccleſiæ ſtatu, Liber Bibliæ LXXII, & vltimus, partis tertiæ libri Quarti, vnicus.*

DE NOMINIS RATIONE.

VERBVM Apocalypſis, id eſt, reuelationis, propriè ſcripturarum eſt, & à nullo ſapientium ſeculi apud Græcos vſurpatum. Hieron. in epiſt. ad Galat. lib. 1. cap. 1. Liber autem iſte Apocalypſis dicitur, id eſt, reuelatio: quia hîc continentur, quę Deus reuelauit Ioanni, & Ioannes eccleſiæ, quanta ſcilicet eccleſia paſſa ſit in tempore primitiuo, & nunc patiatur, & nouiſſimis temporibus Antichriſti paſſura ſit, quandò tanta erit tribulatio, vt ſi fieri poteſt, moueantur etiam electi: & quæ pro his & nunc & in futuro præmia ſit ſuſceptura, vt quos denunciata ſupplicia terrent, ꝓmiſſa præmia lætificent. Idem Pictauieñ in citato priùs loco.

VNDE ET QVIBVS FACTA SIT HAEC REVELATIO.

VIDENS Deus pater tribulationes, quas paſſura erat eccleſia ab apoſtolis fundata ſuper Petram Chriſtum, vt minùs timeantur, diſpoſuit vnà cum filio & ſpirituſancto eas reuelare. Reuelauit autem tota Trinitas Chriſto ſecundùm humanitatem, Chriſtus verò Ioanni per angelum, Ioannes eccleſiæ, ibidèm.

DE EODEM SENTENTIA DIONYSII CARTHVSIAN.

PATER reuelauit filio, filius angelo, angelus Ioanni, Ioannes dein Chriſti fidelibus. Dionyſ. hîc. cap. 1. in princip.

QVOMODO IOANNI ISTA CONTIGERIT reuelatio.

IN viſione, quæ in hoc libro continentur, D. Ioanni fuerunt reuelata. Pictauienſ. vbì ſuprà, & Anſelmus ibidèm.

QVOT SINT VISIONVM GENERA.

TABVLA 182.

TRIA SVNT *viſionum genera, Eſt enim viſio alia*

- *Corporalis, quãdò videlicet corporalibus oculis aliquid videmus, vt cælum & terram, & cætera corpora.*
- *Spiritualis ſeu imaginaria, cùm videlicet dormientes, vel vigilantes, imagines rerum cernimus, quibus aliquid ſignificatur, ſicut vidit Pharao ſpicas, & Moiſes rubũ ardere, ille dormiens, iſte vigilans.*
- *Intellectualis, quandò videlicet ſpirituſancto reuelante, intellectu mentis veritatem myſteriorum, ſicut eſt, capimus. Pictauius & Anſelmus in d. præfatione.*

SVB QVO VISIONVM GENERE ISTA B. IOannis contineatur viſio.

IOANNES, quæ in hoc libro referuntur, tertio vidit viſionum genere. Non eñ figuras tantùm vidit ſpiritu, ſed earũ ſignificata mente intellexit. Pictaui. ibid.

SED ANSELMVS,

NAM non realiter, inquit, iſta vidit, ſed diuino ſufflamine intimante, conuenientia ſigna paſſionum deſignatiua, in intellectu ſuo configurauit.

DE CAVSA HVIVS REVELATIONIS MATERIALI.

MATERIA huius prophetiæ, ſunt ſeptem ſigna tribulationum deſignatiua. Anſelm. in d. præfat. vel (vt is idem) conditio ipſius eccleſiæ, ſecundùm ſtatum & pſentem & futurum. Secundùm pſentem, ꝙ multas perſecutiones oporteat hîc pati eccleſiam, & contrà in præſenti vel in futuro multas dignitates, vt remiſſionem peccatorum, illuminationem animarum, & cætera talia. In futuro autem obtinere vitam & interminabilem lætitiam. Anſelm.

DE CAVSA EFFICIENTE, SIVE DE LIBRI HVIVS authore, teſtimonium Tertulliani.

HABEMVS & Ioãnis, inquit, alumnas eccleſias. Nam etſi Apocalypſin eius Marcion reſpuit, ordo tamen epiſcoporum ad originem recenſus, in Ioannem ſtabit authorem. Tertullian. lib. 4. aduersùs Marcionem.

DE EODEM TESTIMONIVM D. AVGVSTINI.

APOCALYPSIN ſcripſit Ioannes Euangeliſta. Auguſt. contra ſecundam Gaudentij epiſtolam, lib. 2. cap. 19.

ALIVD D. HIERONYMI TESTIMONIVM.

D. HIERON. hunc librum abſolutè & ſine vlla opinione, Ioãnis apoſtoli & euãgeliſtæ fuiſſe opus pronunciat. In Patmon, inquit, inſulã relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretatur Iuſtinus martyr & Irenæus. Hieron. libro de viris illuſtribus.

QVI-

QVIBVS D. IOANNES HANC EDIDERIT reuelationem. TABVLA 183.

SCRIBIT *D. Ioannes hunc librum*
- *Principaliter VII. eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, putà*
  - *Epheſo,*
  - *Smyrnæ,*
  - *Pergamo,*
  - *Thyatiræ,*
  - *Sardis,*
  - *Philadelphiæ,*
  - *Laodiceæ.*
  - *Et eorum epiſcopis.*
- *Per conſequens, eccleſiæ vniuerſæ. Numero enim ſeptenario vniuerſitas deſignari ſolet, quandoquidem ſeptem diebus tempus omne euoluitur.*

VBI ET QVANDO D. IOANNES HVNC CONſcripſerit librum.

VIDIT autem Ioannes & ſcripſit hanc reuelationem in Patmo inſula, in quam à Domitiano Imperatore fuerat relegatus: Pictauius in d. præfat. & Areta hic in princip. Hinc D. Thomas dicit, Ioannem hoc opus in exilio, Euangelium verò poſt reuocationem ſcripſiſſe ab exilio.

QVAE ILLI HVIVS SCRIPTIONIS FVErit occaſio.

DVM exul D. Ioannes teneretur à Domitiano in Patmo inſula, in eccleſijs quibus præerat, multa pullulauerunt atq; inoleuerunt vitia atque diuerſæ hæreſes. Erant enim quidam hæretici ibi, dicentes, Chriſtum non fuiſſe ante Mariam, qa temporaliter de ea natus erat. Quos Ioannes in principio Euangelij ſui redarguit, dicens: In principio erat verbum. Et in hoc libro, cùm dicit: Alpha & Ω, id eſt, principium & finis.

Dicebant etiam quidam, eccleſiã pondere tribulationum ante finẽ ſeculi deſituram, & pro labore non præmium æternum ſuſcepturam. Horum ergò errores volens deſtruere Ioannes, oſtendit Chriſtum principium eſſe & finẽ. Vndè Eſaias. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Et eccleſiam per exercitium tribulationum non deſinere, ſed proficere, & pro his brauium æternum recipere. Pictau. in prædicta præfatione.

QVA SCRIPSERIT INTENTIONE.

INTENTIO huius libri eſt, inuitare nos ad patientiam, vt per patientiam veniamus ad contemplationem, per contemplationem ad reuelationem, indè ad beatitudinem. Anſelm. eod. in loco.

EADEM DE RE SENTENTIA PICTAVII.

INTENTIO verò eius eſt, monere ad patientiam, quæ ſeruanda eſt, tum quia breuis labor, tum quia præmium magnum. Vel, vt Cælius hîc ſcribit Pannonius, Data eſt Apocalypſis hæc, vt ex ea regni Chriſti adminiſtrationem, Dei excelſi conſilia, Chriſti gloriam, victoriam Eccleſiæ & inſignem triumphum perpendamus, ac indè conſolemur.

QVARE MAGIS AD PATIENTIAM HOC SCRIPTO Ioannes, quàm ad alias inuitet virtutes.

AD quod dicitur, quia ſicut fides eſt fundamentum omnium virtutum, ſic patientia quodammodò eſt ſuſtentaculum. Anſelm. ibid.

DE CAVSA FORMALI.

FORMA huius libri conſiſtit in modo tractandi, quem hoc loco ſic deſcribit Pictauienſis: Primò præmittit prologum & ſalutationem, vbi reddit auditores benignos & attentos: quo præmiſſo, accedit ad narrationem. Ante narrationem verò oſtendit Chriſtum eſſe ab æterno, ſine principio, & ſine fine, inducens ipſum

ipſum loquentem, Ego ſum α & ω, id eſt, principium & finis. Poſteà accedens ad narrationem, diſtinguit ſeptem viſiones, quibus terminatis, iſte liber cōſummatur. Pictauienſis in præfat. ad Apocalypſin.

ALIA FORMA. TABVLA 184.

HOC ITAQVE *habito, quòd ſcripta ſit in Patmo Apocalypſis, quadrifariàm ipſa ſecari poteſt, ità vt complectatur ab*

- *Exordio ad ſextum vſque caput, inſtructiones eccleſiarum Aſiæ, intermiſcens & prophetica de varijs hæreſibus, de quibus & Epiphanius in ſuo Panarion libro.*
- *Sexto capite vſque ad duodecimum, contineatur ſynagogæ abrogatio.*
- *Duodecimo vſque ad decimumnonum, excidium Gentiliſmi ſub typo potiſſimùm Babylonis & Romæ, quæ habebat ſeptem colles, qui hîc dicuntur eſſe cornua beſtiæ, ſuper quam meretrix, ſiue idololatria, aut Gentiliſmus ſedet. In his enim vrbibus præcipuè vigebat gentiliſmus.*
- *Decimonono capite vſque in finem agatur de regno Chriſti in præſenti eccleſia, adducta cap. 20. vltima, de ipſius inimicis victoria. Henteniius ante Aretam in Apocalypſim. Plura de libri huius forma, vide infrà in partitionibus per totum.*

DE CAVSA FINALI.

FINALIS cauſa eſt, vt ſibi ſubditos, quibus principaliter ſcribit, & deindè cæteros animet ad ſuſtinendas tribulationes cum patientia, non diffidentes de remuneratione. Anſel. hic in fine præfationis.

DE GENERE ORATIONIS, QVO IN HAC APOCALYPSI vſus eſt Ioannes, ſententia Auguſtini.

ET in hoc quidem libro, cuius nomen eſt Apocalypſis, obſcurè multa dicuntur, vt mentem legentis exerceant: & pauca in eo ſunt, ex quorum manifeſtatione indagentur cætera cum labore: maximè quia ſic eadem multis modis repetit, vt alia atq; alia dicere videatur, cùm aliter atq; aliter hæc ipſa dicere inueſtigetur. Verùm in his verbis vbi ait: Abſterget Deus omnem lachrymã, ab oculis eorũ, & mors iam non erit, neque luctus, neq; clamor, ſed nec vllus dolor: tanta luce dicta ſunt de ſeculo futuro, & immortalitate atq; æternitate ſanctorũ: tunc eñ ſolùm, atq; ibi ſolùm iſta non erunt: vt nulla debeamus in literis ſacris quærere vel legere manifeſta, ſi hæc putauerimus obſcura. Auguſtin⁹ de ciuitate Dei lib. 20. cap. 17.

AN AVTHENTICVS SIT HIC LIBER.

CANONICVM eſſe hunc librum, probant D. Hieron. in d. lib. de viris illuſtribus in epiſtola ad Dardanum, & in epiſtola ad Paulin. & alijs quoq; locis. Auguſt. in 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. & cap. 16. de vnitate eccleſiæ. Epiphan. hæreſ. 51. Clemens Alexand. lib. 2. pædagog. cap. 12. Dionyſ. lib. eccleſiaſt. Hierarchiæ ca 3. Origen. apud Euſeb. 6. lib. eccleſiaſt. hiſto. cap. 18. Ipſe quoq; Euſebius in chronicis. Dionyſius Alexand. teſte Euſebio lib. 7. eccleſiaſt. hiſt. cap. 23. Iuſtinus martyr apud eundem Euſebium lib. 4. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 18. Irenæus libro 4. aduerſùs hæreſes. Chryſoſt. referente Suida, Damaſcenus libro 4. ca. 18. Et recentiores, Beda, Caſſiodorus, Rabanus, Rupertus, Richardus à ſancto Victore, qui hunc etiam librum ſuis illuſtrârunt commentarjis, Canus in locis Theologicis, lib. 2. cap. 9.

DE EODEM TESTIMONIVM PERCELEBRIS & antiqui ſcriptoris Aretæ.

QVIDAM veterum, librum hunc alienum eſſe dicunt à dictione & linguâ Ioannis dilecti, ipſum ad aliũ referentes. Sed nõ ità eſt. Siquidẽ Gregorius eiuſdẽ cum hoc cognominis, (id eſt, Theologus cognominatus) hũc inter germanos ac legitimos libros cõnumerauit: Sicut me docet, inqt, Ioãnis Apocalypſis. Itemq;: De

hoc

hoc autem, alt, libro à Deo inſpirato, S. Baſilius, diuinoq; ſermone Gregorius, ac Cyrillus, Papias, Irenæus ac Hippolytus, eccleſiaſtici patres fide digni ſunt, q. bus ſine vlla hæſitatione credatur. Arcta hîc in principio.

QVIBVS CONCILIIS HIC LIBER SIT APPROBATVS.

PRAETEREA Innocentius, Gelaſius, Concilium Carthaginen, Florentinū, Tridentinum, inter libros Canonicos habendam eſſe Apocalypſin definiêrunt. Vide diſtinction. 15. cap. Sancta Romana.

DE EODEM, DECRETVM CONCILII Toletani quarti.

APOCALYPSIN, inquit, librum, multorum conciliorum authoritas, & ſynodica ſanctorum præſulum Romanorum decreta, Ioannis euangeliſtæ eſſe præſeribunt, & inter diuinos libros recipiendum conſtituerunt. Et quia plurimi ſunt, q eius authoritatem non recipiunt: ſi quis eum deinceps non receperit, aut à paſcha vſque ad Pentecoſten Miſſarum tempore in eccleſia non prædicauerit, excommunicationis ſententiam habebit.

ARGVMENTVM.

DESCRIBITVR hîc ſtatus non eius tantùm, quæ Aſiæ fuerat, ſed vniuerſalis etiam eccleſiæ, qualis fuerit olim, qualis nunc ſit, & qualis demùm ſit futurus.

ILLVD IPSVM FVSIVS EXPLICATVM ab Athanaſio.

HOC nomine vocatur hic liber propterea, q hanc reuelationem ipſe Ioannes Euangeliſta & Theologus, in inſula Patmo dicta, Dominico die vidit, iuſſusque conſcripſit, vt ad ſeptem eccleſias mitteret, videlicet iſtas, Epheſum, Smyrnam, Pergamon, Thyatiram, Sardenſem, Philadelphiam, & Laodiceam.

Quæ verò in hac viſione vidit, multa ſunt ac differentia, circa finem perditionem etiam Antichriſti cum diabolo vidit. Iubetur autem primùm ſcribere ſingulis prædictarum eccleſiarum angelis ſecundùm cuiuſq; actiones.

DE VARIIS D. IOANNIS VISIONIBVS.

TABVLA 185.

Multas itaque & admirabiles viſiones vidit, vtpotè

I.

SEPTEM *candelabra aurea, & in medio illorum ſimilem filio hominis, & interpretationem accepit, candelabra illa eſſe ſeptem eccleſias, & eum qui in medio erat, eſſe Dominum.*

II.

DEINDE *ianuam vidit apertam in cælo, & Dominum in throno ſedentem, & 24. ſeniores, ſedentes ſuper thronos & adorantes Dominum.*

III.

VIDIT *etiam ſeptem ſigilla aperiri, & vnoquoque aperto, viſio quædam apparebat.*

IIII.

VIDIT *item ſeptem angelos habentes ſeptem tubas, & vnoquoque illorum clangente, fiebat ſignū: ſeptimo verò clangente, audiuit dicentes: Regnum mundi, Domini factum eſt.*

V.

ET *Arcam teſtamenti vidit in cælo.*

VI.

DEINDE *mulierem parturientem vidit, & draconem ignitum, qui illam perſequebatur. Mulier quidem ſeruata eſt in ſolitudine, draco verò abiectus in ignem.*

VII.

POST *iſta beſtiam vidit habentem cornua decem, & capita ſeptē, & diadema eius blaſphemiæ plenum erat. Nomen verò eius non patefecit, ſed numerum nominis eius, nempe ſexcenti ſexaginta ſex. Et virgines audiuit canentes, & agnum ſequentes.*

VIII. *Vi-*

VIII.

VIDIT *etiam angelum per medium cæli volantem, & poſt hunc alterum, poſt alterum tertium quoque, deinde & nubem candidam vidit, & inſidentem illi ſimilem filio hominis, in capite coronam auream habentem, & in manu ſua falcem acutam.*

IX.

DENIQVE *ſeptem angelos vidit, habentes plagas ſeptem nouiſſimas, & phialas aureas plenas de ira Dei.*

X.

POST *hæc ablatus eſt ſpiritu in ſolitudinem, & vidit mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccinã, habentem capita ſeptem: & indicatum eſt ei, ex hac futurum eſſe Antichriſtum.*

XI.

VIDIT *etiam cælum apertum & equum album, ac inſidentem illi, & nomen eius verbum Dei.*

XII.

DEINDE *vidit beſtiam ac reges terræ bella facere volentes cum eo qui ſedebat ſuper equum a lbũ. Et appræhenſa eſt beſtia & cum ipſo pſeudopropheta, qui eſt Antichriſtus, & vidit eos abijci in ſtagnum ignis.*

XIII.

POST *iſta vidit angelum deſcendentem de cælo, & abijcientem ſatanam cum his qui charácterem ipſius habebant, in abyſſum, & claudentem ſupernè, nè poſt hàc amplius ſeducant gentes, donec conſumpti ſint mille anni.*

XIIII.

MARTYRES *deindè vidit, in gloria cum Chriſto regnantes, & quòd ſatanas poſt mille annos ſoluendus ſit, & abijciendus in ſtagnum ignis cum Antichriſto in ſecula ſeculorum.*

XV.

POST *hæc vidit cælum nouum, terram nouam, ac Hieruſalem nouam, & fluuium aquæ viuæ, ac ſeruos Dei contemplantes faciem eius, & habentes nomen eius in frontibus ſuis.*

XVI.

CVM *hæc vidiſſet Ioannes, prócidit volens adorare angelum, qui ſibi hæc omnia oſtenderat: at angelus prohibuit illius conatum, dicens: Non me, ſed Deum adora: ego enim conſeruus tuus ſum.*

XVII.

POSTQVAM *autem iſta vidit, audiuit ab ipſo Domino noſtro Ieſu, quòd exiſtens ſit, et idem ipſe ſit verbum Dei, quod poſterioribus temporibus propter nos caro factum eſt. Homo, inquam, perfectus factus eſt, et filius hominis vocatus eſt. Athanaſ. in ſynopſi.*

DE PARTIBVS APOCALYPSIS IN GEnere ex Beda. TABVLA 186.

Apocalypſis S. Ioannis, in qua bella & incendia inteſtina eccleſiæ ſuæ Deus verbis figuriſq́; reuelare dignatus eſt, Septem mihi (frater Euſebi) videtur diuiſa periochis. In quarum

PRIMA.

POST *præfationem copioſam, ad roborandam fidem fragilium, ac Domini paſſiones, et poſteriores glorias numeratas, ſimilem filio hominis eccleſia cernit indutum: qui cõmemoratis his, quæ ſpecialiter in ſeptem Aſiæ geſta vel gerenda ſunt eccleſijs, generales totius eccleſiæ luctus deſcribit et palmas. Vbi ſexto loco conſultò ſubijciendos eccleſiæ Iudæos, et tentationem orbis vniuerſi futuram, ſeq́; promiſit citò eſſe venturum. Septimo autem, tepidam ponit Laodiceam. Filius enim hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?*

II.

IN *ſecunda Periocha deſcriptis in ſede Dei 4. animalibus, et 24. ſenioribus, agnum videt apertis ſeptem*

ſeptem libri ſignati ſigillis conflictus & triumphos eccleſiæ reſerare futuros. vbi iuxta conſuetudinem libri iſtius vſque ad ſextum numerum ordinem cõcludit: & prætermiſſo ſeptimo recapitulat, ac duas narrationes, quaſi ordinem ſecutus, ſeptimo concludit. Sed & ipſa recapitulatio, pro locis intelligẽda eſt. Aliquandò enim ab origine paſſionis, aliquandò à medio tempore, aliquandò de ſola ipſa nouiſſima preſſura, aut non multò antè dicturus recapitulat. Illud tamẽ fixum ſeruat, vt à ſexto recapitulet.

IIII.

TERTIA verò periocha, ſub ſpecie ſeptem angelorum tuba canentium, varios eccleſiæ deſcribit euentus.

IIII.

QVARTA ſub figura mulieris parturientis, & draconis eam perſequentis, eiuſdem eccleſiæ labores & victorias aperit: & vtrique militiæ præmia digna rependit. Vbi ſeptem quoquè angelorum dicta commemorantur & facta: & ipſi non pariter, vt ſuprà. Hunc enim myſtica ſolertia numerum penè vbiquè ſeruat, cùm & moris ſit eiuſdem Ioannis, in euangelijs quoquè & epiſtolis, nihil tepidè & breuiter dicere.

V.

QVINTA autem periocha, per ſeptem angelos ſeptem plagis nouiſſimis terram perfudit.

VI.

SEXTA damnationem meretricis magnæ, id eſt, impiæ ciuitatis.

VII.

SEPTIMA ornatum vxoris agni, ſecundæ videlicet Hieruſalem, decælo à Deo deſcendentis, oſtendit. Beda in prologo in Apocalypſin.

PARTIS CVIVSQVE SVMMA, EX CAELIO Pannonio. TABVLA 187.

TOTVS hic liber Apocalypſis, conſtat ex
- Proœmio ab initio vſque ad verſ. Ego Ioannes frater veſter. cap. 1.
- Narratione, in qua ſeptẽ principales continentur viſiones
  - Prima, quæ ſeptem habet epiſtolas, in quibus pleniſſimè traditur, quidquid ad veriſſimum pertinet Chriſtianiſmum. à cap. 1. vſque ad quartũ.
  - Secunda, in qua ſunt ſigillorum myſteria, à cap. 4. vſque ad octauum.
  - Tertia, quæ habet ſeptem angelos tuba canentes, à cap. 8. vſque ad duodecimum.
  - Quarta, de muliere amicta ſole, dracone que mulierem inſequẽte, ac de ore flumen aquarum poſt fugientem in locum deſertum mittente. Item de beſtijs è mari terraq; aſſcendentibus, à cap. 12. vſque ad 15.
  - Quinta, de effuſione ſeptem phialarum iracundiæ Dei viuentis, & de mari vitreo igni mixto, deque his qui vicerunt beſtiam, & eorum lætitia cantantium carmen lætitiæ agni, à cap. 15. vſque ad cap. 17.
  - Sexta, in qua deſcribitur Babylon, & agitur de illius ac beſtiarum, draconiſque condemnatione. Terrore eorum, qui pereunt: conſolatione, qui ſalui fiunt. à cap. 17. vſque ad cap. 21.
  - Septima, quæ eſt de ſabbato, & gloria quam electi habituri ſunt ſub illud tempus, & in ſeculo futuro. à cap. 21. vſque in fin.

DE PARTITIONE PROOEMII.

TABVLA 188.

IN PROOEmio quod I. cõtinetur huius libri capite, D. Ioannes Apocalypſis huius oſtendit

- *Authoritatem ex perſona*
  - *Ieſu Chriſti,*
  - *Dei patris,*
  - *Angeli &*
  - *Ioannis.*
  - → *cap. 1. in principio.*
- *Neceßitatem, ibidèm in verb. Quæ oportet fieri citò.*
- *Efficaciam & vtilitatem, verſ. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius. eod.*
- *Amplitudinem & ſufficientiam, vt quæ non vni, ſed ſeptem Aſiæ facta ſit eccleſijs, & per hoc vniuerſæ ſufficiant eccleſiæ. ibid. In verb. Septem eccleſijs quæ ſunt in Aſia.*
- *Materiã, id eſt,*
  - *Tribulationem, quam paſſura eſt eccleſia, quæ figuratur per ſeptem candelabra aurea, verſ. Et conuerſus, vidi ſeptem candelabra aurea.*
  - *Et conſolationem, quam eadem eccleſia receptura eſt à Chriſto; quæ deſignatur per hoc, quòd filius hominis apparuit in medio candelabrorum, id eſt, in medio eccleſiarum. ibidèm. in verb. Et in medio ſeptem candelabrorum.*
- *Reuerentiam, in cuius ſignum Ioannes ad Chriſti, veluti ſupremi omnium Magiſtri, pedes cecidit. verſ. Hæc cùm vidiſſem, cecidi ad pedes eius.*
- *Modum atque formam, dum oſtendit, quòd obſcuritatem habeat cum euidẽtia aliquali commixtam. Atque hoc eſt, quod præcipitur Ioanni, vt diuina illa ſcribat ſeptem ſtellarum, ſeptemq́ candelabrorum myſteria: ſeptem enim ſtellæ, angeli ſunt ſeptem eccleſiarum: & ſeptem candelabra, ſeptem ſunt eccleſiæ. verſ. Scribe ergò vſque in fin. cap. 1.*

DE PAR-

DE PARTIBVS NARRATIONIS.

TABVLA 189.

QVAE IN IPSA NARrarione ſiue toto potiùs libri huius cõtinentur tractatu, pertinent partim ad
- *Morum informationem, qualia ſunt illa, quæ ſecundo & tertio habentur capite.*
- *Reuelationem ſecretorum futurorũ, à tertio capite vſq. in finem.*

DE MORVM REFORMATIONE, PRIMA narrationis parte.

TABVLA 190.

PARS *narrationis prima, ſeptẽ abſoluitur epiſtolis, quas D. Ioãnes iubetur ſcribere vel ad*
- *Septem Aſiæ eccleſias,*
  - *Epheſinam,*
  - *Smyrnenſem,*
  - *Pergamenſem,*
  - *Thyatirenſem,*
  - *Sardenſem,*
  - *Philadelphiẽſem,*
  - *Laodicenſem.*
  - *In quibus continentur totidẽ admonitiones ad*
    - *Charitatem, cap. 2. in princip.*
    - *Spem, verſ. Et angelo Smyrnæ. eod.*
    - *Fidem, verſ. Et angelo Pergami. eod.*
    - *Prudentiã, verſ. Et angelo Thyatiræ. eo.*
    - *Temperantiam, cap. 3. in principio.*
    - *Fortitudinẽ, ver. Et angelo Philadelph. eo.*
    - *Iuſtitiam, verſ. Et angelo Laodiceæ. d. c. 3.*
- *Epiſcopos earũdem, quos hortatur ad*
  - *Charitatem, in prima epiſtola,*
  - *Magnanimitatem, in 2.*
  - *Seueritatem ad extirpandos male*
    - *Credentes, in 3.*
    - *Docentes, in 4.*
  - *Humilitatem, in quinta.*
  - *Stabilitatem, in ſexta.*
  - *Strenuitatem, in ſeptima epiſtola.*
  - *Quæ in bono paſtore requiruntur*
    - *Omnia & Singula. D. Thomas cap. 2. Apocalypſ.*

DE SECRETORVM REVELATIONE, SEcunda narrationis parte.

TABVLA 191.

TRACTATVS HIC QVI *arcanorum diuinorum conſiderat reſerationem, reſpicit aut*
- *Literam,*
- *Myſterium,*
- *Hiſtoriam.*

DE LITERA. TABVLA 192.

QVO AD LIteram attinet, in ſecunda narrationis parte ſex traduntur viſiones: Quarum

- *Prima eſt, quæ ſeptem nobis ſigillorum exhibet imaginem. cap.4. vſque ad principium cap.8.*
- *Secunda, in qua totidem tuba canentes apparent angeli. à ca.8. vſque ad ca.12.*
- *Tertia commixtionem diuerſorum habet ſignorum,* — *à cap.12. vſque ad cap.15.*
  - *Mulieris & draconis.*
  - *Pugnantium item angelorum.*
  - *Agni & beſtiarum.*
  - *Centum quadragintaquatuor millium ſignatorum.*
  - *Necnon & ſeptem angelorum.*
- *Quarta continet* — *à cap.15. vſque ad cap.17.*
  - *Septem phialas,*
  - *Et nouiſſimas plagas.*
- *Quinta continetur ſub figura* — *à ca.17. vſq; ad ca.21.*
  - *Mulieris & beſtiæ,*
  - *Et damnatiõis earũ.*
- *Sexta, quæ procedit ſub metaphora nouæ ciuitatis, & omnium ornamentorum eius, tam quo ad* — *Per duo capita ſuprema 21. & 22.*
  - *Fundamentum,*
  - *Muros,*
  - *Fluuios,*
  - *Et vitæ lignum.*

NOTA.

His aliqui addunt ſeptimam viſionem, eamque omnium ponũt primam, quę ſecundo & tertio habetur capite de ſeptem candelabris totidemq; ſtellis: quã nos grauiſſimorũ authorum exemplo, ſub ea complexi ſumus parte, quæ morũ præſcribit reformationẽ, d.cap.2.& 3. ſuprà in prima huius tractatûs parte, Tab.190.

DE PAR-

DE PARTIVM ISTARVM MYSTICO SENSV.

TABVLA 193.

MYSTICA EXPOſitione ſex viſiones prædictæ referuntur ad
- Reuelationem veteris teſtamẽti myſteriorum de Chriſto, Quæ
  - Ante eius aduentum latuerũt.
  - Per aduẽtum verò eiuſdem ſaluberrimum, manifeſta ſunt facta.
- Prædicationem tam
  - Ipſorum myſteriorum, quàm
  - Factæ tandèm reuelationis.
- Commixtionem & pugnam hominum, in hac militanti eccleſia degentium, cùm
  - Bonorum,
  - tum
  - Malorum.
- Punitionem malorum in præſenti.
- Vindictam eorundẽ in futuro, non tantùm
  - Hominũ malorum,
  - Sed etiã angelorũ.
  - tam quo ad
    - Culpam,
    - quàm
    - Cauſam.
- Præmium & retributionem iuſtorum.

DE HISTORIA EARVNDEM.

TABVLA 194.

PRO FAciliori huius Partitionis declaratione, notandi ſunt ſeptem eccleſiæ ſtatus:
- Fundationis,
- Perſecutionis,
- Proſperitatis,
- Diſceſſionis,
- Pacis & auctionis,
- Nouiſſimæ perſecutionis,
- Iudicij, i. retributionis
  - Præmiorum,
  - &
  - Pœnarum,

Sub tempore
- Apoſtolorum & diſcipulorum,
- Imperatorum & martyrum,
- Conſtantini,
- Hæreticorum,
- Caroli Magni & aliquot Impp. ſucceſſorum.
- Antichriſti & ſuorum diſcipulorum.
- Aduentûs Chriſti poſtremi.

His correſpõdent ſeptẽ
- Sigilla,
- Angeli,
- Phiale.

Quorum ſingula totidẽ ſignificant ſtatus: ità vt primum correſpõdeat primo ſtatui: ſecũdum, ſecundo: & ſic de cæteris.

STATVVM ECCLESIAE IN SEX TEMPORA diſtributio. TABVLA 195.

STATVS ECcleſiæ ſecundùm deſcriptionem hiſtoriarum, in ſex diuiditur tempora: Quorū

Primum eſt, ab apoſtolorum ætate vſque ad Iulianum apoſtatam, quo tempore eccleſia clauſa & quaſi ſigillata fuit ſub perſecutione Imperatorum. Quod tempus prædicitur in prima viſione de ſeptem ſigillis.

Secundum à Iuliano, Iouiniano & Valentiniano Imperatoribus, vſq; ad Mauricium. Quo tempore Gregorius Magnus ſummum tenuit pontificatum, & eccleſia fuit quaſi ſub angelis tuba canentibus, id eſt, ſub perſecutionibus hæreticorum, vt in ſecunda præfiguratur viſione.

Tertium à Phoca Imperatore, qui ſucceßit Mauricio, vſque ad Conſtantinū, quem excæcauit Irene mater ſua: cuius tempore Græcorum imperium tranſlatum eſt in Germanos, & primùm in Carolum Magnum. Sub quo & eccleſia paſſa eſt perſecutionem Draconis, ſcilicet Coſdroæ: & beſtiæ, ſcilicet Mahumeti, & perſecutiones Saracenorum. Cui tertia correſpondet viſio.

Quartum à Carolo Magno primo Germanorum Imperatore, vſque ad Heinricum quartum Imperatorem: in quo tempore eccleſia fuit ſub quibuſdam plagis & phialis iracundiæ Dei plenis, ratione multiplicis ſchiſmatis & quorundam aduerſariorum. Siue ad reſtaurationem vſque ciuitatis Hieruſalem. De quo tempore in quarta agitur viſione.

Quintum à prædicto Heinrico, ſiue reſtauratione Hieruſalē, vſq; ad tēpora Antichriſti, in quibus eccleſia de Babylōe muliere meretrice quādoquè { *Habuit victoriā,* / *Succubuit.* } *Quod tempus viſio repræſentat quinta.*

Sextum ab Antichriſto vſque ad diem iudicij, poſt quem erit conſummatio myſteriorum Dei, vt ex ſexta apparebit viſione.

Atque hæc partitio ideò dicitur Chronica, quia quæcunque in hiſtorijs geſta commemorantur, ea hîc propheticè prædicuntur: vt paulò pòſt ex ſingulis viſionum generibus exactiùs cognoſcere licebit.

VISIO PRIMA,

HOC EST,

PROPHETIA DE STATV ECCLE*ſiæ primitiuæ, à Gaio & Claudio Imperatoribus, ad Iulianum vſquè apoſtatam incluſiuè.*

ADMONITIO DE RATIONE ORDINIS & conſilij, quo ſequentes explicantur viſiones.

VNIVERSAM Apocalypſin ad antiquiſſimorum interpretum imitationē, in Viſiones primùm, deindè ipſas Viſiones in diuerſas partiti ſumus Prophetias, de futuris in Eccleſia mutationibus inſtitutas: ità vt ſingulæ tabellæ ſingulas exhibeant Prophetias, verbis non alijs, quàm ipſius Prophetæ & apoſtoli Ioannis, deſcriptas: niſi quòd alicubì ſub hoc ſigno( )aut gloſſæ, aut Patrum breuis aliqua adiecta eſt interpretatiuncula.

Cùm autem communi ſanctorum Patrum ferè omnium calculo iamdudùm omnia penè ſint impleta, quæ tum diuo reuelata ſunt Ioanni, ſingulis cum Prophetijs ſimilem aliquam cōtulimus rei alicuius in rep. Chriſtiana geſtæ ſpeciem, ad quam vel Apoſtolus ipſe reſpexiſſe videri, vel quæ ipſius Prophetiæ euentum appoſitiſſimè declarare & illuſtrare queat. Atque in ea quidem adplicatione, vt in alijs pleriſque harum Partitionnm capitibus, diuini illius interpretis D. Petri Aureoli vbiquè ferè ſecutus ſum ſententiam.

Quod ideò hîc admonuiſſe oportuit, nè quis ſuſpicetur, me in adplicandis ad diuinas apoſtoli Ioannis reuelationes hiſtorijs eccleſiaſticis, proprio vſum fuiſſe ingenio. Ipſos verò piæ huius coniecturæ aſſertores, non alio iſta animo ſcripſiſſe iudico, quàm vt ea de re ſaluum ſemper atq; liberum eſſet Eccleſiæ Catholicæ iudicium.

ARGVMENTVM VISIONIS Primæ.

HOC loco totum illud exprimitur tempus, quo fundata eſt eccleſia Catholica, quibus nimirùm initijs Chriſti cœperit regnum, quas & quantas perſecutiones eius eccleſia in ipſo ſtatim exordio, ab imperatorib⁹ ethnicis paſſa, & quibus præſidijs ab eiſdem iterùm fuerit reſtituta.

DE PRAECIPVIS HVIVS VISIONIS PARTIB. TAB. 196.

VISIONIS primæ Partes ſunt quinque. In quarum

- **PRIMA,** *Chriſti oſtẽditur magnificentia, quo ad*
  - LOCVM, *cùm dicitur: Poſt hæc vidi, & eccè oſtium apertum in cælo. Hoc autem loco cælum etiam militantem & catholicam ſignificat eccleſiam, in qua ſola reſidet Deus, ſectis alijs omnibus excluſis, cap. 4. in princip.*
  - *Thronum, Eccè enim*
    - *Sedes poſita erat in cælo.*
    - *Et qui ſedebat, ſimilis erat adſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis.*
    - *Et iris erat in circuitu ſedis. verſ. Et eccè ſedes. eod. cap. 4.*
    - *Quæ ſignificãt*
      - *Sedẽ Rom. cuius caput eſt Chriſtus.*
      - *Stabilitatem fidei. Nam capite illo eam protegente, errare non poteſt Eccleſia.*
      - *Promiſſionem Chriſti: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Luc. 22.*
  - *Cœtum concomitãtium. mox enim vidit Ioãnes*
    - *Sedilia 24. Et ſuper thronos 24. Seniores ſedentes, &c.*
    - *Quæ deſignabant*
      - *Vniuerſos totius orbis epiſcopatus.*
      - *Omnes omnium Eccleſiarum epiſcopos. Nam & tempore Dauid 24. erant pontifices, & per vices diuina peragebant Sacra.*
  - *Theſaurũ donorum cæleſtium*
    - *Doctrinæ & miraculorum. De throno enim procedebant fulgura & voces & tonitrua, quæ multitudinem indicant Doctorum & ſanctorum, qui miraculis & doctrina ſanctam repleuerunt Eccleſiam. ver. Et de throno. eod.*
    - *Gratiæ, quæ eſt in ſacramento Confirmationis, in quo ſeptiformis confertur gratia: Quæ per ſeptem intelligitur lampades, qui ſeptem ſunt ſpiritus Dei. ver. Et ſeptem lampades ardentes.*
    - *Munditiæ ab omni peccato per Sacramentum baptiſmatis. verſ. Et in conſpectu ſedis tanquàm mare vitreum.*
  - *Teſtimonium quatuor animalium. ver. Et in medio ſedis, & in circuitu quatuor animalia. Quæ repræſentant, vel*
    - *Quatuor Euangeliſtas*
      - *Matthæum,*
      - *Marcum,*
      - *Lucam,*
      - *Ioannem.*
    - *Prædicatores omnes.*
  - *Iubilum & laudes Chriſto exhibitas. ver. Et requiem non habebant.*
  - *Gratiarum actiones, quas eiſdem exhibent*
    - *Quatuor animalia,*
    - *Vigintiquatuor ſeniores, id eſt, vniuerſæ totius orbis eccleſiæ cathedrales. d. c. 4. circa finem.*
    - *Per*
      - *Preces Eccleſiaſticas ſiue Horarias.*
      - *Diuinum, quod iugiter celebratur, officium.*
- **SECVNDA,** *libri illius, in quo diuina continetur de rebus futuris præſcientia, notat obſcuritatem, dum dicitur fuiſſe*
  - *Scriptus*
    - *Intùs &*
    - *Foris,*
  - *Signatus ſigillis ſeptem.*
  - *Cap. 5. in principio. Et vidi in dextera ſedentis.*
- **TERTIA,** *ſumma Chriſti demonſtratur dignitas, vt qui ſolus habitus ſit dignus aperire librum illum myſteriorum diuinorum, ratione*
  - *Nobilitatis, Quia vicit leo de tribu Iuda.*
  - *Paſſionis, quòd tanquàm agnus fuerit occiſus.*
  - *Plenitudinis gratiæ & ſanctitatis, qã habebat*
    - *Cornua (i. 7. dona ſpiritusſancti.)* – *ſeptem.*
    - *Oculos (id eſt, cognitionis plenitudinem.)* – *ſeptem.*
- **QVARTA** *exhibetur applauſus & congratulatio cum gratiarum actione coniuncta, videlicet*
  - *Hominum & Angelorum.*
  - *Adclamãtium Chriſto*
    - *Benedictionem,*
    - *Gloriam,*
    - *Honorem, &*
    - *Poteſtatem. ver. Et cùm aperuiſſet. vſque in finem cap. 5.*
- **QVINTA** *verò in parte D. Ioannes ipſam tandèm adgreditur Prophetiam de ſtatu eccleſiæ primitiuæ, qualis futurus ſit ſub Imperatoribus Gaio & Claudio vſq; ad Iulianum apoſtatam.*

PRO-

PROPHETIA DE PRIMO ECCLESIAE Statu.

TABVLA 197.

TOTVS *hic ſtatus p̃-figuratur ſub*

- APERTIONE *ſex ſigillorum, toto cap. 6. Nam de ſeptima ſigilli apertione, in 8. agitur cap. Vbi ſecunda incipit viſio.*
- IMAGINE *quatuor angelorum,*
  - *Stantium ſuper quatuor angulos terræ.*
  - *Tenentium quatuor ventos terræ, nè flarent, neque ſuper*
    - *Terram*
    - *Mare, aut*
    - *Vllam arborem.*
    - *Cap. 7.*

DE PRIMI SIGILLI APERTIONE.

TABVLA 198.

IN SIGILLI *primi apertiõe prædicitur libertas p̃dicationis Euangelicæ, ſub imagine*

- *Animalis primi, tanquàm vox tonitrui clamantis & dicentis: Veni & vide. (Quo ſignificatur* EVANGELISTA *Marcus, qui & ipſe diuini euangelij diuulgationem prædixit, vltimo hiſtoriæ ſuæ capite:* EVNTES, *inquit, in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ.)*
- EQUI *albi, (qui Apoſtolicæ doctrinæ denotat*
  - *Candorem,*
  - *Velocitatem, qua continuò per totum diſperſa eſt orbem.)*
- *Inſidentis equo viri, (qui Chriſtus eſt) cum*
  - *Arcu (prædicationis) &*
  - *Gratia (verbi, quam Apoſtolus*
    - *Antè promiſerat:* EGO *dabo vobis ſapientiam, cui non poterūt reſiſtere aduerſarij veſtri.*
    - *Dedit pòſt affluenter.)*
- *Coronæ (Victoriæ, quæ data eſt Chriſto:) qui exiuit*
  - *Vincens*
  - *Vt vinceret.*
  - *(Quod & fecit, dum breui temporis ſpatio, totum mundū ſuæ ſubiecit fidei. c. 6. in princi. ver.* ET *vidi ꝙ aperuiſſet agnus &c.)*

PROPHETIAE HVIVS EVENTVS.

CONTIGIT hæc Prophetia tempore Tiberij, Gaij, & Claudij, qui Chriſti Euangelium ab Apoſtolis per totum orbem prædicari permiſerunt. Nam vt Euſebius in ſecundo hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro, capite verò ſcribit quarto, diuina prouidentia ſenſibus Cæſaris ingeſſit, vt comminaretur periculū omnibus Chriſtianorum accuſatoribus, quo liberiùs Euangelicæ prædicationi poſſent incumbere, vt compleretur illa Prophetia, In omnem terram exiuit ſonus eorum. Pſal. 18.

DE APER-

DE APERTIONE SECVNDI SIGILLI

TABVLA 199.

PER APERTIONEM *ſigilli ſecundi, prima illa magna prænotatur perſecutio eccleſiæ Catholicæ, ſub viſione*

- ANIMALIS *ſecundi, dicentis: Veni & vide.* (*cuius nomine D. Matthæi intelligunt Euangelium, qui expreſſè de hac perſecutione agit in* 24. *Euangelij ſui capite: Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos.*)
- RVFI *equi, per quem Romanum intelligitur Imperium, quod fuit rufum vel propter*
  - *Sanguinis effuſionem à Nerone factam, cuius tam fuit auidus, vt nec à parricidio manus abſtinere poſſet.*
  - *Impuriſſima eiuſdem Neronis ſcelera.*
  - *Incendium, quo is idem Romam flagrantem videre cupiebat.*
- VIRI *ſedentis ſuper equo rufo* (*i. Neronis,*) *cui data ſunt*
  - *Poteſtas vt*
    - *Sumeret pacem de terra,*
    - *Et vt inuicem ſe interficiant.*
  - *Gladius magnus. ver. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſecundum, d. cap. 6.*

EVENTVS.

PRIMVS Romanorum Imperatorum omniũ Nero, Chriſtianos puniendos eſſe publico ſtatuit edicto. Euſeb. lib. 2. eccleſiaſt. hiſtoriæ, ca. 26. Vnde Doctores quidam Catholici rationibus non minùs vero ſimilibus, quàm Catholicis, concludere ſolent, hunc Neronem eſſe eum, cui ex diuina permiſſione datus ſit gladius atque poteſtas, vt ſummos illos Apoſtolos, Petrum ſcilicet & Paulum, cum alijs per diuerſas orbis partes pluribus interficeret, atque primam illam & magnam in fideles excitaret perſecutionem.

DE TERTII SIGILLI APERTIONE.

TABVLA 200.

TERTII SIGILLI *apertio vaticinium exprimit de obſidione & deſtructione Hieruſalem, ſub myſterio*

- ANIMALIS *tertij, dicentis: Veni & vide.* (*quod D. interpretantur eſſe Lucam, qui* 19. *capite diſertis verbis agit, cùm de ipſa deſtructione Hieruſalem, tum de fletu Domini ſuper eandem.*)
- EQVI *nigri,* (*quo ſignificatur, Iudæorum gentem nigram futuram & luctuoſam.*)
- EQVITANTIS, (*Per quem nonnulli Titum intelligunt & Veſpaſianum,*) *qui ſtateram habebat in manu ſua: hoc eſt, diuinam iuſtitiã & æquitatem, qua appendebat à parte*
  - *Vna culpam Iudæorum in*
    - *Chriſti morte,*
    - *Apoſtolorum perſecutione:*
  - *Altera pœnam, ipſis Iudæis pro hiſce delictis infligendam.*
- *Vocis in medio* 4. *animalium, dicentis:*
  - *Bilibris tritici* (*id eſt, decem Iudæi nobiliores*) *denario vno.*
  - *Et tres bilibres hordei* (*id eſt, triginta Iudæi ignobiliores*) *denario vno.*
  - *Et vinum & oleum* (*hoc eſt, Chriſtianos plenos vino charitatis & oleo pietatis*) *nè læſeris. verſ. Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium. d. cap. 6.*

EVEN-

EVENTVS.

Nota eſt hiſtoria, quæ refert Neronem contra rebelles olìm Iudęos miſiſſe Titum & Veſpaſianum, qui effrenem eorum libidinem gladio compeſcerent. Cùm autem Nerone interìm mortuo, in imperio ſucceſſiſſent ei Galba, Otho, & Vitellius, qui & ipſi modico regnauerant tempore, à militibus tum in Iudæa morantibus electus in Imperatorem fuit Veſpaſianus. Is Romam petens, Titum filiũ ſuũ ad procurationem obſidionis reliquit Hieroſolymorum: qui ipſam ciuitatẽ Hieruſalem cepit anno imperij patris ſui ſecundo. Ex qua captiuitate in tantam ſeruitutem redacta fuit gens Iudaica, vt quemadmodùm ipſi Iudæi Chriſtum triginta vendiderant nummis, ità factum ſit, vt duæ libræ, id eſt, decem Iudæi præſtantiores, denario vno: & ſex libræ, id eſt, triginta Iudęi ſortis inferioris, vno item venderentur denario. Ideò autem Iudęi ſub vna numerantur libra, quòd Chriſtũ & diſcipulos eius contra legis ſuæ quinarium nefariè occiderint. Chriſtianos autẽ tunc illæſos euaſiſſe in oppidum quoddam, Pellam nomine, ſitum trans Iordanẽ, teſtis eſt Euſebius lib. 3. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 5.

Quidam, vt Albertus Magnus, per equum nigrum intelligũt hæreticos: illi inſidentem, pręſidentem hæreticis, vel hæreſiarcham: per ſtateram, ſcripturam ſacram, quam hęretici ad ſua impia dogmata ſtabilienda detorquent: per bilibrem tritici, maiores in Eccleſia: per bilibrem hordei, minores: per denarium, Chriſti ſanguinem: per vinum & oleum, electos, quos lædere non poteſt hæreticus.

DE SIGILLI QVARTI APERTIONE.

TABVLA 201.

APERTIO *ſigilli quarti, ſecundam præfigurauit perſecutionem ſub figura*

- ANIMALIS *quarti, dicentis: Veni & Vide. (quod ipſum fuiſſe dicunt Apoſtolum Ioannem, prædicentem maximam in mundo futuram eſſe preſſuram, cap. 16.)*
- EQVI *pallidi. (quo is notatur eccleſiæ ſtatus, qui tempore Imperatoris fuit Domitiani, qui propter inuidiam dictus eſt pallidus.)*
- MORTIS *equo inſidentis, cui data eſt poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere* — *Gladio, Fame, Morte, Beſtijs terræ.* — *Quibus tormentorum generibus, ſancti afficiebantur martyres.*
- INFERNI, *qui ipſam inſequebatur mortem. ver. Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum. eod. cap. 6.*

EVENTVS.

Tito frater eius ſucceſſit Domitianus, qui in ſuperbiam ſummã erectus, iactauit ſe, quòd Hieruſalem nec patris, nec fratris, ſed ſua potiùs capta eſſet induſtria. Is vt turpiſſimæ & ſceleratiſſimę aliâs fuit vitæ, ità poſtquàm D. Ioannem Apoſtolum in feruentis olei dolium immerſum, in Patmon inſulam relegâſſet, ſecundam hanc & cruentiſſimam in Chriſtianos per totum orbem excitauit perſecutionem. Pro qua tandem hanc luit pœnam, vt in ipſo occideretur palatio,

DE SIGILLI QVINTI APERTIONE.

TABVLA 202.

CIRCA SIGILLI *quinti apertionem, perſecutionum poſteriorum prædicitur diuturnitas, cui tamen vaticinio efficax adijcitur conſolatio, de futura ab omnibus ærumnis liberatione ſub imagine*

- ANIMARVM, *quas vidit Ioannes ſubtus altare, interfectorum ſcilicet propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebāt, & clamantium voce magna atque dicentium: Vſquequò Domine, ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra?*
- STOLARVM *albarum, quæ datæ ſunt illis ſingulæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donèc compleantur conſerui eorum, & fratres eorum qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. ver. Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum &c. eod. cap. 6.*

EVENTVS. TABVLA 203.

PRO DECLARATIONE *huius prophetiæ notādum eſt, circa primum Eccleſiæ ſtatum decem Chriſtianorum factas fuiſſe præcipuas perſecutiones, quas in* ECCLESIAM *Dei & pios homines exercuerunt Imperatores decem,*

- *Nero, de qua in ſecundi ſigilli dictum eſt apertione.*
- *Domitianus, quæ in apertione quarti explicatur ſigilli.*
- *Traianus,*
- *Antoninus.*
- *Seuerus,*
- *Maximinus,*
- DECIUS,
- *Valerianus,*
- *Aurelianus,*
- DIOCLETIANUS, *cuius myſterium mox ſequenti, quod de apertione ſexti eſt ſigilli, exprimitur ſchemate.*

PROPTER diuturnitatem ergò iſtarum perſecutionum intermediarum animi fideles de diuina mirabantur iuſtitia, quam pro iuſta inuocabant vltione atque vindicta. Et hoc eſt, quod hîc Ioannes vidit ſubtus altare animas interfectorum. Et ſi quæratur, quomodò animæ dicantur eſſe ſubtus altare? Poteſt intelligi hoc ratione corporū ſanctorum martyrum, qui ſepeliebantur in cryptis: in quibus etiam erigebatur altare, & Miſſæ, vt catholici teſtantur hiſtoriogtaphi, in ipſis martyrum celebrabantur cryptis.

DE APERTIONE SIGILLI SEXTI.

TABVLA 204.

CVM SIGILLI SEXTI *apertione, decima illa, quæ omnium acerbiſſima fuit & longiſſima, eccleſiæ aperitur perſecutio, ſub myſterijs*

- *Terræmotûs magni, (qui commotionem ſignificat gentium ab Oriente vſque ad Occidentem.)*
- *Solis,(id eſt,Chriſti)qui(hominum opinione) factus eſt tanquàm ſaccus cilicinus.*
- *Lunæ,(id eſt,eccleſiæ)quæ tota (propter martyrum ſcilicet neces) facta eſt ſicut ſanguis.*
- *Stellarum,(id eſt,ſanctorum) quæ de cælo (perfectionis putà)ceciderunt ſuper terram.*
- *Cæli,(id eſt,euangelicæ prædicationis) quod receſſit ſicut liber inuolutus.*
- *Montium & inſularum,(id eſt, omnium hincindè templorum) quæ de locis ſuis remotæ (id eſt, deuaſtatæ) ſunt.*
- *Regum,Principum,Tribunorum,diuitum, fortium, ſeruorum,& liberorum,qui ſe omnes in ſpeluncis & in petris montium abſconderunt.ver. Et vidi cùm aperuiſſet ſigillum ſextum.dict.cap.6.*

EVENTVS.

Decimam Perſecutionem,ſicut eccleſiaſtica perhibet hiſtoria,in eccleſiam Dei Imperator exercuit Diocletianus cum collega ſuo Maximiano, quam cõtinuauit & adcumulauit Maximinus. Maximianus enim in Oriente,Diocletianus verò in Occidente ità Chriſtianorum deuaſtârũt eccleſias,vt nullus locus eſſet in illorum ditione reliquus,qui non grauiſſima affligeretur perſecutione. Templa Deo conſecrata & ſanctis,incenſa, ſacræ ſcripturæ codices cõbuſti,& intrà dies tantùm triginta, multa millia hominum crudeliſſimè ſunt occiſa. Atq; hæc perſecutio aliquot annos durauit, quo tempore Romanus orbis incendijs, proſcriptionibus, & crudeliſſimis innocentiſſimorum hominum cædibus conflagrare viſus eſt. Porrò non pauci patres locum hunc ad Antichriſti perſecutionẽ referunt,quæ erit omnium immaniſſima. Videat Lector Arctam, Haymonem,Albertum Magnum,Dionyſium Carthuſianum,&c.

SECVNDA PARS VISIONIS PRIMAE, DE QVAtuor angelis, ſtantibus ſuper quatuor angulos terræ. TABVLA 205.

IN HAC SEcunda primæ viſionis parte, explicatur myſteriũ Prophetiæ de futuro perſecutionum fine & trãquillitate, quam eccleſia, illis imperatorum perſecutionibus finitis, habitura ſit, ſub figuris

- *Quatuor Angelorum ſtantium ſuper quatuor angulos terræ, tenentium quatuor ventos terræ, nè flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in vllam arborem. Cap. 7. in principio.*
- *Alterius angeli aſſcendentis ab ortu ſolis, habentis ſignum Dei viui, & clamantis voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, nè noceant neque terræ, neque mari, neque vllis arboribus, donèc ſignentur ſerui Dei in frontibus ſuis. verſ. Et vidi alterum angelum. eod.*
- *Numeri ſignatorũ, (id eſt, omnium electorum) ex*
  - *Tribubus Iſrael.*
  - *Omnibus gentibus.*
  - *Qui*
    - *Stabãt ante thronũ, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.*
    - *Clamabant & dicebant, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. ver. Et audiui numerum ſignatorum &c.*
- *Item*
  - *Angelorum qui ſtabant in circuitu throni.*
  - *Seniorum, &*
  - *Quatuor animaliũ.*
  - *Qui*
    - *Ceciderunt in facies ſuas,*
    - *Et adorauerunt Deum, dicentes: Amẽ. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen. ver. Et omnes angeli. eod.*
- *Vnus de Senioribus, qui huius viſionis explicauit myſterium. ver. Et reſpondit vnus de Senioribus. vſque in fin. cap. 7.*

EVENTVS.

HVIVS Prophetiæ euentus colligi poteſt ex eo, quod Euſebius libro eccleſiaſticæ hiſtotiæ 8. ſcriptum reliquit. Nam vbi Diocletianus & Maximianus faſces Romani depoſuiſſent imperij, Galerius & Conſtantius facti ſunt Imperatores. In vrbe porrò Romana Maxẽrius filius Maximiani, tyrannidem exercuit. Conſtanrius autem ex Helena Conſtantinum genuit Magnum, qui mortuo Patre factus eſt Imperator, & accepit in conſortium imperij Licinium, qui licèt primùm benignus fuerit Chriſtianis, poſteà tamen reprobum verſus in ſenſum, eorundem factus eſt perſecutor.

Atque hi quatuor ſatanæ fuerunt angeli, & perſecutionum miniſtri, Maximinus ſcilicet in Oriente, Seuerus in Italia, Maxentius Romæ, Licinius in Aegypro & Alexandria, qui tenebant ventos, (id eſt, ſanctos eccleſiæ Doctores) nè flarent (id eſt, prædicarent) neque in terra, neque in mari, neque in vllas arbores. (id eſt, apud vllos omninò fideles.) Quorum conatibus forti animo Imperator obſtitit, angelus ille bonus, qui ab ortu ſolis aſſcendere viſus eſt, Conſtantinus, qui in eo bello, quod contra Maxentium ſuſceperar, in ſigno Crucis ſibi de cælo oſtenſo victor euaſit, & ob id publicum edidit edictum, vt in toto orbe Romano omnis homo liberè baptizari, & ſigno Crucis Sacroſancto tuto poſſit conſignari. Templa item vbiquè reædificari, & in his Crucis imaginem depingi, cuique li-

berum eſſe permiſit. Alij hęc quoquè de Antichriſti tempeſtate exponunt, idq́ue magìs appoſitè & accommodatè ad ea quæ ſequuntur. Videat lector ſcholia Ioānis Gagnæij in hunc locum.

APPENDIX DE ALIA PERSECVTIONE, EX apertione ſigilli ſeptimi.

In principio capitis Apocalypſeos octaui, adhuc alia innuitur perſecutio, quę eccleſię ſit obuentura, his verbis: (Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora &c.) Quæ prophetia reſpexiſſe videtur ad id, quod in decimo eccleſiaſticę hiſtoriæ libro ſcriptum legitur, quòd Conſtantino illi imperatori Chriſtianiſſimo ſucceſſerunt Conſtantius, Conſtantinus & Conſtans filij. Quorum Conſtantius fauit Arrianis, & Iulianum Apoſtatam creauit Cæſarem. qui de Chriſtiano factus apoſtata, perſecutus eſt eccleſiā, & fecit in ea ſilenrium à cultu diuino. Verùm quia nō niſì annis duobus & dimidio fuit in imperio à morte Conſtantij, aut, vt alijs placet, anno vno & menſes octo, vt qui circa id tempus Perſarū interfectus ſit bello, idcircò perſecutio ſua dimidię ſolùm comparatur horę. Alij hoc ſilentium rectiùs interpretantur pacem in Eccleſia exiguo tempore futuram poſt Antichriſti interitum.

VISIO SECVNDA DE PERSECVTIONIBVS HAERETICOrum, ſiue

PROPHETIAE B. IOANNIS APOSTOLI

De ſecundo eccleſiæ ſtatu, qualis fuit à tempore Iuliani Apoſtatæ vſque ad Phocam Imperatorem.

PARTITIO. TABVLA 206.

VISIO SECVNDA, *qua D. Ioannes ſeptem vidit angelos ſtantes in conſpectu Dei, quibus 7. datæ ſunt tubæ. ver. Et vidi ſeptem angelos, cap. 8. &c. octo continet Prophetias De*

- *Cultûs diuini dilatatione, ver. Et vidi ſeptem angelos. cap. 8.*
- *Hæreſi Arriana. ver. Et primus angelus. eod.*
- *Macedonij errore, ver. Et ſecundus angelus. eod.*
- *Perturbatione hæreſis Pelagianæ, ver. Et tertius angelus.*
- *Malis Eutychianæ hæreſis, ver. Et quartus angelus. d. cap. 8.*
- *Perſecutione Vandalorum & Hunnorum, In princip. cap. 9. ver. Et quintus angelus &c.*
- *Schiſmate Laurentij Antipapæ, verſ. Et ſextus angelus. d. cap. 9. vſq. in fin. cap. item 10. per tot. & cap. 11. vſque ad verſ. et ſeptimus angelus.*
- *Reſtituta eccleſiæ libertate, d. verſ. et ſeptimus angelus tuba cecinit. d. cap. 11. vſque in fin.*

DE CVLTVS DIVINI PROROGATIONE,

Prophetia Prima. TABVLA 207.

HAEC prophetia deſcribitur poſt principiũ capitis octaui, ſub imagine

- *Alterius ab iſtis 7. angeli,*
  - *Qui ſtetit ante altare,(vt officium perageret ſacerdotale)*
  - *Habens thuribulum aureum.(id eſt,cor deuotione & charitate plenum.)*
  - *Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret (id eſt, per totũ orbem Chriſtianum ordinaret.)*
    - *De orationibus (ſanctorum omnium.)*
    - *Super altare aureum quod eſt ante thronum(Maieſtatis diuinæ.)*
- *Fumi incenſorum De*
  - *Orationibus ſanctorum*
  - *Manu angeli*
  - → *Coram Deo.*
- *Thuribuli. quod*
  - *Accepit angelus,*
  - *Et impleuit illud de igne altaris,*
  - *Et miſit in terram.*
  - *Et facta ſunt*
    - *Tonitrua, (comminationum pœnarum,)*
    - *Et voces, (cæleſtium promiſſionum)*
    - *Et fulgura,(miraculorum.)*
    - *Et terræmotus magnus, (commotio quædam in bonum,quæ tum in tota facta eſt Eccleſia.*
  - *Et angeli qui*
    - *Habebant 7. tubas,*
    - *Præparauerunt ſe, vt tuba canerẽt. verſ. Et alius angelus. eod. cap.8.*

EVENTVS.

REFERVNT quidam hanc Prophetiam ad tempora Valentis & Damaſi Papæ. Is enim legitur ad inſtigationem D. Hieronymi tum inſtituiſſe, vt in fine cuiuſlibet Pſalmi cantaretur, Gloria patri &c.

Quòd autem ſeptem angeli, qui ſeptem habent tubas, interim præparauerunt ſe vt tuba canerent, ad ſequentes pertinet hæreticorum perſecutiones, quarum angelus quiſque ſuum peculiarem præ ſe ferre videtur quaſi typum. Non ſunt autem hi boni angeli, ſed ſatanę nuncij, qui tuba canẽtes, turbas in eccleſia Dei excitant periculoſas, & grauiſſimas conflant perſecutiones.

Alij ſentiunt per angelum ſtantem ante altare, vel Chriſtum, vel Michaëlem poſſe accipi. Primo igitur modo angelus iſte Chriſtus eſt, altare crux, in quo ſe patri obtulit: thuribulum aureum, corpus ipſius diuinitatis fulgore verè aureum & ſuaueolens: ſtetit ante altare, cùm promptum ſe obtulit ad immolandum: habuit thuribulum in manu. oblatus eſt enim, quia ipſe voluit. data ſunt illi incenſa multa, quòd preces ſanctorum vim ſuam ex illo habeãt: impleuit thuribulum de igni altaris, id eſt, ardore & afflictione paſſionis &c Plura hinc, vtq; de Michaële poſſint exponi, videat lector in ſcholijs Gagnęij & Dionyſij Carthuſiani &c. Porrò per 7. angelos tuba canentes, prædicatores omnes intelliguntur.

DE PRI.

DE PRIMO ANGELO TVBICINE, SIVE DE peſte hæreſis Arrianæ, Prophetia ſecunda. TABVLA 208.

PRIMVS *angelus cecinit, & facta eſt*	*Grando (i. ſuperbia hæreticorũ.)* & *Ignis (i. æmulatio et zelus inter malos.)*	*Quæ ſunt*	*Miſta ſanguine, (id eſt, martyrio ſanctorũ)* *In terram miſſa, (id eſt, per vniuerſam eccleſiam.*	*E cõbuſta eſt*	*Tertia pars terræ, (id eſt, inferiorum)* *Pars tertia arborũ (i. maiorũ.* *Et omne viride (i. homines ætate florentes, vel gens Gothorum Arriana hæreſi deprauata) combuſtũ eſt. verſ. Et primus angelus. cap. 8.*	

EVENTVS.

VIDETVR D. Ioannes hîc eam præcinuiſſe eccleſię perſecutionem, quam in ea hęreſiarcha ille excitauit Arrius, & fautor eius Valens Imperator. Arrius enim cùm eſſet laudis vanęque glorię cupidus, in Alexandrinam inſurrexit Eccleſiam, ac vt nouum ſibi compararet nomen, in Deitate quoſdam finxit gradus, aſſerens Patrem filio maiorem, nec eiuſdem vtrunque ſubſtantiæ, neq; filium naturę diuinæ. Hunc rėpręhendebat Alexander eius epiſcopus: ſed cùm nollet acquieſcere, ſub Conſtantino Magno generalis trecentorum decem & octo epiſcoporum in Nicea Bithyniæ vrbe facta eſt Synodus, in qua hęreſis illa peruerſa, & conuicta fuit, & condemnata.

Nec tamen id malum tam citò potuit ſedari, quin illi qui Arrianis fauerẽt partibus, Conſtantinum Magnum in ſuam ſententiam pertrahere conarentur. Verùm quãdò id apud eum efficere non poſſent, eius poſteà adgreſſi ſunt filiũ Conſtantium, quem & vicerũt. Succeſſit indè Valens, qui ab vxore Arriana ſeductus, in eandem prolapſus eſt hęreſin, & Catholicos atrociter perſecutus eſt. Gothis quoquè petentibus ſibi aliquos dari epiſcopos, Arrianæ ſectę miſit ſectatores, à quibus non fidei ſacramenta, ſed perfidiæ perciperent execramenta.

Breuiter tam latè ſparſa eſt hęc peſtis, vt maior pars totius orbis Chriſtiani eſſet Arriana.

DE SECVNDO ANGELO TVBICINE, SIVE DE Macedoniana hęreſi, Prophetia tertia. TABVLA 209.

SECVNdus *Angelus tuba cecinit, &*	*Tanquàm mons magnus igne ardens, (id eſt, hæreſis tumens & flagrans) miſſus eſt in mare, (id eſt, in Eccleſiam.)*		
	ET *pars tertia*	*Maris (id eſt, tertia perſona in Trinitate) facta eſt ſanguis (id eſt, lacera & deturpata, dum aſſeritur tantùm eſſe creatura.)*	
		Creaturæ eorum, qui habebant animas in mari, mortua eſt. (id eſt, nouiter baptizati, in illo errore perierunt.)	
		Nauium (id eſt. eorum, qui alios debebant gubernare) interijt. (id eſt, in eundem prolapſi ſunt errorem. ver. Et ſecundus angelus cecinit, eod. cap. 8.	

EVENTVS.

ANGELVS hic ſecundus, hæreticus eſt Macedonius. Nam vt ex eccleſiaſtica patet hiſtoria, authore Ruffino lib.10.cap.25. perfidia Arriana in tres diuiſa erat ſectas. Alij enim cum Arrio tenuerũt, filium & ſpiritum ſanctum eſſe creaturas, licèr filius largitate quadam gratiæ, non autem proprietate naturę, patri dici queat ſimilis. Quidam verò, qui dicti ſunt Eunomiani, per omnia diſſimilem filium Patri aſſeruerunt, quia nullo genere ſimilis poſſit eſſe factura factori. Alij demùm ſtatuerunt ſimilem quidem filium per omnia patri, ſed ſanctum ſpiritum cum patre & filio nihil habere commune. Et hi ab authore ſuo Macedonio, dicti ſunt Macedoniani. Atque contra hos etiam hæreticos congregata eſt ſecunda vniuerſalis Synodus Conſtantinopoli CL Epiſcoporum, in qua idem Macedonius, cum peſtifera ſua hæreſi, qua ſpiritum ſanctum creaturam, eſſe calumniabatur, communi omnium patrum ſententia fuit condemnatus.

DE TERTIO ANGELO TVBICINE, SIVE de Perſecutione hæreſis Pelagianę, Prophetia quarta. TABVLA 210.

ET TERtius angelus tuba cecinit, &
- *Cecidit de cælo (de gremio eccleſiæ) ſtella magna, ardens tanq̃ facula, (profeſſione monachus) & cecidit in*
  - *Tertiam partem fluminis, (i. in aquas gratiæ.)*
  - *Et in fontes aquarum, (in aquas baptiſmatis.)*
  - *Et nomen ſtellæ dicitur abſynthium.*
- *Et*
  - *Facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium.*
  - *Multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt. ver. Et tertius angelus tuba cecinit. eod. cap. 8.*
  - *(Propter hæreſin ſcilicet Pelagianam.)*

EVENTVS.

IMPERANTE Archadio, fuit in Britannia monachus quidã Pelagius, qui doctrina ſua hęretica totam infeſtauit eccleſiam, & tres impios ſeminauit errores. De gratia vnum, quo impudenter aſſeruit, hominem ſuis viribus abſque Dei gratia vitam poſſe promereri ęternam. Alterum de culpa originali, quo non puduit illũ affirmare, infantes naſci inſontes ità, vt primus homo Adam, ante primũ lapſum abſq; peccato fuiſſe dicitur. Tertium de ſacro baptiſmo, dum impiè negauit, baptiſmum auferre infantibus peccatum, vt qui ſine peccato nati eſſent originali. Atque ſic Pelagius fuit angelus tertius, & ſtella priùs in Eccleſia magna, qui perturbauit & in abſynthium vertit largiſſima diuinę gratiæ flumina, & ſacros baptiſmatis fontes.

DE QVARTO ANGELO TVBICINE, SIVE DE Eutychianę hæreſis perturbatione, Prophetia V. TABVLA 211.

QVARtus angelus tuba cecinit, & pcuſſa eſt tertia pars
- *Solis, (Chriſti)*
- *Lunæ, (Eccleſiæ)*
- *Stellarũ, (epiſcoporum.)*

Ità vt obſcuraretur tertia pars eorum, &
- *Diei non luceret pars tertia, (propter eos, q diei Chriſto, ſecundæ in Trinitate pſonæ, diuinam adimunt naturam.)*
- *Et noctis ſimiliter. (id eſt, humanæ in Chriſto naturæ, quam negant in Chriſto fuiſſe hæretici.) ver. Et quartus angelus. d. cap. 8.*

EVENTVS.

Dvas hoc loco D. Ioannes tangit hæreſes: vnam Eutychis Abbatis Conſtantinopolitani, aſſerentis diuini verbi naturam in carnem fuiſſe conuerſam, ac ob id non concedendum putabat, in Chriſto duas eſſe naturas diſtinctas, ſed per quandam confuſionem vnitas. Alteram Neſtorij, qui econtrà nō ſolùm duas in Chriſto adſtruebat naturas, ſed duas etiā Chriſti fingebat perſonas, vt Chriſtus alius eſſet Dei, alius hominis, id eſt, Mariæ, filius. Huius error in tertia ſynodo vniuerſali, quæ ſub Theodoſio celebrata fuit Imperatore, illius verò hæreſis in quarto concilio generali, quod inſtante papa Leone, ſub Marciano Imperatore fuit cōuocatum, à ſexcentis & triginta epiſcopis conuictus fuit, atque condēnatus. Eutyches ergò diem obumbrauit, dum diuinitatem in humanā vertit carnem: Neſtorius verò noctem, id eſt, humanitatem, quam negat à verbi perſona fuiſſe aſſumptam.

APPENDIX AD PRAEMISSAS QVAtuor angelorum figuras, *vbi quæritur*

PRIMO:

Qvi fiat, quotiès D. Ioānes in præmiſſis quatuor prophetijs, aduerſi aliquid futurum prædicit, totiès ferè tertiæ tantùm meminerit partis, vel maris, vel terræ, vel arborum.

SECVNDO:

Cvr de his quatuor hæreſibus, Arriana ſcilicet, Macedoniana, Eutychiana & Neſtoriana vaticinatus fuerit, obmiſſis Manichæi, Mōtani, Sabellij, & aliorū quamplurimis hæreſibus, non minùs, quàm illæ ſint, impijs atque pernicioſis.

RESPONSIO AD PRIMAM QVAESTIONEM.

Pvtant D. Ioannem ad tria reſpexiſſe hominum genera, ad gentiles ſcilicet, Iudæos, & eos, qui ex his conuerſi ſunt, Chriſtianos. Quæcūque ergò de tertia prædixit parte, ea de credentibus & Chriſtianis accipi debere & intelligi.

AD SECVNDAM QVAESTIONEM RESPONSIO.

Placreditur, D. Ioanni hoc maximè fuiſſe ſtudio, vt eas prædiceret hęreſes, quibus vniuerſalis perturbata eſt eccleſia, & totidèm vniuerſalibus damnatæ ſunt concilijs,

DE QVINTO ANGELO TVBICINE, VAE primum præcinente: Siue de Vandalorum & Hunnorũ perſecutione.

PROPHETIA SEXTA.

TABVLA 212.

QVINtus angelus *(ſub quo regnũ ſignificatur Vandalorum, quod fuit hæreticum) tuba cecinit, & D. Ioãnes*

- *Vidit*
  - *Stellam (id eſt, Genſericum Regem Vandalorũ) de cælo (de eccleſia) cecidiſſe in terram, &*
    - *Data eſt ei clauis putei abyſſi (hæreſis Arrianæ.) &*
    - *Aſſcendit fumus putei (doctrina falſa) ſicut fumus fornacis magnæ.*
    - *Et de fumo putei obſcuratus eſt ſol, (id eſt, Chriſtus) & aër (id eſt, ſpiritusſanctus: Quos hæreſis illa Dei tantùm dixit eſſe creaturas.)*
  - *Locuſtas, q̃ de fumo putei exiērant in terram. Quibus*
    - *Data eſt poteſtas, ſicut habent poteſtatẽ ſcorpiões.*
    - præceptũ eſt
      - *Nè læderent*
        - *Fænũ terræ, (hões incipiẽtes)*
        - *Neque omne viride, (id eſt, ꝓficientes)*
        - *Neque omnem arborẽ. (id eſt, perfectos)*
      - *Niſi tantùm homines qui non habẽt ſignum* DEI *in frontib⁹ ſuis: (i. hões ſeductos, qui nõ demonſtrant fidem operibus: itá tñ,*
        - *Nè occiderent eos, ſcilicet incipientes, proficientes, & perfectos)*
        - *Sed vt cruciarentur menſibus quinque, (ſub 5. Vandalorum Regibus.)*
        - *Et cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij, (qui vt hæretici omnes, in fronte blanditias, in cauda gerit venenum.)*
  - *Et in diebus illis quærẽt homines mortem, & non inuenient eã: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*
- DECRIBIT *ſimilitudines locuſtarũ, (i. mores hæreticorum). Quæ*
  - *Similes equis paratis in prælium.*
  - *Et ſuper capita eorum tanquàm coronæ ſimiles auro:*
  - *Habebãt capillos ſicut capillos mulierum:*
  - *Dentes earũ, ſicut dẽtes leonũ erant:*
  - *Loricas habebant ſicut loricas ferreas:*
  - *Vox earũ ſicut vox curruũ equorũ multorũ currentium in bellum:*
  - *Caudas ſimiles habebant ſcorpionũ, & aculei erant in caudis earum.*
  - *Et*
    - *Poteſtas earum, nocere hominibus mẽſibus quinque.*
    - *Habebant ſuper ſe regem angelum abyſſi, cui nomẽ Hebraicè Abaddõ, Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomẽ, Exterminans, cap. 9. vſq; ad verſ. Et ſextus.*

EVENTVS.

Hic D. Ioannes Vandalorum & Hunnorum prædicit perſecutionem, quæ per quinque menſes, hoc eſt, per quinque regum durauit ſucceſſiones. Nam vt tradunt hiſtoriæ, apud Vandalos quos dux quidam exercitûs Romani Bonifacius de Hiſpania, vbi eos perſequebantur Gothi, ad ſe inuitauit in Aphricã, inter alios quinque regnârunt reges, qui diuina pariter & humana perturbauerũt, Gundericus videlicet, Gẽſericus eius frater, Honorichus, Traſamundus & Gildimerus vel Gelimerus. Ac licèt hi eccleſiam perſecuti fuerint omnes, attamen Genſericus, quintus quaſi tubicen, in hæreſin prolapſus Arrianam, Aphricanã prophananit eccleſiam. Deindè filius eius Honorichus catholicos omnes veneficis perſecutus eſt ſcriptis, & epiſcopos ducentos & viginti miſit in exilium, catholicorũ eccleſias per Aphricam claudi iuſſit, & plebem fidelem grauiter inſectari. Pòſt Traſamũdus per totam Aphricam itidèm omnes catholicas clauſit eccleſias, catholicos proſcripſit, plebem fidelium perſecutus eſt. Alius verò, putà Gelimerus, aliquot epiſcopis orthodoxis linguas radicitùs fecit extrahi. Qui tamen, D. id ſic Gregorio iu ſuo teſtante dialogo, eo non obſtante, clarè nihilominùs locuti eſſe perhibẽtur, excepto vno, qui in luxuriam poſtcà lapſus, diuino hoc priuatus dono, obmutuit. Atque hæc Vandalorum perſecutio fuit tanta, vt ipſam etiam inuaſerint Romam. Tandèm Beliſſarius patricius à Iuſtiniano in Aphricam miſſus, Gelimerum illum, qui linguas præcidit epiſcoporũ, Conſtantinopolim vſque duxit, & ſic Vandalorum regnum in Aphrica fuit extinctum.

EPILOGVS VAE PRIMI, CVM PARASCEVE ad ſequentia.

Vae vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo Væ poſt hæc, &c.

DE SEXTO ANGELO TVBICINE, PRAECINENTE Væ ſecundum: Siue de ſchiſmate Antipapæ Laurentij, Prophetia ſeptima. TABVLA 213.

SEPTIMA *hæc Prophetia in ſex diuiditur partes. continet enim*

- *Diuiſionem eccleſiæ, verſ. Et ſextus angelus, cap. 9.*
- *Liberationem eiuſdem, cap. 10. à princip. vſque ad verſ. Et audiui vocem de cælo iterùm loquentem.*
- *Continuationem pacis, d. verſ. Et audiui vocem. eod.*
- *Conſecrationes & feſtiuitates eccleſiarum, verſ. Oportet te iterùm prophetare gentibus. eod.*
- *Perſecutionem eccleſiæ factam per Anthimum patriarcham Conſtantinopolitanum, verſ. Et ciuitatem ſanctam calcabunt. d. cap. 10. & cap. xj. in princip.*
- *Aliam perſecutionem, quæ per Totilam Gothorum facta eſt regem, verſ. Et in illa hora factus eſt terræmotus. eod. cap. xj.*

DE PRÆ-

DE PRAEDICTO SCHISMATE INTER duos pontificcs Laurentium & Symmachum, prima huius prophetiæ parrc.

TABVLA 214.

- *Et SE. xtus angelus tuba cecinit, & D. Ioannes*
  - AVDIuit
    - *Vocem vnam (id eſt, conſonam doctrinã) ex quatuor cornibus (id eſt, quatuor euãgelijs) altaris aurei, (id eſt, Chriſti) quod eſt ante oculos Dei, dicentē ſexto angelo, q habebat tubã: Solue 4. angelos q alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Et ſoluti sũt quatuor angeli, q parati erãt in*
      - *Horam,*
      - *Diem,*
      - *Menſem,*
      - *Annum,*
        - *Vt occiderent tertiam partem hominum.*
    - *Numerum equeſtris exercitûs, qui erant viciès milliès dena millia.*
  - VIDIT in viſione
    - *Equos (hæreticos)*
    - *Et qui ſedebant ſup eos, (i. dæmones,)*
      - *Habebant loricas*
        - *Igneas,*
        - *Hyacinthinas,*
        - *Sulphureas.*
      - *Capita equorum erant tanquàm capita leonum.*
      - *Et de ore equorũ pcedebant*
        - *Ignis (inuidiæ,)*
        - *Fumus (excæcationis,)*
        - *Et ſulphur (luxuriæ.)*
          - *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum. verſ. Et ſextus angelus. capit. 9.*

EVENTVS.

POSSVNT hæc referri ad eam ecclesiæ diuiſionē, quæ facta eſt anno 498, tum ſcilicet, quandò duo electi ſunt Papæ, Laurētius & Symmachus. Cùm autem Symmachus habito Rauennæ concilio, alteri antelatus eſſet, antipapæ Laurētio cardinalis adhæſit Paſchaſius: itaque graue excitatum in ecclesia Romana diſſidium eſt. Tenebat autem tunc Imperium Anaſtaſius, Eutychiana infectus hæreſi, qui catholicos perſecutus fuit, & multos in exilium relegauit epiſcopos, eodem nimirùm tempore, quo per Italiam regnabat Theodoricus rex & hæreticus Arrianus, qui morte affecit Ioannem Pontificem, Symmachum Patricium, Boëthiũ, & alios quoſdam. Plerique alij hæc mâlũt ad ea tempora accommodare, quibus graſſabitur perſecutio Antichriſti. Itaq; ſextus angelus prædicatores ſignificat, qui Antichriſti imminente ſæuitia, fideles confirmabunt. Ij ſoluent, id eſt, ſolutos aut breuì ſoluendos nunciabunt 4. angelos, in magno flumine Euphrate alligatos, id eſt, dæmones vniuerſos, vi baptiſmatis interìm coërcitos & refrenatos: ſed veniente Antichriſto, permiſſa illis maiori poteſtate, acriùs ſæuituros. Parati enim erunt in horam, & diem, & menſem, & annum, id eſt, omni tempore & occaſione, vt occidant tertiam partem hominum, id eſt, verè Chriſtianos prauis doctrinis & vitijs in anima, minis & ſupplicijs in corpore. Porrò numerus equeſtris, viciès milliès dena millia, ità accipiendus eſt, vt per equites dæmones, per equos hæretici, tyranni & impij intelligantur. Cætera videat lector in patrum commentarijs.

DE PACE ECCLESIAE RESTITVTA, SEcunda prophetiæ ſeptimæ parte. TABVLA 215.

POST *hæc apoſtolus Ioannes*

- *Vidit*
  - *Fortem de cælo deſcendentem,(non cadentem,)ſed de gremio eccleſiæ prodeuntem:)*
  - *Amictum nube,(id eſt, gratia.)*
  - *Et iris in facie eius,(quæ eſt ſignum pacis.)*
  - *Cuius facies vt ſol, (ſplendor fidei)*
  - *Pedes eius tanquàm columna ignis,(qui æquitatem ſignant iuſtitiæ ſeruatam)*
  - *In manu ſua habuit librum apertum.*
  - *Poſuit pedem ſuum* { *Dexterũ,* / *Siniſtrũ,* } *Super* { *Mare* / *&* / *Terrã.* } *Et clamauit* { *Voce magna, quẽadmodum cùm leo rugit.* } *Et* {
    - Cùm clamâſſet,
    - Locuta ſunt 7. tonitrua, id eſt, vniuerſi Doctores catholici voces ſuas, id eſt, Deo retulerunt gratias.
- *Audiuit vocem de cælo dicentem ſibi:*
  - *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua,*
  - *Noli ea ſcribere.*
- *Vidit & audiuit dictum angelum leuare manum ſuam ad cælum, & iurare per viuentem in ſecula ſeculorum, qui creauit*
  - *Cælum, & ea quæ in eo ſunt:*
  - *Terrã, & ea quæ in ea ſunt:*
  - *Mare, & ea quæ in eo ſunt.*
  - *Quia tempus non erit ampliùs, ſed in diebus vocis ſeptimi angeli, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſteriũ Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas. verſ. Et vidi alium angelum. cap. 10. in principio.*

EVENTVS.

LIBERATIO illa, quam hoc loco eccleſię catholicæ prædicit B. Ioãnes, contigit eidem per fortem illum angelum Iuſtinum Imperatorẽ catholicũ. Is enim poſtquàm Anaſtaſio Imperatori hæretico in Romano ſucceſſit Imperio, publicum emiſit edictum, quod rectè poteſt dici liber ille, quem angelus in manu ſua tenebat apertum, quo non Arrianam modò, ſed hæreſes omnes extirpandas eſſe præcepit. Sed quia tum adhuc viuebat Theodoricus rex ille hæreticus, ideò prohibetur D. Ioannes ea ſcribere, quæ ſeptem locuta fuerant tonitrua. Neque enim eo ſæuiente tutò poterant Chriſtianam profiteri fidem, nedùm publicas Deo decantare laudes: eò quòd multi qui à Iuſtino redierant, ab eo fuerint interfecti. Cuius tamen regnum & hæreſin interituram, & eius in locum fidem catholicam per vniuerſam Italiam ſucceſſuram eſſe, ex prophetarum dictis affirmauit cum iuramento angelus, quem manum ſuam ad cælum leuare vidit apoſtolus Ioannes.

DE CONTINVATIONE PACIS IN RELIgione ſub typo deuorati à D. Ioanne libri, tertia ſeptimæ prophetiæ parte. TABVLA 216.

IDEM Ioannes iterum
- *Audiuit vocem de cælo loquentem ſecum, & dicentem, Vade, & accipe librum apertum de manu angeli, ſtantis ſuper mare & ſuper terram.*
- *Abijt ad angelum, dicens ei, vt ſibi daret librum: Qui reſpondit: Accipe librum, & deuora illum, &*
  - *Faciet amaricari ventrem tuum:*
  - *Sed in ore tuo erit dulcè tanquàm mel.*
- *Et accepit librum de manu angeli, & deuorauit illum: & erat in ore ſuo*
  - *Tanquàm mel dulce.*
  - *Sed cùm deuoràſſet eum, amaricatus eſt venter eius. ver. Et audiui vocem de cælo iterùm. d. cap. 10.*

E V E N T V S.

PACEM quã feliciter cœpit in eccleſia Catholica Iuſtinus, eam ſummo primùm ſtudio promouit eius ex ſorore nepos Iuſtinianus, editis de fide catholica & rebus Eccleſiaſticis ſanctionibus quamplurimis, quibus tranquillitatem altero pede mari, & altero terra præ cæteris egregiè tutatus eſt. Quas hoc loco librum dicere poſſumus apertũ, quẽ eadẽ eccleſia catholica, cuius typũ hic diuus gerit Ioannes, ſummo deſiderio deuorauit, ac primùm magnam eius ſenſit dulcedinem, quæ tamen per hæreſim Aphthardocitarum, corpus Chriſti etiam ante paſſionẽ immortale dicentium, in quam circa finẽ vitæ ſuæ prolapſus eſt Iuſtinianus, verſa eſt ei in amaritudinem. Nam eccleſiam conatus eſt etiam vi adhibita in ſuam ſententiam pertrahere, & perſecutus eſt catholicos aliquot epiſcopos: ſed fruſtrà eius conatus fuêre. Nam cùm Anaſtaſium epiſcopum Antiochenum, eiusq́; ſacerdotes in exilium mittere decreuiſſet, diuinitùs percuſſus, ex hac vita exceſſit, princeps alioquì in multis laudatiſſimus. Plura hinc ſcire qui volet, legat Nicephori hiſtoriam eccleſiaſticam lib. 17. cap. 31. & aliquot præcedentibus.

DE TEMPLORVM SOLENNITATE, QVARta prophetiæ ſeptimæ parte. TABVLA 217.

ATQVE tunc Ioanni
- *Dixit angelus: Oportet te iterùm prophetare*
  - *Gentibus,*
  - *Populis,*
  - *Linguis, &*
  - *Regibus.*
  - → *Multis.*
- *Datus eſt calamus ſimilis virgæ, & dictũ eſt ei: Surge, & metire*
  - *Templum Dei,*
  - *Et altare,*
  - *Et adorantes in eo.*
  - → *Atrium autem quod eſt extra templum, (id eſt, hæreticos & Iudæos)*
    - *Eijce forás,*
    - *Et nè metiaris illud.*
    - → *Quoniam datũ eſt gentibus. verſ. Et dixit mihi. vſque in fin. cap. 10. & in princip. xj. cap.*

EVENTVS.

HVIC prophetiæ correſpondere videtur ritus conſecrandi templa, qui ritus hîc ad verbum ferè deſcribitur, dum Ioannes dicit ſibi datum fuiſſe calamũ virgæ, quo metiretur templum & altare. Sic epiſcopi noſtri, quãdò aliquam conſecrant eccleſiam, exteriùs primùm circueunt ipſam: deindè verò interiùs ab angulo ad angulum, Græcum ſcribunt alphabetum. Vt ergò angelus hîc ꝑcepit Ioanni, nè atrium metiretur, ſed foràs eiectum relinqueret gentibus: ità pius papa Felix eius nominis primus, ſtatuit, vt diuinum ſacrificium ſupra memorias ac ſepulcra martyrum offeratur, tanquàm locis ſacratis.

DE PERSECVTIONE ECCLESIAE FACTA PER Anthimum, quinta prophetiæ ſeptimæ parte. TABVLA 218.

HANC *perſecutionem D. Ioannes prædicit partìm*

- *Verbis expreſſis: & ciuitatem ſanctam (eccleſiam) calcabunt (gentes videlicet, vel potiùs Eutychiani) menſibus quadragintaduobus (id eſt, annos tres cum dimidio.)*
- *In figuris*
  - *Saccis amictorum, quos duas oliuas & duo vocat candelabra, in Dei conſpectu ſtantia, & dedit eis*
    - *Donum prophetandi diebus 1260. (id eſt, annis tribus cum dimidio)*
    - *Defenſionẽ, vt ſi quis voluêrit*
      - *Eis nocere, ignis exeat de ore eorum, & deuoret inimicos eorum,*
      - *Eos lædere, ſic oporteat eum occidi.*
    - *Poteſtatem*
      - *Claudendi cælum, id eſt, excommunicandi.*
      - *Super aquas, conuertendi eas in ſanguinem.*
      - *Et percutere terram omni plaga, quotieſcunquè voluêrint.*
  - *Beſtiæ, quæ aſſcendens de abyſſo,*
    - *Faciet aduersùs eos (prædictos teſtes) bellum*
    - *Vincet illos, Occidet eos.*
      - *Sed poſt tres dies & dimidiũ ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos. (id eſt, reſuſcitati vel alij teſtes excitati ſunt.) verſi. Et ciuitatem ſanctam calcabunt. cap. 11.*

EVENTVS.

SVNT qui putent, hanc quintam prophetiæ ſeptimæ partem, non abs re ei perſecutioni poſſe accommodari, quæ illata eſt eccleſiæ per patriarcham Anthimũ hæreticum Eutychianum: quem Agaperus Papa, in conſpectu Iuſtiniani Imperatoris excommunicatum priùs, depoſuit, ac in locum eius ſubſtituit Menam. Poſteaquàm autem Agapeto in pontificatu ſucceſſiſſet Syluerius, Theodora Iuſtiniani coniunx Auguſta petijt ab eo, vt dictum Anthimũ reſtitueret: Quod vbì facere negâſſet, eiuſdem Theodoræ iuſſu, in inſulam Pontiam relegatus eſt, eiuſque in locum Vigilius ſubrogatus. Seruus autem Dei Mena, propter fidei veritatem multas & graues pertulit perſecutiones. Atque in hos duos viros, putà Syluerium & Menam, tãquàm Chriſtianæ fidei perſpicuos teſtes, rectè omnia conuenire exiſtimant, quæ hoc loco de Apocalypticis illis dicuntur teſtibus. Verùm quandò hæc prophetia etiam alia & longè plura habet myſtica, poterit eorum explicatio ex ſanctorum patrum in hunc locum editis peti commentarijs.

DE PERSECVTIONE ALIA, QVAE PER GOthorum regem Totilam facta eſt eccleſiæ, Parte ſeptimæ Prophetiæ ſexta. TABVLA 219.

QVAE D. IOANnes de hac perſecutione præuidit, hæc ſunt:
- *Factus eſt terræ motus magnus, (id eſt, Catholicorum perſecutio grauis & acerba)*
- *Decima pars ciuitatis (eccleſiæ) cecidit, (fuit enim Italia deuaſtata.)*
- *Occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia:*
- *Reliqui in timorē miſſi, (id eſt, fuga conſeruati) dederunt gloriam Deo cæli. verſ. Et in illa hora. cap. 11.*

EVENTVS

POSTQVAM eorum temporum, de quibus in præcedenti perſecutione dictum eſt, iniuria quidam è clero Romano in exilium relegati, & ad metalla damnati fuiſſent: diuino randèm factum eſt iudicio, vt Totila rex Gothorum, per Italiā graſſaretur, & infinitam trucidaret Chriſtianorum multitudinem. Quæ maxima & grauiſſima fuit perſecutio: in qua & ſanctus Herculanus epiſcopus Peruſinus cæſus eſt, & tota ciuitas Peruſium deſtructa eſt. Pòſt etiam obſeſſa eſt Roma, in qua tanta fuit fames, vt quidam etiam ab humana carne non abſtinuerint. Deniq; verò Tyrannus ille vrbem per Oſtienſem portam ingreſſus, tuba præcinente proclamari fecit, vt populus ad eccleſias confugeret. Atq; illi tum liberati & conſeruati ſunt, qui in ſacris eccleſijs ſunt reperti. Atq; hi ſunt, qui in timorem miſſi, & liberati, tandèm gloriam Deo dederunt cæli.

EPILOGVS VAE SECVNDI, CVM PARASCEVE ad Væ tertium.

VAE ſecundum abijt, & eccè Væ tertium veniet citò. d. ver. Et in illa hora, cap. 11.

DE SEPTIMO ANGELO TVBICINE, VAE præcinente tertium, ſiue de liberatione eccleſiæ facta per Narſen Patricium Rom. TABVLA 220.

ET SEPTImus angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cælo, dicentes:
- *Factum eſt regnum huius mundi, Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum, Amen.*
- *Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine &c.*
- *Et iratæ ſunt gentes, &c.*
- *Et apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius &c.*
- *Et factæ ſunt*: *Fulgura, Voces, Terræmotus, & Grando magna.* — *verſ. Et ſeptimus angelus tuba cecinit, vſque in finem cap. 11.*

EVEN-

EVENTVS.

ANGELI huius typum gerere dicunt Narſen ducem olim Romanorum, quem Iuſtinianus Imperator miſit ad depellendum ab Italiæ finibus Totilam regem Gothorum: qui Narſes, vocatis in auxilium Longobardis, (quos hîc iratas poſſumus intelligere gentes) totum Oſtrogotthorum deleuit regnum, atq; ſic Italiam ab illa obſidione omninò liberam reddidit atq; ſecuram. Qua liberatione facta, Romana eccleſia, & eius epiſcopi, quorum figuram 24. exprimunt ſeniores, omnes Deo dederunt gloriam, & liberè diuinum peregerūt officium. Longobardos, qui & ipſi aliquandiù Romanam perturbauerunt eccleſiam, exterminauit tandem Carolus Magnus, Sub cuius imperio qualis fuerit eccleſiæ ſtatus, ſequenti continetur viſione.

VISIO TERTIA DE
TERTIO ECCLESIAE STATV.

PARTITIO. TABVLA 221.

HIC STAtus continet tempora
- *Gregorij Papæ,*
- *Heraclij,* } *Imperatorum.*
- *Philippici,* }
- *Pipini regis Gallorum.*

} *à cap. 12. vſque ad cap. 15.*

PRIMI TEMPORIS SVBDIVISIO.
TABVLA 222.

DE HVIVS TEMPORIS *ſtatu D. Ioannes circa finem capitis vndecimi, verſic. Et apertum eſt &c. vbi aliqui capitis duodecimi ſtatuunt initium, quatuor complectitur prædictiones:*
- *Apertum eſt templum, inquit, Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.*
- *Et facta ſunt*
  - *Fulgura (miraculorum,)*
  - *Voces (prædicantium.)*
- *Terræ item motus,*
- *Et grando magna.*

EVENTVS PRAEDICTIONIS PRIMAE.

SVB templo hîc eccleſiam intelligunt Dei, ſiue quandam feſtiuitatem, quæ de templo manifeſtata eſt: arca verò ipſum ſignificat Chriſtum, cui in templo fuit præſentatus, cuius memoria ſingulis annis in catholica celebratur eccleſia. Cùm enim, Iuſtiniano imperante, Conſtantinopoli grauiſſima ſæuiret peſtis, inſtitutum eſt publico patrum conſilio ſolennè illud feſtum Purificationis beatiſſimæ genitricis Dei virginis Mariæ, ſiue quod idem eſt, præſentationis Chriſti celebritas.

Feſtum Purificationis Mariæ.

SECVNDAE PRAEDICTIONIS EVENTVS.

CONSTAT, Papam Gregorium Magnum, Auguſtinum olìm cum alijs viris religioſis pluribus ablegâſſe ad Anglos, vt eos ad Chriſtianã cõuerterent fidẽ. Vbi Au-

Auguſtinus fecit miracula.

Auguſtino tanta miraculorum conceſſa eſt potentia, vt & cæcis viſum, & ſurdis auditum, & claudis greſſum, & mutis loquendi reſtitueret officium. Atque hæc fulgura miraculorum, & concionatorum tam potentes fuerũt voces: quãquàm ſcio ab alijs aliter & hæc & pleraq; alia exponi.

EVENTVS PRAEDICTIONIS TERTIAE.

Inſtitutio monaſteriorum.

TERRAEMOTV, cuius hîc D. meminit Ioannes, cordium interpretantur commotionem, & ad Dei laudes erectionem. Quæ ſe tum exerere viſa eſt, quòd idem Gregorius ſeptem, & alij ſubindè plura inſtituerent paſsim monaſteria, eo potiſſimùm conſilio, vt viri ſancti à mundo ſegregati, tanto commodiùs Dei laudibus & orationibus incumbere poſſent, quanto à ſecularibus curis eſſent abſtractiores.

QVARTAE PRAEDICTIONIS EVENTVS.

GRANDO illa magna, poteſt intelligi perſecutio, qua Imperator Mauricius B. affecit Gregorium: quem tanto proſecutus eſt odio, vt ei crudelem minaretur mortem. Sed excitauit Deus contra illum alium perſecutorem Phocam, qui dictum Mauricium cum vxore & liberis iuſſit cædi, ipſo Mauricio in cuiuſq; cęde dicente, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

DE STATV ECCLESIAE SVB HERACLIO.

TABVLA 223.

AD HVNC ſtatum referũtur octo B. Ioannis ꝓphetiæ, De

- *Fuga Coſdroæ. In principio cap.12. verſ. Et ſignum. vſque ad verſ. Væ terræ.*
- *Pugna Heraclij & Coſdroæ. d. verſ. Væ terræ. eod.*
- *Filij Coſdroæ debellatione. in princip. ca.13. ver. Et vidi de mari ſignum &c. vſque ad verſ. Si quis habet aurem.*
- *Belli huius inter Heraclium & Coſdroam fine. d. verſ. Si quis habet aurẽ.*
- *Lapſu Heraclij in hæreſim. verſ. Et vidi aliam beſtiam. eodem.*
- *Multorum martyrum coronatione. cap.14. in princip. ver. Et vidi, & ecce. vſque ad ver. Et vidi alterum angelum volantem.*
- *Notabili quadam gentium conuerſione. verſ. Et alius angelus ſecutus eſt. eod.*
- *Græcorum deprauatione. verſ. Et alius angelus ſecutus eſt. eod.*

DE CO-

DE COSDROAE FVGA, SVB IMAGINE MVlieris prægnantis & draconis præliantis, Prophetia prima.

TABVLA 224.

ET SIgnum magnum apparuit in cælo. D. Ioannes enim

- *Vidit*
  - *Mulierem eccleſiam*
    - *Amictam ſole (Chriſto.)*
    - *Lunã (rerũ terrenarũ mutabilitatẽ) ſub pedib⁹ eius.*
    - *In capite eius coronam 12. ſtellarũ (doctrinam apoſtolorum)*
    - *Et in vtero (mente) habẽtem.*
    - *Quæ*
      - *Parturiens, clamat & cruciatur vt pariat.*
      - *Fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt eam paſcat ibi diebus 1260.*
      - *Peperit filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. cap. 12. in princip.*
  - *Draconẽ*
    - *Magnum rufum, habentem*
      - *Capita ſeptem,*
      - *&*
      - *Cornua decem.*
    - *In capite eius diademata ſeptem.*
    - *Cuius cauda (mendax propheta) trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.*
    - *Qui ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura.*
  - *Præliũ magnum in cælo inter*
    - *Michaëlem eiusq́ angelos,*
    - *&*
    - *draconẽ et ſuos quoq́ angelos.*
    - *Ex quo prælio*
      - *Victoriam reportauerunt angeli boni.*
      - *Proiectus eſt Draco ille magnus ſerpẽs antiquus &c. in terrã, & angeli eius cum illo miſſi ſunt.*
- *Audiuit vocẽ magnam in cælo dicentem: Nũc facta eſt*
  - *Salus, &*
  - *Virtus, &*
  - *Regnũ dei noſtri, &*
  - *Poteſtas Chriſti eius.*
  - *Quia*
    - *Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante cõſpectum Dei noſtri die ac nocte.*
    - *Et ipſi*
      - *Vicerũt eũ ꝓpter*
        - *Sanguinem agni, &*
        - *Verbũ teſtimonij ſui.*
      - *Non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.*
      - *Propterea lætamini*
        - *Cæli, & q̃ habitatis in eis. cap. 12. vſq; ad verſic. Væ terræ &c.*

APPLICATIO PRIMAE IMAGINIS, DE MVLIERE amicta ſole.

MVLIEREM hanc multi beatam dicunt eſſe virginem Mariam, attamen pro catholica etiam accipitur eccleſia. Hæc cùm ſub Phoca Imperatore varios experiretur cruciatus, clamabat parturiens & cruciabatur, vſquedùm Heraclium peperiſſet Imperatorem: qui rempub. admodùm inuénit afflictam & diſſolutam. Nam & Europam Barbari, & Aſiam Perſæ deuaſtauerant.

APPLICATIO SECVNDAE IMAGINIS, DE DRAcone ſerpente antiquo.

REGNANTE verò Heraclio, fuit in Perſide rex Coſdroæ nomine, qui bello oppreſſit Palæſtinã, & ciuitatem ſanctam cepit Hieruſalẽ. Quo in bello multos occidit, & Patriarcham captiuum duxit Zachariam, ablata etiam cruce Dominica. Coſdroæ perſecutio

Neque his Coſdroas fuerat contentus, ſed & Aphricam (aliàs & Carthaginē) occupauit. Ex quibus victorijs adeò factus eſt inſolens, vt argenteam ædificaret turrim, in eaq́; aureum ſtatueret thronum. Vt autem ſimplici imponeret plebeculæ, & ſolis ibi quadrigam, & lunæ & ſtellarum poſuit imagines, ac per meatus quoſdam occultos, aquam adſpergi curabat, vt ſic pluuiam de cælo quaſi demittere videretur. Quo nomine ſe ab incolis & vicinis gentibus ſuo imperio ſubiugatis, & regem regum, & dominum dominantium vocari, immò vt Deum coli voluit. Hic nimirùm draco ille fuit rufus & callidus, Lucifero in hoc, ꝙ ſe Deo æqualem ſtatuere niteretur, perquamſimilimus: Qui ſeptem diademata, hoc eſt, multa regna, & decem cornua, id eſt, inſtructiſſimos habebat exercitus, quibus ſtellarum, totius putà orbis terrarum, partem tertiam ad ſe trahere videbatur: qui ſanguinis Chriſtianorum ſitientiſſimus, ante mulierem illam, Catholicam ſcilicet ſtetit eccleſiam, cuius filium Heraclium Imperatorē cupiebat deuorare. Ipſa verò mulier ſiue eccleſia, quæ tum erat in Aſia, præ timore Conſtantinopolim fugiebat & in Græciam, vbi locum à Deo habebat paratum, vt paſceretur.

APPLICATIO TERTIAE IMAGINIS, DE PVGNA archangeli Michaëlis cum dracone.

Hîc tandèm fuga tangitur Coſdroæ. Heraclius enim anno imperij ſui 12. contra Perſas armata manu, in qua D. virginis Mariæ gerebat imaginem, proficiſcitur, quos etiam debellauit. Quo bello draconem illum Coſdroam mox à principio coëgit in fugam, ac temporis ſucceſſu, ciuitates & regiones, quas ille deſeruĕrat, omnes penè deuaſtabat. Quibus peractis, tum demùm in eccleſia vox illa eſt audita: Nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri &c. Nam hoc prælium totum, non de angelis tantùm, qui ſpiritus ſunt, ſed rectiùs etiam de hominibus intelligendum eſſe, ex illis maximè patet verbis quæ hîc habentur in textu: Et non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.

DE PVGNA HERACLII ET COSDROAE, Prophetia ſecunda.

TABVLA 225.

POST *hæc*

- *Draco, cùm videret ſe proiectum eſſe in terram, tum*
  - *Perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.*
  - *Miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquàm flumen, (id eſt, impetum perſecutionis) vt eam faceret trahi à flumine.*
- *Mulier duas diuinitùs accepit alas, (duo teſtamenta) aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, (vt mundanæ abrenunciaret voluptati.) vbi alitur*
  - *Per tempus,*
  - *Et tempora,*
  - *Et dimidiū temporis*
  - — *à facie ſerpentis.*
- *Terra (id eſt, potētia eccleſiæ terrena) adiuuit mulierem. Nā &*
  - *Aperuit os ſuum,*
  - *Et abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.*
  - — *Quam ob rem, iratus draco in mulierem,*
    - *Abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mādata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.*
    - *Et ſtetit ſuper arĕnam maris. verſ. Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, ſciens quòd modicum tempus habet, vſque in fin. cap. 12.*

EVEN-

EVENTVS

Fvgam ſupradictam adeò Coſdroas tulit indignè, vt temporis ſucceſſu alios aduerſùs Heraclium mitteret exercitus: ſed bello Heraclius victor euaſit, atque ſic flumen illud, quod iratus draco, qui propter vafriciem ſuam & ſerpens dictus eſt, euomuerat, totum abſorbuit & extinxit.

DE FILII COSDROAE DEBELLATIONE, ſub imagine beſtiæ. TABVLA 226.

Expvgnati ōis huꝰ quaſi vmbram exprimere videtur prophetia B. Ioannis de beſtia illa, quã hîc deſcribit à

- *Forma, dũ dicit ſe vidiſſe beſtiam,*
  - *Aſcendentem de mari.*
  - *Habẽtem*
    - *Capita ſeptẽ, Cornua decẽ.*
    - *Et ſup*
      - *Cornua*
      - *Capita*
      - *Habebat*
        - *Diademata decem.*
        - *Nomina blaſphemiæ.*
  - *Similem pardo, cuius*
    - *Pedes*
    - *Os*
    - *erant ficut*
      - *Pedes vrſi,*
      - *Os leonis.*
  - *Caput vnum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt.*
- *Exiſtimatione falsò concepta*
  - *Terra vniuerſa admirata eſt poſt beſtiam.*
  - *Et adorauerunt*
    - *Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ:*
    - *Beſtiam, dicentes:*
      - *Quis ſimilis beſtiæ?*
      - *Et quis poterit pugnare cum ea?*
- *Virtute & poteſtate draconis, qui dedit huic beſtiæ*
  - *Os loquens*
    - *Magna*
    - *et blaſphemias in*
      - *Deum,*
      - *Eiuſq́*
        - *Nomen,*
        - *Tabernaculum,*
        - *et in eos, qui in cælo habitãt.*
  - *Poteſtatem*
    - *Facere*
      - *Bellum cum Sanctis,*
      - *et vincere eos.*
    - *In omnẽ*
      - *Tribũ, &*
      - *Populũ, &*
      - *Linguã, &*
      - *Gentem.*
      - *Et adorauerũt eam omnes, qui inhabitabant terrã, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni qui occiſus eſt, ab origine mundi. ver. 1. in princip. 13. vſque ad verſ. Si quis habet aurem.*

EVENTVS.

DE Antichriſto potiſſimùm hanc Prophetiam intelligi & poſſe & debere, communiter hîc tradunt Doctores eccleſiaſtici penè omnes. Si quis tamen præteritum aliquod exemplum videre cupiat, quod ſimilitudine quadam poſſit cum ea conferri, non abſimile erit, quod de expugnatione Syroæ filij Coſdroæ ſcriptum reliquerunt hiſtorici. Cùm enim ab Heraclio victus eſſet Coſdroas, filium eum Principibus Perſarum & exercitu prægrandi aduersùs Heraclium miſit vſque ad *Danubium. Vbì poſtquàm ab vtraque parte diù multumq; pugnatũ eſſet, in id tandèm conuentum fuit, vt ipſi belli duces, Heraclius nimirùm, & Coſdroæ filius, ſingulare inirent certamen: quod & factum, & filius Coſdroæ victus, nõ tamen occiſus eſt. Hunc ergò Syroën ſub beſtia illa comprehendi poſſe putant aliqui, cui Draco ille ſuam dederit poteſtatem, & cui non abſq; ſumma populi admiratione reuiuiſcenti datum eſt bellum facere ſanctis, & vincere eos. Multos enim martyrio affecit ſanctos, vt Anaſtaſium monachum, cumq; eo monachos 70. & alios Chriſtianos permultos.

DE BELLI HVIVS INTER HERACLIVM ET Coſdroam fine, Prophetia Quarta.

TABVLA 227.

FINEM illi' *belli prædicit D. Ioãnes his verbis: Si qs habet aurẽ, audiat: Qui in*	*Captiuitatẽ duxerit,*	*Oportet eum*	*In captiuitatẽ duci,*	*Hic eſt*	*Patientia*	*Sanctorum. d. verſic. Si quis habet aurem. eod. cap. 13.*
	Gladio occiderit,		*Gladio occidi:*		*Et fides*	

EVENTVS.

SCRIBVNT quidam, hoc bellum per ſeptennium ferè duràſſe integrum. Quò illud pertinere videtur, quod ſuprà dictum fuit, mulierem fugiſſe ad locum, vbì aleretur à Deo per mille ducentos ſexaginta dies, qui annos faciunt tres cum dimidio. Item per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Vt tempus ſit annus, tempora biennium, cum anno dimidio, qui totidèm faciunt annos, tres ſcilicet & dimidium. & ſic in ſumma annos ſeptem. Finis autem belli eius hic fuit: Poſtquàm Heraclius cum filio Coſdroæ ſibi ſubiugato, in Perſidẽ ad ipſum veniſſet Coſdroam, dicitur eum his allocutus eſſe verbis: Si credere voluëris Domino Ieſu Chriſto, & illius te ſeruum eſſe confeſſus fueris, regnum Perſarũ totum, & vitam tibi dabo illæſam. Quod eùm recuſaret, gladio extracto, caput ei proprijs amputauit manibus. Nam quod alij dicunt, id Coſdroæ feciſſe filium, ità intelligendum ſentiunt, quòd iſtum Heraclio coniunctus fuerit. Atq; ſic vt Perſæ anteà multos in captiuitatem duxerãt, ità multi viciſsìm ex eis, ducti ſunt captiui. Heraclius enim multos tum ſecum reduxit captos anteà à Perſis, ac crucem Saluatoris ſanctam in ciuitatem reportauit Hieruſalem. Et quia Coſdroas multos occíderat gladio, & ipſe gladio fuit occiſus, tumq; probata eſt fides & patientia Zachariæ patriarchæ, quem Heraclius de Perſide in Hieruſalem reduxerat.

DE LA-

DE LAPSV HERACLII IN HAERESIN MOnothelitarum,& inſtauratione Mahumetici Alcorani, ſub figura alterius beſtiæ, Prophetia quinta. TABVLA 228.

Et vidit (Ioannes) aliã beſtiã aſcendẽtem de terra, Quæ

- *Habebat cornua duo ſimilia agni.*
- *Loquebatur ſicut draco.*
- *Faciebat*
  - *Poteſtatem prioris beſtiæ omnem in conſpectu eius.*
  - *Terram & omnes habitantes in ea, adorare beſtiam, cuius curata eſt plaga mortis.*
  - *Signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.*
- *Seduxit habitantes in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.*
- *Accepit poteſtatem, vt*
  - *Daret ſpiritum imagini beſtiæ.*
  - *Loquatur imago beſtiæ.*
  - *Et faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur.*
- *Et faciet oẽs*
  - *Puſillos, & Magnos, & Diuites, & Pauperes, & Liberos, & Seruos*
  - *Habere characterẽ aut in*
    - *Dextera manu ſua,*
    - *Frontibus ſuis.*
  - *Et nè quis poſſit aut*
    - *Emere,*
    - *Vẽdere,*
  - *niſi qui habeat*
    - *Characterem,*
    - *Nomen beſtiæ,*
    - *vel*
    - *Numerum nominis eius.*

HIC *ſapientia eſt: Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. verſic. Et vidi aliam beſtiam, vſque in finem cap. 13.*

EVENTVS.

ECCLESIASTICA teſtatur hiſtoria, Heraclium Imperatorem in Monothelitarum tandèm prolapſum eſſe hæreſin, vt cum Sergio Patriarcha Cõſtantinopolitano aſſereret, vnam tantùm in Chriſto eſſe operationem. Vt autem dum in Catholica pſiſteret fide, multis victorijs celebris erat Heraclius, ità poſt factam religionis mutationem, vires ſibi mox labefactatæ ſunt atq; diminutæ. *Heraclio poſt mutatam religionẽ diminutæ ſunt vires.*

Inſurrexit autem ſub Heraclio Princeps quidam Arabum ſiue Saracenorũ, nomine Mahumetes, nouæ cuiuſdam & perfidæ ſectæ author & inuentor, qui cum gente ſua barbara. ità exagitauit Perſas, vt tandèm regnum Perſarum, cui anteà ſubditus fuerat, ſuo ſubijceret dominio. *Mahumetes nouæ ſectæ inuentor.*

Iſte

ISTE igitur Mahumetes per hanc deſignatur beſtiam, quæ duo habebat cornna agno ſimilia, eô ꝙ erroris ſui aſſeclæ fingerẽt eum gratiam habere miraculorũ: adeò vt ei & angelum & agnum & bouem locutos eſſe: quin & arborem fici, ad eius vocem ſe humiliter inclinâſſe, aſſerere non vererentur.

LOQVEBATVR aũt ſicut draco, id eſt, ſicut Coſdroas. Nam vt ille ſibi diuinũ adrogabat honorẽ, ità hic etiam vt Deus à ſuis adorari, aut ſaltem maximus inter nuncios Dei haberi voluït. Vndè gloriantur Saraceni, nomen Mahumetis fuiſſe ante creationem mundi in conſpectu Dei, & niſì fuiſſet, nequaquàm mundum condidiſſet.

POTESTATEM etiam prioris faciebat beſtiæ: Quia regnũ Perſarum ſiue (quod idem eſt) Saracenorum, & continuauit, & erexit.

SEDVXIT habitantes in terra, vt impiæ, quam confinxerat, ſubſcriberent ſectæ. Id quod eo potuit faciliùs, ꝙ ea ignis aliquid videretur habere cæleſtis. Vtebatur enim pro colorandis ſuis fraudibus & dolis, verbis quibuſdam tam ex nouo, q̃ veteri teſtamento petitis, vt ſic eo faciliùs & ſimpliciores Chriſtianos, & ſtupidos deciperet Iudæos.

Mahumetes fraudulenter vſus eſt verbis diuinæ ſcripturæ.

INSTITVIT imaginem beſtiæ, hoc eſt, ſummum ſectæ ſuæ poſt ſe reliquit Pontificem, quem Saraceni vocant Caliphan, vt ipſum decepti homines adorarent, tanq̃ habentẽ ſpiritũ vitæ & poteſtatẽ ſpiritualẽ. Vndè vt Catholici Chriſtiani Papæ, ità Saraceni in hodiernum vſq; diem ſuo illi obediunt Ponrifici.

FECIT homines habere characterem, dum circunciſionem, dum alia quædam execranda, dumq; falſas inſtituit cæremonias.

PRAECEPIT nè quis poſſit emere vel vendere, niſì habeat characterem beſtię. Quoniam ſtatuit, vt non ſolùm cum nemine, qui leges ſuas blaſphemaret, nec communicare, nec diſputare præſumerent, ſed ſtatìm eos, alio non expectato iudicio, interficerent.

CVM autem vix vlla vnq̃ fuerit ſecta, q̃ tantoperè Chriſtianæ nocuerit fidei, vt quæ non ſolùm Perſidem, Arabiam & Syriam, ſed Aegyptum etiam & Aphricã, & partem Hiſpanię infecit non exiguam: ob id proculdubiò D. Ioannes tam diligenter tempus illius inculcat ſectæ, dicens: Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ &c.

DE NVMERO BESTIAE.

PER numerũ beſtiæ, quẽ D. Ioannes dicit eſſe D.C.LXVI. ſecundũ expoſitionẽ Innocentij III. intelliguntur anni ſexcenti ſexagintaſex, quibus duratura ſit ſecta Saracenorũ. Quod tempus ſi à Mahumete, cuius Tyrannis incepit anno plùs minùs D.C.XXVII, numerare incipiamus, iam ante multos p̃terijt annos. Vndè & ipſos Mahumetanos fateri aiunt, ꝙ ab annis permultis ſecta illorum, q̃ ſecundùm Prophetas ſuos ꝓprios diù debuerit ceſsâſſe, ex mera tantùm duret gratia.

Mahumetis ſucceſſores.

ALIQVI verò aliam ineunt cõputandi rationem, & dicunt: ꝙ poſt Mahumetis mortem vnuſquiſq; ad ſuam redierit ſectã, atq; ſic ſecta eius fuerit diſſecta. Quã poſteà quidam ſucceſſor eius, & poſt multa tempora alius de nouo quaſi reſtaurari, ipſumq; Alcoranum & corrigi, & abbreuiari, & exponi curauerunt. Vndè putant, Saracenorum legem tum demùm propriè dici poſſe inchoatam. Quod ſi ità ſit, nondùm præterijt tempus illud à Ioanne prædictum & expreſſum. Sed quia de futuris humanæ rationi vix certi aliquid ſtatuere conceſſum eſt, numeri huius myſterium Spiritusſancti relinqui debet arbitrio.

Tum ſcilicet cùm Aurelius noſter ſuum ſcriberet compendiũ

NOTA.

Sergius.

MAHVMETEM iuuit tnm pſeudomonachus quidam, nomine Sergius, Neſtorianus, quem quidam volunt Arrianum fuiſſe. Idem verò monachus, beſtiæ huius imago dici poſſe videtur. Vſus eſt verò etiam Iudęi Thalmndiſtæ opera Mahumetes, & cuiuſdam Ioannis Neſtoriani, vt ait Ludouicus Viues.

DE

DE MARTYRVM CORONATIONE, SVB imagine agni ſtantis ſupra montem Sion, Prophetia ſexta.

TABVLA 229.

ET Ioannes
- *Vidit*
  - *Agnum ſtantem ſupra montem Sion, (id eſt, eccleſiam ſanctam.)*
  - *Et cum eo CXLIIII. millia, habẽtes nomẽ*
    - *Eius, & nomen*
    - *patris eius*
    - → *Scriptum in frontibus ſuis.*
- *Audiuit vocem de cælo, tanq̃ vocem*
  - *Aquarũ*
  - *Tonitrui magni,*
  - *Sicut citharœdorũ citharizãtium in citharis ſuis.*
  - *Et*
    - *Cantabãt quaſi cãticum nouum ante*
      - *Sdem,*
      - *Quatuor animalia,*
      - *Seniores.*
    - *Nemo poterat diſcere canticum, niſi illa C. XLIIII. millia, qui empti ſunt de terra.*
    - *Hi ſunt qui*
      - *Cum mulieribus non ſunt coinquinati.*
      - *Sequuntur agnũ quocunq; ierit.*
      - *Empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno.*
      - *Et in ore eorum non eſt inuentũ mendacium.*
      - → *Sine macula enim ſunt ante thronum* DEI, *à principio cap. 14. vſque ad verſic.* Et *vidi alterum angelũ. eod.*

EVENTVS.

PRAEDICIT Ioannes plurimorum ſexûs vtriuſq; martyrum coronationem, q̃ contigit circa annum Domini D.C.XXXVI. &c. quandò Saraceni infeſtabant Syriam, & captis Damaſco, Phœnice & Aegypro, ipſam poſt biennij obſidionẽ expugnant Hieruſalem: cœnobitas illorum regnorum, quotquot ſuæ impietati ſubſcribere nollẽt, crudeliſſimè trucidârũt partim anno DC.XXXVIII. ijdemq; Saraceni anno 648. totam etiam Aphricam. Chriſtiano cultui deditã, vi ſua tyrannica occupârunt, & numerum piorum hominum ferè infinitum, perſecutionibus diuexârunt, plagis item & cædibus cruentiſſimis. De quorum numero, præmijs & Cantico Diuus hic loquitur Ioannes, cùm dicit, ſe vidiſſe agnum ſupra montem Sion, id eſt, in eccleſia triumphante, & cum eo CXLIIII. millia, q cum mulieribus (id eſt, hæreticorum prauitatibus) non ſunt coinquinati: quanquàm non ignoro iſthuc de virginibus ſolere patres Catholicos aptiùs & accõmodatiùs interpretari.

DE ME-

DE MEMORABILI QVADAM GENTIVM CONuerſione, ſub figura angeli volantis per medium cæli, Prophetia Septima. TABVLA 230.

ET VIdit Ioannes alterũ angelum	*Volantem per medium cæli,*	*Vt euãgeliʒaret ſedentibus ſuper*	*Terram, & ſuper*	*Dicẽs magna voce:*	*Timete Dominum.*		
			Omnẽ gentẽ, &		*Date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, &c.*		
	Habentẽ Euangelium æternum,		*Tribum, &*		*Adorate eum qui fecit*	*Cælum, Terrã, Fontes aquarum.*	*ver. Et vidi alterũ angelũ, eod. ca. 14*
			Linguam, &				
			Populum,				

EVENTVS.

ANGELVM hunc dicunt fuiſſe Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, qui ablegatus à Gregorio Papa III. euangelium æternum p̃dicauit in Bauaria, Thuringia, Phriſia, alijſque Germaniæ locis, paſſimq́; multos ad fidem conuertit Chriſtianam, & docuit eos timere Dominum, & adorare eum, &c.

DE GRAECORVM DEFECTIONE, SVB imagine ſecundi angeli, Babylonis caſum annunciantis, Prophetia octaua. TABVLA 231.

ET ALIVS ANGElus ſecutus eſt, dicens:	*Cecidit cecidit Babylon illa magna,* *Quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit oẽs gẽtes.*	*verſ. Et alius angelus. dict. cap. 14.*

EVENTVS

HIC angelus putatur fuiſſe Martinus Papa dictus Tudertinus. Ipſa autem Babylon imperium denotat Conſtantinopolitanum, quod apud Græcos in varios cecidit errores. Id quod partim hoc accidit modo: Nam à Conſtãtio filio Magni Conſtantini, qui imperij ſedem Roma tranſtulit Conſtantinopolim, ad defectionem vſq; regni Græcorum, non pauci Imperatores Conſtantinopolitani hæretici fuerunt. Qualis etiam imperator fuit nepos Heraclij, qui dictus eſt Conſtans, vel etiam Conſtantinus. Cuius hæreſim condemnauit Martinus ille Pontifex in Synodo, quam Romæ cum 105. celebrauit epiſcopis contra Cyrum Alexandrinum. Sergium, Pyrrhum & Paulum, Conſtantinopolitanos Patriarchas, atq; ſic Græcorum deteſtatus eſt perfidiam. Quæ anteà vino fornicationis ſuæ, hoc eſt, diuerſarum hæreſum temulentia & prauitate, multos inebriauit.

DE

DE STATV ECCLESIAE SVB PHILIPPICO Imperatore. TABVLA 232.

SVB ID TEMpus eccleſiæ res duæ acciderunt memoria dignæ:
- *Repudiatio Græcorum,*
- *Vitæ monaſticæ profeſſus.*

De quibus agitur verſ.
- *Et tertius angelus,*
- *Hîc patientia ſanctorum eſt.*

ca. 14.

DE REPVDIATIONE GRAECORVM, SVB IMAgine angeli tertij, Prophetia huius partis prima. TABVLA 233.

ET TERtius angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis
- *Adorauerit* — *Beſtiam, & Imaginem eius.*
- *Et acceperis charactere͂ aut in* — *Fronte ſua, Manu ſua,*

HIC
- *Bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius.*
- *Cruciabitur* — *Igne, & Sulphure* — *In conſpectu* — *Angelorum ſanctorũ, & Agni.*
- *Fumus tormentorũ eorũ aſſcendet in ſecula ſeculorũ. ver. Et tertius angelus. dict. ca. 14.*

EVENTVS.

PHILIPPICVM Imperatorẽ, qui præfuit imperio circa annũ Domini DCCXII.
in eam impietatem incidiſſe ferunr, vr omnes Chriſti Diuorumq́ue imagines au- Confeſſio
ferri pręceperit, datis interìm ad Conſtantinum Papam literis, quibus impia ſua Philippici.
dogmata profitebatur. Pontifex autem Conſtantinus, ea totius populi Romani
conſilio refutauit, pręcepitq́ue, nè hęretici Imperatoris nomen vel in chartis po
neretur, vel in monetis, nec eius effigies ſtatueretur in eeeleſia, nec vlla eius in ſa- Confutatio
crificio Miſſę fieret mentio. Hunc ergò Papam Conſtantinum, tertium putant eiuſdem.
dici poſſe angelum, qui clamauit, vt qui turpiſſimam adoraret beſtiam aut imagi
nem eius, de vino irę biberet diuinę. Vt autem Philippicus anteà Iuſtinianum in- Vltio diui-
terfecerat Auguſtum prędeceſſorem ſuum: ità diuino accidit iudicio, vt eundem na.
Philippicum pòſt Arthemius, qui dictus eſt & Anaſtaſius, oculis priuauerit, eoq́;
ab Imperio deiecto, ſibi eius vendicauerit authoritatem.

DE VITAE MONASTICAE INSIGNI PROFE-ctu, Prophetia huius temporis ſecunda. TABVLA 234.

HIC EST *patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt* { *Mandata Dei,* / *Et fidem Ieſu.* } { *Et audiuit Ioãnes vocem de cælo dicẽtem ſibi: Scribe,* } { *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* / *Amodò dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorũ ſequuntur illos. ver. Hic eſt patientia. eod. cap. 14.* }

EVENTVS.

SI hęc de ciuili etiam, quod fieri poſſe autumant, morte intelligas, inſignem hîc D. Ioannes prævidit vitę monaſticæ profectum. Nam circa annum 715. cœnobiũ S. Benedicti apud caſtrum Caſſinum, quod ante annos 110. à Longobardis fuerat deuaſtatum, concurrentibus in eum locum multis vndiquè monachis & religioſis, Gregorij ſecundi Papæ & Pertinacis ciuis Brixiani auxilio iterùm reſtitutum fuit. Circa hęc tempora religionẽ ingreſſi ſunt Choëret & Ophra reges Anglorum, Carolomannus quoquè frater Pipini, Hildericus Rex Francorum, Rachis Longobardorum rex cum vxore & filijs, itemque alij multi monaſticam elegerunt vitam: qui quidẽ mundo, quem tam forti animo contemnere didicerunt, fuerunt mortui, Deo autem nequaquàm ignoti. Opera enim eorum ſequuntur illos, & amodò requieſcunt à laboribus ſuis.

DE STATV ECCLESIAE TEMPORE PIpini Regis Gallorum. TABVLA 235.

AD HOC TEMpus *pertinere videntur Prophetiæ Ioannis de* { *Translatione regni Francorum in ipſum Pipinum.* / *Aduentu Stephani Papæ in Franciam.* / *Caroli Magni inſtitutione in Regno Galliæ.* / *Fine imperij Longobardorum.* }

DE TRANSLATIONE REGNI FRANCOrum in perſonam Pipini, ſub imagine nubis candidæ, Prophetia huius Partis prima. TABVLA 236.

ET VIDIT *Ioannes* { *Nubem candidam.* / *Et ſuper nubem* { *Sedentem ſimilem filio hominis, (id eſt, Chriſtum qui apparuit in nube carnis.)* / *Habentem in* { *Capite ſuo coronam auream, (Quia fuit* { *Rex, &* / *Sacerdos.)* } / *Manu ſua falcem acutam, (id eſt, verbum Domini) ver. Et vidi, & ecce nubem. eod. cap. 14.* } } }

EVEN.

EVENTVS.

APPLICANT quidam hanc Prophetiam ad regnum Franciç, quod ſub appellatione intelligunt nubis. Virum autem huic nubi cum aurea corona & falce inſidentẽ acuta, prçfatum interpretantur eſſe Pipinum. Tradunt enim hunc Pipinũ Caroli Martelli Principis victorioſiſſimi filiũ, cùm Hildericus Franciç rex ocio deditus & inertiç, nomine tantùm & titulo Regis eſſet contentus, adminiſtrationis verò onera ipſi relinqueret Pipino, eundem Pipinum Romam ſcripſiſſe ad Zachariam Papam, atque indè reſponſum petijſſe, vter ex his Regis nomine dignior videretur, illéne qui pondus ſuſtineret diei, an qui ocio deliteſceret, & ſolo regnaret nomine? Cui cùm Pontifex reſpondiſſet, illum potiùs adpellãdum eſſe Regem qui benè Remp. gubernaret: Franci hac reſponſione animati, Hilderico Rege in monaſterium detruſo, Pipinum ſibi ſtatuerũt Regem, qui ſtrenuiſſimus Rex latè paſſim Gallicas protendit vires.

DE ADVENTV STEPHANI PAPAE IN GALliam, ſub imagine angeli de templo clamantis, Prophetia huius temporis ſecunda. TABVLA 237.

ET LIAtas angelus exiuit { *De templo, clamãs voce magna* / *Ad ſedentem ſuper nubem:* } *Mitte falcem tuam, & mete, qa* { *Venit hora vt metatur.* / *Et aruit meſſis.* } *Et* { *Miſit qui ſedebat ſuper nubẽ, falcem ſuam in terram, &* / *Demeſſuit eam. ver. Et alius angelus. eod. cap. 14.* }

EVENTVS.

VOLVNT quidam hunc angelum fuiſſe Stephanum Papam, qui cùm vexaretur ab Aiſtulpho Longobardorum Rege, in Galliam vénit, petiturus aduersùs eum auxilium à Pipino, quod facilè impetrauit: & eius ope mox ità defatigauit hoſtẽ, vt pacem cum Romanis inire cogeretur. Quam vbi paulò pòſt fregiſſet, atq; ſecundò Italiam eſſet adgreſſus, per Pipinum Papię tam diù fuit detentus, vſq; dum ſecuram redderet Remp. Romanam, & Pontifici reſtitueret, quæ vtroque bello fuerant ablata. Alij quidam hanc Prophetiam de Ioãne intelligunt Baptiſta, nato ex Zacharia, qui gerebat curam templi.

DE SVBSTITVTIONE IN REGNO GALLIAE Caroli Magni, ſub imagine ſecundi Angeli exeuntis de cælo, Prophetia tertia. TABVLA 238.

ET ALIVS angelus { *Exiuit de templo, quod eſt in cælo, (id eſt, de eccleſia Romana.)* / *Habens ipſe falcem acutam, (ad præcidendas nimirum hæreſes.)* } *Et alius angelus, eod. cap. 14.*

EVENTVS.

Iste angelus fuit Carolus ſecundus Pipini filius,qui propter rerum præclarè geſtarum magnitudinem,cognominatus eſt Magnus. Habuit enim duos filios Pipinus:vnum Carolomannum,& alterum Carolum Magnum, qui fratri ſuo Carolomanno ſucceſſit in regno,habens & ipſe falcem,id eſt,inſignem potentiã,probitatem & authoritatem,quã in profligandis à rep.ſua hoſtibus habuerat Pater.

DE FINE IMPERII LONGOBARDORVM,

ſub imagine tertij angeli exeuntis de altari,Prophetia huius temporis Quarta. TABVLA 239.

ET ALI-*us angelus exiuit de altari, qui*
- *Habebat poteſtatem ſupra ignem.*
- *Et clamauit voce magna ad eũ qui habebat falcem acutã:*
  - *Mitte falcem tuam acutã, (id eſt, iudicium Dei, Ioan. 5.*
  - *Et vindemia botros vineæ terræ:*
    - *Quoniam maturæ ſunt vuæ eius: Et*
      - *Miſit angelus falcem ſuam acutam in terram, &*
      - *Vindemiauit vineam terræ, &*
      - *Miſit in lacũ iræ Dei magnum: & lacus*
        - *Calcatus eſt extra Ciuitatem, &*
        - *Exiuit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta. ver. & alius angelus. vſque in fin. cap. 14.*

EVENTVS.

Misit Deus Eccleſię ſuæ angelum tertium Adrianum Pontificem, qui cùm à Deſiderio Longobardorum Rege Aiſtulphi filio,in magnas redactus eſſet anguſtias,auxilium implorauit à Carolo Magno. Is pro ſua pietate pręfato Adriano in Italiam occurrens,Deſiderium primùm intrà Papiam includit, deindè Papia capta,cum in Gallias perpetuum deportauit in exilium.A quo tempore Longobardorum regnum in totum fuit extinctum.Atque ſic iræ Dei lacus, extra ciuitatem,id eſt,eccleſię gremium calcatus,& fama Regis Caroli per mille ſexcenta exiuit ſtadia,hoc eſt,per vniuerſam ferè ſparſa eſt terram. Alij hanc Prophetiam de Elia intelligendam eſſe aſſerunt.Vt enim primum Domini aduentum pręceſſit Ioannes Baptiſta: ſic ſecundum, quem intelligunt per hanc viſionem angeli exeuntis de altari,pręceſſurus eſt Elias.Is enim exiuit de altari,& poteſtatem habuit ſupra ignem,3.Reg.18.

VISIO

VISIO QVARTA, DE STATV ECCLESIAE SVB CAROLO MAGNO,

primo Germanorum Imperatore, ſiue de vltionibus diuinis.

TABVLA 240.

HVIVS *viſiõis tres ſunt Partes, in quibus agitur De*

- *Angelis ſiue miniſtris, quorum opera Maieſtas diuina, ad ſumendam ab improbis vltionem, vſa eſt. cap. 15. à principio vſq; ad ver. Et poſt hæc vidi.*
- *Quibuſdam quæ ad diſpoſitionem ſeptem pertinent plagarum, hoc eſt, quæ antequàm plagæ illæ fuiſſent illatæ, in eccleſia contigerunt. d. ver. Et poſt hæc vſque in finem cap. 15.*
- *Ipſis plagis. Quarum*
  - *Septem, malis & impijs inflictæ ſunt perſecutorib. tot. cap. 16. Vnam Saraceni ſiue Turci in Chriſtianũ exercuerunt populum. ver. Et vidi de ore draconis. eod.*

Atq; ſic decem cõtinet hæc Viſio prophetias

- *Primam ſcilicet de miniſtris.*
- *Alteram de diſpoſitione vltionum.*
- *Septem de ipſis plagis.*
- *Et de Saracenorum perſecutione vnam.*
- *Ex quibus prima & ſecunda translationem imperij à Græcis ad Gallos reſpicere videntur.*

DE SEPTEM ANGELIS, QVI PLAGAS

Dei iudicio decretas exequi debeant. TABVLA 241.

ET *vidi (D. ait Ioãnes)*

- *Aliud ſignũ in cælo magnum & mirabile,*
  - *Angelos ſeptem, (id eſt, victores beſtiæ ſiue vniuerſitatem prædicatorum.)*
  - *Habentes plagas ſeptem nouiſſimas, (id eſt, vltiones ex Decreto Diuino aduerſus impios intentatas.)*
  - *Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.*
- *Tanquàm mare vitreum (id eſt, baptiſmi gurgitem) miſtũ igne, hoc eſt, zelo fidei Chriſtianæ.*
- *Et eos qui vicerunt*
  - *Beſtiam*
  - *Imaginem eius*
  - *Et numerum nominis eius,*
  - *Eosq;*
    - *Stantes ſuper mare vitreum.*
    - *Habentes citharas Dei (id eſt, conſolationes ſanctorum.)*
    - *Et cãtantes*
      - *Canticũ Moiſis ſerui Dei,*
      - *Et canticum agni, (id eſt, Chriſti)*
      - *Dicẽtes:* *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorũ. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuũ, q; ſolus pius es? Quoniam omnes gentes venient, & adorabũt in conſpectu tuo: Quoniã iudicia tua manifeſta ſunt. cap. 15. à princip. vſque ad ver. Et poſt hæc vidi &c.*

APPLICATIO.

QVIDAM intelligunt hanc Prophetiam de Carolo Magno & populo Gallico, vt ipſe Carolus cum exercitu ſuo, angelorum referat perſonas, & populus Galliæ, ſub maris vitrei contineatur appellatione. Galli enim ad fidem cōuerſi, ex ſacro fonte cuius figuram exhibet mare, baptizati ſunt, & ignem habuerunt miſtum, zelum ſcilicet erga fidem Chriſtianam. Vitreos etiā poſſumus intelligere Ethnicos, vt Saracenos, ac Hunnos, quos Carolus debellauit, & tum temporis Saxones, quos armis ad fidem Chriſti cōuertiſſe legitur. Hinc Carolus Canticū Moiſis & agni, id eſt, Eccleſiæ Romanæ, per vniuerſas ſparſit eccleſias, & Lutetiæ inſignem inſtituit Academiam. Ad hanc eccleſiam venturos prædicit, qui adoraturi ſint Chriſtum in conſpectu Dei: & hoc propter conſtantiā Gallorū in fide Chriſti ſemèl ſuſcepta. Nam id huic Genti præ cæteris datum eſſe aiunt quidam ſingulare, vt à primo eius Rege Chriſtiano ad hæc noſtra vſque tempora, nullus Gallorum Rex à fide Catholica defeciſſe depręhēdatur: Vndè Chriſtianiſſimi hi Reges dici vel ſoli meruerint.

Carolꝰ Magnus Saxones ad fidē adduxit.

DE PRAEPARATIONE AD EFFVSIONEM Plagarum, Prophetia ſecunda.

TABVLA 242.

ET POST *hæc vidi, & eccè*

- *Apertum tabernaculum teſtimonij in cælo:*
- *Exiêrunt de templo ſeptē angeli,*
  - *Habentes ſeptem plagas,*
  - *Veſtiti lapide*
    - *Mundo, &*
    - *Candido.*
  - *Et præcincti circa pectora zonis aureis.*
- *Vnum de quatuor animalibus, dedit ſeptem angelis ſeptem phialas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.*
- *Et impletum eſt templum Dei*
  - *Fumo à Maieſtate Dei, &*
  - *De virtute eius.*
  - *Et*
    - *Nemo poterat introire templum,*
    - *Donèc conſummarentur 7. plagæ ſeptē angelorum. verſ. Et poſt hæc vidi, vſque in fin. cap. 15.*

APPLICATIO.

PER hoc, quòd angeli dicūtur mundo lapide veſtiti, intelligitur quòd diuinæ potētiæ & paratæ in malos vindictę fuerint nuncij. Et quia quatuor animalium appellatione, totidem Euangeliſtas intelligendos eſſe, iam ſæpiùs dictū fuit, hîc vnius tantùm animalis expreſſione, non abs re Lucam ſignificari conijcere poſſumus, quòd is xxj. Euangelij ſui capite prę cęteris, plagas mundo obuenturas prædixerit: Erunt ſigna, inquit, in ſole & luna & ſtellis &c. Fumus autem, quo templū fuit impletum, orationes ſunt piorū hominum, quæ ex cœnobijs & tęmplis, per

Carolum

Carolum varijs multisq́; in locis,extructis, Deo quotidiè ſunt oblatæ. Deniquè, vt in hoc templum nemo introire potuit,donèc ſeptem complerentur plagę:ità Chriſtiani ciuitatem Hieruſalem & templum Domini non recuperauerunt vſq; ad tēpus Vrbani pontificis,quo illæ ſeptem plagæ fuerunt conſummatæ. De quibus plagis ſeptem ſequuntur tabulæ,ſub imaginibus ſeptem angelorum totidem effundentium phialas.

DE CONDEMNATIONE DVARVM HAEREſum,ſub imagine primæ phialæ, Prophetia tertia. TABVLA 243.

ET AVDIVI *vocim magnam de cælo, dicentē ſeptem angelis:*	*Ite, &* / *Effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.*	*Et*	*Abijt primus angelus,* / *Effudit phialam ſuam in terram:*	*Et factū eſt vulnꝰ ſæuū & peſſimum in eos,qui*	*Habebant characterem beſtiæ,* / *Adorauerūt beſtiā & imaginem eius.in princip. cap. 16.vſque ad verſ. Et ſecundus angelus.*

E V E N T V S.

Primae huic effuſioni comparatur factum Adriani Papæ, qui cōtra pſeudoſynodum Conſtantinopoli congregatam de abolendis imaginibus,cōdemnauit hęreſim Imperatoris Conſtantini,qui imagines ſanctorum eiecit è templis: itemq́; alteram Felicianam,quę aſſerebat filium Dei in diuina natura verum eſſe Deum, in humana verò nuncupatiuum. Et,in diuina natura eum eſſe verum filium Dei, in humana verò adoptiuum: ità vt perſonam Dei & hominis in duas diuiderent perſonas,filij veri vnam,& alterā adoptiui. Et hoc fuit vulnus, quod primus angelus Adrianus inflixit habentibus characterem beſtiæ,id eſt, ſimilitudinē quandam perfidiæ Mahumetanæ.

DE INIVRIIS QVIBVS A POPVLO ROM. affectus fuit Leo Papa III.ſub figura ſecundæ phialæ, Prophetia quarta. TABVLA 244.

ET SECVN. *dus angelus*	*Effudit phialam ſuam in mare.* / *Et factus eſt ſanguis tanquàm mortui.*	*Et omnis anima viuens,mortua eſt in mari. verſ. Et ſecundus angelus.cap.16.*

E V E N T V S.

Leo papa eius nominis tertius, Carolo Magno miſit clauem confeſſionis ſancti Petri,cum vexillo vrbis Romanę. Porrò Romani eum in publica quadam litania vel ſupplicatione capiunt,& in carcerem conijciunt.

DE VINDICTA, QVAM CAROLVS MAgnus ſumpſit de Romanis ſub imagine tertiæ phialæ, Prophetia quinta. TABVLA 245.

ET

Tertius (angelus) effudit phialā ſuā ſuper { *Flumina* & *Fontes aquarū.* } *Et factus eſt ſanguis.*

Audiuit (Ioannes) { *Angelum aquarum, dicentem: Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hoc iudicâſti: Quia ſanguinem ſanctorum & prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt.*
Alterum, dicentē: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua. verſ. Et tertius. eod. cap. 16. }

EVENTVS.

TERTIVS hic angelus, fuit aliquo modo Carolus Magnus, qui Papam Leonem pro auxilio ad ſe fugientem reſtituit, illiusque ſeditionis authores pœna mulctauit. Sic ergò is phialam & indignationē ſuam ſuper flumina & ſuper fontes effudit aquarum, id eſt, malignos illos, qui flumen malitiæ ſuæ effuderunt in Leonē. Alius autem angelus Carolo datus in auxilium, dux fuit Spoletanus: tertius verò, populus Romanus: qui dixerunt, Iuſtus es Domine, vera & iuſta iudicia tua: quorum Romanorum ſcito ac precibus ad imperium euectus eſt Romanum, & à Leone coronatus eſt Romanorum Imperator, ſalutatusque Auguſtus anno Domini DCCC.I.

DE REBELLIONE CRESCENTII, SVB figura quartæ phialæ, Prophetia ſexta. TABVLA 246.

ET QVARtus angelus effudit phialā ſuā in ſolē, & datum eſt illi affligere homines { *Aeſtu,* & *Igni.* } *Et* { *Aeſtuauerunt homines æſtu magno.* *Blaſphemauerūt nomen Dei, habentis poteſtatē ſuper has plagas.* } *Neq;* { *Egérunt pœnitentiam,* *Vt darent illi gloriā. verſ. Et quartus angelus. eod. cap. 16.* }

EVENTVS.

MORTVO Othone Imperatore ſecundo, & tertio Othone regnante, Creſcentius quidam Patricius Romanus rebellauit, atque in eam incidit temeritatem, vt Gregorium Papam 5. de pontificatu deijceret, eique antipapam ſubſtitueret nomine Ioannem. Multi quoquè Romani impiè tunc blaſphemauerunt nomē Dei, vtrunque contemnentes ſolem, id eſt, vtranque poteſtatem, tam eccleſiaſticam, quàm ſecularem.

DE PRAE-

DE PRAEFATAE REBELLIONIS VLTIone ſeu vindicta per Imperatorem Othonem tertium ſub imagine quintæ phialæ, Prophetia ſeptima. TABVLA 247.

ET QVINTVS *angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ:* & { *Factum eſt regnum eius tenebroſum.* *Manducauerunt linguas ſuas præ dolore,* *Blaſphemauerũt Deũ cæli præ* { *Doloribus* & *vulnerib*. } } *Et nõ egerũt pœnitẽtiã ex operibus ſuis.*

EVENTVS.

PRAEDICTAM Creſcentij impietatem Otho tertius, velut angelus quartus vindicans, phialam effudit ſuper ſedem beſtiæ, id eſt, conſulatum Creſcentij tyrannicum, quem ex fuga retractum, paulatim membris trũcatis, auerſè impoſuit aſino, & ſpectaculi loco per vrbem Romam circunuectũ, ante vrbem ſuſpẽdi mandauit. Vndè dominium eius factum eſt tenebroſum, & linguam ſuam comẽdit præ dolore. Creſcentius impietatis ſuæ luit pœnas.

DE LIBERATIONE ECCLESIASTICORVM à iuriſdictione laicorum, ſub figura phialæ ſextæ, Prophetia octaua.

TABVLA 248.

ET SEXTVS *angelus* { *Effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem.* *Et ſiccauit aquam eius.* } *Vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis, verſ. Et ſextus angelus. eod. cap. 16.*

EVENTVS.

EXEMPLVM huius prophetiæ illuſtriſſimum poteſt eſſe Gregorius pontifex ſeptimus, priùs dictus Hildebrãdus, vir eximiæ ſanctitatis, & ſpiritu propheticę prędiitus. Nam is phialam ſuam effudit ſuper flumen illud magnum, id eſt, quoſdam eccleſiaſticos, qui cùm incontinentia, Simonia, & alijs vitijs eſſent corrupti, cõcilio celebrato, illis ex ſacrorum canonum præſcripto & vxoribus interdixit, & concubinis. Ad hæc cùm ſeculares anteà principes ſibi iuriſdictionem in clerum vſurpare non vererentur, in eodem concilio id quoquè ſalubriter ſtatuit, nè vllus epiſcopus aut prælatus inueſtituram à laico acciperet cuiuſcunque cõditionis principe. Sacerdotibus & vxores prohibitæ, & cõcubinæ.

DE SINGVLARI SARACENORVM PERSEcutione in eccleſiam Chriſtianam, ſub figura trium immundorum ſpirituum in modum ranarum, prophetia nona. TAB. 249.

ET *vidi de ore* { *Draconis,* *beſtiæ,* *Pſeudoprophetæ,* } *Exire tres immundos ſpiritus in modum ranarum. Sũt enim ſpiritus dæmoniorum* { *Facientes ſigna,* & *Procedũt ad reges totius terræ, cõgregare illos in prælιũ ad diem magnum omnipotentis Dei.* } ECCE { *Venio ſicut fur.* *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, nè nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* *Et congregabit illos in locũ, qui vocatur Hebraicè Armageddon. verſ. Et vidi de ore draconis. eod. cap. 16.* }

EVEN-

EVENTVS.

PRAEVIDIT hoc loco D. Ioannes, paulò pòſt angelum ſextum exire de ore draconis, regis ſcilicet Perſarum & Turcarũ: de ore item beſtiæ, id eſt, Sulthani Babyloniæ, & de ore pſeudoprophetæ, collegij Mahumetani, tres immundos ſpiritus in modum ranarum, inſtigatores putà & adiutores Saracenorum contra populum Chriſtianum. Quæ prophetia tum impleta eſt, quandò bello & tyrannide extendit imperium ſuum in Antiochiam vſque & Aſiam minorem. Beati autem erunt Chriſtiani illi, qui tum in conſtantia fidei perſeuerauerunt. vt enim in terra ſancta cum Chriſto compaſſi fuerunt, ità in loco Armageddon, id eſt, conreſurrectionis, cum eodem collætabuntur.

DE RESTITVTA ECCLESIAE PACE PER VRbanum Papam, ſub imagine phialæ ſeptimæ, Prophetia decima.

TABVLA 250.

ET SEptimus angelus
- *Effudit phialam in aërem, &*
- *Exiuit vox magna de tẽplo à throno, dicẽs: Factum eſt. Et facta ſunt*
  - *Fulgura, &*
  - *Voces, &*
  - *Tonitrua, &*
  - *Terræmotus magnus, qualis nunquàm fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræmotus ſic magnus.*
  - *Ciuitas magna in tres facta eſt partes.*
  - *Babylon magna vẽnit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.*
  - *Omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.*
  - *Grando magna ſicut talentum, deſcendit de cælo in homines.*
  - *Et blaſphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer. verſicul. Et ſeptimus angelus. vſque in finem cap. 16.*

EVENTVS.

SEPTIMI huius angeli imaginem refert Alexius Imperator Orientalis, qui effudit phialam ſuam in aërẽ, dum Vrbano pontifici ſecũdo anguſtias, quas Chriſtiani ab infidelibus patiebantur Saracenis, per crebras expoſuit literas. Qua fama permotus Vrbanus, populis occidentalibus perſuaſit, vt hominum aliquot centena millia ſigno ſanctæ crucis muniti proficiſcerentur contra Chriſtiani nominis hoſtes, videlicet Saracenos, tanta concordia, vt vix vllo tempore vnquàm tot homines in vnam coiërint ſententiam. Tunc etiam terræ factus eſt motus, & fulgura apparuerunt atque tonitrua. Quin & Cometæ & alia ſigna multa ſunt viſa. Ciuitas autem magna ſiue multitudo illa Chriſtianorum militum, in tres diuiſa eſt partes. Alij per Hungariam, alij per Sclauoniam, alij verò per Apuliam profecti ſunt Conſtantinopolim. Babylon deniquè ipſa, hoc eſt, Saracenismus, ità fuit labefactatus, vt vix vnquàm anteà maiorem ſenſerit confuſionẽ, ità vt compulſi fuerint Saraceni Chriſtum blaſphemare Dominum.

VISIO QVINTA, DE QVINTO ECCLESIAE STATV A

reſtauratione ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, vſque ad tempus Antichriſti & diem iudicij extremi.

PARTITIO VISIONIS QVINTAE.

TABVLA 251.

HAEC VISIO *viginti continet prophetias ſiue prædictiones de*

- *Impietate ſectæ Mahumetanæ, cap. 17. per tot.*
- *Diuina eius impietatis vindicta, à princip. cap. 18. vſque ad verſ. Et audiui aliam vocem.*
- *Cauſis præfatæ illius vindictæ, d. verſ. Et audiui aliam vocem.*
- *Triſtitia malorum, verſ. Et flebunt. eod.*
- *Gaudijs bonorum, verſ. Exulta, eod.*
- *Conflictu Babyloniæ cum Sultbano, verſ. Et ſuſtulit vnus angelus. eodem.*
- *Victoria & triumpho Chriſtianorum, à principio cap. 19. vſque ad verſ. Et audiui quaſi vocem tubæ.*
- *Congratulatione eorum Chriſtianorum, qui tum remanſerant in Syria, dict. verſ. Et audiui quaſi vocem.*
- *Ipſius Ioannis apoſtoli congratulatione. verſ. Et dixit mihi. eod. cap. 19.*
- *Secundi regis Hieroſolymitani ſucceſſu. verſic. Et vidi cælum apertum, eod.*
- *Prophetia patriarchæ Hieroſolymitani contra dæmoniacum Saracenorum vaticinium, verſ. Vidi vnum angelum ſtantem in ſole.*
- *Balduini regis victoria contra Sultbanum, verſ. Et vidi beſtiam & reges terræ. ſæpè d. cap. 19. vſque in fin. eiuſd.*
- *Concordia inter Calixtum Papam & Heinricum Imperatorem quintum, à princip. cap. 20. vſque ad verſ. Et vidi ſedes.*
- *Pace imperij & ſacerdotij firmata, d. verſ. Et vidi ſedes. eodem cap. 20.*
- *Grauiſſima perſecutione Sultbani contra Chriſtianos, verſ. Et animas decollatorum. eod.*
- *Damni ex ea perſecutione illati recuperatione. verſ. Et qui non adorauerunt. eodem.*
- *Quodam alio inter pontificem & Imperatorem diſſidio. verſic. Cæteri mortuorum.*
- *Reſurrectione prima, verſ. Hæc eſt reſurrectio prima. eod,*
- *Antichriſti perſecutione, verſicul. Et cùm conſummati fuerint mille anni, eodem.*
- *Die iudicij extremi, verſicul. Et vidi thronum magnum, vſque in finem d. cap. 20.*

DE IM-

DE IMPIETATE SECTAE SARACENICÆ, prophetia huius viſionis prima. TABVLA 252.

- ET VENIT vnus de 7. angelis, qui habebant 7. phialas, & locutus eſt cũ Ioanne, &
  - Oſtendit ei damnationẽ meretricis magnæ, (quæ eſt corpus omniũ perditorum, ſiue reproborum collectio)
    - Quæ ſedet ſuper aquas multas, (id eſt, ſuper multos regnat populos)
    - Cum qua fornicati ſunt reges terræ, (homines terreni.)
    - Et inebriati ſunt, qui inhabitabant terram, de vino proſtitutionis eius.
  - Abſtulit eũ in ſpiritu ĩ deſertũ. Et vidit Ioãnes mulierẽ, (videlicet p̃faſtã meretricẽ)
    - Sedẽtem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ (id eſt, diabolum cui inſident omnes reprobi.)
    - Habentem
      - Capita ſeptem, (per quæ intelliguntur omnes reges impij, ab initio eccleſiæ vſque in finem exiſtentes.)
      - Cornua decem (i. ſeptẽ regna, quæ cõtra diuinã dimicârunt eccleſiam, vt
        - Aegyptiorum,
        - Iſraelitarũ carnaliũ,
        - Babyloniorum,
        - Perſarũ ac medorũ,
        - Macedonum,
        - Romanorum,
        - Antichriſti.
        - Sed quia Macedonum regnũ poſt interitũ Alexandri Magni diuiſum eſt in 4. regna, ideò 10. dicuntur cornua.)
    - Circundatam
      - Purpura & Coccino.
      - Hoc eſt, cruentam ſiue plenam ſanguine.)
    - Inauratã
      - Auro, & Lapide precioſo, & Margaritis,
      - (i. fucatam ornamẽtis veræ eccleſiæ.)
    - Tenentem in
      - Manu ſua poculũ aureũ plenũ
        - Abominatione, & Immũditia fornicationis ſuæ.
        - Qui ſunt fructus reproborum.
      - Fronte nomen eius ſcriptum
        - Myſterium, Babylon magna.
        - Mater
          - Fornicationum &
          - Abominationum terræ.
    - Ebriam de ſanguine
      - Sanctorum Martyrũ Ieſu,
      - Et miratus eſt Ioannes, cùm videret illam, admiratione magna. à princip. cap. 17. vſque ad verſ. Et dixit mihi angelus.
  - Et aperuit ei ſacramentũ
    - Mulieris, & Beſtiæ, quæ portat eam
    - à d. verſ. Et dixit mihi. vſque in fin. cap. 17.

EVEN-

EVENTVS.

Haec de impia Saracenorum ſecta creduntur eſſe prædicta, quæ (vt Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria) in duas diſſecta eſt partes. Saracenorum enim alios Perſidem, alios verò Aegyptum inhabitâſſe legimus. vtrique ſuum habuerunt Sulthanum. Damnata ergò meretrix, ſecta eſt Mahumetica, in qua fornicati ſunt reges terrę, & inebriati ſunt vino proſtitutiõis eius, dum relicto vero Dei cultu, prophanos ſectantur cultus. Per mulierem autem, Perſarũ: & per beſtiam, Aegyptiorum intelligitur Sulthanus: tum quòd hic illo ignobilior, tum quòd ille hunc per multos annos ex ſuis eiecerit ſedibus. Cætera huius viſionis myſteria partìm ab ipſo notantur Ioanne, partìm hîc à ſacris ediſſeruntur ſcriptoribus.

DE DIVINA EIVS IMPIETATIS VINDICTA,

quintæ viſionis prophetia ſecunda. TABVLA 253.

ET POST *hæc vidi alium angelum*
- *Deſcendentem de cælo,*
- *Habentem poteſtatem magnam,*
  - (both:) *Et terra illuminata eſt à gloria eius.*
- *Exclamantem in fortitudine, & dicentem:*
  - *Cecidit cecidit Babylon magna,*
  - *Et facta eſt habitatio dæmoniorum.*
  - *Et cuſtodia omnis*
    - *Spiritûs immundi,*
    - *Volucris immundæ & odibilis.*
      - (both:) *Quia*
        - *De vino iræ fornicationis eius biberũt oẽs gentes, (i. idola coluerũt)*
        - *Reges terræ cum illa fornicati ſunt, &*
        - *Mercatores de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt. à princip. cap. 18. vſque ad verſ. Et audiui aliam vocem.*

EVENTVS.

Anno Domini M. XCVI. à ſummo pontifice contra Saracenos cum ingenti Chriſtianorum exercitu miſſus fuit in Hieruſalem Adamarus epiſcopus Podieſ. cuius opera & conſilio crebrò debellati fuerunt. Ex quo bello & Hieruſalem & Antiochia, atque adeò pleraque in Syria Chriſtianorum poteſtati ſubiecta ſunt, atque ſic Babylon magna, hoc eſt, prophana illic cecidit ſecta Mahumetica.

DE VINDICTAE ILLIVS CAVSIS, PROPHEtia quintæ viſionis tertia. TABVLA 254.

ET AVdiui aliam vocem de cælo, dicentem:

- *Exite de illa populus meus,*
  - *Nè participes ſitis delictorũ eius,*
  - *Et de plagis eius non accipiatis:*
    - *Quoniam*
      - *Peruenerunt peccata eius vſq; ad cælum.*
      - *Et recordatus eſt Dominus iniquitatum eius.*
- *Reddite illi, ſicut*
  - *Et ipſa reddidit vobis.*
  - *Et duplicate duplicia,(id eſt, pœnas tam de anima, quàm de corpore ſumite) ſecundùm opera eius.*
- *In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum.*
- *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tãtum date illi tormẽtũ & luctum: Quia in corde ſuo dicit,*
  - *Sedeo Regina, & Vidua non ſum, Et luctum non videbo.*
    - *Et ideò vna die venient plagæ eius,*
      - *Mors, & Luctus, & Fames. Et igne comburetur:*
        - *Quia fortis eſt Deus qui iudicabit illã. d. verſ. Et audiui aliam vocẽ de cælo &c. eod. cap. 18.*

EVENTVS.

TRES enumerat hîc D. Ioannes cauſas, propter quas puniti fuerunt Saraceni, ac etiamnùm omnes plerunquè puniuntur impij, videlicet Homicidium & malitiam, in verb. Reddite illi ſicut & ipſa: Luxuriam, ibì: Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, &c. Et ſuperbiam, dum ait: Sedeo regina, & vidua non ſum, &c.

DE TRISTITIA MALORVM, SIVE DE POENIS damnatorum, prophetia quintæ viſionis quarta TABVLA 255.

ET FLEbunt & plangent ſuper illam

- *Reges terræ, qui cum illa*
  - *Fornicati ſunt, &*
  - *In delicijs vixerũt,*
    - *Dicentes:*
      - *Væ væ ciuitas illa magna Babylon,*
      - *Quoniam vna hora venit iudiciũ ſuum.*
- *Negociatores terræ, quoniam merces eorũ nemo emet ampliùs, merces*
  - *Auri,*
  - *Argenti,*
  - *Lapidis precioſi,*
  - *Margaritæ,*
  - *Byſſi,*
  - *Purpuræ,*
  - *Serici,*
  - *Cocci &c.*
    - *Mercatores horum à longè ſtabunt,*
      - *Flentes, &*
      - *Dicentes: Væ væ ciuitas illa magna.*
- *Et omnis gubernator, & omnes qui in lacum nauigant, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt & clamauerunt dicentes:*
  - *Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ?*
  - *Væ væ ciuitas illa magna.*
    - *verſic. Et flebunt, & plangent.*

EVEN-

EVENTVS.

Iſta calamitas à regibus, mercatoribus & omnibus nauigantibus, tum maximè viſa eſt, quandò Chriſtiani ſuper muros Hieruſalem ardentem proiecerunt picē, ac tandèm totam occupârunt ciuitatem. Nam vbi ex communi decreto præfatam ciuitatem nudis circumiuiſſent pedibus, octauo dehinc die, Idibus ſcilicet Iulij, quæ feria fuit ſexta, leguntur eandem in ſuā redegiſſe poteſtatē. Atq; hinc etiam myſtica interpretatione rectè colligitur, omnium ætatum mala, vltionem in extremo pati iudicio.

DE GAVDIIS BONORVM, SIVE DE præmijs beatorum & conſolatione ſanctorum, prophetia quintę viſionis quinta. TABVLA 256.

EXVLTA ſuper eam { *Cælum, & Sancti Apoſtoli, Et prophetæ.* } *Quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa, verſ. Exulta ſuper eam, cap. 18.*

EVENTVS.

Laetitiam hanc ex antedicta victoria ceperūt cælum, id eſt, totus piorū Chriſtianorum cœtus, S. apoſtoli, id eſt, epiſcopi apoſtolis ſuccedentes, & prophetæ, catholici videlicet concionatores.

DE CONFLICTV BABYLONIAE CVM Sulthano, prophetia quintæ viſionis ſexta. TABVLA 257.

ET SVSTVlit vnus angelus fortis lapidē quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicēs: {

Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.

Et vox { *Citharœdorū, Muſicorum, Tibia canentiū & tuba,* } *Non audietur in te ampliùs: &*

Omnis artifex omnis artis non inuenietur in te ampliùs: &

Molæ vox non audietur in te ampliùs: &

Lux lucernæ non lucebit in te ampliùs:

Et vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te. }

Quia {

Mercatores tui erant principes terræ:

In veneficijs tuis errauerunt omnes gentes.

Et in ea inuētus eſt ſanguis { *prophetarum, Sanctorum, & omniū qui interfecti ſunt in terra, verſ. Et ſuſtulit. vſque in finem capitis 18.* } }

EVENTVS.

Hvic prophetiæ aptari poteſt factum Godefridi regis Hieroſolymitanorū primi, qui bellica virtute Sulthanum Aegyptium cum ingenti exercitu ſuo eò adegit, vt ſe plurimi in mare præcipites mitterent, atque ſic perirent. Quo facto, Saraceni non muſico tantùm concentu deſtituti, ſed omni commercio humano, atque ipſa adeò vitæ huius luce priuati ſunt.

DE TRIVMPHO CHRISTIANORVM, SIVE de pace Eccleſiæ vniuerſali, Prophetia quintæ viſionis ſeptima.

TABVLA 258.

POST audiui quaſi vocem	*Tubarum multarum in cælo, dicentem: Alleluia, Quia vera & iuſta ſunt iudicia eius &c.*
	Seniorum 24. & quatuor animalium, quæ adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, & dixerunt: Amen, Alleluia.
	De throno exeuntem & dicẽtem: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum puſilli & magni. à princip. cap. 19. vſque ad ver. Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ.

EVENTVS.

SIMILI gaudio perfuſi ſunt ex victoria ſupradicta 24. ſeniores, id eſt, vniuerſi Chriſtiani orbis epiſcopi, & 4. animalia, ſanctiſſimi putà quatuor patriarchę, atq; adeò vniuerſa Chriſti eccleſia, communi congratulatione Deo noſtro Alleluia, hoc eſt, laudem dixit & gloriam, & gratiarum actionem.

DE CONGRATVLATIONE EORVM Chriſtianorum, qui tum remanſerant in Syria, Prophetia quintæ viſionis octaua.

TABVLA 259.

ET AVdiui quaſi vocem	*Tubæ magnæ, &*	Dicẽtiũ:	*Alleluia: Quoniã regnauit Dominus Deus noſter omnipotens.*	Quia	*Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.*
	Sicut vocẽ aquarum multarum,		*Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei:*		*Et datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplẽdenti, et candido. Byſſinũ enim ſunt iuſtificationes ſanctorũ. ver. & audiui quaſi. eod. cap. 19.*
	Et ſicut vocẽ tonitruorum magnorum,				

EVENTVS.

CATHOLICORVM ſacræ ſcripturæ interpretum aliqui, hæc ad eam referunt lętitiam, quam ex ſupradictis triumphis etiam reliqui conceperant Chriſtiani, qui tum in Syria optatum expectabant belli Turcici euentũ, qui & ipſi adclamabant, Gaudeamus, q̃a venerunt nuptiæ agni, Domini ſcilicet Ieſu Chriſti: & vxor eius, id eſt, Chriſtianorum exercitus ibì exiſtens, præparauit ſe. Occurrunt autem in hac prophetia duo, quæ memoria videntur admodùm digna: vnum, quòd exercitus ille non potuerit ſaluari abſque propria operũ iuſtificatione, vel ſine proprijs viuæ fidei operibus: Alterum, in ſacris ſcripturis verba non in propria ſemper ſignificatione accipienda, ſed licere etiam myſticam ex eis colligere ſignificationem: ità vt Ioãnem hoc loco byſſinum, & alibì cælũ, tubam, tonitruum, equũ, beſtiam & ſimilia, accepiſſe videmus.

Ad ſalutem etiã propria fidei opera eſſe neceſſaria.

DE IPSIVS

DE IPSIVS IOANNIS APOSTOLI CONgratulatione, Prophetia quintæ viſionis nona. TABVLA 260.

ET
- *Ioanni (Angelus) dixit:*
  - *Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.*
  - *Hæc verba Dei vera ſunt.*
- *Cecidit Ioannes ante pedes eius, vt adoraret eum.*
- *Iterum dixit angelus ei: Vide nè feceris. conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Teſtimonium enim Ieſu, eſt ſpiritus prophetiæ, verſ. Et dixit mihi ſcribe &c. eod. cap. 19.*

EVENTVS.

PRAEVIDENS D. Ioannes eam liberationem, quæ populo Chriſtiano cōtigit circa annum Domini M.XC. præ nimia exultatione & reuerentia voluït angelum, velutì nuncij huius tam læti authorem, adorare. Quem honorem recuſauit angelus.

DE SECVNDI REGIS HIEROSOLYMITAni ſucceſſu, prophetia quintæ viſionis decima. TABVLA 261.

ET vidi
- *Cælum apertum,*
- *Equũ album: & qui ſedebat ſuper eum,*
  - *Vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.*
  - *Oculi autem eius ficut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Et*
  - *Veſtitus erat veſte adſperſa ſanguine: & vocabatur nomen eius, Verbum Dei. Et*
  - *Exercitus qui ſunt in cælo, ſequebãtur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo. Et*
  - *De ore eius ꝓcedit gladius ex vtraq; parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe*
    - *Reget eat in virga ferrea.*
    - *Calcat torcular vini furoris iræ Dei oĩpotẽtis.*
  - *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium. verſ. Et vidi cælum apertum. cap. 19.*

EVENTVS.

DE Chriſto tam hanc prophetiam, quàm pleraſque ſuperiores, intelligi & poſſe & debere, nemini dubium eſt. Magnam tamen ſimilitudinem cum hac videntur habere ea, quæ in imperio ſuo contigerunt Balduino ſecũdo Hieroſolymitanorum regi. Nam & in fide erga Deum conſtans, & in promiſſis præſtandis verus, in iudicando autem pariter & pugnando iuſtus erat. Oculi eius, pietatis zelo videbantur ignei, & in capite diademata, id eſt, victorias habuit multas. Veſtis eius Saracenorum ſanguine adſperſa, & nomen eius, propter prædicationem euãgelij, quam promouere ſolebat, cuiusque amore patrium reliquerat ſolum, nõ iniuria verbum vocabatur Dei. Quem exercitus cæli, hoc eſt, Hoſpitalariorũ, Templariorum, & Teutonicorum militum ſequebantur ordines in equis albis, id eſt, in iuſtitia & ſanctitate, & propter regni Hieroſolymitani ſua ætate florem, Rex poterat dici regum.

DE VATICINIO PATRIARCHAE HIEROSOLY-mitani, prophetia quintæ viſionis vndecima. TABVLA 262.

ET VIdi angelũ
- *Stantem in ſole, &*
- *Clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volant per medium cæli: Venite & cõgregamini ad cœnã magnam Dei, vt manducetis carnes*
  - *Regum,*
  - *Tribunorum*
  - *Fortium,*
  - *Equorum & ſedentium in ipſis,*
  - *Omnium liberorum, &*
  - *Seruorum, &*
  - *Puſillorum,*
  - *Et magnorum, verſic. Et vidi angelum ſtantem in ſole. cap. 19.*

EVENTVS.

SARACENOS perhibent à dæmone tale accepiſſe reſponſum, fore vt breui caperent ciuitatem Hieruſalem, ibiq́ue ſepulcrum deſtruerent Domini, & quod dictu horrendum, crucem Chriſti in proximo demergerent mari. Contra hoc patriarcha Hieroſolymitanus, Chriſtianos tali animauit oraculo, ipſos futuros victores, atque tantam facturos Saracenorum ſtragem, vt aues cæli de carnibus & ſanguine Regum, Tribunorum, equorum, &c. facilè queãt ſaturari. Et hoc eſt quod Ioannes dicit ſe vidiſſe angelum, ſcilicet patriarcham, ſtantem in ſole intelligẽtiæ ac authoritatis eccleſiaſticæ, & clamantem auibus.

DE ALIA REGIS BALDVINI VICTORIA CONtra Turcam, Prophetia quintæ viſionis duodecima. TABVLA 263.

ET
- *Vidi*
  - *Beſtiam,*
  - *Reges terræ, &*
  - *Exercitus eorum congregatos,*
  - *Ad faciendum prælium cũ illo qui*
    - *Sedebat in equo,*
    - *Et cum exercitu eius.*
- *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta: qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos. Qui*
  - *Acceperunt characterem beſtiæ,*
  - *Et qui adorauerunt imaginem eius.*

Atq;
- *Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure:*
- *Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equũ, qui procedit de ore ipſius, & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorũ. verſ. Et vidi beſtiã. vſque in fin. cap. 19.*

EVEN.

EVENTVS.

Poſteaqvàm rex Balduinus victoria potitus fuiſſet inſigni, cęſis multis hoſtiũ millibus, fortuna tandèm inuerſa, à Saracenis p̃uentus capitur, ex qua hoſtes nominis Chriſtiani inſolentiores facti, exercitum ad LX. millia angent militũ, quo Chriſtianos omnes à ſuis profligarent finibus. Ipſi verò Chriſtiani, quorum vix tria erant millia, in ſumma anguſtia conſtituti, publicum omnibus indicunt ieiunium, adeò vt Niniuitarum exemplo etiam iumentis negata ſint pabula, vt Chriſti eo faciliùs pro ſe impetrent auxilium: quo facto, alijs ſignũ crucis, alijs lanceã Domini, alij alia Chriſti arma pręferẽtibus, hoſtibus à quibus circundati fuerãt, progrediuntur in faciem, pro vita & religione dimicaturi. Vbì hoſtes, fulgore ſuper eos cælitùs coruſcante, mox in fugam ſunt conuerſi, & non ſolùm à viris, ſed fœminis etiam & pueris cęſi ſunt atque profligati, ità vt eo bello ſeptẽ millia Saracenorũ perirent gladio, quinq; verò millia in aquis fuerint ſubmerſi. At Chriſtiani non ſolùm euaſerunt incolumes, ſed etiam non diù pòſt Tyrum vrbem celeberrimam reliquis adiecerunt pręđis. Et hoc eſt quod præuidit Ioannes beſtiã, id eſt, Regem barbarorum hominum, & ei ſubiectos, congregatos ad faciendum pręlium cum eo, qui ſedebat in equo albo, cum rege ſcilicet Hieroſolymitano, ſicut dictũ eſt, capto atq; circundato. Compręhenſa etiã beſtia illa cum Propheta, qui ex diaboli ſuggeſtione pręđixerat ciuitatẽ Hieruſalem à Saracenis ſubuertendam, miſſi ſunt in ſtagnũ ignis ardentis, ità vt anima & corpore ſimul fuerint occiſi.

DE CONCORDIA INTER REGNVM ET SACERdotium, ſub Calixto Pontifice & Heinrico V. Imperatore, Prophetia quintæ viſionis decimatertia. TABVLA 264.

ET VIDI *angelum*
- *Deſcendentem de cælo,*
- *Habentem clauem abyſſi, &*
- *Catenam magnam in manu ſua.*
- *Et apprehendit Draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, &*
  - *Ligauit eum per annos mille.*
  - *Miſit eũ in abyſſum,*
  - *Clauſit & ſignauit ſuper illum,*

Vt
- *Non ſeducat ampliùs gentes,*
  - *Et poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore. à princip. cap. 20. vſque ad verſ. Et vidi ſedes.*
- *Donèc conſummentur mille anni.*

EVENTVS.

Fvit olìm cõtrouerſia inter ſummos Pontifices, Gregorium ſcilicet, qui dictus eſt Hildebrãdus, eiuſq; ſucceſſores aliquot, Victorem, Vrbanũ atq; Paſchalẽ &c. & Imperatores aliquos per id temporis Romanos, de iure & modo conferendi dignitates Eccleſiaſticas: Quas imperatores pro conſuetudine ſua, per virgam & annulum, ſummi verò Pontifices per liberam electionẽ conferri debere volebãt. Tandèm circa annũ Domini M.C.XXII. Heinricus Romanorũ Imperator quintus, vltrò venit Romã, ibiq; huic cõtrouerſię his renũciat verbis: Ego Heinricus Dei gratia Roman. Imperator Auguſt pro amore Dei & S. Rom. Eccleſię & D. Papæ Calliſti, & pro remedio animę meę, Deo & ſanctis eius apoſtolis Petro & Paulo, & Dño Papę Calliſto, ſanctęq; Romanę eccleſię dimitto oẽm inueſtiturã per annulũ & baculũ, & cõcedo in omnibus eccleſijs fieri liberã electionẽ & conſecrationem. Hanc concordiã pręuidit hîc Ioannes ſub imagine angeli, Calliſti ſcilicet Papæ, qui habuit clauem abyſſi, id eſt, poteſtatẽ abſoluendi & catenã magnam, ſiue multitudinem pręlatorum & epiſcoporum, appręhenditq;, ligauit, & clauſit per cenſuram eccleſiaſticam antiquum aduerſarium, nimirùm perſecutores eccleſię Catholicę, nè ampliùs in Catholicum graſſarentur clerum, donèc compleatur tempus pacis longioris.

Renunciatio Imperatoris Heinrici Quinti.

DE PACE ILLA IMPERII ET SACERDOTII firmata, Prophetia Quintę viſionis xiiij. TABVLA 265.

ET VIDI *ſedes, &* { *Sederunt ſuper eas, &* / *Iudicium datum eſt illis.* } *ver. Et vidi ſedes &c. eodem cap. 20.*

EVENTVS.

Pax illa inter Regnum & Sacerdotiũ facta, tempore Lotharij, qui præfato ſucceſſit Heinrico, & Innocentij Papæ, anno ſcilicet M.C.XXXIII. publicè firmata eſt, pulſo ab Imperatore Petro Leonis Antipapa, & à Pontifice Innocētio coronato Imperatore, cuius ope fuit reſtitutus.

DE ALIA GRAVISSIMA PERSECVTIONE Saladini contra Chriſtianos, Prophetia Quintæ viſionis xv. TABVLA 266.

ET ANIMAS *(vidit Ioannes) decollatorum propter* { *Teſtimonium IESV,* / *&* / *Verbum DEI.* } *ver. Et animas, d. cap. 20.*

EVENTVS.

Animas decollatorum intelligunt quidam hoc loco corpora Chriſtianorum, ex eo bello, quod terræ ſanctę circa annum Domini M.C.LXXXVI. intulit Saladinus, trucidatorum. Quo & Hieruſalem cum plerisque alijs ciuitatibus Saladino ſubiecta, & Chriſtiani capti omnes, cæſi ſunt cum tanta Chriſtiani ſanguinis effuſione, quanta illis in locis vix anteà vnquàm fuerat comperta.

DE SINGVLARI PRAEDICTAE DESOLAtionis reſtitutione, Prophetia Quintæ viſionis decimaſexta. TABVLA 267.

ET (EOrum vidit animas) *Qui* { *Non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius:* / *Nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus ſuis.* } *Et* { *Vixerunt, & Regnauerunt cum Chriſto mille annis.* } *d. verſ. Et vidi ſedes, cap. 20.*

EVEN-

EVENTVS.

Circa annum Domini M.CCXVII. in auxilium Chriſtianorum confluunt tum temporis aliquot Reges, & nō pauci Principes, Comites, & Barones: qui omnes cruce ſignati ſunt, & Deo fauente recuperant bona Chriſtianis ablata. Quo bello multa millia Saracenorum partìm fame, partim gladio perijſſe dicuntur. Atq; hoc eſt, quòd Ioannes dicit ſe vidiſſe eos, qui non adorauerunt beſtiam, Regem ſcilicet Aegypti, nec imaginem eius, videlicet Mahumetum: nec acceperūt characterem eius, circuncisionem aut cętera Saracenorum execramenta, & regnum Chriſtianum ad tempus vſq; tenent Antichriſti, quod temporis ſpatium per mille deſignatur annos.

DE ALIO QVODAM INTER PONTIFICEM & Imperatorem Romanum diſſidio, Prophetia quintæ viſionis Decimaſeptima. TABVLA 268.

CAETERI *mortuorum* { *Non vixerunt,* / *Donèc conſummentur mille anni* } *verſ. Cæteri mortuorum &c. cap. 20.*

EVENTVS.

Illam innuere videtur imperij vacationem, quę ſub Friderico Imperatore facta eſt ſecundo per eccleſię cēſuram atq; ſententiā. Anno enim M. CC.XXXIX. ortum eſt inter ſummum Pontificem & Imperatorem diſſidium: quo durante, à Friderico ſecundo Imperatore duo Cardinales cum multis alijs pręlatis ad Concilium à Pontifice indictum proficiſcentes, Piſis capti fuerunt. Tandèm Fridericus cùm emendare ſe nollet, in Lugdunenſi Concilio per Innocentium Papā ab Imperio depoſitus eſt. Intrà quod tempus multi ſpiritualiter mortui, id eſt ſchiſmatici facti ſunt, nec vixerunt donèc conſummarentur mille anni, numero definito pro indefinito poſito.

DE RESVRRECTIONE PRIMA, PROphetia quintæ viſionis xviij. TABVLA 269.

HAEC EST RESVR. *rectio prima. Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima: in his* { *Secunda mors non habet poteſtatem.* / *Sed* { *Erunt Sacerdotes* { *Dei &* / *Chriſti.* } / *Et regnabunt cum illo mille annis.* } } *ver. Hec eſt reſurrectio prima. cap. 20.*

EVEN.

EVENTVS.

RESVRRECTIO prima, hoc loco dicitur ſpiritualis illa, quæ fit, cùm quis à morte animæ, quam illi peccata adferunt, redit ad vitam gratię: & qui priùs erat vitijs deditus, deindè virtutibus nauat operam. Sicutì ſecunda carnis, ad gloriam dicitur excitatio. Hęc prima reſurrectio tempore Diuorum Franciſci & Dominici mundo inſigniter contigiſſe videtur, quandò tum per illos, tum per vtriuſque ſectatores, quaſi totus mundus innouatus eſt & illuſtratus.

DE ANTICHRISTI PERSECVTIONE, PROphetia quintæ viſionis XIX. TABVLA 270.

ET
- *Cùm conſummati fuerint mille anni,*
  - *Soluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit: &*
  - *Seducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ,*
    - *Gog*
    - *&*
    - *Magog.*
  - *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.*
- *Aſſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumiêrunt*
  - *Caſtra Sanctorum, &*
  - *Ciuitatem dilectam.*
- *Deſcendit ignis de cælo, &*
  - *Deuorauit eos.*
  - *Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in*
    - *Stagnum*
      - *Ignis &*
      - *Sulphuris.*
    - *Vbi &*
      - *Beſtia, &*
      - *Pſeudopropheta.*
      - *cruciabuntur*
        - *Die ac*
        - *Nocte*
        - *ver. Et cùm conſummati fuerint, cap. 20.*

EVENTVS.

Gog & Magog. PER Gog & Magog, gentem intelligunt aliqui Tartarorum, quos vltra montes Caſpios incluſit Alexander. Hi enim finibus ſuis egreſſi, vaſtauerunt Georgiam, Armeniam maiorem, Turquiam, & potentiſſimã ciuitatem Baldac. Pòſt Iconiũ, Alapiam & Damaſcum inuaſerunt. Irruerũt etiam in Hungariam, Poloniã, Ruſſiam, ac tandèm ad fines vſque peruenerunt Germaniæ. Nec deſunt, qui ex huius gentis inſatiabili Monarchiæ obtinendę cupiditate colligant, per eam Antichriſtum fore introducendum: Quò etiam D. Ioannem hoc loco reſpexiſſe putant. Auguſtinus verò dicit, Gentes Gog & Magog nõ vnum ſignificare populum, ſed totum Diaboli & hominum impiorum corpus. Vndè Apoſtolus Ioãnes dicit eos eſſe ſuper quatuor angulos terræ, eorumque numerum eſſe ſicut arenam maris. Et hi omnes Antichriſti tempore circumibunt caſtra ſanctorum, & dilectam perſequentur ciuitatem, Eccleſiam ſcilicet ſanctam toto orbe diffuſam: Sed tandèm cum capite ſuo Antichriſto in ſtagnum mittentur ignis & ſulphuris, vbì cruciabuntur die ac nocte.

DE DIE IVDICII EXTREMI, PROPHEtia quintæ viſionis XX. & vltima. TABVLA 271.

ET vidi
- *Thronum magnum candidum: &*
- *Sedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit*
  - *Terra, &*
  - *Cælum.*
  - *Et locus non eſt inuentus eis.*
- *mortuos*
  - *Magnos & Puſillos,*
  - *Stantes in cõſpectu throni, &*
    - *Libri aperti ſunt,*
    - *Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.*
  - *Et*
    - *Iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecũdum opera ipſorum.*
    - *Dederunt mortuos ſuos, q in eis erant,*
      - *Mare,*
      - *Mors,*
      - *Infernus.*
      - *Et iudicatũ eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum.*
- *Et*
  - *Infernus & Mors*
  - *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis: &*
    - *Hæc eſt mors ſecunda.*
    - *Qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. verſ. Et vidi thronum magnum. vſque in fin. cap. 20.*

EVENTVS.

HAEC EST *forma iudicij extremi: cuius D. Ioãnes hoc loco deſcribit*
- *Iudicem, ſententiam ferentem. in verbo, Sedentem ſuper eum.*
- *Cœtum populi, iudicium ſiue ſententiam expectantem. In verbo, Et vidi mortuos.*
- *Accuſatorem, propriam ſcilicet cuiuſque conſcientiam. In verbo, Et libri aperti ſunt.*
- *Teſtes, Sacram videlicet ſcripturam. ibi, Et alius liber apertus eſt.*
- *Sententiam definitiuam concludentem & confirmatam ex libro*
  - *Conſcientiæ cuiuslibet priuatæ*
  - *&*
  - *Præſcientiæ diuinæ.*

VISIO SEXTA, DE SEXTO ET VLTIMO ECCLESIAE STAtu poſt iudicium futuro, ſiue de Sabbatho & gloria electorum.

TABVLA 272.

HACTEnus D. Ioannes de militante, hîc nũc de triumphante agit eccleſia: in

- GENEre deſcribit
  - Innouationem & cõſummationem
    - Elementorum, cap. 21. in principio. Et vidi cælum nouum &c.
    - Hominum electorum, verſic. Et audiui vocem magnam de throno. eod.
    - Vniuerſorum, verſicul. Et dixit qui ſedebat in throno. eodem.
  - Diſtributionem præmiorum, pro cuiuſque merito. ver. Ego ſitienti dabo &c. eodem.
- SPECIE commendat eam à
  - Situ, ver. Et ſuſtulit me in ſpiritu &c. eod.
  - Ornatu & pulcbritudine, in verb. Habentem claritatem Dei. eod.
  - Aditu & ingreſſu, ver. Et habebat murum &c. eod.
  - Fundamenti robore, ver. Et murus ciuitatis. eod.
  - Ambitu, ver. Et qui loquebatur mecum, &c. eod.
  - Materiæ nobilitate & præſtantia, ver. Ipſa verò ciuitas aurum. eod.
  - Aedificiorum forma, in verb. Et platea ciuitatis aurum. &c. eod.
  - Directore, qui claritas eſt Dei, ver. Et ciuitas non eget ſole &c. eod.
  - Legibus & moribus, ver. Et portæ eius non claudentur, &c. vſque in fin. cap. 22.
  - Victûs ratione, quæ conſiſtit in
    - Potu ſpirituali, cap. 22. in printip.
    - Cibo cæleſti, ver. In medio plateæ &c. eod.
  - Actione & exercitio eam inhabitantium, ver. Sed ſedes Dei & agni. dict. cap. 22.

EPILOGVS. TABVLA 273.

IN EPILOgo D. Ioannes oſtendit libri huius

- Authoritatem) ver. Hæc verba fideliſſima ſunt, dict. cap. 22.
- Perſpicuitatem in quibuſdam in eo contentis. ver. Et dixit mihi &c. eod.
- Dignitatem, ver. Ego ſum Alpha & ω, &c. eod.
- Vtilitatem, ver. Beati qui lauant ſtolas ſuas &c. eod.
- Amabilitatem, vtpotè miſſi ab amantiſſimo IESV. ver. Ego IESVS miſi angelum meum. &c. eodem.
- Summam, quippe qui ſit totius ſcripturæ diuinæ coronis quædam & complementum. verſ. Conteſtor enim omni audienti &c. vſque in finem totius libri Apocalypſeos.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS, AMEN.

PAR-

PARTITIONVM THEOLOGICARVM LIBER QVINTVS,

CONTINENS

SVMMAM DOCTRINAE CHRISTIANAE DE PRAECIPVIS CATHOLICAE RELIGIONIS ARTICVLIS.

ESAIAE X. ET ROM. IX.

VERBVM AVTEM CONSVMMANS ET ABBREuians, *quia verbum breuiatum faciet Dominus.*

B. HIERON. SVPER ESAIAM
lib. 4. cap. 10.

ABBREVIATVS AVTEM ATQVE PERFECTVS SERMO *Euangelicus eſt, qui pro cunctis lacinioſæ legis cæremonijs, dedit præceptum breuiſſimum dilectionis & fidei: vt quod nobis fieri noluerimus, nè fecerimus alteri. Vndè & Dominus in Euangelio: In his, inquit, duobus mandatis pendet omnis lex & Prophetæ.*

AVGVSTINVS:

SVMMA RELIGIONIS EST, IMITARI QVOD COLIMVS.

PARTITIO LIBRI QVINTI.

TABVLA I.

SACRAE *ſcripturæ largiùs acceptæ ſumma alia eſt*
- LIBRORVM
  - *Singulorum, quam*
    - *Nos Anacephalæoſin, ſiue recapitulationẽ quãdam totius Oeconomiæ Bibliorum appellare poſſumus.*
    - *D. Athanaſius Synopſin diuinæ nũcupauit ſcripturæ.*
  - *Vniuerſi omnium, q̃ pars varias cõtinet ſententias*
    - *Cũ ſcripturæ ipſi⁹ diuinæ,*
    - *Tum Patrũ ſanctorum.*
    - *quibus oſtẽditur, nẽbliorũ*
      - *Quæ vis ſit atq; ſumma, quã verbũ dicim⁹ abbreuiatum.*
      - *Quis finis ſiue ſcopus, ad quẽ illa quæ in ſacris cõtinentur Biblijs, oĩa ſunt referenda.*
- ARGVMENTI *ſiue materiæ, ac rerum in libris Biblicis compræhenſarum: Quarum tractatio eſt Partim*
  - *Eccleſiaſtica, De vſu & applicatione ſcripturarum ad*
    - *Singulas totius anni partes,*
    - *Vel potiùs vniuerſum vitæ humanæ ſtatum.*
  - *Scholaſtica, quæ cõplectitur*
    - *Rectam Chriſtiani hominis inſtitutionem,*
    - *Veræ Eccleſiæ Catholicæ dogmata de præcipuis religionis Chriſtianæ articulis.*

ANACEPHALAEOSIS TOTIVS OECONOMIÆ *Biblicæ, continens*

SYNOPSIN LIBRORVM VTRIVSQVE TESTAmenti.

TABVLA 2.

VNI-*uerſa Sacrorum Bibliorũ ſcriptura diſtinguitur in duo Teſtamẽta:*
- *Vetus ſiue primum (quod Hieron. vocauit elementa mundi, quibus penẽ diſcimus) nihil ferè eſt aliud, q̃ prophetia noui Teſtamenti. Auguſt. contra Fauſtum Manic. lib. 15. cap. 2. ideò ſic dictum, vel*
  - *Quòd temporalium rerum promiſſiones contineat. Idẽ contra Fauſtum Manic. li. 4. c. 2.*
  - *Quia per nouum aboleatur. Idem in Pſalm. 104.*
- *Nouum ſiue ſecundum, iuxta Auguſtin. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 54. quod eſt perfectio veteris Teſtamenti, ſic dictum, quòd æternæ vitæ contineat promiſſionem. Auguſt. dicto loco contra Fauſtum Manich. lib. 4. cap. 2.*
- *In quibus agitur de*
  - *Lege veteri, ſiue de ſtatu populi Dei.*
  - *Legis perfectiõe, ſiue de Eccleſia Chriſtiana.*
- *Vtrunq; inducit homines ad obſeruantiam Legis, & quidem*
  - *Prius veteris,*
  - *Poſterius Nouæ,*
  - *Per*
    - *Timorem pœnarum,*
    - *Amorem.*

DE PARTIBVS LIBRORVM VETERIS Teſtamenti. TABVLA 3.

IN LIBRIS *veteris Teſtamenti populus DEI, ſiue Reſp. Iudæorum inſtruitur*

- LEGIBVS *& iudicijs, ex ore Dei prolatis, qualia ſunt in Pentateucho, hoc eſt, in quinque libris Moiſis.*
- EXEMPLIS *virtutum & vitiorum, in libris hiſtoriæ ſacræ comprehenſis.*
- FORMA *ſeu ritu quodam, Deum rectè laudandi, de quo in Dauidicis agitur Pſalmis.*
- DOCTRINA, *hoc eſt, Præceptis Philoſophiæ cæleſtis, ſiue recta in Eccleſia Dei conuerſandi ſcientia, in quem vſum quinque illi ſapientiales ſcripti ſunt libri.*
- REVELATIONIBVS *diuinis de venturo Meſsia, quibus populus peccator ad ſalutarem admonetur pœnitentiam, partim comminatione pœnarũ, partim verò promiſsione beneficiorum, vt fit in libris Prophetarum.*
- CONSOLATIONIBVS *afflictorum, atque ſic præparatione quadam ad crucem, quæ in duobus exprimitur libris Machabæorum.*

DE LEGIBVS ET IVDICIIS DIVINIS, quæ in quinque libris continentur Moiſis TABVLA 4.

SVMma Pẽtateuchi expẽditur bifariàm:

- *Generatim in quinq. libris Moiſis agitur de conditiõe ſeu qualitate*
  - *Domini, Miniſtri, Corporis, Populi, Epilogi,*
  - *Legẽ*
    - *Statuentis, Proponẽtis, Continentis, Recipientis, Explicãtis,*
    - *Vt in Geneſi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronom.*
- *Speciatìm complectitur*
  - *Seriem rerum in veteri Eccleſia Dei geſtarum tẽpore Patriarcharum: Hoc eſt, directionem populi per miniſterium*
    - *Adæ, Noæ, Abrahã, Iſaac, Iacob, Ioſeph.*
    - *Vt in Geneſi.*
  - *Acta populi Iſraelitici, ab egreſſu ex Aegypto in deſertum, vſque ad ingreſſum terræ promiſſæ, & hoc in reliquis quatuor lib.*
    - *Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio.*

GENESIS, SEV DE CREATIONE cæli & terræ. TABVLA 5.

GENESIS, *vt ait Chryſoſtomus, eſt liber cæli & terræ: in quo agitur de*

- *Mundi ac generis humani, rerumq́ creatarum omnium exordio, cap. 1. 2. 3. 4. & 5.*
- *Diluuio & Arca Noæ, cap. 6. 7. 8. & 9.*
- *Diuiſione terræ, cap. 10. & 11.*
- *Confuſione linguarum, cap. 11.*
- *Deſcriptione gentium, ſiue electione populi Dei, & deſcenſu eiuſdem populi in Aegyptum, à cap. 12. vſque ad finem Geneſis.* Hieron. *in epiſto. ad Paulinum.*

Et habet cap. 50.

EXODVS, ID EST, DE EXITV FILIOrum Iſraël de Aegypto. TABVLA 6.

HIC LIBER *ideò ſic dictus eſt, quòd earum præcipuè rerum contineat hiſtoriam, quæ in exitu contigerunt filiorū Iſrael de Aegypto, eſtq́ inter reliquos Pentateuchi libros ferè præcipuus, in quo agitur de*

- *Vocatione Moiſis, & præſeruatione eius miraculoſa, à cap. 1. vſque ad cap. 7.*
- *Decem plagis, à cap. 7. vſque ad cap. 12.*
- *Corporali exitu filiorum Iſrael de terra Aegypti, ca. 12.*
- *Liberatione populi Dei ab Aegyptiaca ſeruitute Per*
  - *Tranſitum maris rubri,*
  - *Submerſionem Pharaonis cum omni ſuo exercitu, à cap. 13. vſque ad c. 17.*
- *Pugna Iſraelitarum cum Amalech, cap. 17. & 18.*
- *Lege data in monte Sinai, hoc eſt, decem præceptis ac iudicijs, & inſtructione populi Dei, cap. 19. & 20.*
- *Myſticis diuinisq́ præceptis, id eſt, de arca fœderis Domini, & cōſtructione tabernaculi, ac altaris, deq́ Sacerdotum*
  - *Veſtibus, &*
  - *Vnctiōe, à cap. 20. vſq́ in finem Exodi.*

Et habet cap. 40.

LEVITICVS, SIVE DE IIS, QVAE AD externum Dei cultum pertinent. TABVLA 7.

LEVITICVS QVI *totius Pentateuchi eſt quaſi vmbilicus, & in quo, vt Paulino D. ſcripſit Hierony. ſingula ſacrificia, immò ſingulæ penè ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leuiticus, ſpirant cæleſtia Sacramenta, agit*

- *Potiſſimum de cæremonijs & legibus*
  - *Sacrificij & offerendorum, à principio Leuitici ad cap. 8.*
  - *Sacerdotij & conſecrandorum, à cap. 8. vſq́ ad cap. 12.*
  - *Edulij & cibariorum, quæ animalia ſint munda, & quæ immunda, cap. 12.*
  - *Purificationis immundorum, à cap. 12. vſq́ ad cap. 23.*
  - *Iubilei, phaſe, & ſolenniorum, à cap. 23. vſque ad cap. 27.*
  - *Votorū ac promiſſionū, à ca. 27. vſque in fi.*
- *Incidēter etiā de*
  - *præceptis*
    - *Moralibus à cap. 19. vſque ad cap. 21.*
    - *Iudicialibus, à cap. 21. vſque ad cap. 24.*
  - *Obſequijs præſtandis, & ibi de legibus*
    - *Tabernaculi,*
    - *Vtenſilium,*
    - *Indumentorum, à ca. 24. vſque in finē huius libri.*

Et habet cap. 27.

NVME-

NVMERI, SEV DE ORDINIBVS FILIorum Iſraël. TABVLA 8.

ORDINES *ſiue Numeri, in quos Deus Opt. Maximus populum Iſrael primùm diſtribui præcepit, ſunt octo, videlicet,*

- *Pugnantium, ſiue bellatorum, à principio vſque ad cap. 7.*
- *Oblatorum, ipſo cap. 7.*
- *Miniſtrorum*
  - *Leuitarum*
  - *Sacerdotum*
  - *Eorumq́; officia, à cap. 8. vſque ad cap. 13.*
- *Exploratorum, à cap. 13. vſque ad cap. 16.*
- *Peccatorum,*
  - *Core,*
  - *Dathan, &*
  - *Abiron.*
  - *à cap. 16. vſque ad cap. 26.*
- *Genitorum in deſerto, à cap. 26. vſque ad cap. 33.*
- *Manſionum in eremo, cap. 33.*
- *Præſidiorum, cap. 34. & indè vſque in fin.*

Et habet cap. 36.

DEVTERONOMIVM, HOC EST, EPITOme Legis Moſaicæ. TABVLA 9.

CONTINET *hic liber repetitionem ſiue ſummam & Epitomen*

- *Itineris & laborum ab Iſraelitis perpeſſorum, à principio vſque ad cap. 4.*
- *Fœderis & Præceptorum*
  - *Iudicialium,*
  - *Cæremonialium,*
  - *Moralium.*
  - *à cap. 4. vſq; ad cap. 27.*
- *Officiorum Eccleſiaſticorum, qualia in Deuteronomio per diſcurſum hincindè repetuntur plurima.*
- *Benedictionum ſiue promiſſionum diuinarum, quæ filijs mandatis Dei obtemperantibus paratæ ſunt.*
- *Maledictionum ſiue pœnarum, quæ in Legum Tranſgreſſores conſtitutæ ſunt.*
  - *à cap. 27. vſq; ad cap. 33. & Leuit. 26.*
- *Prædictionum, in qua parte Moiſes iam moriturus, benedicendo filijs Iſrael, quæ cuilibet Tribui euentura erant, breuiter expoſuit atque prophetauit cap. 33. Quibus peractis ipſe tandem Moiſes*
  - *Moritur,*
  - *Defletur ab Iſraelitis,*
  - *Sepelitur à Deo,*
  - *Subſtituitur ei Ioſue.*

Et habet cap. 34.

DE EXEMPLIS VIRTVTVM ET VITIOrum, ſecunda veteris Teſtamenti Parte,

SIVE DE

HISTORIA SACRA ET EIVS PARTIBVS.

TABVLA 10.

HISTORIAM *Sacram* D. *Auguſtinus in lib.* 2. DE DOCTRINA *Chriſtiana, cap.* 8. *facit duplicem:*

- *Continuam, id eſt, perpetua temporũ ſerie cohærẽtem, vt ſunt*
  - *Quinque libri Moiſis, de quibus hucuſquè dictum eſt.*
  - *Ieſus Naue,*
  - *Iudicum,*
  - *Ruth, qui tamen magìs ad* REGNORUM *principia videtur pertinere.*
  - REGNORUM *quatuor.*
  - *Paralipomenon duo.*
- DIſcretam, *ſeu promiſcuam, tanquam ex diuerſo ordine, quæ inter ſe nõ ità cõnectitur, quales ſunt libri*
  - *Eſdræ duo, qui tamen magìs ſubſequi videntur, ordinatam illam hiſtoriam vſque ad* REGNORũ *vel Paralipomenon terminatam:*
  - *Tobias,*
  - *Iudith,*
  - *Heſter,*
  - *Iob,*
  - *Machabæorum duo.*

DE HISTORIAE CONTINVAE SVBdiuiſione

TABVLA 11.

IN HAC *parte deſcribitur quadruplex Iudaicæ* REIP. *adminiſtratæ ratio. Deus enim populum Iſrael quatuor gubernauit modis, videlicet*

- *Per* DUces
  - MOIſen, *de cuius ducatu in ſecundo Pentateuchi actum eſt libro, videlicet in Exodo, &c.*
  - *Ioſue, cuius* DUCATUS *in eo depingitur libro, qui inſcribitur Ieſus Naue.*
- *Per*
  - *Iudices, vſque ad Saulem* REGEM,
  - REGES *à Saule vſque ad tranſmigratiõem Babylonis.*
  - *Põtifices, à reditu captiuitatis Babylonicæ, ad tempus propè Chriſti, quandò Ioannes Hyrcanus, qui deſcendit de Machabæis, primus impoſuit ſibi diadema regium. Lyranus in lib. Iudicum in princ. Porrò iam ante lib. 2. Iudicum, Regum & Pontificũ meminimus, quibus hoc loco Duces adduntur: vndè fit, vt ibì triplex, hîc quadruplex eius veteris populi gubernandi ratio tradatur: quod tamen parùm refert.*

QUI *tamen, Iudices ſcilicet,*

- *Non regebant per modum*
  - *Impij, aut*
  - *Alicuius dominij, quod ſibi Deus ipſe retinuerat;*
- *Sed per modum*
  - *Miniſterij,*
  - *Exhortationis, &*
  - *Conſilij.*

DE PRI-

DE PRIMA REIP. IVDAICAE ADMINISTRANDÆ ratione. TABVLA 12.

DE HAC *Reip. Iudaicæ ratione, partìm*
- *Actum eſt in Exodo, de ducatu Moiſis.*
- *Dicendum erit in libro Ioſue, in quo agitur de*
  - *Tranſitu Iordanis, à princip. vſque ad cap. 6.*
  - *Subuerſione regnorum hoſtilium & impiorũ, dict. cap. 6.*
  - *Introductione populi Dei in terram promiſſionis, à cap. 7. vſque ad cap. 13.*
  - *Diuiſione terræ ſanctæ, cap. 13. 14. &c.*
  - *Ducis* { *Ordinatione, & Obitu.* } *cap. 23. & 24.*
  - } *Et habet cap. 24.*

DE SECVNDA REIP. IVDAICAE FORMA, hoc eſt, de miniſterio Iudicum. TABVLA 13.

HABETVR *hæc forma in libro*
- *Iudicũ, in quo agitur de*
  - *Principibus & iudicibus ac defenſione populi Iſrael,*
  - *Victorijs & triumphis habitis contra hoſtes.*
  - } *Et habet cap. 21.*
- *Cui adiungitur liber Ruth, in quo agitur de huius fœminæ*
  - *Conuerſione ad Iudaiſmum, cap. 1.*
  - *Vita & moribus, cap. 2.*
  - *Occaſione futurarum nuptiarum, cap. 3.*
  - *Matrimonio contracto per ceſſionem propinquioris, inter Booz & Ruth, ex quibus poſteà deſcendit Chriſtus.*
  - } *Et habet cap. 4.*

DE REGVM IMPERIO, TERTIA REIPVB. Iudaicæ adminiſtratione.

TABVLA 14.

- HVIus Imperij capita præcipua
  - Deſcribũtur in libris Regum, qui cõmuniter diſtinguuntur in duo volumina:
    - Samuelis, de regno Iſrael vnito, ĩ quo duo continentur libri,
      - Regum primus,
      - Regum ſecũdus.
      - In quibus agitur de Regno Iſrael, ꝑ
        - Electionem, et ibide
          - Occaſionibus gubernationẽ Iudicum transferendi in arbitrium regum, à principio vſque ad cap. 9.
          - Regno
            - Saulis labili, à cap. 9. vſq. ad ca. 16.
            - Dauidis ſtabili, à c. 16. vſq. in fin. li. 1.
          - Et habet cap. 31.
        - Succeſſionem, ibiq́ de ſucceſſoribus
          - Saulis, ſcilicet
            - Dauide, cap. 1.
            - Iboſeth, c. 2. 3. & 4.
          - Dauidis, à cap. 5. vſque in finem libri ſecundi.
          - Et habet capit. 24.
    - Malachim de regno Iſrael diuiſo: quod diuiditur in duos libros,
      - Regum tertium,
      - Regum quartũ,
      - In quibus agitur de ſtatu regni Dauidici
        - Florentis ſub Imperio Salomonis: Et habet cap. 22.
        - Declinantis & cadentis, ſub Imperio Regum Iuda & Iſrael. Et habet cap. 25.
  - Repetuntur in duobus libris Paralipomenon, id eſt, prætermiſſorũ, qui ſunt ſupplemẽtum hiſtoriæ ſacræ, ſeu potiùs veteris inſtrumẽti toti⁹ Epitome, in quorũ
    - Primo repetuntur Dauidis
      - Genealogia, à principio vſq. ad cap. 10.
      - Electio, vnctio & gubernatio, à cap. 10. vſque ad cap. 14.
      - Virtutes & res geſtæ, à cap. 14. vſque in finem libri Paralipom. primi.
      - Et habet cap. 29.
    - Secundo fit recapitulatio de regno Salomonis
      - Integro & vnito, à principio vſque ad cap. 10.
      - Diuiſo, à cap. 10. vſq. in finem ſecundi.
      - Et habet cap. 36.

DE PON.

DE PONTIFICVM POTESTATE, QVARTA REIP. Iudaicæ forma, ſiue de gubernatione populi Iſraelitici miniſterio Pontificum. TABVLA 15.

CONTInetur hæc forma in quatuor libris Eſdræ. Quorũ ſunt alij

- *Certi & Authentici duo, & ab Hebræis in vnũ volumẽ cõtracti:*
  - *Primus, qui propriè dictur Eſdræ, in quo agitur de*
    - *Reductione populi Iſrael ex captiuitate Babylonica, ſub Ieſu filio Ioſedech, qui fuit ſacerdos magnus, à principio vſq; ad cap. 7.*
    - *Inſtructione populi reducti per Eſdram legis doctorem, d. cap. 7. & indè vſque in finem.*
    - *Et habet cap. 10.*
  - *Secundus Nehemiæ, in quo agitur de*
    - *Inſtauratione muri ciuitatis Hieruſalem, à princip. vſque ad cap. 13.*
    - *Correctione malorum intereà ſubortorum, dict. cap. 13.*
    - *Et habet cap. 13.*
- *Incerti & Apocryphi totidẽ,*
  - *Tertius, in quo*
    - *Repetuntur quædam alibì ſcripta circa captiuitatem Babylonicam tempore Ioſiæ:*
    - *Quædam etiam, quæ contigerunt ſub Zorobabel & Eſdra.*
    - *Interſeritur quoquè ſolutio cuiuſdam quæſtionis.*
    - *Et habet ca. 9.*
  - *Quartus in quo*
    - *Ponuntur quædam viſiones & ſolennia ſuper populi Iudæorum liberatione à captiuitate.*
    - *Et de reſtauratione tẽpli in Hieruſalẽ. De his duobus poſtremis libris vide ſuprà lib. 2 pag. 161.*
    - *Et habet capit. 16.*

DE HISTORIA BIBLIORVM DISCRETA & promiſcua. TABVLA 16.

QVAE ſparsim & ſine ordine certo in ſacris literis tradita eſt hiſtoria, ea continetur in libris

- *Tobiæ, in quo proponitur exemplũ crucis in matrimonio, & agitur de*
  - *Ipſius Tobiæ probatione, & varijs virtutum ornamentis.*
  - *Miniſterio archangeli Raphaelis.*
  - *Inſtituendis liberis.*
  - *Honeſtate matrimonij.*
  - *Et habet cap. 14.*
- *Iudith, qui continet hiſtoriam de liberatione Iſrael à perſecutiõe Holofernis: vbi agitur de*
  - *Obſidione*
    - *Hieruſalem,*
    - *Bethuliæ, &*
    - *Populi Iſrael.*
  - *Honeſtate & probitate Iudith,*
  - *Interfectione Holofernis.*
  - *Et habet capitul. 16.*
- *Heſter exemplum de cruce Eccleſiæ, & mirãda eius liberatione: in quo agitur de*
  - *Conuiuio Aſſueri,*
  - *Crudelitate Aman, & eius interfectiõe, procurata per prouidentiã & humilitatẽ Heſter.*
  - *Exaltatione Mardochæi.*
  - *Liberatione Iudæorum.*
  - *Et habet capit. 16.*
- *Iob de afflictionibus & cõſolationibus iuſtorũ, in quo agitur de*
  - *Patientia & perfectione Iob, ac diſputatione, quam habuit cum amicis.*
  - *Prouidẽtia diuina, & corporis humani reſurrectiõe.*
  - *Et habet cap. 42.*
- *Machabæorum, de quibus infrà ſuo dicetur loco.*

DE AN-

DE ANTIQVA DEVM LAVDANDI FORMA,

Parte Veteris Teſtamenti quarta. TABVLA 17.

LAVDES DIVINAE *continentur in Pſalterio Dauidis, ſiue in libro Pſalmorum, in quo agitur de*
- CHRISTI
  - *Diuinitate,*
  - *Humanitate,*
  - *Paſsione:*
  - *Reſurrectione,*
  - *Aſſcenſione,*
  - *Aduentu ad iudicium.*
- *Pœnis peccatorum,*
- *Beneficijs diuinis, & laudibus Dei.*

Et habet Pſal. mos 150.

DE STVDIO SAPIENTIAE, QVARTA VETERIS

Teſtamenti parte. TABVLA 18.

BENE BEATEq́ viuẽdi p̃cepta, *quæ in illis quinq́ cõtinẽtur libris, quos Maiores noſtri appellârunt ſapiẽtiales, pertinent vel ad*
- *Philoſophiã*
  - Moralem,
  - Naturalem,
  - Theoricam ſiue contẽplatiuam.
- *Iudicia inſtruenda,*
- *Populi vniuerſi inſtitutionem*

Quibus reſpõdent libri
- Prouerbiorũ de dictis ſapientũ, vbi agitur de
  - *Inſtructione & diſciplina incipientium ſeruire Deo.*
  - *Correctione morum, & virtutum informatione.*
  - *Et habet capit. 31.*
- Eccleſiaſtes, i. Concionator, in quo agitur de
  - *Vanitate mundi,*
  - *Contemptu vitiorum,*
  - *Profectu ambulantium in via Dei.*
  - *Et habet c. 12.*
- Cãtica Canticorũ, i. Epithalamiorũ, in quo libro agitur de
  - *Viri iuſti perfectione,*
  - *Contemplatione animæ ſanctæ,*
  - *Cõiunctione Chriſti & Eccleſiæ.*
  - *Et habet c. 8.*
- Sapiẽtia, in quo libro agitur de
  - *Regimine prælatorũ & conſeruatione iuſtitiæ,*
  - *Contemptu idolorum,*
  - *Aduẽtu & paſsiõe Chriſti, q̃ eſt vera ſapiẽtia.*
  - *Et habet ca. 19.*
- Eccleſiaſticus, id eſt, cõgregator, in quo agitur de
  - *Obedientia ſubditorum,*
  - *Inſtitutione morum,*
  - *Nobilitate ſapientiæ,*
  - *Laude ſanctorum.*
  - *Et habet cap. 51.*

DE REVELATIONIBVS DIVINIS, SIVE DE ORACVlis Prophetarum, quinta veteris teſtamenti parte. TABVLA 19.

PROPHETARUM *numero cõtinentur alij*
- *Impropriè, & ſub quadam ſimilitudine, vt*
  - *Liber Pſalmorum,*
  - *Prouerbia,*
  - *Cantica Canticorũ,*
  - *Eccleſiaſtes,*
  - *Sapientia,*
  - *eccleſiaſticus.*
  - *De quibus iam ſuprà lib. 2. in quarta & quinta dictum eſt parte. De libro Pſalmorum vide pag. 219.*
- *Propriè*
  - *Maiores ſiue principales 4.*
    - Eſaias,
    - Hieremias,
    - Daniel,
    - Ezechiel.
  - *Minores, id eſt, minùs principales.*
    - Oſee,
    - Iohel,
    - Amos,
    - Abdias,
    - Ionas,
    - Michaeas,
    - Nahum,
    - Abacuc,
    - Sophonias,
    - Aggæus,
    - Zacharias.
    - Malachias.

DE MA-

DE MAIORIBVS PROPHETIS.

TABVLA 20.

PRINcipaliores inter prophetas numerantur quatuor:

- **ESAIAS, qui prophetauit** (Et habet cap. 66.)
  - *Sub Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia, Regibus Iuda, Eſa. 1. in princip.*
  - *Contra*
    - *Iudæam &* Hieruſalem.
    - *Deindè etiã cõtra gẽtes, videlicet*
      - *Babylonem,*
      - *Philiſtæos,*
      - *Damaſcũ. &c.*
  - *De*
    - *Aduentu Chriſti,*
    - *Vocatione gentium,*
    - *Regno Iuda & Hieruſalem. Hieron. hîc in prologo.*
- **HIEREMIAS, qui prophetiam ſuã contexuit** (Et habet cap. 52.)
  - *In diebus Ioſiæ, Ioachim filij Ioſiæ, & Sedechiæ eiuſdem Ioſiæ filij, vſq; ad quintum menſem captiuitatis Hieruſalem. Orig. hîc homil. 1.*
  - *In Iuda & Beniamin. Hieronym.*
  - *De*
    - *Futura ſiccitate, & aduentu regis Babylõ. j. Athanaſ.*
    - *Captiuitate Iudæorum & deſtructione ciuitatis Hieruſalem.*
- **QVIBVS interſeruntur** (Et habet cap. 6.)
  - *Threni & oratio Hieremiæ de planctu & Lamentatione propter iſtam deſtructionem. Et habet capit. 5.*
  - *Baruch, in quo cõtinetur*
    - *Prophetia eiuſdẽ, quę facta eſt*
      - *Poſt deſtructam Hieruſalem per Chaldæos.*
      - *Ad captiuos in Babylonia.*
      - *De prænũciatiõe reditûs populi Iſrael, et eorũ q̃ vẽtura erãt tẽporib⁹ vltimis.*
    - *Et oratio Hieremiæ, in qua*
      - *Prohibetur idololatria.*
      - *Narratur captiuitatis hui⁹ cauſa.*
      - *Detegitur idolorũ falſitas et impietas.*
- **EZECHIEL, qui ſe teſtatur prophetâſſe** (Et habet c. 48.)
  - *Tempore captiuitatis, in qua ſimul cum Daniele fuit. Auguſt. in Pſal. 64.*
  - *Eis qui cum eo captiui fuerant. Athanaſius.*
  - *De*
    - *Sceleribus Iudæorũ,*
    - *Ruina Hieruſalem,*
    - *Et de eius reparatiõe.*
    - (*Et in ſumma eundẽ habuit ſcopum, quem Hieremias.*)
- **DANIEL, qui prædicauit** (Et habet ca. 14.)
  - *Eodem ſcilicet captiuitatis tempore in Babylone. Auguſtin. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ.*
  - *Populo Iudaico, cui etiam contemporaneus ſuus prophetauit Ezechiel.*
  - *De*
    - *Mundi monarchia, & de mutationibus temporum.*
    - *Poteſtate ac æternitate regni Chriſti.*
    - *Hiſtoria Suſannæ.*
    - *Deſtructione Belis, & interfectione draconis.*

DE MI-

DE MINORIBVS PROPHETIS. TABVLA 21.

EOrum p̄phetarum, q à Maioribus noſtris dicti ſunt Minores, fuerũt 12.

- **1. Oſee qui prophetauit**
  - Sub Ozia &c. & Ieroboam. Vide Gloſſ. ordinariam Oſee 1. in principio.
  - Contra Samariam, id eſt, decem tribus Iſrael, ibid.
  - De
    - Idololatria populi Iſrael, ſignata per mulierem meretricem.
    - Inundatiõe peccatorũ, cũ admonitiõe, vt filij Iſrael ad Dñm cõuertãtur.
  - Et habet cap. 14.
- **2. Iohel, cuius prophetia facta eſt**
  - Eiſdem temporibus, quibus Oſee. Vide Auguſt. de ciuitat. lib. 18. cap. 27.
  - Tribui Iuda & Hieruſalem. Hieron. hîc in prolog.
  - De
    - Conſumptiõe terræ Iudæorũ p̄ ærucã, bruchũ, locuſtã & rubiginẽ.
    - Iudicio futuro, & ſpiritusſancti effuſione.
  - Et habet cap. 3.
- **3. Amos qui prædicauit**
  - Quãdò & Eſaias p̄phetiæ ſuæ habuit exordiũ, nẽpe ſub Ozia. Hier. & Aug. ibid.
  - Contra gẽtes finitimas, Damaſcũ, Gazam, Aſcalon, Azotũ, Accaron, Tyrũ, Idumæam, Theman, filios Ammon & Moab. Hieron. & Athanaſ.
  - De
    - Sceleribus Iudæorum & gentium.
    - Ira Dei & vindicta ſuper eos ventura.
    - Pœnitentia, ad quam prædicit finalem reparationem.
  - Et habet ca. 9.
- **4. Abdias, quem propheta ſſe dicunt**
  - Tempore regis Ioſaphat,
  - Contra Idumæos, & perſecutores filiorum Iſrael. Athanaſius.
  - De venturis ſuper Edom ſiue Eſau calamitatibus.
  - Et habet cap. 1.
- **5. Ionas, qui prophetauit**
  - Sub Rege Ozia, & Ieroboam.
  - Niniuitis, ſub quo nomine ſalutem gentiũ præfigurat.
  - De ſubuerſione futura, niſi egerint pœnitentiam.
  - Et habet cap. 4.
- **6. Michæas, à quo edita eſt prophetia**
  - Regnante Ioathan.
  - Contra Hieruſalẽ & Samariã, cõtra Achab, & cõtra prophetas ſeductores. Athan. (in Synop.
  - De
    - Vaſtatione & captiuitate Samariæ.
    - Interitu principum Iſrael & pſeudoprophetarum.
    - Ingratitudine et malitia eorundem.
  - Et habet cap. 7.
- **7. Nahum, qui texuit vaticinium ſuum**
  - Eodem tempore, quo et Michæas,
  - Aſſyrijs, et præcipuè Niniuitis iterùm relapſis.
  - De iudicio et interitu illis obuenturo.
  - Et habet capit. 3.
- **8. Abacuc, cuius prophetia emicuit**
  - Tempore captiuitatis duarum tribuum ſub Manaſſe.
  - Aduersùs Babylonem et Nabuchodonoſor. Hierõ. ad Chromatiũ.
  - De
    - Diſputatione, quam propheta habuit cum Deo, cur in hoc mundo iuſti conculcentur, et proſperè cedat impijs.
    - Paſsione Chriſti.
    - Aduentu Domini, et ſubuerſione regni Babylonici.
  - Et habet cap. 3.
- **9. Sophonias, qui ſcripſit prophetiã**
  - In dieb. Ioſiæ filij Amon regis Iudæ. Auguſt. de ciuit. Dei li. 18. cap. 33.
  - In Hieruſalẽ et vniuerſa Iudæa, ac deindè etiã contra gentes. Athanaſ.
  - De
    - Seruatore et reſurrectione eius.
    - Iudicio Dei contra falſos deos et gentes extraneas.
    - Conſolatione populi Iſrael.
  - Et habet cap. 3.
- **10. Aggæus in numerũ prophetarum cooptatus, ſcripſit**
  - Secũdùm
    - Auguſtinũ lib. 18. de ciuitat. Dei cap. 35.
    - Gloſſam hîc, Poſt reditũ à captiuitate.
    - Sub
      - Zorobabel et
      - Dario.
  - Zorobabeli, Ieſu filio Ioſedek, et toti populo, q erat in Iuda et Hieruſalẽ.
  - De
    - Reuerſione populi Iudæorum,
    - Reædificatione templi,
    - Renouatione ciuitatis,
    - Aduentu Chriſti.
  - Et habet cap. 2.
- **11. Zacharias, qui prophetauit**
  - Duobus menſibus poſt Aggæum. Hieron. hîc in prologo.
  - Eiſdem, quibus & Aggæus.
  - De
    - Liberatione Iudæorum, & vindicta contra inimices eorum.
    - Humilitate aduentûs Chriſti & paſsionis eiuſdem.
  - Et habet capit. 14.
- **12. Malachias, qui prophetico ſpiritu illuſtratus, vaticinatus eſt**
  - Eiſdem temporibus, quib[us] Aggæus & Zacharias. Hieron. hîc in prolog. ſcilicet poſt reditum è Babylone.
  - Ad Iſrael ſiue ſuper Iſrael, & non contra eam. Hieron. hîc.
  - De
    - Abiectione populi Iudæorum & ſacrificiorum eius.
    - Aduentu Chriſti & vocatione gentium.
  - Et habet cap. 4.

DE RATIONE CONSOLANDI AFFLICTOS, vltima veteris teſtamenti parte. TABVLA 22.

QVOMODO NOS *ad crucem & tribulationes perferēdas oporteat eſſe animatos, exemplo demonſtratur Machabæorum in duobus libris:*

- *primo, in quo agitur de*
  - *Prælijs inter Hebræorum duces & gentem Perſarum.*
  - *Liberatione populi ſub*
    - *Matathia,*
    - *Iuda,*
    - *Ionatha,*
    - *Simone.*
  - *Et habet cap, 16.*
- *Secūdo, in quo*
  - *Repetuntur quædam in primo libro dicta.*
  - *De nouo ſuperadducitur nō pauca de*
    - *Tribulatione populi.*
    - *Conſtantia ſeptem fratrū & matris eorum in tormentis perpeſſis ab Antiocho.*
    - *Liberatione populi per Iudā Machabæum.*
  - *Et habet capita 15.*

DE SVMMA LIBRORVM NOVI TESTAMENTI. TABVLA 23.

IN LIBRIS NOVI *teſtamenti agitur de Eccleſiæ Chriſtianæ*

- *Capite & fundamento, quod eſt Chriſtus. Continet autem hæc pars, dictorum factorumque Chriſti narrationem hiſtoricam.*
- *Corpore & membris eius, hoc eſt, de vniuerſo Chriſtianitatis ſtatu: in qua parte populus Chriſtianus varijs tam fidei præceptis inſtruitur, quàm regulis morum.*

DE DICTIS ET FACTIS CHRISTI, PRIMA noui Teſtamenti parte. TABVLA 24.

FVNDAMENTVM *religionis Chriſtianæ, ſiue recta & vera in Ieſum Chriſtū fides, in quatuor cōtinetur euāgelijs, ſecundùm*

- *Matthæum, in quo principaliter de Chriſti agitur humanitate. Et habet capita 28.*
- *Marcum, in quo præcipuè de Chriſti agitur fortitudine & reſurrectione. Et habet capita 16.*
- *Lucam, in quo agitur ſpecialiter de Sacerdotio Chriſti. Et habet cap. 24.*
- *Ioannem, in quo diuinitatis Chriſti aperiuntur ſacramenta. Et habet capita 21.*

ORIGENES DE RECTA IN DEVM FIDE Dialogo 1.

HAEC tamen quatuor vnum tantùm ſunt Euangelium: quia vnum nobis decantârunt Deum.

DE VNIVERSO ECCLESIAE CATHOLI-cæ ſtatu, ſecunda noui Teſtamenti parte. TABVLA 25.

IN SECVNDA NO-*ui teſtamẽti parte, quæ vniuerſalis eccleſiæ continet ſtatum, deſcribuntur ipſius ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ*

- *Initia, vt in Actis Apoſtolorum.*
- *Progreſſus, vt in epiſtolis*
  - *Pauli, quas ad diuerſas ſcripſit Eccleſias.*
  - *Canonicis, in genere ad omnes eccleſias perſcriptis ab alijs apoſtolis, videlicet*
    - *Iacobo,*
    - *Petro,*
    - *Ioanne,*
    - *Iuda.*
- *Finis, vt in Apocalypſi B. Ioannis, & Apoſtoli & Euangeliſtæ.*

DE NASCENTIS ECCLESIAE CATHOLI-cæ infantia & initijs. TABVLA 26.

INITIA NA-*ſcẽtis Eccleſiæ explicantur in Actis apoſtolorum, vbi agitur de*

- *Prædicatione Euangelij per vniuerſum totius orbis ambitum, & prædicationis huius fructibus, à princip. vſque cap. 11.*
- *Priuilegio & officio hominis Chriſtiani, cap. 11. & 12.*
- *Conuerſione gentium, à cap. 12. vſque in finem.*
- *Eccleſiæ catholicæ*
  - *Perſecutionibus*
  - *Et triumphis*
  - } *Per diſcurſum.*

} *Et habet cap. 28.*

DE DOCTRINAE ET FIDEI CHRISTIA-næ progreſſu. TABVLA 27.

PROGRESSVS *Eccleſiæ & fidei Catholicæ, non parùm promotus eſt epiſtolis Apoſtolorũ*

- *Pauli ad*
  - *Eccleſias decem,*
    - *Romanos* 1.
    - *Corinthios* 2.
    - *Galatas* 1.
    - *Epheſios* 1.
    - *Philippenſes* 1.
    - *Coloſſenſes* 1.
    - *Theſſalonicẽſes* 2.
    - *Cum ea quæ dicitur ad Hebræos.*
  - *Diſcipulos quatuor*
    - *Timotheum* 2.
    - *Titum* 1.
    - *Philemonem* 1.
- *Iacobi* 1.
- *Petri* 2.
- *Ioannis* 3.
- *Iudæ* 1.
  - } *Quæ pertinent ad*
    - *Omnia omnium Eccleſiarum membra,*
    - *Diuerſos hominum ordines & ſtatus,*
    - *Virtutes Theologicas,*
    - *Confirmationem doctrinæ apoſtolicæ, & falſorum dogmatum euerſionem.*

EPISTO.

EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS DE lege, operibus & gratia.

TABVLA 28.

IN EPISTOLA *ad Romanos, per quã diuus Paulus eos reuocat ab erroribus gentilium & cæremonijs legis, ad verã & catholicam fidem, agitur de*

- *Lege naturæ, cap. 1.*
- *Imperio & poteſtate iudiciaria, cap. 2.*
- *Scripta lege Decalogi, eod.*
- *Circumciſione & cæremonijs legis Moſaicæ, cap. 3.*
- *Fide & eius iuſtitia, cap. 4.*
- *Modo & forma iuſtificationis, cap. 5.*
- *Noua lege ſpiritûs, ſiue gratiæ, cap. 6. & 7.*
- *Lege peccati, ſiue culpa originali prædictæ gratiæ legi contraria, cap. 7. & 8.*
- *Electione Dei gratuita & prædeſtinatione æterna, cap. 11. & indè vſque in finem.*

Et habet cap. 16.

EPISTOLAE PAVLI AD CORINTHIOS.

TABVLA 29.

AD CORinthios *D. Paulus duas ſcripſit epiſtolas:*

Primam de varijs fidei dogmatibus & correctione morum, in qua reprehendit errores eorum, q

- *Baptiſmi vim ex miniſtrorum æſtimabant ſanctitate, verſ. Obſecro, & toto cap. 3. & 4.*
- *Fidei ſimplicitatem ad philoſophiam reducere conabantur, eod. cap. 1. verſ. Verbum crucis, vſque in fin. & toto cap. 2.*
- *Immũditijs & fornicationibus coinquinati erant, cap. 5. & 6.*
- *Matrimonia damnabant.*
- *Cùm idololatris colludebant, dæmonijs oblata comedentes. cap. 8. 9. & 10.*
- *Eucharistiæ communione pernicioſè abutebantur, cap. 11.*
- *De donis gratiæ gratis datæ non rectè ſentiebant, cap. 12. 13. & 14.*
- *De mortuorum reſurrectione malè credebant, cap. 15.*
- *Ad colligendas contributiones in vſus pauperum, tardiores erant.*

Et habet capitula 16.

Secundã de fructibus pænitentiæ, in qua emẽdatos conſolatur, & hos tractat locos quaſi communes:

- *Deum ſuorum eſſe liberatorem, cap. 1.*
- *Literam occidere, ſpiritum autem viuificare, cap. 3.*
- *Per vaſa humilia Deum ſæpè efficere magna, cap. 4.*
- *Hîc nos exulare, vt in cælo æternam habeamus manſionem, cap 5.*
- *Triſtitiam quæ eſt ſecundùm Deum, non carere conſolatione, cap. 7.*
- *Tandèm de varijs agit ſuæ doctrinæ defenſionibus, vſq; in finem epiſtolæ.*

Et habet capita 13.

EPISTOLA PAVLI AD GALATAS, DE Retectione falſæ doctrinæ, in quam Galatæ per pſeudoapoſtolos abducti fuerant. TABVLA 30.

IN HAC *Epiſtola agitur de*
- *Fide ſemèl ſuſcepta non temerè mutanda, cap. 1.*
- *Fidei Catholicæ veritate atque certitudine, d. cap. 1. & 2.*
- *Circuncißionis neceßitate falsò præſumpta, cap. 3. & 4.*
- *Iuſtificatione, ibique de operibus carnis & fructibus ſpiritûs. cap. 5. & 6.*

Et habet cap. 6.

EPISTOLA PAVLI AD EPHESIOS, DE laudibus conſtantiæ in retinenda veræ fidei Catholicæ doctrina. TABVLA 31.

IN QVA EPHE-*ſios hortatur ad*
- *Gratitudinem Deo pro beneficijs acceptis exhibendam, cap. 1. 2. & 3.*
- *Omnis generis virtutum ſtudia capeſſenda, à ca. 3. vſque in finem.*

Et habet cap. 6.

AD PHILIPPENSES, DE FVGIENDA PRImatûs ambitione, & ſtudio humilitatis amplectendo. TABVLA 32.

IN QVA diu' Paulus Philippenſes
- *Inſtruit ſimpliciores ad*
  - *Conſtantiam in perferendis perſecutionibus, cap. 1.*
  - *Vnitatem fidei, Humilitatem veram, Timorem Dei, Patientiam.* — *cap. 2.*
- *Præmonet vt ſibi caueāt à* *Pſeudoapoſtolis, quos vocat Malos operarios, & Conciſionem.* — *cap. 3.*
- *Solatur à vera voluptate, quæ ex ſolidis paratur virtutibus, ca. 4.*

Et habet capita 4.

EPISTOLA AD COLOSSENSES, DE RECTA ad Deum via. TABVLA 33.

CONTINET *exhortationem ad*
- *Amorem Chriſti, eiuſque doctrinam ſeu fidem Catholicam, cap. 1. & 2.*
- *Honeſta hominis Chriſtiani Officia, cap. 3. & 4.*

Et habet cap. 4.

EPISTO-

EPISTOLA PAVLI AD THESSALONICENſes. TABVLA 34.

AD QVOS *duas ſcripſit epiſtolas:*
- *Vnã de patiẽtia in aduerſis, habentẽ*
  - *Gratiarum actionem pro fructibus fidei, cap. 1.*
  - *Conſolationem*
    - *Tam ſuîpſius,*
    - *Quàm Theſſalonicenſium.* } *cap. 2.*
  - *Amorem diui Pauli erga Theſſalonicẽ, cap. 3.*
  - *Correctionem errantium, cap. 4.*
  - *Regulas virtutum.*
  - } *Et habet c. 5.*
- *Alteram de nouiſſimis temporibus, in qua*
  - *Commendat Theſſalonicenſes,*
  - *Præmunit à timore iudicij, cap. 2.*
  - *Monet*
    - *Vt caueant à conuerſatione hæreticorum.*
    - *Nè deficiant in bono, cap. 3.*
  - } *Et habet cap. 3.*

EPISTOLAE PAVLI AD TIMOTHEVM.

TABVLA 35.

AD HVNC *quoquè duas ſcripſit Epiſtolas, quarum*
- *Prima eſt de officio epiſcopi, ſiue de eccleſiaſtica diſciplina, ĩ qua agitur de*
  - *Defenſione doctrinæ ſanctæ, cap. 1.*
  - *Oratione, cap. 2.*
  - *Impoſitione manuum, cap. 3.*
  - *Honeſtate vitæ, cap. 4.*
  - *Liberalitate erga pauperes, cap. 5.*
  - *Iuriſdictione eccleſiaſtica, eod.*
  - *Prædicatione Euangelij, cap. 6.*
  - } *Et habet cap. 6.*
- *Secunda in qua ſubſtituis Timotheũ, eumq́ inſtruit*
  - *Martyrio pro vera fidei catholicæ doctrina libenter ſuſcipiendo.*
  - *Regula Catholicæ veritatis,*
  - *Nouiſſimorum temporum malitia.*
  - } *Et habet ca. 4.*

EPISTOLA D. PAVLI AD TITVM, DE VIta & honeſtate clericorum. TABVLA 36.

IN QVA *inſtruit eundem,*
- *Quales debeat ordinare*
  - *Epiſcopos,*
  - *Presbyteros,*
  - *Diaconos.* } *cap. 1.*
- *Quæ vera ſit Chriſtianæ religionis doctrina de*
  - *Fide*
  - *&*
  - *Moribus,* } *cap. 2.*
- *Quomodò tractandi ſint*
  - *Falſi Chriſtiani,*
  - *A fide alieni,*
  - *Heretici.* } *cap. 3.*
- } *Et habet cap. 3.*

AD PHILEMONEM, DE POENITENTIbus iterùm in gratiam recipiendis. TABVLA 37.

ROGAT *Philemonem, vt ignoſcat Oneſimo per*
- *Viſcera ſua,*
- *Commune ſocietatis vinculum,*
- *Mutuum inter illos amorem.*

Et babet cap. vnicum.

AD HEBRAEOS, DE EVANGELIO ET FIDE CHRIſtiana, contra legis antiquę cultum & obſeruantiam. TABVLA 38.

IN QVA APO- *ſtolus oſtendit.*
- *Defectum & euacuationem legis Moſaicæ,*
- *Perfectionem legis Euangelicæ,*
- *Et quòd Chriſtus verus Deus ſit & verus homo, Dei & hominum mediator.*

Et babet cap. 13.

DE EPISTOLIS CANONICIS.

TABVLA 39.

IN EPI- *ſtolis*
- *Iacobi*
- *Petri*
- *Ioannis*
- *Iudæ*

Deſcribuntur
- *Suſtinentia aduerſitatis,*
- *Fuga carnalis voluptatis,*
- *Amor ſupernæ & diuinæ charitatis.*
- *Deletio veterum literarũ, hoc eſt, peccatorum, & ſuperſcriptio nouarum, id eſt*
  - *Gratiarum,*
  - *Virtutum,*
  - *Donorum,*
  - *Bonorum operum.*

EPISTOLA D. IACOBI, DE FIDEI FRVctibus, & hominis Chriſtiani operibus. TABVLA 40.

D. IA- *cob' in ſua Epiſtola agit de*
- *cap. 1.*
  - *Fortitudine & conſtantia,*
  - *Spe & fiducia,*
  - *Aequanimitate,*
- *cap. 2.*
  - *Pudicitia,*
  - *Iuſtitia,*
  - *Operibus miſericordiæ,*
  - *Aſſiduitate & vigilantia,*
- *cap. 3.*
  - *Linguæ temperantia,*
  - *Sapientia,*
  - *Humilitate & obedientia,*
- *cap. 4.*
  - *Pœnitentia,*
  - *Benignitate & beneuolentia,*
  - *Integritate conſcientiæ,*
- *cap. 5.*
  - *Mediocritate,*
  - *Sobrietate & temperantia,*
  - *Longanimitate,*
  - *Religione,*
  - *Charitate,*
  - *Correptione mutua.*

Et babet cap. 5.

EPISTO-

EPISTOLAE D. PETRI.

TABVLA 41.

D. PETRI *duæ extant Canonicæ Epiſtolæ,*
- *Prima de nouo induendo homine, ſiue de reformãdis in Eccleſia moribus. Agitur enim in*
  - *Specie de gratiarum actione, cap. 1.*
  - *Genere de officijs*
    - *Seruorum, cap. 2.*
    - *Coniugum, cap. 3.*
    - *Hominis politici, cap. 4.*
    - *Eccleſiaſticarum perſonarũ, cap. 5.*
  - *Et habet capit. 5.*
- *Secunda partim de futura rerum immutatione, In qua agitur de*
  - *Laudibus fidei, cap. 1.*
  - *Fugienda hæreticorum conſuetudine, cap. 2.*
  - *Præparatione ad futurum iudicium, cap. 3.*
  - *Et habet capit. 3.*

EPISTOLAE B. IOANNIS.

TABVLA 42.

B. IOANnes *ſcripſit Epiſtolas tres:*
- *Primam, de virtutibus Theologicis,*
  - *Fide,*
  - *Spe, &*
  - *Charitate.*
  - *Et habet capita 5.*
- *Secundam, De perfectione fidei, quæ conſiſtit in charitate. Vndè*
  - *Electam & filios eius commendat.*
  - *Hortatur ad fraternam charitatem.*
  - *Monet vt hæreticos deuitent.*
  - *Et habet cap. vnicũ.*
- *Tertiam de veris Dei filijs, quales ſoli ſunt illi, qui benè operantur, ſiue de hoſpitalitate. In hac*
  - *Extollit pietatẽ Gaij, quam exercebat in peregrinos.*
  - *Exhortatur eundem, vt in ipſa pietate perſeueret.*
  - *Et habet cap. vnicũ.*

EPISTOLA IVDAE CATHOLICA, DE fide cum Charitate coniuncta.

TABVLA 43.

IN QVA D. *Iudas Hæreticorum*
- *Impietatem detegit,*
- *Errores refutat,*
- *Mores deſcribit.*
- *Doctrinam cõmendat.*

His in fine ſubijcit
- *Regulam, quomodò tractandi ſint hæretici.*
- *Et capitulum habet vnicum.*

DE MILITANTIS ECCLESIAE FINE,

& futuro triumphantis Eccleſiæ ſtatu: ſiue, de Prophetia Noui Teſtamenti, quæ habetur in Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli.

TABVLA 44.

IN APOcalypſi B. Ioãnis Apoſtoli continentur viſiones ſeptem.

- *Prima, quæ ſeptem habet Epiſtolas, in quibus pleniſſimè traditur, quidquid ad veriſſimum pertinet Chriſtianiſmum, à principio huius libri vſque ad cap. 4.*
- *Secunda, in qua ſunt ſigillorum myſteria, à cap. 4. vſque ad octauum.*
- *Tertia, quæ habet ſeptem angelos tuba canentes, à cap. octauo vſque ad duodecimum.*
- *Quarta, de*
  - *Muliere amicta ſole, dracone que mulierem inſequente, ac de ore flumen aquarum poſt fugientem in deſertum locum mittente.*
  - *Beſtijs è mari terraque aſſcendentibus, à capit. 12. vſque ad cap. 15.*
- *Quinta, de*
  - *Effuſione ſeptem phialarũ iracundiæ Dei viuentis.*
  - *Mari vitreo igni mixto.*
  - *His qui vicerunt beſtiam, & eorum lætitia cantãtium carmen lætitiæ agni, à cap. 15. vſq; ad cap. 17.*
- *Sexta, in qua deſcribitur Babylon, & agitur cùm de illius, tum de beſtiarum draconisq́; cõdemnatione, ac de terrore eorum qui pereunt, & conſolatione eorùm qui ſalui ſiunt.*
- *Septima, quæ eſt de Sabbatho & gloria, quam electi habituri ſunt ſub illud tempus & in ſeculo futuro, à cap. 21. vſq; in finem Apocalypſeos.*

Et habet capit. 22.

VER-

VERSVS F. PETRI A ROSENHEIM, MONACHI BENEdictini, quibus librorum vtriuſq; teſtamenti & ordinem complectitur & argumentū, adiecto vbiq; & libri & capitis cuiuſq; Numero. Claruit is Petrus Anno 1420.

LIBRORUM veteris teſtamenti, iuxta cōmunem diuiſionem, alij dicuntur

		Libri	*Catalogus librorū veteris Teſtamenti.*	*Capitula*
Legales	*Geneſis.*	1	Aſtra, polū, iūcta terra, Geneſisq; Patres dat.	50
	Exodus.	2	Bis quinis verbis, ſimul & plagis pater Exod.	40
	Leuiticus.	3	Cūcta patent genera ſub Leuitico, qbus offers.	27
	Numeri.	4	Da populo q̄ ſint loca, ꝑ tribus Numeris hinc.	36
	Deuteron.	5	Ecce patens ordo, ſequitur legē modò Deuter.	34
Hiſtoriales	*Ioſue.*	6	Funiculo Ioſue diuidit ſorte quoquè terram.	24
	Iudicum.	7	Grādes Iudicib⁹ addūt ſacra ſcripta triūphos.	21
	Ruth.	8	Humanus Booz dignam Ruth copulat ad ſe.	4
	Regum 1.	9	Interitū primo lege Saulis, Heli quoq; Regū.	31
	Regum 2.	10	Iam Regum Deuter ſcribit Regis Dauid acta.	24
	Regum 3.	11	Lecta placet bonitas Salomonis Regia terno.	22
	Regum 4.	12	Mors patet & ſtatus in quarto Regū Heliſæi.	25
	Paralipomen. 1.	13	Nobile fert iterùm ſceptrū Dauid Para primo.	29
	Paralipomen. 2.	14	Ordo patet, quæ ſint Paralipō. regna ſecundi	36
	Eſdræ 1.	15	Plebs Cyri iuſſu redit, ædificat, iuuat Eſdras.	10
	Eſdræ 2.	16	Quàm grauiter Nehemias ædificet, docet ipſe.	1
	Tobias.	17	Sacris doctrinis ornat natum benè Tobi.	14
	Iudith.	18	Trux dux, qd poſſit De⁹ Iſrael, arte Iudith ſcit.	16
	Heſter.	19	Vindictā populi, qua pēdet Amā, docet Heſter.	16
	Iob.	20	Ardua ſic bella tua Iob Patientia vincit.	42
Sapientiales	*Pſalterium*	21	LIBER PSALMORVM.	150
	Prouerbia.	22	Blanditur, ſua lux, Salomon, Prouerbia ꝙ ſint.	31
	Eccleſiaſt.	23	Cunctā ſpem mundi vanā docet Eccleſiaſtes.	12
	Cant. Cant.	24	Dulcia ſponſus habet cū ſponſa cantica cordis.	8
	Sapientia.	25	Eccè ſic Sapiens tractando multa reuelat.	19
	eccleſiaſtic⁹.	26	Florida ſcripta liber tenet Eccleſiaſticus in ſe.	51
Prophetales	*Eſaias.*	27	Gentes ſaluatas ait, & Chriſtum aduocat Iſai.	66
	Hieremias.	28	Hinc ſtolidā monuit Hieruſalem Hieremias.	52
	Threni.		Ingemuit ſtylus euerſam flens Ieruſalē Thren.	5
	Baruch.	29	Iuſta ſuos fratres Baruch docet & pia facta.	6
	Ezechiel.	30	Legē, & ſtructuras hinc tēpli ſcribit Ezechel.	48
	Daniel.	31	Mira ſuis offert Daniel lectoribus Acta.	14
	Oſee.	32	Nos ſatis Oſee populi dat crimina nôſſe.	14
	Iohel.	33	Ore ſacro clamat Iohel, vt pœniteamus.	3
	Amos.	34	Plus ſcelus Iſrael hinc, q̄ indè concutit Amos.	9
	Abdias.	35	Quæ ſtudet Abdias deſcribere, ſunt ſup Eſau.	1
	Ionas.	36	Regem ſolicitum reddit Ionas populumque.	4
	Michæas.	37	Stultam Samariam neſcis reuocare Michæa.	7
	Nahum.	38	Te ſceleris cauſa Nahum, Niniue, reprēhēdit.	3
	Abacuc.	39	Vir ſe cuſtodit Abacuk, ſed diſputat audax.	3
	Sophonias.	40	Alta timent corda, quę Sopho die premit iræ.	3
	Aggæus.	41	Blanditur templum bonus Aggeus ædificari.	2
	Zacharias.	42	Confixum tradit obijſſe Ieſum Zacharias.	14
	Malachias.	43	Diſce tenere Dei legem Malachiq; Sacerdos.	4
Et hi duo ad hiſtoricos pertinent.	*Machabæorum* 1.	44	Et tractant Patria pro lege mori Machabæi.	16
	Machabæorum 2.	45	Frāgis tu Princeps Machabæe maloſq; ſecūdo.	15
		SVMMA 45		SVMMA 1074

CATALOGVS LIBRORVM NOVI Teſtamenti.

NOui etiã teſtamenti librorũ pertinens alij ad

		LIBRI		CAPITA
Legem, ſcilicet gratiæ, vt 4. Euangelia	*Matthæi,*	1	Glorificat titulus hominẽ ſcribẽdo Mathæus.	28
	Marci,	2	Hoc reneat quoniam Marci ſcripto Leo ſurgit.	16
	Lucæ,	3	Ipſis tu Dominum ſcriptis Lucas vitulum das.	24
	Ioannis.	4	Iure tuis, Aquila, ſcriptis Deitas reſeratur.	21
Hiſtoriam, vt Acta Apoſtolorum.		5	ELECTVM vas his ſcriptis Actus benè pandunt.	28
Sapientiam diuinam, vt Epiſtolæ — PAVLI	*Roman.*	6	LEGE tua, quã Paule doces, das Myſtica Roman.	16
	Corinthios. 1.	7	Multos tu quæris doctrinis Paule Corinthis.	16
	Corinthios. 2.	8	Hos tibi nunc Paule ſubiectos altera Cor. dat.	13
	Galatas.	9	Obiurgat tangens falſos Pſeudo Galatas Paul.	6
	Epheſios.	10	Paule tuis facis Epheſios ſcriptis benè firmos.	6
	Philippen.	11	Quos tua doctrina cõuertit Paule, Philipp. ſtãt.	4
	Coloſſenſ.	12	Robora tuta dedit Paulus reparãs Coloſenſes.	4
	Theſſalonicẽ. 1.	13	Scripta tenenr etiam Pauli Theſſalonicenſes.	5
	Theſſalonicẽ. 2.	14	Te tua confortet Pauli nunc altera Theſſal.	3
	Timotheum. 1.	15	Vndiquè te fortem Paulus firmat Timothee.	6
	Timotheum. 2.	16	Alterius vitam doctrina dedit Timo. ſcripti.	4
	Titum.	17	Blandas vt caueas hæreſes, te flagito Tite.	3
	Philemonẽ.	18	Confidens vult te à Philemone Oneſime ſumi.	1
	Hebræos.	19	Dar validã normã Paulus ſcribens ad Hebræos.	13
	Iacobi.	20	Faſtum, verboſos, æris cupidos reprobat Iac.	5
	Petri 1.	21	Gaudet, vt euadat Domini grex, Paſtor ouilis.	5
	Petri 2.	22	Nunc vitę curſum fluidum docet altera Petri.	3
	Ioannis 1.	23	Inſtat, vt eſſet amor perfectus, prima Ioannis.	5
	Ioannis 2.	24	Iuſſit, vt alteruter amor aſſit deutra Ioannis.	1
	Ioannis 3	25	Laudat vt ad melius harum trahat vltima Iohã.	1
	Iudæ.	26	Multis verba bona Iudæ dant gaudia vitæ.	1
Prophetiã, vt Apocalypſis B. Ioannis.		27	Nos voluït benè ſic Apocalypſis fore cautos.	22
			SVMMA	260
	SVMMA	27		

Summa vtriuſque teſtamenti { Librorum 72. Capitum 1334.

ALII

ALII VERSVS, QVI LIBRORVM VTRIuſque teſtamenti non niſi ſimplicem complectuntur ordinem & nomenclaturam.

GENESIS, *Exo.Leui.Numerorum,Deuteronomi.*
Pòſt Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralip. Eſdræ.
Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Dauidicusq́.
Verba dat Eccle. Cantat, Sapit. Eccleſiaſtic.
Eſai. Hieremi. Baruch, Ezech. Danielque.
Oſe. Iohel, Amos, Abdi. Ionas, Michæ. Nabũ, Abac.
Sophon. Aggæus, Zacha. Malachias, Machabæus.

MATTHAEVS, *Marcus, Lucas, poſtremò Ioannes.*
Roma. Corint. Galat. Eph. Philipen. Coloſenſes.
Theſſal. & Timotheus, Titus, Philemon, Hebræus.
Et Actus, Iacob, Petrus, Ioan. & Iudas, Apoc.

SEQVVNTVR NVNC

SENTENTIAE ALIQVOT IPSIVS SCRIpturæ diuinæ, quæ vniuerſam complectuntur totius doctrinæ Chriſtianæ ſummam.

ESAIAE I.

QVIESCITE agere peruersè, diſcite benè facere, quærite iudiciũ, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.

TOBIAE IIII.

QVOD ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquandò alteri facias.

PSAL. XXXVI.

SPERA in Domino, & fac bonitatem.

IBIDEM.

DECLINA à malo, & fac bonum.

ECCLE. VLTIMO.

TIME Deum, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo.

ECCLESIASTICI II.

FILI, concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam.

MATTH. VII.

OMNIA ergò quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ.

ET XIX.

SI vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

ITEM XXII.

DILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Deuter. 6. Hoc eſt maximum & primum mandatum.

Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Leuitic. 19. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.

MARCI XII.

MAIVS horum aliud mandatum non eſt. Et paulò pòſt: Vt diligatur Deus ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquàm ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs.

LVCAE

LVCAE X.

CHRISTVS his addit, Hoc fac, & viues.

IOAN. XIII. & XV.

HOC eſt præceptum meum, vt diligatis inuicèm ſicut dilexi vos.

AD ROMAN. XII.

DILECTIO ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono.

ROM. XIII.

NEMINI quicquam debeatis, niſi vt inuicèm diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis eſt dilectio.

IBIDEM.

ABIICIAMVS ergò opera tenebrarum, & induamus arma lucis.

AD GALAT. V.

OMNIS enim Lex in vno ſermone impletur: Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum.

IBIDEM.

DICO autem in Chriſto: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduersùs ſpiritum, ſpiritus autem aduersùs carnem.

DE OPERIBVS CARNIS, IBIDEM.

TABVLA 45.

MANIFE-*ſta ſunt autẽ opera carnis, quæ ſunt,*	*Fornicatio,* *Immunditia,* *Impudicitia,* *Luxuria,* *Idolorum ſeruitus,* *Veneficia,* *Inimicitiæ,* *Contentiones,* *Aemulationes,* *Iræ,* *Rixæ,* *Diſſenſiones,* *Sectæ, Inuidiæ,* *Homicidia,* *Ebrietates,* *Comeſſationes,*	*Et his ſimilia: qualia qui agunt, regnum Dei non conſequentur.*

DE FRV-

TABVLA 46.

FRVCTVS *autem ſpiritûs ſunt*
- *Charitas,*
- *Gaudium,*
- *Pax,*
- *Patientia,*
- *Benignitas,*
- *Bonitas,*
- *Longanimitas,*
- *Manſuetudo,*
- *Fides,*
- *Modeſtia,*
- *Continentia,*
- *Caſtitas.*

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.

SVMMA BIBLIORVM
EX SENTENTIA PATRVM, SIVE DE
VERBO BREVIATO.

AVGVSTINVS.

PRAECEPTA multa ſunt in lege, quibus ipſa bona vita continetur, imperatur & diſcitur. Multa omninò pręcepta ſunt, & innumerabilia: Præceptorum ipſorum paginas vix quiſquam enumerat, quanto magìs ipſa quæ voluït? Tamen Deus propter eos, qui ſe poſſent excuſare, vel quia eis nō vacat legere, vel quia nō nôrunt legere, vel quia non poſſunt facilè intelligere, vt excuſationem nemo habeat in die iudicij, voluït, ſicut ſcriptum eſt, conſummare & breuiare verbum ſuper terram. Hoc ipſum verbum conſummatum & breuiatum, hec obſcurum Deus eſſe voluït. Ideò breue, nè non vacaret legere: ideò apertum, nè quis dicat, non mihi licuit intelligere. Eſt autem hoc verbum conſummans & breuians: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et proximū tuum ſicut teipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Matth. 22. Auguſtin. lib. de diſciplina Chriſtiana, cap. 1.

ORIGENES IN CAP. IX. AD ROMAnos, libro 7.

SIC Origenes interpretans illud Pauli ad Rom. 9. ex Iſai. cap. 10. Quia verbū breuiatum faciet Dominus: Poſſumus autem, inquit, & totius doctrinæ verbū dicere breuiatū: Vt quod priùs lex & prophetæ continebant in latirudine pręceptorum, veniens Dominus pronunciaret & diceret: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totis viribus tuis, & ex tota anima tua: & proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis pendet omnis lex & prophetæ. In quo ꝓphetas & legem duobus his ſermonibus breuiauit.

QVIBVS IN REBVS CVLTVS CONſiſtat diuinus. TABVLA 47.

DEVS (VT HAbetur in gloſſa Eccleſiaſt. 2.) verè colitur
- *Fide,*
- *Spe, &*
- *Charitate.*

Nam Deo nos
- *Fides excitat,*
- *Spes erigit,*
- *Charitas iūgit.*

Aug. in ſoliloquio.

IDEM AVGVSTINVS DE EODEM.

TABVLA 48.

TRIA SVNT, *quibus & ſciētia omnis & prophetia militat.*	*Fides, Spes, Charitas.*	*Auguſtin.lib.1.De Doctrina Chriſtiana, cap. 37.*

CONFIRMATIO EIVSDEM, EX SENtentia D. Pauli.

TABVLA 49.

NVNC autem manent tria hæc,	*Fides, Spes, Charitas.*	*Maior horum eſt Charitas.1.Cor.13.*

CVR PAVLVS HOC LOCO CHARITATI primas tribuat partes.

NON obſcurè his verbis,D. Paulus innuit,Charitatē inter cæteras virrutes,quas vocant Theologicas,principem tenere locum,cuius rationem reddere videtur D.Auguſtinus ſuper Ioan.ſermone 83 .his verbis: Vbi charitas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? Vbi autem nō eſt,quid eſt quod poſſit prodeſſe? Dæmon credit,nec diligit:nemo diligit,qui non credit. Fruſtrà quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam,qui non diligit:Nemo autem poteſt deſperare,qui diligit.Itaq; vbi dilectio eſt,ibi neceſſariò fides & ſpes:& vbi dilectio proximi,ibi neceſſariò & dilectio DEI. Qui enim non diligit Deum,quomodò diligit proximū tanquàm ſeipſum quandoquidem non diligit & ſeipſum? Eſt quippe impius & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem,non planè diligit,ſed odit animam ſuam. Hoc ergò præceptum Domini teneamus,vt nos inuicèm diligamus:& quidquid aliud præcipit, faciemus,quoniam quidquid eſt aliud,hîc habemus. Auguſtinus.

DE VIRTVTVM THEOLOGICARVM, FIDEI, Spei & Charitatis,vinculo. AVGVSTINVS.

PIA fides ſine ſpe & ſine charitate eſſe nō vult. Sic igit̄ homo fidelis debet credere,quod nondùm videt,vt viſionem & ſperet & amet. Et viſibilium quidem rerū præteritarum,quæ temporaliter tranſiērunt,ſola fides eſt, quoniam non adhuc videnda ſperantur,ſed facta & tranſacta creduntur,ſicut eſt illud, quòd Chriſtus ſemèl pro peccatis noſtris mortuus eſt & reſurrexit,nec iam moritur, & mors ei
Rom. 6. vltrà non dominabitur. Ea verò quæ nondùm ſunt,ſed futura ſunt: ſicut noſtrorum ſpiritualiū corporum reſurrectio,ità creduntur,vt etiam videnda ſperētur, ſed oſtendi modò nullo poſſunt modo. Quæ verò ità ſunt,vt neq; prætereāt,neq; futura ſint,ſed æterna permaneanr,partìm ſunt inuiſibilia, ſicut iuſtitia, ſicut ſapientia:partìm inuiſibilia,ſicut Chriſti immortale iam corpus: ſed inuiſibilia intellecta conſpiciuntur,ac per hoc & ipſa modo quodam ſibi congruo vidētur:& cùm videntur,multo certiora ſunt,q̄ ea quę corporis ſenſus attingit: ſed ideò dicuntur inuiſibilia,qa oculis iſtis mortalibus videri omninò non poſſunt. At illa q̄ viſibilia ſunt permanētia,poſſunt,ſi oſtendantur,etiā his mortalibus oculis cō-
Ioā. 20. 21. ſpici,ſicut ſe diſcipulis poſt reſurrectionē Dn̄s oſtendit,ſicut etiā poſt aſſcenſionē
Acto. 7.9. apoſtolo Paulo & Stephano Diacono. Proindè iſta viſibilia permanentia credimus,vt etiā ſi non demonſtrentur,ſperemus ea nos quandoq; viſuros. Nec ea tenemut ratione intellectuq; cōpræhendere,niſi vt ea,quia viſibilia ſunt,ab inuiſibilibus diſtinctiùs cogitemus,& cùm cogitatione, qualia ſint, imaginamur, ſatis vtiquè nouimus,eò nobis nota non eſſe & cætera. Auguſt. ad Conſentiū Epiſt.85.

NVM ISTARVM VIRTVTVM ALIA SINE alia exiſtere,aut prodeſſe queat. IDEM.

Galat. 5. SINE Charitate qppe fides poteſt quidē eſſe,ſed non & prodeſſe. Propter quod &
Iacob. 2. Apoſtolus Paulus: In Chriſto,inquit, Ieſu neq; circuncìſio, neq; præputium aliquid valet,ſed fides,quę per dilectionem operatur. Sic eam diſcernēs ab ea fide, qua & dæmones credunt,& contremiſcunt. Auguſt.lib.15.De Trinitate,cap. 18.

DE

DE FIDE, PRIMA VERBI ABBREVIATI PARTE.

CONTINVATIO.

A fide ſcripturarum incipiant,qui cupiunt ad diuinæ magnificentiæ notitiā peruenire.Auguſt.ſuper Pſal.8.& Ambroſ.ſuper Pſal.quoquè 118.Primùm oportet, inquit,vt credamus vera eſſe Dei ſummi,quæ in diuinis legimus, oracula.

ALIA ORDINIS RATIO.

Fides ianua eſt,per quam introitur ad intelligendum & amandum Deum:& ſignum eſt,per quod idem agnoſcitur Deus:Niſi enim credideritis,ait ſancta ſcriptura,non intelligetis. Eſai.7. Eccè enim quomodò nō poteſt Deus agnoſci, antequàm credatur in eum.indè dicit Apoſtolus:Quomodò inuocabunt,in quem nō crediderunt? ad Rom.10. Auguſt.in lib.De expoſitione Dominicæ orationis & Symboli ad Catechumenos,ſerm.2.

DE FIDEI NECESSITATE, PAVL. AD HEB. XI.

Sine fide,ait,impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum,quia eſt,& inquirentibus ſe remunerator ſit.Et Rom.14.Omne quod nō eſt ex fide, inquit, peccatum eſt.

DE NOMINIS NOTIONE.

Fides appellata eſt ab eo,quod fit.duæ ſyllabæ ſonant,cùm dicitur,fides. Prima ſyllaba eſt à facto,ſecunda à dicto.Interrogo ergò te,vtrùm credas: dicis, credo: fac quod dicis,& fides eſt.Auguſt.ſermon.237. de tempore.

QVOTVPLEX FIDEI SIT SIGNIFICATIO, ex F. Dominico Soto.

Duplex tantùm ſignificatus eſt in hoc nomine,Fides.Significat enim & virtutem moralē,q̄ eſt in voluntate:& intellectualē, quę eſt in intellectu. Quæ quidē explicatio,ex ipſa ſtatim nominis etymologia perlucet. Etenim & Cicero prius lib.1. de Officijs,& poſtmodùm Auguſt.epiſt.19.ad Hieron.in duabus ſyllabis,quarum prima eſt à fio,ſecunda verò à dico,adnotârūt,fidē cō dici, quia fit quod dicitur.

Vndè fides primùm omnium ſignificat conſtantiam & veritatem,quę in dictis quidpiam aſſerentis aut promittentis,ineſſe debet:quę nimirùm moralis virtus, fidelitas etiam nuncupatur,&c.

Secundo modo accipitur fides,vt eſt intellectualis virtus:nempe aſſenſus quē præbemus enuncianti aut promittenti nobis aliquid.Quæ quidem notio ex priori naſcitur.Cùm enim ille,quem fidem primo modo habere ſcio, (id eſt, dictorum conſtantiam & veritatem) mihi aſſerit quicquam,aut promittit, perſuadet quidem mihi,quod dicit,& (quod idem pollet)facit mihi fidem: hoc eſt,generat in me aſſenſum,quo illi credo.Qui quidem proindè aſſenſus,dicitur fides.Dominicus Soto De natura & gratia lib.2.cap.6.

ET PAVLOPOST HANC SENTENTIAM ex verbis declarat D.Auguſtini.

Dvos ergò ſi demus huic nomini,Fides,ſignificatus, ſatis eſt:Nempe vt ſit fides, quam mihi quiſpiam dat,dum quidquam aſſerit aut promittit,&quam ego viciſsìm do illi dum credo.Has duntaxàt notiones edocet Auguſtin.de ſpiritu & litera cap.31.his verbis:De hac enim fide nunc loquimur,quam adhibemus,cùm aliquid credimus:non quam damus,cùm aliquid pollicemur: nam & ipſa dicitur fides.Sed alitèr dicimus,Non mihi habuit fidem:alitèr autem,Nō mihi ſeruauit fidem.Nam iſtud eſt,Non credidit quod dixi: illud, Non fecit quod dixit. Secundùm hanc fidem,quā credimus, fideles ſumus Deo: ſecundùm illam verò,qua fit quod promittitur,etiā Deus ipſe fidelis eſt nobis.Hoc enim dicit Apoſtolus: Fidelis Deus,qui non vos permittit tentari ſupra id quod poteſtis. 1.Cor.10. Tātum Auguſt.

DE FIDVTIA.

Ex his colligitur, non eſſe neceſſarium, vt alio modo accipiatur fides pro fiducia: vt tam noſtri quidam, q̃ aduerſarij omnes pro comperto habent. Nam fiducia res eſt alia à fide, & proles eius. Nec per ſe propriè eſt virtus, ſed virtutis modus. Eſt enim, vt ſcienter ait S. Thomas 2.2.q.129. roborata ſpes ex aliqua firma opinione, ſeu robur ſpei, pertinens ad magnanimitatem. Indè enim quòd fidem habeo dictis aſſerentis aut promittentis, ſpero & fido ità fore. Quinimmò quamuis ex fide naſcitur, à charitate poſtmodùm augetur & perficitur. Et ideò fiducia à fide nomen trahit, ſicuti effectus à cauſa. Quamobrem firma certaque fides exprimitur nomine fiduciæ, veluti cauſa nomine effectûs. Idem Soto cap. 6. lib. 2. De Natura & gratia.

DESCRIPTIO FIDEI, EX EODEM Dominico.

Fides Catholica, Chriſtianæ familiæ neceſſaria, vtpotè qua Chriſtiani cēſemur, nō eſt ſpecialis illa, qua indubitatò credit quiſque, ac conſtituit ſibi remitti peccata ptopter Chriſtum, & eſſe in gratia Dei, ſed illa potiùs perſuaſio diuina atque aſſenſus, quem debemus præſtamusq; Deo, omnium in genere, quæ ab ipſo ſunt, Eccleſiæ reuelata per Chriſtum, perque eius Prophetas, Euangeliſtas, & Apoſtolos: inter quę & promiſſiones ipſæ diuinæ cōnumerantur. Duo hîc enunciamus:

PRIMVM EST,

Qvod nullatenùs duæ, ſed vna penitùs fides eſt, qua credimus vniuerſa reuelata, ſiue hiſtoriæ ſint, ſiue promiſſiones, ſiue præceptiones, aut conſilia. Eiuſdē enim habitûs virtus eſt, credere, quòd Abraham genuit Iſaac, & quòd in illo promiſſus eſt nobis redemptor, quòd Chriſtus carnem ſuſcepit, & quòd credentibus & baptizatis promiſerit ſalutem. Atque eiuſdem fidei eſt actus, credere promiſſiones illas, & quaſcunque alias, quæ ſunt in ſacra pagina, factas eſſe à Deo, quod ad hiſtoriam pertinet: & certò credere veriſſimas eſſe & firmiſſimas, quod propriè pertinet ad fidem promiſſionum, vndè ſpes nobis erigitur.

SECVNDVM EST,

Qvod promiſſionum aſſenſus, ad fidem catholicam pertinens, non eſt ſpecialis ille, quo quiſque de ſe credit, ſeu recipere modò, ſeu habere iam gratiam: ſed ille in genere, quo firmiter credimus, Ieſum Chriſtum vniuerſalem eſſe redemptorem, vnum mediatorem Dei & hominum: & ideò niſi eius merito, nemini vllam condonari noxam: ſed quidquid peccatorum à lapſu vſque Adam remiſſum eſt, & remittetur, virtute ſanguinis ſui remitti: atque adeò nemini, niſi per ipſum, ad æternam hæreditatem acceſſum patêre. Idem Soto cap. 7. d. lib. 2.

DE FIDEI HVIVS FVNDAMENTO.

Certvm propriumque fidei Catholicæ fundamentum, Chriſtus eſt. Fundamentum enim aliud, ait Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap. 4. 1. Cor. 3.

QVOMODO D. PAVLVS DEFINIAT Fidem.

Est autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentiū. ad Hebr. 11. Quam qui habent, fideles vocantur: & qui non habent, infideles. Auguſt. lib. 13. De Trinitat. cap. 2. Veraciter autem fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, operibus complemus. Gregorius Homil. 29.

EXPLICATIO EIVSDEM, D. IOAN. Gropperi.

Svbstantia, inquam, rerum ſperandarum, id eſt, certitudo & quaſi certa poſſeſſio quædam earum rerum, quas ſperamus, cō quòd eas mentis noſtræ oculis ſic repræſentet ac ſiſtat, vt iam illis quodammodò frui videamur. Et argumentum non apparentium, id eſt, perſpicua oſtenſio, & certa demonſtratio rerum non venientium in conſpectum, vt de ijs perſuaſi ſimus, àc ſi oculo cor-

lo corporali peruiderentur. Gropper. in inſtitutionibus ſuis de doctrinæ Noui teſtamenti ſumma.

ALIA DECLARATIO D. SOTO.

Id eſt, habitus ſeu vis virtusque mentis, qua, licet obſcurè, certò tamen & firmiter aſſentimur his, quæ ſperamus apertè videre. lib. 2. De natur. & gratia, cap. 7. vel, Fides Catholica, vt eſt inter omnes Chriſtianos cõſtitutiſſimum, eſt aſſenſus certus & firmus, obſcurus quidem, tamen cui non poteſt ſubeſſe falſum. In qua Definitione deſignantur duo:

PRIMO.

FIRMITAS aſſenſûs, cuius cauſa dicitur ſubſtantia, id eſt, inchoatio rerum ſperãdarum, quæ robur habet & firmamentum ex obedientia libertatis. Nam rerum, quæ nec videntur, nec ratiocinatione demonſtrantur, nunquàm haberemus tam firmum aſſenſum, niſi in captiuitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti.

SECVNDO.

SVBIECTVM Fidei eſſe intellectiuam potentiam: obiecti autem rationem, ad oĩa patére, vniuerſaque ambire quæcunque à Deo cælitùs ſunt reuelata, ſiue res geſtæ ſint, ſiue mãdata, vel monita, ſiue ſua promiſſa. Hæc enim omnia in ſpem nos futurorum mittunt. Quocircà in eodem Symbolo vtrique copulantur articuli: ſcilicet, & qui hiſtoriales ſunt, vt quòd Chriſtus natus eſt, & crucifixus: & prætereà qui de ſanctorum communione, & remiſſione peccatorum conſtituũtur, tanquàm ſub eodem obiecto fidei comprehenſi, eodem cap. 7.

ILLATIO CONTRA FIDEM SPECIALEM.

Eſt ergò perſuaſu facilimum, fidem illam commentitiam, quam vocant ſpecialem, ad fidem Catholicam minimè pertinere. Fides enim Catholica ex ſola diuina aſſertione, vel promiſſione pendet: quòd autem quiſque aptus ſit & idoneus promiſſo beneficio ſuſcipiendo, ex humano aſſenſu & cooperatione etiam pendet, ergò huius fides non eſt Catholica. ibidèm.

ALIA ILLATIO ADVERSVS DEFINItionem Caluini.

INCONGRVA ergò eſt definitio Caluini, quam libro de Inſtitut. relig. Chriſt. tribuit fidei, nempe quòd ſit diuinæ erga nos beneuolentiæ firma certaque cognitio, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate reuelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur. Nam ſi ad promiſſiones in genere referatur, non eſt niſi puſilla portio Catholicæ fidei: ſi verò ad illam ſuam ſpecialem certitudinẽ, quam de ſe quiſque habet, extra limites eſt eiuſdem orthodoxæ fidei. Soto ibidèm.

QVID FIDES CHRISTIANA CONVENIAT cum fide antiqua.

EADEM eſt fides noſtra, quæ & Antiquorum: Auguſtinus lib. de Patientia cap. 21. Antiqui iuſti ante incarnationem verbi in hac fide Chriſti & in hac vera iuſtitia, quod eſt nobis Chriſtus, iuſtificati ſunt: hoc credentes futurum, quod nos credimus factum: gratia ſalui facti per fidem, non ex ſeipſis, ſed Dei dono: non ex operibus, nè fortè extollerentur. Bona quippe opera eorum non præuenerunt miſericordiam Dei, ſed ſecuta ſunt.

IDEM SVPER IOAN. TRACTAT. 45.

TEMPORA variata ſunt, non fides: quia eadem fides vtroſque coniungit, & eos qui crediderunt venturum, & eos qui veniſſe iam crediderunt. Diuerſis quidem temporibus, ſed vtroſque per vnum fidei oſtium, id eſt, Chriſtũ, videmus ingreſſos. Et alibì: Eundem ſpiritum habuerunt, qui venturum in carnem Chriſtum prænunciârunt, quem etiam illi, qui eum veniſſe nunciauerunt.

DE PARTITIONE FIDEI.

TABVLA 50.

FIDES quædam eſt	*Informis, quandò eſt ſine charitate, vt in Chriſtiano qui eſt in peccato mortali.*	*Fides autem*	*Sine dilectione,*	*Eſt fides*	*Mortua, de qua Iacob. 2.*
	Formata, quandò eſt cũ charitate.		*Cum dilectione,*		*Viua.*

DE FIDE INFORMI, SENTENTIA D. PAVLI.

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeã, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniẽs. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ità vt ardeã, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 1. Cor. 13.

DE EADEM, SENTENTIA D. IACOBI.

Qvid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquìd poterit fides ſaluare eum?

ET PAVLOPOST.

Vis ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus ocioſa eſt? Abraham pater
noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerẽs Iſaac filium ſuum ſuper altare?
Gene. 15. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſum-
Rom. 4. mata eſt? Et ſuppleta eſt ſcriptura, dicens: Credidit Abrahã Deo, & reputatum eſt
Galat. 3. illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Videtis quoniam ex operibus iuſti-
ficatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via eijciens? ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ità & fides ſine operibus mortua eſt. Iacob. 2.

SENTENTIAE HVIVS LIMITATIO D. SOTO.

Ex his verbis quidam elicere conantur, quòd fides mortua non ſit fides, tũ quòd eiuſmodi fides nihil differat à fide dæmonũ. Vno enim contextu ait Iacobus, ꝙ fides, ſi nõ habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa: & quòd ille, qui hoc modo credit, nihil magìs egregium facit q̃ dæmones, qui credunt & contremiſcunt. Hæc tamen ambo citra negociũ diſſoluet, qui verba Iacobi æſtimatè fuerit meditatus.

Non enim refert fidem ad Charitatem, ſicutì hominem ad animam, ſed ſicutì corpus ad animam. Non, inquã, ait: ſicut homo, ſed, ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ità & fides ſine operibus mortua eſt. Viuit enim per animã & homo, & corpus: ſed homo tanq̃ per formam, quæ pars ſuî eſt: corpus autem tanquàm per eam, quæ extrinſecùs ſibi accidit. Et ideò quia Deus, qui eſt nobis ceu anima vitæ
1. Ioan 4. ſpiritualis, habitat in nobis per charitatem, (Deus enim charitas eſt, & qui manet
in charitate, in Deo manet, & Deus in eo) expuncta charitate, & homo manet ſpiritualiter mortuus, & fides ſua mortua. Attamen, vt corpus abſq; anima ſuam retinet integram eſſentiam corporis, ità & fides abſque charitate, ſuam habet rationem, ſubſtantiam, & proprietatem fidei, quæ eſt aſſentire dictis Dei.

Neq; continuò conſequens eſt, fidem illam mortuam nihil ab illa dæmonum diſtare. Ratio enim fidei non ſolùm conſiſtit in certitudine, quam forſan habere poſſunt dæmones maiorem, immò clariorem nobis: ſed in eo, quòd per obedientiam & voluntatis obſequium (vt in ipſa eius definitione innuebamus) ſuſcipitur. Dæmones autem non vltrò, ſed inuitè credunt: & inde fit, vt noſtra fides ſuapte natura illiciat nos ad amorẽ Dei; illa verò ſua, nihil aliud quàm timorem illis incutiat & tremorem. D. Soto cap. 7. lib. 2. de Natura & Gratia.

DE FIDE FORMATA, D. PAVLI SENTENtia ad Galat.5.

NAM in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neq; pręputium: ſed fides, quę per charitatem operatur.

ET I. TIMOTH. I.

FINIS autem præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide nõ ficta. Quæ verba ſic interpretatur diuus Auguſtinus: Cùm enim diceret, charitas: addidit, de corde puro: vt nihil aliud, quàm id, quod diligendũ eſt, diligatur. Conſcientia verò bona, ſubiunxit propter ſpem. Ille enim ſe ad id, quod credit & diligit, peruenturum eſſe deſperat, cui malę conſcientię ſcrupulus ineſt. Tertiò, & fide, inquit, non ficta. Si enim fides noſtra mendacio caruerit, tunc & nõ diligimus quod non eſt diligendum, & rectè viuendo id ſperamus, vt nullo modo ſpes noſtra fallatur. Auguſtinus libro 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 40.

DE FIDEI EFFECTIBVS, QVOS D. PAVLVS AD Hebræos per exempla ſanctorum patrum veteris enumerat teſtamenti.

TABVLA 51.

NAM FIDE

I.

INTELLIGIMVS *aptata eſſe ſecula verbo* DEI, *vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.*

II.

FIDE *plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit* DEO: *per quam teſtimonium conſecutus eſt, eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius* DEO: *& per illam defunctus adhuc loquitur.*

III.

FIDE *Enoch translatus eſt, nè videret mortem: & non inueniebatur, quia tranſtulit illum* DEUS: *ante translationem enim teſtimonium habuit, placuiſſe* DEO.

IIII.

FIDE, *Noë reſponſo accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in ſalutem domûs ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.*

V.

FIDE, *qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatẽ: & exijt neſciens quò iret.*

VI.

FIDE *demoratus eſt in terra promiſsionis, tanquàm in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob, cohæredibus repromiſsionis eiuſdem.*

VII.

FIDE *& ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.*

VIII.

FIDE *obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo ſuſceperat repromiſſiones, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt* DEUS.

IX.

FIDE *& de futuris benedixit Iſaac Iacob & Eſau.*

X.

FIDE, *Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius.*

XI.

FIDE, *Ioſeph moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſsibus ſuis mandauit.*

XII.

FIDE, *Moiſes natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eò quòd vidiſſent elegantem infantem, et non timuerunt Regis edictum.*

XIII.

FIDE, *Moiſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorũ; improperium Chriſti. Adſpiciebat enim in remunerationem.*

XIIII.

FIDE *reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem Regis: inuiſibilem enim tanquàm videns ſuſtinuit.*

XV.

FIDE *celebrauit Paſcha & ſanguinis effuſionem, nè qui vaſtabat primitiua, tangeret eos.*

XVI.

FIDE *tranſiêrunt mare rubrum, tanquàm per aridam terram: quod experti Aegyptij, deuorati ſunt.*

XVII.

FIDE *muri Hiericho corruerunt circuitu dierum ſeptem.*

XVIII.

FIDE *Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.*

XIX.

ET *quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.*

Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, nè ſine nobis conſummarentur. Ad Hebr. cap. 11. per totum.

DE DVOBVS ERRORIBVS, QVIBVS HOC ſeculo doctrina vetæ & Catholicæ fidei plurimùm obſcuratur.

PLVRES quidẽ & graues ſanè, iidemque pernicioſi ſunt errores hac tempeſtate, qua ſępè multumque controuertitur de virtute ſiue efficacia fidei, qua fideles ſumus: quorum tamẽ duo pręcipui, ex quibus cæteri ferè omnes pendére videtur, & connexi ſunt, & quaſi inſeparabiles.

PRIMVS:

QVÒD iuſtificatio noſtra ex ſola diuina pollicitatione, abſque operibus noſtris, dependeat.

SECVNDVS:

QVÒD certus fieri quiſque poſſit per fidem, ſe eſſe in gratia.

CONTRA PRIMVM DISPVTATIO NON MINVS ELEGANS & diſerta, q̃ grauis & erudita D. Auguſtini in lib. de vita Chriſtiana, cap. 13.

PROPOSITIO.

ALIOS noui, inquit, quos ità inſipientiæ & imprudẽtię tenebroſa caligo & ignorantia fallit ac decipit, vt fidem quã habere ſe ſimulãt, ſine iuſtitię operibus apud Deũ ſibi cenſeãt profuturã: & hoc erroris genere decepti, ſine metu crimina nefanda cõmittunt, dum credunt Deũ non criminũ, ſed perfidiæ tantùm vltorẽ. Et huiuſmodi nõ ſolùm ſeipſos periſſe contẽti ſunt, ſed etiã alios, in quibus nullum diuinę ſciẽtię lumẽ eſt, ſuis nituntur laqueis implicare, & impletur in illis Saluatoris noſtri ſententia, dicẽtis: Cęcus ſi cęco ducatũ pſtet, ambo in foueã cadunt. (Matth. 15.) Nam ſi nullũ crimẽ, ſed ſola perfidia condẽnatur, ergò ſecuri peccamus & liberi, & ſine cauſa Deus dedit mãdata iuſtitię, ſi ſola ſine iuſtitię operibus fides prodeſt.

CAVSA HVIVS ERRORIS QVAE SIT.

VNDÈ hic tam impius, tam ſceleſtus, tam pfidus ignorãtię error obrepſerit, ſcire non poſſumus, niſi fortè ex illis, q hoc exẽplo in lege veteri populum ſeducebãt, & ſecum ſimul ęternæ morti & perpetuo tradebant interitui, de quibus ſcriptũ eſt: Nolite audire ſermones prophetarũ, q prophetãt vobis, quoniã vani ſunt ipſi, (Hier. 23.)

&

& viſiones à corde ſuo loquuntur,& non ab ore Domini. Dicunt enim iis qui reiecerunt verbum Domini, Pax erit vobis,& omnibus qui vadũt in voluntatibus ſuis. Omni qui vadit in errore cordis ſui, dicunt, Non venient ſuper te mala.

ERRORIS HVIVS CONFVTATIO.

MVLTA quidē nobis, immò totius legis teſtimonia aderant, qbus tam pernicioſum deſtruere errorē ac ſepelire poteram*:ſed nè legentē diutiùs fatigemus, ſufficiant pauca de plurimis. Reſpōdeat ille mihi, cuius talis eſt ſenſus: Adam à Deo factus homo primus ſtatim in principio mundi, perfidię, an peccati cauſa damnatus eſt? In quo nihil fuiſſe incredulitatis inuenio, pter ſolam inobediētiam, cuius cauſa ille damnatus eſt,& omnes ſuo damnantur exemplo. Cain quoquè nō perfidię cauſa, ſed quia fratrem interemerat, condēnatus eſt. Quid plura? Vniuerſus hic mundus vt diluuio interiret, non perfidię cauſa lego factũ fuiſſe, ſed criminũ. Sodoma & Gomorrha vt repentino cremarentur incendio, nullam cauſam incredulitatis inuenio, niſi peccatorum & ſcelerum: quod ſcriptura euidenter demonſtrat & dicit: Homines Sodomitę, mali & peccatores erãt in conſpectu Dei valdè. Populus ille Iudaicus vt tam frequenter interire videretur,& corripi, nónne peccatorum cauſa pręſtabat? Geneſ. 13.

SOLVTIONES OBIECTIONVM, QVIBVS CONCILIANTUR SENTENTIAE PAULI & IACOBI DE FIDE & OPERIBUS.

SED dicit aliquis: Veteris legis teſtimonia tantùm non accipio, niſi mihi & noui teſtamenti exempla protuleris: Accipe Saphiram & Ananiam, quos apoſtolica ſententia, non perfidię crimine, ſed furti & mendacij cauſa, damnauit.

Forſitan dicturus es mihi: Vt quid ergò Apoſtolus dicit, Arbitramur iuſtificari hominē per fidem ſine operibus legis? Ipſum qui hoc dicit, lego hominē abſentē etiã condemnâſſe, quia vxorē patris acceperat. Intelligenda eſt ergò ſcriptura*, q̃ ſcientibus conuenire videtur in omnibus,& nō niſi ſolis, à quibus minimè intelligitur, diſcrepare. Iuſtificari hominem, inquit Apoſtolus, per fidē: ſine legis operibus, dicit, ſed non ſine illis operibus, de quibus alterum Apoſtolum audio dicētem: Fides ſine operibus mortua eſt. Paulus enim Apoſtolus de legis operibus locutus eſt, hoc eſt, de circunciſiōe carnali,& neomenia,& ſabbatho,& huiuſmodi ceteris, quæ lex fieri antè præceperat,& iam Chriſti tempore non erant neceſſaria. Iſte verò Iacobus de operibus iuſtitię loquitur, quæ qui non fecerit, verè mortuus eſt, quanuìs ſe ſimulet eſſe fidelem. 1. Cor. 5.

Sed dicet aliquis illud Apoſtoli, dicentis: Corde enim creditur ad iuſtitiã, ore autem fit confeſſio ad ſalutem: Stulte, hoc baptiſmi impletur in tempore, quo vt baptizetur quis, ſola confeſſio deſideratur & fides. Nam quid tibi ipſius baptiſmi lauacrũ prodeſt, ſi ſola ſine iuſtitia fides quęritur? Baptiſmo enim peccata ablui, fides omnium tenet. Si deincèps peccandum eſt, abluiſſe quid prodeſt?

SENTENTIAE CATHOLICAE CONFIRMATIŌ ex collatione ſcripturarum.

AVDI quid dicat Dominus homini ſemèl ſanato: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, nè qd tibi deterius eueniat. Hoc & beatus Petrus Apoſtolus maniſeſtiſſimè docet, ei deterius aliquid, q poſt agnitã iuſtitię viam peccauerit, euenire, cùm dicit: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti, his rursùm impliciti ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim eſſet illis viam non cognoſcere iuſtitię, quàm poſt cognitam retrorsùm cōuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri Prouerbij: Canis reuerſus ad vomitum ſuum,& ſus lota in volutabro luti. 2. Petr. 2. Prou. 26.

Hoc & beatus Paulus Apoſtolus teſtatur,& loquitur, hominem poſt baptiſmi ſanctificationē priſtino errore peccantē, non ſine ingenti pœnitentia cōſeruari, dicēs: Impoſſibile eſt enim, eos q poſtq̃ ſemèl illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cęleſte,& participes ſunt facti ſpiritûs ſancti, guſtauerunt nihilominùs Hebr. 6.

bonum

bonum Dei verbum,virtutesq́; ſeculi venturi,& prolapſi ſunt,renouari rurſùs ad pœnitentiam,rurſùs crucifigentes ſibimetipſis filium Dei,& oſtentui habentes.

VIA SALVTIS.

Matth.19. QVENDAM etiam ad Saluatorem acceſſiſſe,& quid faciendo vitam æternã percipere,interrogâſſe Euangeliſta teſtatur: cui ità à Domino reſponſum eſt:Si vis vitam habere,ſerua mandata.Non dixit,Serua tantùm fidem.Nam ſi ſola fides q̃ritur,ſuperfluè iubentur mandata ſeruari. Sed abſit vt ego Deum meum aliquid dicam pręcepiſſe ſuperfluum.Sed dicant hoc illi,qui peccando iam filij perditionis effecti ſunt:& in hoc tantùm ſolatium ſe habere credunt,ſi alios ſecum potuerint morti perpetuę mancipare.

PECCATIS HOMINES DAMNARI ETIAM FIDELES.

Prou.11.iuxta 70. 1.Petr.4. Pſal.38. 103.67. NAM ſi Deus peccatorem non punit,vbi eſt illud propheticũ, Si iuſtus vix ſaluus erit,peccator & impius vbi parebunt? Et alibi:Quia peccatores peribunt. Et iterùm: Deficient peccatores à terra,& iniqui ità vt non ſint.Et iterùm:Sicut deficit fumus,ità deficiant:ſicut fluit cera à facie ignis,ſic pereant peccatores à facie Dei.Nullum hîc tantùm incredulum & infidelem,ſed peccatores audio condemnati.

NEC SOLAM SVFFICERE FIDEM.

Matth.7. ET Saluatorem noſtrum quodam loco dixiſſe lego:Non omnes qui dicũt mihi, Domine Domine,intrabunt in regnum cælorum,ſed qui faciunt voluntatẽ patris mei qui in cęlis eſt. Vtiquè iſti in Chriſtum credebant,qui eum etiã Dominũ nuncupabant.Nec idcircò illis cæleſtis regni ianua panditur,quia illum ore,quẽ factis abnegant,confirentur.Negari autem Deũ factis, non minùs quàm verbis,
Tit.1. Apoſtolus dixit:Deum confitentur ſe nôſſe,factis autem negant.Et Dominus in
Matth.7. Euangelio:Multi mihi dicent in illa die : Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et dicam illis:Nunquàm vos cognoui.Diſcedite à me omnes,qui operamini iniquitatem. Vſqueadeò iſti credidiſſe dicuntur,vt in nomine Domini virtutes etiam operarentur. Nec tamen eis proderit fides,quia iuſtitię opera non fecerunt.

SED NECESSARIA ETIAM AD SALVTEM ſunt opera.

ITAQVE ſi ſola fides prodeſt,cur illi cum angelis ſatanæ in perpetuum gehennæ ignibus mancipãtur, qui non perfidiæ cauſa,ſed quia boni nihil fecerunt,iudica-
Matth. 25. tur?ſicut ſcriptum eſt:Et dicet eis rex qui ad ſiniſtram ſunt: Diſcedite à me maligni in gehennam æternam,quam parauit pater meus diabolo & angelis eius. Eſuriui,& non dediſtis mihi manducare:&c. Non dixit vtiquè, quia non credidiſtis mihi.Vndè intelligi datur,non eos incredulitatis cauſa,ſed propter bonorũ operum ſterilitatem, eſſe damnandos.

DISPVTATIONIS HVIVS EPILOGVS.

NEMO ergò alterum decipiat,nemo ſeducat.niſi quis iuſtus fuerit, vitã non habebit:niſi quis in omnibus Chriſti mandata ſeruauerit,partem non poteſt habere cum Chriſto:niſi q̃s terrena deſpexerit,diuina non accipiet: niſi humana contempſerit,non poteſt habere cæleſtia.Nec quiſquam Chriſtianum ſe iudicet,niſi qui Chriſti & doctrinam ſequitur,& imitatur exemplum.Hactenùs Auguſtin.

CATHOLICA CONTRA HVNC ERROREM ASSERTIO.

SALVS itaque non offertur per Chriſtum,niſi certo modo qualificatis,ſicut demonſtrant hæ ſcripturæ: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto,nõ poteſt introire in regnum Dei,Ioan.3. Pœnitẽtiam agite,appropinquauit regnum Dei,Matth.4.Niſi pœnitentiam habueritis,ſimiliter omnes peribitis,Luc.13.Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis, Ad Heb.5. Ecce qualitates fidei,baptiſmi,pœnitentiæ,& ſpontaneæ voluntatis, ad obtemperandũ Chriſto prærequiruntur.Sonnius lib.1.Demonſtrationum de fide,cap.6.

DETE-

DETECTIO SECVNDI ERRORIS DE certitudine gratię. TABVLA 52.

CERTItudo ex duobus æſtimari poteſt, vel ex parte	*Obiecti, cuius aſſenſus non poteſt eſſe falſus.*	*Quæſtio autem præſens ità explicatur:*	*Non litigatur de certitudine ex parte ſubiecti. Nemo enim dubitat quin poßit quis ex leuitate tam firmum habere aſſenſum, & iudicio ſuo tam certum de re falſa, quàm Chriſtianus habet de fide catholica, vt hæretici de ſuis dogmatibus plerique omnes.*
	Subiecti eſt firmitas aſſenſûs illius rei, quam quis ſibi perſuadet, omni depulſa dubietate, propter ſibi apparentem veritatem.		*Sed dubitatio eſt de certitudine, ex parte obiecti, vtrùm eam quis poßit habere, ſe eſſe in gratia, vt talis aſſenſus eſſe nequeat falſus, magìs quàm ſi eſſet Catholicæ fidei. D. Soto de nat. & gratia, lib. 3. cap. 10.*

SVBDIVISIO. DE DVPLICI HVIVS quæſtionis ſenſu. TABVLA 53.

AT VERO QVAESTIO *poteſt præterea habere duos ſenſus:*	*Primum, ſecundùm præſentem ſtatum, An nunc ſcilicet ſit quis in gratia.*
	Alterum, an poßit habere certitudinem perſeuerantiæ vſque ad finem vitæ & aſſecutionis gloriæ.

CONFVTATIO PRIMI MEMBRI EX LIBELLO *Ioannis Heſſelij contra Nouitiam fidem, quam vocant ſpecialem, vndecim argumentis. Quorum*

PRIMVM eſt,

QVÒD hæc fides, qua quiſque certò ſtatuit ſibi remiſſa peccata propter Chriſtũ ſiue ea doctrina, qua docetur is habere peccati veniã, qui eam ſe per Chriſtũ habere firmiter ſtatuit, nõ ſit expreſſa in ſymbolo Apoſtolico, aut Niceno, vel Conſtantinopolitano, aut Athanaſij. Et cùm Auguſtinus libro de fide & ſymbolo, & in Enchiridio cap. 64. exponat Apoſtolicum ſymbolum, atq; expreſsè illam eius partem, (Remiſſionẽ peccatorum) huius fidei non meminit: Quinimmò docet, Deum in ignoſcendis criminibus reſpicere menſuram doloris & cordis contriti. Item Fulgentius & Ruffinus, aut alij dum ea quæ fidei ſunt exponunt, ne verbum quidem de hac fide faciunt, &c. proindè nouitia eſt, & veteri Eccleſiæ ignota.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

SECVNDÒ hæc perſuaſio eſt in ijs etiam qui integram fidem non habent, ſed hæretici ſunt: vt in Eunomio, de quo ſcribit Auguſtin' libro de hęreſibus ad Quoduultdeum: Fertur, inquiens, vſqueadeò fuiſſe bonis moribus inimicus, vt aſſeueraret, quòd nihil cuiquam obeſſet quorũlibet perpetratio ac perſeuerantia peccatorum, ſi huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.

TERTIVM.

TERTIÒ, hæc perſuaſio tollit timorem diuinę ſeueritatis atque iudicij, dum iubet hominem eſſe ſecurum.

QVARTVM.

QVARTÒ, reijcitur hæc doctrina ſic: Quiſquis carni mẽte ſeruit atque peccato, Deo placere non poteſt, iuxta Apoſtolum (Rom. 8.) dicentem, Qui in carne ſunt, & ſecundùm eam ambulant, Deo placere non poſſunt: Sed nemo certus eſt an dominetur ſibi peccatum, & ambulet ſecundùm carnem. Igitur nemo certus eſt ſe placere Deo.

QVIN-

QVINTVM.

Qvinto reijcitur hęc doctrina, quia tollit orationem Dominicā, qua oramus vt dimittantur nobis debita.

SEXTVM.

Sexto, doctrina huius ſpecialis fidei aduerſatur doctrinæ ſcripturæ de baptiſmo. Nam ſi fide hac certus ſit homo ſe eſſe Dei filium, Deumque ſibi iam propitium: conſequens eſt, baptiſmum non adhibendnm, vt peccata remittantur, vel vt homo renaſcatur.

SEPTIMVM.

Septimo, hæc perſuaſio aduerſatur Apoſtoli doctrinę de recto vſu Euchariſtię. In qua requirit probationē ſuijpſius, nè qs indignè mādu cet aut bibat. Doctrina aūt hęc hominē certū eſſe iubet, atq; ità ab omni periculo ſecurū fore pollicetur

OCTAVVM.

Octavo, hac vana doctrina euertitur veræ pœnitentię ſiue conuerſionis ad Deum prędicatio. Cùm enim ſacra ſcriptura doceat, veram pœnitentiam cōuerſionemque precedere remiſſionem peccatorum, hęc doctrina contrà aſſerit, remiſſionem peccati obtineri ante omnia per hanc fidem: & tum demùm ſequi veram pœnitentiam & conuerſationem ſecundùm Deum. Hinc eſt Luteri dictum: Qui credit ſe abſolutum, eſt abſolutus, quidquid ſit de contritione.

NONVM.

Nono, aduerſatur hæc vana fides poteſtati ſoluendi & ligandi, remittēdi & retinēdi peccata, quā dedit Dñs Petro & Apoſtolis. Habet enim hæc fides, ꝙ peccata ſint remiſſa ſola fide, etiā ſi nemo ſolutor vel remiſſor accedat, vt ridiculū iam ſit,

Ioan. 20. quod Apoſtolis ſuis Dominus dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittūtur eis.

DECIMVM.

Decimo, hęc fides adeò noua eſt & falſa, vt cùm ſibiįpſi cōtraria ſit, ſeipſam deſtruat. Nam nemo cuiquā aſſentitur, niſi quod verū eſſe iudicārit, etiā priuſquàm aſſentiatur. Cùm itaq; hac vana perſuaſione credat homo ſibi remitti peccata ꝑ eamipſam fidem, qua credit hoc, neceſſè eſt id verum eſſe etiam priùs quàm credat, atque ideò ipſa fides remiſſionis, poſterior eſt remiſſione.

VNDECIMVM.

Postremo, hęc vana perſuaſio procedit ex exili intellectu Euāgelij & verbi Dei, ſiue potiùs per ipſam verbū Dei peruertitur. Fides enim in nihil aliud collimare debet, q̄ in Dei verbū: Nullū autē eſt verbū Dei, dicens cuilibet hominum, eſſe ei remiſſa peccata. Sed Euangelium vnum & idem eſt apud omnes Chriſtianos. Vndè Euangelium generalibus enunciatis in ſcriptura proponitur. At particularia pro perſonarum varietate mutantur. Ioan. Heſſelius, apud quē fuſiùs tractantur.

CONCLVSIO PRIMI HVIVS MEMBRI CATHOLICA.

Nemo poteſt adeò eſſe certus ſuę proprię iuſtificationis, q̄ eſt Chriſtianus de articulis fidei. Ratio eſt, qa certitudo huiuſmodi, ꝙ quiſq; ſit in gratia Dei, ex duobus pēdet: vtpotè ex firmitate diuinę promiſſionis, q̄ eſt fides catholica: & ex noſtra diſpoſitione, nempe ſi fecerimus illa, q̄ à nobis ipſe requirit. Huius aūt ſecūdi mēbri fidē habere nō poſſum⁹, quāta eſt fides catholica: ergò neq; tantā vllus de cōmuni lege habere poteſt, ꝙ ſit in gratia. D. Soto c. 10. lib. 3. de natura & gratia.

CONFVTATIO SECVNDI MEMBRI, DE PERSEVERANTIA fidei, ex eodem Heſſelio per argumenta octo.

Mvlto porrò vanior eſt ea fides, qua quiſq; ſtatuit firmiter, ſe peruenturū ad vitam ęternam, quàm qua ſibi ſtatuit peccata remiſſa. Hęc enim etiam de futuris

Eccleſ. 8. pronūciat, quę ſoli Deo nota ſunt, iuxta illud Sapientis: Homo futura nullo ſci-

Prou. 27. re poteſt nuncio. Et, Nè glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies. Illa autem tantùm de pręſenti iuſtitia. Igitur & eius, licèt iam ſatis ſit reiecta, paucis oſtendamus vanitatem.

ARGV-

ARGVMENTVM PRIMVM.

PRIMÒ igitur, nullum ſymbolorum, neque Apoſtolicum, neq; Nicenum, neq; Conſtantinopolitanum, neq; Athanaſij habet, quòd quilibet debeat credere, ſe habiturũ vitã æternã. Licèt enim credamus vitam æternã, non tñ idcircò credimus nos eam poſſeſſuros. Credimus enim ſimiliter & mortẽ impiorũ æternã: & tñ nemo debet, etiãſi hactenùs impiè vixerit, credere ſe intraturũ ignẽ æternũ.

SECVNDVM.

SECVNDÒ, hæc perſuaſio, qua quis ſtatuit ſe peruenturum ad vitam æternam, eſt in hæreticis, qui certò non eò peruenient. Falſa eſt itaq; hæc perſuaſio, & nõ innitens veraci verbo Dei.

TERTIVM.

TERTIÒ, ſi fides iuſtificans reddit hominem certum de æterna vita, igitur certum eum facit, ꝙ in fide perſeuerabit, quod ſibi certò polliceri poteſt nemo. Nã ſicut Apoſtolus docet, multi repulſa bona conſcientia, naufragium fecerũt circa fidem: & alios præ auaritia à fide excidiſſe dicit. 1. Timot. 6.

QVARTVM.

QVARTÒ, hæc ꝑſuaſio ꝓnunciat de occulta & inſerutabili Dei p̄deſtinatiõe. Nã ꝑ eã firmiter ſtatuit homo ſe p̄deſtinatum, ſecurioŕq; eſt de æterna ſua ſalute, q̃ fuit homo & angeli ante lapſum. At ſecùs Auguſtinus: Licèt, inqͬt, ſancti de ſuæ ꝑſeuerantiæ p̄mio certi ſint, de ipſa tñ ꝑſeuerantia ſua reperiũtur incerti. Itẽ Hieronymus: Scriptũ eſt, inquit: Nè beatũ dixeris quempiam ante mortẽ, Eccle. 11. Quãdiù enim viuimus, in certamine ſumus: quãdiù in certamine, nulla eſt certa victoria, q̃ etiam Apoſtolo fortiſſimè prælianti, in futuro ſeculo reſeruabatur.

QVINTVM.

QVINTÒ, hac perſuaſiõe tollitur ſolicitudo rectè agendi, & ille timor, quẽ iubet Apoſtolus: Tu aũt fide ſtas. noli altũ ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatẽ Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excidèris. Ad Rom. 11.

SEXTVM.

SEXTO, hac perſuaſione iudicat homo ſeipſum, nõ ſolùm ꝓ p̄ſenti, ſed etiã ꝓ futuro tẽpore, omnibus modis ſic inuadẽs Chriſti iudicis officium, & peccãs in illud p̄ceptum ſapientis: Ante mortẽ nè laudes hominem quenquam. Eccle. 11.

SEPTIMVM.

SEPTIMO, Nullum eſt Dei verbum, quod teſtetur cuilibet fideli eum eſſe perſeueraturũ in fide & charitate, & habiturũ vitã ęternã. quinimmò iam oſtẽſum eſt, ſcripturã docere, multos à charitate excidere, atq; dãnari in ęternũ, vt Saul. Vana itaq; hęc ꝑſuaſio non verſatur circa Dei verbũ, & ꝓindè non eſt fides.

VLTIMVM.

POSTREMO, ſi ſtatuant, prout ſtatuunt, ꝙ conciliatã habeant erga ſe Dei beneuolentiã, ità vt hoc anno, menſe, vel die, nõ ſint caſuri à fide aut iuſtitia, ſed ꝓtegendi à Deo: manifeſtè iam patet, nõ hãc eſſe fidẽ qua iuſtificati fuerunt ꝓphetæ aut apoſtoli: vel, ſi ea iuſtificati eſſent, falſa certè, ſeu q̃ falſum crediſſent ꝓ Dei verbo, iuſtificati eſſent. Hęc omnia vberiùs pertractat R. D. Ioannes Heſſelius in dicta ſua confutatione, ca. 10. Et Dominicus Soto lib. de natura & gratia.

REGVLA SIVE DECISIO HVIVS CONTROVERSIAE COMMVNIS.

ALITER ergò conſideratur ꝓmiſſio de venturo Chriſto, & remiſſiõe peccatorũ in genere, q̃ ex nullo ꝓrſùs opere legis pendebat, vt arbitrabantur Iudęi: Aliter verò, vt ſingulis ꝓmiſſum beneficiũ applicatur: & ſecundùm hãc conſideratiõnẽ ꝓpter paruulos, q̃ iuſtificantur ante vſum rationis, ꝓmiſſio pendet ex operibus cuiuſq;. Quãdoquidem hoc modo nõ eſt facta ꝓmiſſio cuiuis abſolutè, ſed ſub conditione, ſi pœnitentiã egerimus, ſi vocẽ eius audierimus. Nam q audit & didicit, venit ad me, Ioan. 6. Idẽ Soto lib. 3. ca. 10. de natura & gratia.

DEFENSIO FIDEI CATHOLICAE ADVERſùs aliam calumniam, qua criminantur Catholicos docere, vt de ſalute ſua dubitent homines.

CATHOLICI docent, vt fidant quidem homines ſe vitam & veniam accepiſſe, vel accepturos eſſe, non tamen hoc tanq̃ Dei verbum credant, ſed timeant nè fortè éxcidant à pietate & vita. Abſit autem, vt ſic dubitet catholicus de aſſecutione vitæ æternæ vel veniæ, vt ea quæ ad horum aſſecutionem ſunt agẽda, aggredi ceſſet. Hæc enim dubitatio ſpei eſt contraria, & in deſperationem degenerat: ſicut & timor non obtinendæ veniæ vel vitæ, qui tantus eſt, vt torporem ad orandum pro venia, & viriliter certandum pro vita, inducat. At timor, qui ex proprię fragilitatis atque malitię, & diuinæ ſecuritatis conſideratione oritur, & tamen ſpei veniæ & vitę coniungitur, humilitatem & ſolicitudinem benè agẽdi generat atq; cuſtodit. Hunc timorem docemus, atque ex conſequenti illud in quo fundatur, nempe nos certos non eſſe de pœnitentia & perſeuerãtia noſtra. Ioannes Heſſelius in confutat. fidei ſpecialis, cap. 24.

DE SIGNIS GRATIAE DIVINAE.

TABVLA 54.

QVANVIS *autem communi lege, hoc eſt, fidei certitudine, de ſalute ſua niſi ex ſingulari quodam diuinæ reuelationis priuilegio, omninò certus nemo eſſe queat: ſunt tamen ſigna ſiue coniecturæ quædam, ex quibus homo Chriſtianus apud Deũ ſe in gratia eſſe ſpe bona colligere poßit, quorũ in libello quodam antiquo & pio, qui Fundamentũ æternæ inſcribitur felicitatis, numerãtur ſexdecim:*

SIGNVM PRIMVM.

DETESTATIO *peccatorum: de quo ſic diuus inquit Hieronymus: Tunc peccatorum ſalus incipit, cùm quis veraciter pro delictis ingemiſcit.*

II.

AMOR *verbi diuini, de quo Ioann. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Nam verbum Dei eſt cibus animæ. Non enim in ſolo pane viuit homo &c. Matt. 4. Vndè D. Auguſtinus: Nullum, inquit, maius eſt ſignum æternæ prædeſtinationis, quàm libenter audire verbum Dei.*

III.

PATIENTIA *in rebus aduerſis, eò quòd dicit Apoſtolus: Flagellat omnem filium quem recipit, Heb. 12. Et, Ego quos amo, arguo & caſtigo. Apoc. 3.*

IIII.

CORRECTIONEM *libenter admittere, atque ex ea in melius vitam commutare, vt cum Pſalmiſta dicere poßit: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Pſal. 114.*

V.

TIMENTES *Deum honore afficere: & præſertim eos, quos deſcribit Dauid in Pſalmo 23. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo &c? Cuſtodire autem illa præcepta, quæ ibi numerantur ex ordine, manifeſtum eſt bonæ gratiæ ſignum.*

VI.

HVMILITAS: *Nam D. Gregorio teſte, euidentißimum ſignum electionis eſt humilitas.*

VII.

DVBIA *in meliorem interpretari partem, nec libenter audire obtrectationes. Vndè Saluator noſter apud Ioan. 13. cap. In hoc cognoſcent homines, inquit, quòd mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinuicèm.*

VIII.

COMMISERATIO *in neceßitatibus proximorum. Aliter enim, vt D. ſcribit Gregorius, membra noſtri redemptoris non efficimur, quàm ſi proximo compatiamur. Hinc Pſalmiſta cecinit: Iocundus homo qui miſeretur & commodat.*

IX.

INIVRIARVM *remißio, quam ſic commendat Auguſt. Vnuſquiſque talem indulgentiam accipiet, qualem facit proximo.*

X. Stu-

X.

STVDIVM *probitatis, quandò quis frequẽter mouetur ab interiori animi ſenſu, vt bonus fieri & in melius proficere queat.*

XI.

FREQVENS *Paſsionis Chriſti meditatio, quæ cum gratiarum actione coniuncta ſit. Quò pertinet illud Ezechielis: Signa Thau in frontibus eorum, id eſt, ſignum crucis. Ezech. 9.*

XII.

BONA *& deuota ad mandata Dei inclinatio. Quod ſignum ab ipſo probatum eſt Saluatore ac Domino noſtro, his verbis: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matt. 19.*

XIII.

VEHEMENS *ad Dei viſionem anhelatio, iuxta illud Iob: Tædet animam meam vitæ meæ, Iob. 10. Super quo B. Gregorius: Præſens, inquit, vita tædere incipit, cùm vita cæleſtis dulceſcit.*

XIIII.

IN *omnibus præmiſsis bona intentio. Sicut enim oculus corporalis eſt ipſius humani corporis lucerna, ſic per radium intentionis illuſtrantur actionis noſtræ merita. Gregor.*

XV.

IN *præfatis virtutibus ad finem vſque perſeuerantia. De qua Matth. 10. dicitur capite: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et ſecundùm Gregor. Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur.*

XVI.

SYNCERA *& perfecta Dei charitas. Nihil enim cætera proſunt omnia ſine dilectiõe diuina. Hinc D. Auguſtinus: Sola, inquit, charitas diſtinguit inter filios Dei & filios diaboli.*

DE HIS SIGNIS CONCLVSIO S. BERNARDI.

QVIS poteſt dicere, ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitã, ego de numero filiorum? Quis hęc, inquã, dicere poteſt? reclamãte nimirùm ſcriptura, Neſcit homo, ſi ſit dignus amore, an odio. Certitudinem vtriq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, nè dubitationis huius anxietate penitùs cruciemur. Bernard. in ſerm. 1. De Septuageſima.

QVAE FIDEI RATIO POTISSIMVM SEQVENDA ATQVE præ cæteris tenenda ſit, ex Ambroſio.

SERVEMVS præcepta Maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. Librum ſignatum illum propheticum non ſeniores, non poteſtates, non angeli, non archangeli aperire auſi ſunt: ſoli Chriſto explanandi eius prærogatiua eſt ſeruata. Librum ſacerdotalẽ quis noſtrûm reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum? Quem qui reſignare coacti ſunt, poſteà tamen, damnata fraude, ſignârunt. Qui violare non auſi ſunt, confeſſores & martyres extiterunt. Quomodò fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Nemo metuat, nemo formidet: plus confert fidelibus, qui minatur. Venenatæ ſunt blanditiæ perfidorum, tunc cauẽdæ, cùm id quod negant, prædicare ſe ſimulant. Sic decepti ſunt & antè, qui facilè crediderunt, vt ibi perfidiæ laqueos inciderent, vbi fidem eſſe credebãt. Qui dicit, inquiunt, Chriſtum creaturam ſecundùm cęteras creaturas, anathema ſit, &c. Ambroſ. lib. 3. de fide ſanctæ Trinitatis. cap. 7. tom. 2.

DE FIDEI CATHOLICAE LAVDIBVS EX AVGVST.

NVLLAE maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia, quã eſt fides catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat, virgines & viduas & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat, in æterna hæreditate cum ſanctis angelis collocat. Auguſtinus ſerm. 1. de verbis Apoſtoli.

DE SPE, SECVNDA VERBI ABBREVIATI PARTE.

CONTINVATIO.

SED de fide hactenùs,deincèps de ſpe dicamus:quæ ſic affinis videtur fidei, vt & ea propemodùm naſci credatur ex fide:Fides enim eſt,qua Dei verbo creditur: Spes, qua expectatur, quod per verbum Dei promiſſum eſt. Vt enim expectemus, potiſſimùm fides verbi Dei facit,iuxta prophetam dicentem: Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum. Pſalm.9.

DE NECESSITATE SPEI.

SPEM neceſſariam Chriſtiano, inter cætera ſacræ ſcripturæ teſtimonia,D. Paulus 6.ad Hebræos capite abundè teſtatur,cùm ſpem appellat animæ noſtræ ancoram tutã ac firmã,& incedentẽ vſq; ad interiora velaminis, hoc eſt, tabernaculum æternæ beatitudinis,vbi ꝑcurſor pro nobis introijt Ieſus. Quemadmodũ enim ancora,fluctuante mari,firmat naues,nè euertantur, aut in ſaxa impellãtur & confringantur:ità ſpes in his mundi tempeſtatibus,de ꝓmiſſis diuinis nos confirmat,vt quæ nobis non in rebus fluxis,ſed in cælo fixa eſt,vbi nullæ rerum vices,ſed æterna ſtabiliaq; omnia. Albert.Nouicampian.in Scopo Biblico de fide, ſpe & charitate.

SPEI DEFINITIO.

SPES autem, quam D.Paulus modò confidentiam appellat,Heb.10.modò fiduciam, Heb.4.eſt ſummi boni,Deo miſerante,potiũdi expectatio.Marul.in Euãgeliſtario ſuo lib.2. cap.1.Hoc eſt, certa rerum bonarum futurarũ, quas à Deo promiſſas fide indubitata credimus,cum patientia expectatio. Nouicãpian.ibid.

DEFINITIONIS HVIVS CONFIRMATIO, ex verbis D.Pauli ad Rom.5.

IVSTIFICATI ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum,per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum:per quem habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtam, in qua ſtamus,& gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei &c.

SPERARE QVIS DICATVR.

ILLE ſperat, qui bonam conſcientiam gerit. Quem verò pungit mala conſcientia,retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnatiõem. Vt ergò ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam:& vt habeat bonam conſcientiam, credat & operetur:quia quòd credit,fidei eſt:ꝙ operatur, charitatis. Auguſtinus in præfatione in Pſalm.31.

SPES QVID DIFFERAT A FIDE, EX AVGVSTINO.

QVID autem ſperari poteſt, quod non creditur? Porrò etiam aliquid,quod nõ ſperatur, credi poteſt. Quis nanq; fidelium,pœnas non credit impiorum, nec ſperat tamen? Et quiſquis eas imminere ſibi credit, ac fugaci motu animi exhorret,rectiùs timere dicitur,ꝙ̃ ſperare. Quæ duo Lucanus diſtinguens,ità cõplexus ait: Liceat ſperare timenti. Non autem ab alio Poëta,quanuis meliore, propriè dictum eſt: Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem. Eſt itaque fides & malarum rerum, & bonarum: quia & bona creduntur,& mala,& hoc fide bona,nõ mala. Eſt etiam fides & præteritarum rerum, & præſentium, & futurarum.

Spes autem non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur. De qua Apoſtolus ait: Spes quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod nõ videmus ſperamus, per patientiam expectamus. Cùm ergò bona nobis futura eſſe creduntur, nihil aliud quàm ſperantur. Auguſtinus in Enchir. ad Laurent. ca.8.

QVO-

QVOTVPLEX SIT CHRISTIANA PATIENTIA.

PAVLVS in eo loco, vbi dicit: Si autem quod non videmus ſperamus, per patiētiam expectamus: non vnius ſimplicis generis patientiam inſinuat, ſed duplicē: Illam videlicet primùm, quæ eſt longanimitas ęquanimiter expectandi bonum illud excelſum, quod cùm anxiè percupimus, diutiſſimè nobis protrahitur, iuxta illud: Patientes eſtote vſque ad aduentum Dñi, Iaco.5. Nam cùm ſpes q̄ differtur, affligit animā, dilatio illa in genere malorū eſt, circa q̄ patientia verſatur. Rom. 8.

Sed prætereà cùm gloria hæc filiorum Dei nō niſi plurimis ſuperatis pugnis, ſubactiſque hoſtibus obtineatur, quæ ſpe illius perpetimur, per huiuſmodi etiā malorum patientiam, hoc eſt, tolerantiam, eandem gloriam expectamus. D. Soto in epiſtolam Pauli ad Rom. cap. 8.

QVID IN SPE CHRISTIANA TENENDVM, ſequendumque ſit.

OMNIVM Chriſtianorum ſpes in futurum tempus extenditur, vt quòd hîc ſeruimus Deo, alibì nos ſeruiſſe lętemur: Hîc enim nobis poſita ſunt certamina, ſed in futuro ſeculo certaminum præmia reſeruata. Iuſtè ſiquidem & prouidè diuina ſapientia ſeparauit tempus laboris & præmij. Hîc ergò laboramus, hîc ſeruimus Deo, & mandata eius ſeruamus, vt in futuro ſeculo, id eſt, in cælorū regno, ęterna p̄mia capiamus. Auguſt. ſer. 19. de verbis Apoſtoli: vel iuxta alios, ſer. 34.

QVIDVE IN EADEM MAXIME CAVENDVM, fugiendumque ſit.

NIHIL tam inimicum eſt ſpei, q̄ retrò reſpicere, id eſt, in eis rebus, quæ retrò labuntur & tranſeunt, ſpem ponere, & in ijs quæ nondùm datæ ſunt, ſed dandæ quandoquè, nunquàm tranſibunt, non ſperare. Quandò autem ſcatet tentationibus mundus, veluti pluuia Sodomæ ſulphurea, metuendum eſt exemplū vxoris Loth. Retrò enim reſpexit, & vbi reſpexit, ibi remanſit. In ſalem cōuerſa eſt, vt imprudens prudentes condiret exemplo. Auguſtin. de verbis Domini ſerm. 29. Idem ſuper Pſalm. 95. Debet Chriſtianus, inquit, vti mundo, nō ſeruire mūdo, vt habentes, ſint tanquàm non habentes.

QVIS VERAE SPEI SIT SCOPVS.

TOTA ſpes noſtra in Deo ſit, nihilque de nobis, tanquàm de noſtris viribus pręſumamus, nè noſtrum facientes, quod ab illo eſt, & quod habemus, amittamus. Auguſt. ſuper Pſalm. 70. ſerm. 1. Factus eſt enim Chriſtus ſpes noſtra. In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam: laborem in paſſione, mercedem in reſurrectione. Sic ergò factus eſt ſpes noſtra. Habemus enim duas vitas: ſed vnam in qua ſumus, alteram quam ſperamus: In qua ſumus, nota nobis eſt: quam ſperamus, ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis, quam nōdùm habes. Quomodò toleras? vt non vincaris à tentatore laboribus ſuis, tentationibus, paſſionibus, morte ſua demonſtrauit tibi vitam in qua es: reſurrectione ſua demonſtrauit tibi vitam, in qua eris. Nos enim non noueramus, niſi naſci hominem & mori: reſurgere hominem, & viuere in æternum, nō noueramus. Suſcepit quod noueras, & demonſtrauit quod non noueras. Ideò ergò factus eſt ſpes noſtra in tribulationibus, in tentationibus. Idem in Pſalm. 60.

DE EODEM.

NOLI aliquid à Domino tuo ſperare, ſed ipſe Dominus tuus ſit ſpes tua. Nanq; multi de Deo ſperant pecuniam, multi de Deo ſperant caducos honores & perituros, vel aliud quodlibet à Deo præter ipſum Deum: ſed tu ipſum Deum pete. Immò contemptis alijs, perge ad illū, obliuiſcens alia, memēto illius: relinquēs retrò alia, extēdere in illū. Ipſe ceitè auerſum correxit, ipſe ducit rectū. Ergò ſit ipſe ſpes tua, q ducit, & p̄ducit. Et paulò pòſt: Sit ſpes noſtra Deus noſter. Qui fecit hæc omnia, melior eſt omnibus: q fortia, fortior: q magna, maior: quidqd amaueris, ille tibi erit. Diſce amare in creatura creatorē, & in factura factorē: nè teneat te quod ab illo factum eſt, & amittas eum à quo & ipſe factus es. Auguſt.

DE GRADIBVS SPEI, SENTENTIA D. Pauli ad Roman.5.

Sed & gloriamur in tribulationibus,ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, Spes autem non cõfundit: Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritumſanctum, q datus eſt nobis.,Rom.5.

DE EFFECTIBVS SPEI CHRISTIANAE per exempla: NAM SPE

I.

MOISES *ſtetit intrepidus ante Pharaonis conſpectum, & tandèm populum de Aegypto eduxit, Exod.cap.5. & 6. &c.*

II.

SPE *in Deum nixi filij Iſrael,contra Beniamin tribum præliantes,tandèm prænaluerũt. Iudic. 20.*

III.

SPE *confiſus in Deũ Dauid, dixit ad Goliath: Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.1.Reg.cap.17.*

IIII.

SPE *& confidentia in Deum,Nathan propheta audacter corripuit Dauid poſt adulterium. 2.Regum 12.*

V.

SPE *confidens Elias,dixit Achab: Non ego turbaui Iſrael,ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata* Domini *3. Reg.18.*

VI.

SPE *fretus* Heliſæus, *dixit ad Ioram regem Iſrael: Quid mihi & tibi eſt? Vade ad prophetas patris tui.4.*Reg.*3.*

VII.

SPE *bona confiſus Tobias, dixit increpantibus eum:Nolite ità loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus:& vitam illam expectamus,quam* Deus *daturus eſt illis, qui fidem ſuam nunquàm mutant ab eo.Tobiæ 2.*

VIII.

SPE *inuicta fultus Iob,amicis ſuis reſpondit: Etiam ſi* Deus *occiderit me,in ipſo ſperabo. Iob 13.*

IX.

SVSANNA *cùm iniuſtè condemnaretur,erat in anguſtijs cor eius:ſperans autem in* Domino, *liberata eſt.Erat enim cor eius fiduciam habens in* Domino.Daniel.*13.*

X.

DIVINA *ſpe armati Matathias & filij eius,reſtiterunt nuncijs Antiochi regis, & dixit Matathias: Et ſi omnes gentes* Regi Antiocho *obediant,vt diſcedant vnuſquiſque à ſeruitute legis Patrum ſuorum,& conſentiant mandatis eius:ego & filij mei & fratres mei obediemus legi Patrum noſtrorum.Propitius ſit nobis* Deus:*non eſt nobis vtile relinquere legem & iuſtitias* Dei. Nõ *audimus verba regis* Antiochi, *nec ſacrificabimus, tranſgredientes legis noſtræ mandata, vt eamus altera via. 1.Machab. 2.*

XI.

INVICTAE *ſpei fuit mater cum ſeptem filijs, è quibus cùm tertius tormentis diris occideretur à rege tyranno,inquit: E cælo iſta poſſideo, ſed propter* Dei *leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero. 2.Machab.7.*

XII.

ABRAHAM, *vt dicit Paulus ad* Rom.*4.contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium,ſecundùm quod dictum eſt ei:*Erit *ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli & arena maris.Gen.13.*

XIII.

IN *Chriſti autem fidelibus ſpes diuina atque Chriſtiana quanta virtutis fuerit, teſtantur glorioſi*

eſi martyres, qui illi innitentes, mundum & mundi tyrannos deuicerunt. Ideò Seruator noſter Ioan.14. cap. ad eam adhortatus eſt Apoſtolos, dicens: Confidite, quia ego vici mundum. quaſi dicat: Sicut ego mundum vici, ità & vos, ſi veram ſpem ac confidentiam in me habueritis, mundum vincetis. Ex quibus omnibus facilè conſtat, quantæ virtutis, & quàm mirabilium operum cauſa extiterit ſpes diuina atque Chriſtiana.

EXHORTATIO D. PAVLI AD RETINENDAM IN SPE Chriſtiana conſtantiam.

NOLITE ergò amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Heb. 10. Sed adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Heb. 4.

ALIA D. AVGVSTINI EXHORTATIO.

SPEM tuam omni hora in Deo pone: & quicquid tibi acceſſerit, ſiue bonum, ſiue malum, ex toto corde, & cum pura mente ſemper dic: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me feſtina. Si vis ſaluus eſſe, verſiculus iſte de corde tuo nõ recedat: cum ipſo dormi, & cum ipſo vigila. Auguſt. ſer. 1. de ieiunio Quadrageſimæ.

EIVSDEM.

DEVM gratìs diligamus, in illo ſemper ſperemus, nec hominem, nec diabolum timeamus. Nec ille, nec iſte facit aliquid, niſi quantùm permittitur. Permitti ad nihilum poteſt, niſi quod nobis prodeſt. Toleremus malos, ſimus boni: quia & nos fuimus mali. Pro nihilo ſaluos faciet Deus omnes, de quibus deſperare non debemus. Ergò de nemine deſperemus: pro omnibus quos patimur, oremus: à Deo nunquàm recedamus. Patrimonium noſtrum ipſe ſit, ſpes noſtra ipſe ſit, ſalus noſtra ipſe ſit. Ipſe hîc conſolator, ibì remunerator, vbiq; viuificator, & viator: non alterius vitæ, ſed illius de qua dictum eſt: Ego ſum via, & veritas, & vita: vt & hic in lumine fidei, & ibì in lumine ſpeciei tanquàm in lumine viuentiũ in conſpectu Domini placeamus. Idem ſuper Pſalm. 55.

VERAE CHRISTIANAE SPEI, DVO POTISſimùm vitia maximè officere.

DVO ſunt vitia generis humani, quibus homines pereunt. Alij ſperando, alij deſperando. Deſperando perit, qui dicit, Ego ſcio facinora mea, ego nôui ſcelera mea: quomodò fieri poteſt, vt illa quę feci, dimittat mihi Deus? Sperando perit, qui dicit: Quid prodeſt quod dicis, Iam faciam qdquid poſſum? Hoc perdo, quod non facio: ſic me damnaturus eſt pro vno peccato, ſicut pro multis. Et ideò ſi illam vitam habiturus ſum, vel iſtam perdere nolo, quare ergò nõ facio voluntatem meam? Quarè non explebo libidines meas? Alius verò timens periculũ deſperationis, incipit ſperando perire, quandò dicit: Quandocunquè fuero cõuerſus, promittit Deus dimittere mihi: Spero in ipſius miſericordia, quia totum mihi dimittit. Sed deſperanti dicit Deus, Nolo mortem peccatoris &c. Speranti verò, Nè tardes conuerti ad Dominum &c. Auguſt. ſerm. 5. in ſermonibus cõmunibus, vt citatur in Milleloquio. Interìm vide ſimilia ſerm. 48. & 39. de verb. Domini. Item tractatu 33. in Euangel. Ioannis, & Homil. 1. ex lib. 50. homiliarum.

EPILOGVS.

CONFIDIMVS autem, quia conſcientiam habemus bonam, in omnibus benè volentes conuerſari. Heb. 13.

CHARITAS CVR FIDEI SIMVL ET SPEI præferatur.

Charitas, quæ tertia nobis adiungitur ad fidem & ad ſpem, maior eſt ſupra fidem & ſpem: quia fides eſt rerum, quæ non videntur: erunt autem ſpecies, cùm viſæ fuerint: & ſpes rei eſt quæ non tenetur: adueniente ipſa re, nõ erit iam ſpes, quia tenebimus, non ſperabimus. Charitas autem non nouit, niſi creſcere magis magisq;. Si enim amamus, quẽ non videmus: quomodò amaturi ſumus, cùm viderimus? Deſiderium ergò noſtrum creſcat. Chriſtiani nõ ſumus, niſi propter futurum ſeculum. Auguſt. in Pſal. 91.

DE ORDINE CHARITATIS, SIVE DE DVplici dilectionis mandato.

Ordinem eſſe in charitate, cõſtat ex eo quod habetur Cantic. ſecundo: Introduxit me Rex in cellã vinariã, & ordinauit in me charitatem. Vndè etiam Saluator noſter Chriſtus in cap. Matt. 22. duplex nobis pſcripſit dilectionis mandatũ: Vnũ, *ꝙ amore Deũ cõplecti debeam^*: alterũ, quomodò ꝓximus ſit diligendus. *quo

DE CONDITIONIBVS AMORIS DIVINI, PRImo dilectionis præcepto.

Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc eſt maximum & primum mandatũ. Matt. 22.

DE CATHOLICA ISTARVM CONDITIONVM explicatione, ex Euangeliſtario Matuli.

(EX TOTO CORDE)

Devm ex toto corde tunc diligimus, cùm nihil eius dilectioni æquamus: ſed q̃cunque nobis chara ſunt, ſecundo loco habemus: quod niſi præſtabimus, Deo frui non poterimus. Ait enim, Qui amat patrem aut matrẽ plùs q̃ me, nõ eſt me dignus: & q amat filiũ aut filiã plùs q̃ me, non eſt me dignus. Matt. 10.

(EX TOTA ANIMA.)

Ex tota autẽ anima Deũ diligimus, cùm ne vitæ quidẽ noſtræ parcimus, dum ei obſequimur, nihil timendo eos q corpus occidunt: ſed illum potiùs, q & corpus & animã poteſt mittere in gehennã, cùm ipſe dicat: Qui pdiderit animã ſuã ꝓpter me, inueniet eam. Hoc quidẽ ſancti pſtiterunt martyres, qui temporalẽ vitã pro Chriſto offerentes, accipere meruerunt æternam.

(EX TOTA MENTE)

Ex tota verò mente Deum diligimus, quandò fide certiſſima, quidquid de Deo ſancta ſentit eccleſia, cõplectimur: & cũcta q̃ vel animo volumus, vel opere implemus, ad ipſius cultum atq; honorem dirigimus: nec quidquam omittimus, quantùm in nobis eſt, quod ad eius dilectionem referri poſſit.

REGVLA.

Diligamvs ergò Dominum Deum noſtrum toto corde, nẽ quid illo charius habeamus: tota anima, nẽ ꝓ illius nomine corporis tormenta, mortemq; ipſam, ſi caſus inciderit, aut quidquã formidemus: tota mente, vt omnis noſtra cogitatio, omniſq; actio ad vnũ finem tendant, placendi videlicet Deo, eiuſq; conſpectu perpetuò perenniterq; pfruendi. Marul. in Euangeliſtario ſuo lib. 4. ca. 1.

DE DILECTIONE PROXIMI, SECVNDO Chriſtianæ Charitatis præcepto.

Secvndvm autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Matt. d. cap. 22.

QVANTVM CHARITATIS FRATRI DEBEAMVS IMPENDERE.

Nec illa iam quæſtio moueat, quantum Charitatis fratri debeamus impẽdere, quantũ Deo. Incõparabiliter plùs q̃ nobis, Deo: Fratri autem, quantum nobiſipſis. Nos autem ipſos tanto magis diligimus, quãto magis diligimus Deum. Ex vna igitur eademq; charitate Deum proximumq; diligimus. Sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum. Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 8.

REGV-

REGVLA.

Ea autem eſt fraternæ dilectionis regula, vt quæ ſibi quiſq; vult bona prouenire, & proximo velit: & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines ſeruat. Nam erga neminem operandum eſt malum. Et dilectio proximi malum non operatur. Diligamus ergò, vt præceptum
Rom.13. Matt.5. eſt, etiam inimicos noſtros, ſi verè inuicti eſſe volumus. Auguſt. de vera religione, cap.46.

ALIA REGVLA DE VTROQVE PRAECEPTO ſimul, ex Auguſtino.

Semper omninò cogitate, diligendum eſſe Deum & proximum: Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & proximum tãquàm teipſum. Hęc ſemper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda ſunt. Dei dilectio prior eſt ordine præcipiendi: Proximi autem dilectio, prior eſt ordine faciendi. Neque enim qui præciperet tibi dilectionem iſtam in duobus præceptis, priùs tibi commendaret proximum, & poſteà Deum: ſed priùs Deum, & poſteà proximum. Tu autem quia Deum nondùm vides, diligendo ꝓximum, ꝓmereris quem videas: diligendo ꝓximum, purgas oculum ad viden-
1.Iohan. 4. dum Deum, euidenter Ioanne dicente: Si fratrem, quem vides, non diligis: Deũ quẽ non vides, quomodò diligere poteris? Auguſt. in euangel. Ioan. Tractat.17.

IDEM IN LIBRO DE FIDE ET operibus, cap. 10.

Nolo pluribus immorari: nam ſi diligenter cõſideratur, iſta duo præcepta ex alterutro connexa reperiuntur, vt nec dilectio Dei poſſit eſſe in homine, ſi non diligit proximum: nec dilectio proximi, ſi non diligit Deum.

QVIBVS MODIS AVGEATVR CHARITAS, SIVE de gradibus & profectu charitatis.

Si quis habuit tantam charitatem, vt paratus ſit pro fratribus etiam mori, perfecta in illo eſt charitas. Sed nunquid mox vt naſcitur, iam prorſus perfecta eſt? vt perficiatur, naſcitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: & cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Auguſt. ſuper primam B. Ioã. Canonicam Tractatu 5.

DE EISDEM GRADIBVS, EX D. Bernardo. TABVLA 55.

CHARITAS *autem quæ Deus eſt,*

- *Naſcitur, ſi cibaueris inimicum, ſi potum dederis ei: quia hæc faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Carbones ignis, ſunt opera charitatis, quæ congeruntur ſuper diabolum, qui eſt caput omnium iniquorum, vt ablato eo, naſcatur eis caput Deus, qui eſt charitas.*
- *Creſcit, ſi neceſſitatem patienti ſubueneris; ſi volenti mutuare præſtiteris, ſi amico animum tuum aperueris.*
- *Seruatur,*
  - *Si loquendo, vel exhibendo etiam quæ non videntur neceſſaria, amicorum voluntati ſatisfeceris.*
  - *Item bono vultu, dulci ſermone, hilari operatione: vt charitatẽ quam vultus & ſermo indicant, pia & hilaris operatio confirmet. Bernard. in quibuſdam dictis.*

CHARITAS QVID CAETERIS PRAESTET NON TANtùm virtutibus, ſed diuinis etiam donis, ex Auguſtino ſuper illud Ioan.13.

In hoc cognoſcẽt oẽs, q̃a mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionẽ habueritis adinuicèm: tanq̃ diceret: Alia mea munera habẽt vobiſcũ etiã non mei, nõ ſolùm naturam,

vitam,

vitam,ſenſus, rationem, & eam ſalutem,quæ hominibus pecoribusq; communis eſt: verùm etiam linguas, ſacramenta, Prophetiam, ſcientiam, fidem, diſtributionem rerum ſuarum pauperibus,& traditionem corporis ſui vt ardeāt: ſed quoniā charitatē non habent,vt cymbala concrepant,nihil ſunt, nihil eis ꝓdeſt. 1.Cor.13.
Non;ergò in illis,quanuis bonis,muneribus meis, q̄ habere poſſunt etiam nō diſcipuli mei:ſed in hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Auguſt. in Euangelium Ioannis, Tractat. 65.

QVAE CHARITATIS VIS SIT.

QVApropter fratres ſectamini charitatem, dulce ac ſalubre vinculum mentium, ſine qua diues pauper eſt,& cum qua pauper diues eſt. Hæc in aduerſitatibus tolerat,in proſperitatibus temperat,in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris,in tentatione tutiſſima,in hoſpitalitate latiſſima, inter veros fratres lætiſſima,inter falſos patientiſſima. Auguſt. in ſerm.39. De tempore.

QVI EFFECTVS.

CHARITAS in Abel ſacrificio grata, in Noë per diluuium ſecura, in Abrahæ pegrinationibus mſuetiſſima, in tribus pueris iugulandis ignes innocēter expectat,in Machabæis ſæuos ignes fortiter tolerat. Caſta in Suſanna erga virum, in Anna poſt virum,in MARIA præter virum. Libera in Paulo ad arguendum,humilis in Petro ad obediendum, humana in Chriſtianis ad confitendum, diuina in Chriſto ad ignoſcendum. Quanta eſt iſta animorum ſalus, ſcientiæ ſolidamētum,fidei fructus,diuitiæ Pauperum,vita morientium? Ibidem.

DE CHARITATIS FRVCTIBVS.

Paulus 1.Cor.13.

CHARITAS patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperā, non inflatur,non eſt ambitioſa,non quærit q̄ ſua ſunt,non iritatur, non cogitat malum,non gaudet ſuper iniquitate,congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit,omnia ſperat,omnia ſuſtinet. Charitas nunq̄ excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt,ſiue ſcientia deſtruetur.

DE LAVDIBVS CHARITATIS.

CHARITAS cauſa eſt & mater omnium virtutum, quæ ſi deſit,fruſtrà habentur cætera: ſi autem adſit,habentur omnia. Omnia fiunt facilia charitate. Mandatū Dei non habet graue. Quomodò enim eſt graue,cùm ſit dilectionis mandatū? Aut enim quis non diligit,& iam graue eſt: aut diligit,& graue eſſe non poteſt. Auguſt. in tractatu de laudibus Charitatis.

DE EISDEM, EX D. BERNARDO.

O bona mater Charitas, quæ ſiue foueat infirmos,ſiue exerceat prouectos, ſiue arguat inquietos, diuerſis diuerſa exhibens,ſicut filios diligit vniuerſos: cùm te arguit, mitis eſt: cùm blanditur,ſimplex eſt: piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere: patienter nouit iraſci,humiliter indignari. Ipſa eſt quæ hominū mater & angelorum,non ſolùm quæ in terris, ſed etiā quę in cælo ſunt,pacificauit. Ipſa eſt, q̄ Deū homini placans,hominem Deo reconciliauit. Bernardus in epiſt.2.

EXHORTATIO, AD MVTVAM FOVENDAM charitatem, D.Auguſtini.

O charitas,q̄ magnas vires habes? De cælo Deū poſuiſti. O chara ſanitas. O ſancta & vera charitas,q̄ tāta es in terris,quāta eris ſanctitas in cælis? Quæ tantùm potes in hac pugna mortalitatis adhuc ſolicita, quantū poteris? in illa perfecta pace ſecura? Euigila itaq; omnis anima Chriſtiana, & ſi in te emicet virtus Charitatis, quæ omnia ſuſtinet, Domini tui imitare veſtigia. Chriſtus enim, ait Petrus Apoſtolus,pro nobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Et ſi ille propter te de cæleſti ſede ad terrena deſcēdit, tu propter te fuge terrena,appete cæleſtia. Si dulcis eſt mundus,dulcior eſt Chriſtus. ſi amarus eſt mundus, omnia pro te ſuſtinuit Chriſtus. Via tibi factus eſt ipſe Saluator: ſurge, ambula. Auguſt. in tractat. de 4. Virtutibus charitatis.

ALIA EXHORTATIO D. PAVLI.

ITAQVE conſideremus inuicèm in prouocatione charitatis & bonorum opc. rum, non deſerentes collectionem noſtram, ſicut eſt conſuetudinis quibuſdã, ſed conſolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diẽ. Ad Heb. 10.

A DIVINA CHARITATE NOS DIVELLI NON debere, ex eodem.

SCIMVS quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundùm propoſitum: vocati ſunt ſancti &c. Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt, Quia propter te mortificamur tota die,
Pſal. 43. æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, q dilexit nos. Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neq; profunditas, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ad Rom. 8.

EPILOGVS DE TRIBVS HIS VIRTVTIBVS Theologicis, Fide ſcilicet, ſpe, & charitate.

CVR HAEC TRIA IN CHRISTIANISMO ANTE omnia ſint neceſſaria.

CVR autem prædictæ tres virtutes ad religionem Chriſtianam inprimìs requirantur, indè inter cætera colligere poteris. Cùm Deus is ſit, vt quid ſubſtantiæ ſit, neutiq̃ intelligi poſſit: tum iudicia exuberãtiſſimæ ſapientiæ diuinæ talia ſint, vt nullis mentibus humanis percipiantur: conſilia ſic inſtituta, vt eorum rationes nullus creatus intellectus perueſtiget: De quibus quidem cùm Paulus Apoſtolus, cui tertij cæli myſteria videre contigerat, diſſereret, ſtupore contemplãti oborto, exclamauit: O altitudo diuitiarum ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei: q̃ incompræhẽſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? quis enim cognouit ſenſum Domini?
Rom. 11.

CVM (inquã) hæc talia ſint, quædã etiam, ſi ſapientiam ſpectes mundanã, ſcandalo: neceſſariò erit hîc fides, qua credat vnuſquiſq; vera eſſe, ad quæ vocatur: & ſpes, qua ſperet ſe illa poſſe cõſequi: & charitas, qua illa omnia diligat. Cùm enĩ intellectus & voluntas p̃cipuæ vires animæ protoplaſti, illi in hoc diuinitùs inditæ, vt Deũ conditorem omnium cognoſceret, agnitum (quoàd fieri poſſet) cõplecteretur: per peccatum vitiatæ fuêre in illo, & in nobis ceu ſtirpe: Intellectus quidem quo iudicaret, quid eligendum, errore: voluntas verò, qua expeteret quod ratio dictaret, carnali concupiſcentia.

Igitur his remedijs opùs eſt fide, (ſine qua ſpes eſſe non poteſt) quæ purificaret cor, hoc eſt, mentem & rationem, ceu fontem animi: & charitate, quæ ſubmoueret prauas cupiditates, vt ad ea tantùm feramur, quæ p̃ſcripſit Deus. Nouiomagus in Scopo Biblico.
Rom. 5.

DE FIDE ET SPE IVSTIFICANTE, SENTENtia Catholica.

FIDES illa, Catholicorum iudicio, ad iuſtitiam ducit, qua Deus creditur paratus omnibus pœnitentibus & inuocantibus ſe per Chriſtum, in ſacramento baptiſmi vel reconciliationis ignoſcere.

ITEM,

QVA creditur quotidiana iuſtorum peccata condonare inuocantibus ſe per eũdem Chriſtum crucifixum, dum ea derelinquunt, & dimittunt peccãtibus in ſe, atque eleemoſynis inſiſtunt.

ITEM

ITEM.

Qua creditur daturus bona opera inuocantibus ſe per Chriſtum, & perſeuerãtes in illis per eundem Chriſtum reſuſcitaturus, eiusque merito ipſorum bonorum operum vitam æternam redditurus.

Spes autem in Dei potentia & miſericordia cuique naſcitur, cùm primùm fuerit bonæ voluntatis, cùm primùm cœperit eſſe bonæ conſcientię, cùm primùm deſiderium pœnitentię & bonæ vitæ conceperit: Spes, inquam, tali oritur de venia percipienda, & vita bona atque ęterna.

Huic ſpei timor connexus eſt ex cõſideratione diuinę iuſtitię, & humanæ malitiæ, crebrò nimis & occultè in corde latentis.

ITEM.

Ex conſideratione humanę impotentiæ ad benè agendum & perſeuerandum, ſi vnquàm Dei deſit auxilium, quod ille, cui voluerit, donat D. Ioan. Heſſelius cõtra fidem ſpecialem in principio.

SVMMA SVMMARVM D. AVGVSTINI DE Trinitate lib. 13. in fine.

Nunc librum iſtum ità claudimus, vt admoneamus, quòd iuſtus ex fide viuit, quę fides per dilectionẽ operatur, ità vt virtutes quoquè ipſę, quibus prudenter, fortiter, temperanter iuſteque viuitur, oẽs ad eandem referantur fidem. Non enim aliter poterunt eſſe verę virtutes, quę tamen in hac vita non valent tantùm, vt aliquandò non ſit hîc neceſſaria qualiumcunque remiſſio peccatorum, quæ non fit niſi per eum, qui ſanguine ſuo vicit Principem peccatorum. Ex hac fide & tali vita quęcunque notiones ſunt in animo fidelis hominis, cùm memoria continentur, & recordatione inſpiciuntur, & voluntati placent, reddunt quandam ſui generis Trinitatem. Habac. 2.

SCOPVS BIBLICVS

ALBERTI NOVICAMPIANI.

DE CREATIONE HOMINIS.

Devs, vnus in eſſentia, trinus in Perſonis, qui in ſemetipſo beatiſſimè ab ęterno Pſal. 32. manſit, procurſu temporis, verbo ex nihilo vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt, vt Salomon ait, non quòd ijs indigeret, ſed ad oſtendendam gloriam ſuã, Prou. 16. abundantesque diuitias gratię ſuę in bonitate rationali creaturę. Ea re igitur ho- Ephe. 2. minem ad imaginem & ſimilitudinem ſuî creauit, hoc eſt, naturam compotẽ rationis & cogitationis ei impertiuit, vt eſſet, qui opera eius intelligeret, qui illius Geneſ. 1. immenſam poteſtatem, ſapientiam, bonitatem admiraretur, prędicaret: vtque Eccleſ. 17. cùm cętera animantes ventri pabuloque ſeruirent, ille in diuina Maieſtate ſuſpicienda ac prædicanda, omnem operam, mentem deniquè omnem collocaret, Deumque piè colendo, & aſſiduè contemplando, ſummũ bonum cõſequeretur.

DE LAPSV HOMINIS ET MORTE.

Primum autem hominem Deus ità condiderat, vt perfunctum obedientię munere, ſine interuẽtu mortis, angelica immortalitas & beata ęternitas ſequeretur. Geneſ. 3. At ille non conſiderans ſibi tantum honorem à Deo exhiberi, pręcepto diuino non obediens, fructum, quo illi in paradiſo conſtituto Deus interdixerat, ex arbore decerptum comẽdit, atque ea ratione tranſgreſſo pręcepto diuino, primus Sap. 2.

hominum peccauit,peccatumq́ne inobedientia ſua ex inuidia diaboli, qui illum
Sap.2. Rom.5. ſeduxerat,profecta,in mūdum inuexit tale tantumq́ue,vt omnes qui ab eo ſecū-
dùm carnem gignerentur,ſubijcerentur peccato,morti,damnationiq́ue ęternę,
redacti ſub iugum & tyrannidem diaboli.

DE CHRISTO PROMISSO.

Epheſ.1. Geneſ.3.12. 26.18. Porrò Deus qui diues eſt in miſericordia,propter nimiam Charitątem ſuam,qua
dilexit nos,filium ſuum ſeruatorem ſe miſſurum pollicitus eſt ipſi Adamo,Abra-
hamo,Iſaaco,& reliquis,qui à peccato & tyrānide diaboli liberaret eos, qui viua
fide huic promiſſioni fiderent,liberationem hanc ab ipſo & per ipſum ſperātes.

DE LEGE.

Rom.3.5.7. Interim verò dum expectabatur promiſſus Chriſtus,(quoniam apud omnes ferè
homines,lex naturę ità erat obſcurata,vt etiā manifeſta ſcelera,perindè ac ſi ſce-
lera non eſſent,diſſimularentur)data fuit lex à Deo,quę oſtenderet peccatum,&
terreret conturbareq́ue conſcientiam,non vt per incuſſos hominibus timores
perimat: ſed vt humanas animas,quaſi de innocentia ſecuras,ipſa demonſtratio-
ne peccati reas faciat:quô tandèm illæ intelligentes peccatum ſine gratia vinci
Galat.3. non poſſe,reatûs ſolicitudine ad percipiendam gratiam promiſſi mediatoris cō-
uerterentur,vtq́ue lege quaſi pædagogo,à ſceleribus coërcerētur, illiſq; lex eſſet
norma rectè viuendi. Qui quidem mediator, conſtituto apud ſe tempore venire
voluērat,quo abundabat omnis iniquitas,cùm diabolus omnem menſuram ma-
litię à Chriſto delendæ impleuerat.

DE ADVENTV CHRISTI.

Vbì autem aduénit Plenitudo illa temporis,natus eſt ille Chriſtus Ieſus, & ante
Iſa.53. legem & tempore legis multis patribus promiſſus & prędictus,pœnaſq; peccato
hominis debitas,ceu verus agnus,vera hoſtia in cruce perſoluit, (id quod futurū
Ioan.1. hoſtijs illis in veteri lege à Deo pręſcriptis adumbratum erat)eoq; modo homi-
1 Ioan.2. Heb.9.10. nes natura filios irę exiſtentes, Deo Patri recōciliauit, & à tyrannide diaboli,cui
Ephe.2. propter peccatum erant ſubiecti,liberauit,vt ſine timore de manu inimicorum
Heb.1. ſuorum liberati,illi ſeruirent in ſanctitate & inſtitia coram ipſo omnibus diebus
Luc.1. ſuis,Zacharia parente pręcurſoris Domini,ſpirituſancto repleto, ità vaticināte.

DE FIDE IVSTIFICANTE, QVAE OPERATVR per charitatem,in ſpe firma fundatam.

Rom.3. Vt quod,iuſtitia illa prima amiſſa,aſſequi non poterant, nunc adipiſcantur iuſti-
ficati,velut Apoſtolus ait,gratìs per gratiam Dei, per redemptionem quæ eſt in
Galat.5. 2.Cor.5. Chriſto Ieſu,quem propoſuit Deus mediatorem per fidē in ſanguine ipſius.Quæ
quidem fides in Chriſto valet,quæ per charitatem operatur. Hac autem fide ſu-
Epheſ.1. Rom.8. ſcepta,dat Deus ſpiritum ſuum ſanctum,quo ſignat omnes credentes, qui eſt pi-
gnus & arrhabo, nos certò vitam ęternā poſſeſſuros,teſtimoniumq́ue reddit ſpi-
Rom.5. ritui noſtro,quòd ſumus filij Dei,ſimulq́ue diffundit charitatem in viſcera no-
ſtra,quę Chriſtianorum eſt quoddam peculiare inſigne:& ſpem,quam(vt Paulus
Heb.6. ait)ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam,& incedentem vſque ad in-
teriora velaminis,vbì præcurſor pro nobis introijt Ieſus,ſecundùm ordinē Mel-
chiſedech Pontifex factus in æternum.

DE IV-

Hic autem Chriſtus Ieſus, qui à mortuis tertio die reſurgens, per quadragintaq; Act.1. & 2.
dies appárens ſuis, & loquens illis de regno Dei, in conſpectu diſcipulorum in cœ-
lum aſſcendit, ſpiritumque ſanctum illis promiſſum miſit: poſt interfectum ſpi- 2.Theſ.2.
ritu oris ſui hominem peccati, quãdò mortui reſurgent, ſedebit in Maieſtate ſua 2.Cor.3.
omnes iudicaturus, & redditurus vnicuique propria corporis, prout geſſit, ſiue
bonum, ſiue malum: dicturusq́ue his qui à dextris erunt, Venite benedicti patris Matth.25.
mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Ijs autem qui à ſi-
niſtris: Diſcedite à me omnes maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabo- 1.Cor.15.
lo & angelis eius. Tunc finis erit, Regnumque Deo Patri tradet.

DE VSV SACRAE

SCRIPTVRAE ECCLESIASTICO,

ex Petro de Natalibus. TABVLA 56.

REGNVM *illud cælorum, de quo in tota agitur ſcriptura, per Saluatorẽ ipſum humanis aſſimilatur nuptijs. Vt autem in nuptijs ſex diuerſi plerũquè actus intercedere atque concurrere ſolẽt: videlicet,*	*Paranymphorum, id eſt, internunciorum mediatorum, quales fuerunt*	*Prophetæ, Patriarchæ.*	*Sic totus vitæ humanæ curſus, à mundi exordio vſq; in finẽ eiuſdẽ, in ſex diuiditur tẽpora, in quibus agitur de*	*Tractatione ſponſaliorum.*	*Atque hic curſus in Eccleſia ſingulis abſoluitur annis.*
	Stipulatio, ſiue mutui conſenſûs declaratio.			*Mutui conſenſûs datione.*	
	Subarrhatio per oblationem annuli.			*Subarrhatiõe, quæ per annuli fit dationem.*	
	Nuptiarum ſolennitas, hoc eſt, ſponſæ in domum ſponſi traductio.			*Nuptiarum ſolẽnijs.*	
	Matrimonij copula ſiue conſummatio.			*Conſummatione matrimonij per copulam carnalem.*	
	Liberorum procreatio.			*Procreatione itidem liberorum.*	

DE PRIMO TEMPORE, QVOD IN SPONſaliorum occupatur præparatione, fuitque ab Adam vſque ad Chriſtum, & hodiè repræſentatur in Eccleſia à principio aduentus Domini vſq; ad Feſtum Natiuitatis Chriſti. TABVLA 57.

PARAnymphi harum nuptiarum cum Eccleſia fuerunt

- *Patriarchæ,*
- *Prophetæ.*

Quorũ colloquia de nuptijs futuris verſantur circa

- *Legem*
  - *naturæ,*
  - *Circũciſiõis,*
  - *Moiſis.*
- *Prophetias de Meſſia venturo.*

Vndè hoc tẽpus aduẽtûs Dominici, in quatuor diuiditur hebdomadas, in quarum

- *Prima*
- *Secũda*
- *Tertia*
- *Quarta,*

Agitur de

- *Lege naturæ, cuius duo ſunt præcepta:*
  - *Honeſtè viuere,*
  - *Neminẽ lædere.*
  - *Vtrunq; tangit Paul. in Epiſtola Dominicæ primæ bis verbis:*
    - *Induamur arma lucis: Sic vt in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatib⁹, nõ in cubilib⁹ & impudicitijs, Non in contentione & æmulatione.*
- *Circunciſione, ad quam reſpiciens Paulus, in epiſtola Dominicæ ſecundæ exclamat, dicens: Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis, ad euacuandas promiſſiones Patrum.*
- *Scripta lege, cuius reſpectu Paulus in epiſtola Dominicæ ſecundæ, ſub perſona legislatoris & miniſtri, ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*
- *Teſtimonijs Prophetarũ. Vndè Apoſtolus Paulus induẽs perſonã Prophetæ, Chriſtum venturum & propinquum eſſe aſſeuerat, dicens: Gaudete in Domino ſemper. iterùm dico, gaudete. Dominus enim propè eſt. In epiſtola Dominicæ quartæ.*

DE SE.

DE SECVNDO TEMPORE, IN QVO FACTA EST Verbi & hominis mutui conſenſûs obligatio & ſtipulatio. Quod fuit à Chriſti incarnatione vſq; ad eius baptiſmum, repręſentatur autem à Chriſti natiuitate vſque ad Septuageſimam. TABVLA 58.

HOC TEM-*pore de ipſo agitur matrimonio Chriſti cũ Eccleſia Catholica contracto: hoc eſt, cum populo*

- IVDAICO, *à feſto Natiuitatis, in quo ipſe mundo editus, per angelos primò omniũ Paſtoribus reuelatur Iudæis, à quibus vel nouiſſimis viſitatus eſt. vſque ad Epiphaniam.*
- GENTILI, *à feſto Epiphaniæ, in quo Chriſtus primitijs gentium ſtella duce nunciatur, à quibus oblatis muneribus adoratur. vſque ad octauas Epiphaniæ.*
- VTROQVE, *per hoc ipſum Matrimonium in ouile vnum coacto. Ab octaua Epiphaniæ vſque ad ſeptuageſimam.*

Circa hoc enim tempus illæ potiſſimùm D. Pauli leguntur Epiſtolæ, quibus Chriſtum non tantùm Iudæorum, ſed & gentium Deum eſſe probat, eumque pro vtriuſq; ſalute veniſſe affirmat: inter quas illa quæ ad Romanam ſcribitur Eccleſiam, eſt præcipua.

DE TEMPORE SVBARRHATIONIS, QVOD FVIT à Chriſti Baptiſmate vſque ad Reſurrectionem: Repręſentatur in Eccleſia à Septuageſima vſque ad feſtum Paſchæ. TABVLA 59.

CHRI-*ſtus ſpõſam ſuam Eccleſiã Catholicam, vti reginam illuſtriſſimam, triplici deuinxit ſibi annulo triũ gemmarũ,*

- *Saphiri coloris cæleſtis, fidei videlicet ſupernæ per prædicationem: quam Chriſt⁹ ipſe*
  - *Incepit, in ipſa Septuageſima*
    - *Conducendo operarios in vineam, id eſt, Eccleſiam ſuam.*
    - *Mittendo ſcilicet ſeptuagintaduos Apoſtolos prædicatores ante faciem ſuam.*
  - *Per ſeipſum perfecit Dominica ſexageſima, ſub parabola de*
    - *Seminatore, id eſt, Chriſto.*
    - *Semine, id eſt, verbo prædicationis Euangelicæ.*
  - *Confirmauit miraculis in Quinquageſima. Quale eſt illud, quòd iuxta eiuſdem diei Euangelium cæco reſtituitur viſus. Quo exemplo ſignificatur genus humanum, à culpæ cæcitate, per verbi diuini prædicationem eſſe liberatum.*
- *Smaragdi, hoc eſt, virentis ſpei, quã parauit nobis Chriſtus operibus pœnitentiæ: qualia ſunt,*
  - *Ieiunium, Oratio, Eleemoſyna, Peregrinatio.*
    - *De quibus agitur ſequẽtibus quatuor Dominicis:*
      - *Prima Quadrageſimæ: quo tẽpore Chriſti prædicatur ieiunium, quod ipſe quadraginta diebus & totidem pertulit noctibus.*
      - *Secunda, vbi Chriſtus ideò in montem Tabor aſcendit excelſum, vt oraret, ſoluſq; orans trãſfiguratus eſt, quod licèt Matthæus prætereat, Marcus tamen & Lucas non reticent.*
      - *Tertia, quandò eleemoſynam ſpiritualis diſtribuit gratiæ, ſanando ægrotos, vt dæmoniacum ſurdum & mutum.*
      - *Quarta, in qua Ieſus abijt trans mare Galilææ, &c. Ioan. 6.*
- *Carbũculi, igniæ videlicet charitatis per amaram Chriſti paſſionem,*
  - *Tam animi, quam pertulit à Iudæis:*
    - *Blaſphematus,*
    - *Expulſus.*
      - *In Dominica Paſſionis.*
  - *Quàm corporis, quã ſuſtinuit in carne*
    - *Paſſus,*
    - *Cruci affixus,*
    - *Mortuus.*
      - *Dominica Palmarum, & per totam hebdomadam ſanctam.*

DE QVARTO TEMPORE, ET GLORIOSA SPONſæ deductione. Quod tempus fuit à Reſurrectione Domini vſq; ad miſſionem Spirituſſancti: & exhibetur in Eccleſia à ferijs Paſchatis vſq; ad feſtum Pentecoſtes. TABVLA 60.

SVB ID *tempus pronuba Chriſti, quæ catholica dicitur eccleſia,*

- *Deducitur de domo Tyranni diaboli, qui fraude pater eius effectus fuerat, per integram octauam Paſchatis, vbi dicitur ei: Obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.*
- *Myſticè induitur, colitur, & dotatur: Ab octauo Paſchæ vſque ad aſcenſionem. Nam in*
  - *Prima Dominica poſt Paſcha, glorificatur in corpore Chriſti, per clauſas ianuas intrantis, & incomparabili donatur immortalitate. Atque hinc iſta Dominica dicitur in Albis, quòd ſtolis candidis Neophyti veſtiantur.*
  - *In reliquis 4. Dominicis ſequentibus pia glorificatur in anima, cuius dotes ſecūdum Auguſtinum ſunt*
    - *Viſio beata,*
    - *Dilectio Chriſtiana.*
    - *De quibus agitur in Dominica poſt Paſcha*
      - *Secunda & tertia. Nam tunc leguntur quædam ex lib. Apocalypſis: vbi fit mentio de 24. ſenioribus, & de Angelis ac turba magna ſanctorum, ſtantium ante thronū, diuina fruentium viſione.*
      - *Quarta & quinta, in quibus epiſtolæ leguntur Canonicæ, quæ præ cæteris mirè Chriſtianam cōmendant dilectionem.*
- *In domum ſponſi ſolenniter introducitur: & hoc in perſona*
  - *Chriſti,*
  - *Et patrum glorificatione.*
  - *Vndè tunc in Eccleſia cantatur, Aſcendit Deus in iubilatione: Et, aſcendit Deus in altum, captiuam duxit captiuitatem.*

DE CONSVMMATIONE HVIVS MATRIMONII, quinto humanæ vitæ tempore. Quod in Eccleſia celebratur à feſto Pentecoſtes, vſque ad octauas corporis Chriſti. TABVLA 61.

CONSVMMAtio *Matrimonij, inter Chriſtum & Eccleſiam contracti, fit per copulam*

- *Spiritualem, per integram octauam pentecoſtes, vſque ad feſtum corporis Chriſti. Quo tēpore Chriſtiani homines omnes Chriſto haud aliter, quàm membra capiti, Spirituſſancti connectuntur vinculo.*
- *Corporalem, à feſto corporis Chriſti, vſque ad eius octauam, in quo memoria venerandi illius celebratur Eucharistiæ, per cuius ſumptionem fideles Chriſto etiam corporaliter coniungi dicuntur.*

DE SE.

DE SEXTO TEMPORE, SIVE DE PROCREATIone filiorum Eccleſiæ: Quorum vita & res geſtæ conſiderantur ab octaua corporis Chriſti, vſque ad tempus aduentûs Domini. TABVLA 62.

ECCLEſiæ filij, dicuntur eiuſdem Eccleſiæ	Fundatores,	Vt	Apoſtoli.	Sub typo	Regum { Iſrael & Iuda,	Nam iſtorũ tunc legũtur libri: videlicet	à Feſto corporis Chriſti, vſque ad Calẽdas Auguſti,
	Cõſtructores,		Doctores.		Salomonis,		à Calendis Auguſti, vſq; ad Calendas Septemb.
	Conſeruatores,		Cõfeſſores.		Sanctorum { Iob, Tobiæ, Eſdræ, Iudith, Heſter,		Per totum menſem Septembrem.
	Defenſores,		Martyres.				In menſe Octobri.
			Sanctæ virgines.		Machabæorum,		Toto menſe Nouembri, vſque ad Dominicã aduentûs Domini.
	Augmẽtatores,				Prophetarum.		

APPENDIX.

TABVLA 63.

SED ET ALIQVA ſanctorum feſta, etiam in ſupradicta quinque incidunt tempora. Quorum alia celebrantur tempore	Tractatiõis ſiue conſultationis,	De quibus vide	Petrum de Natalibus,
	Stipulationis,		Aloyſium Lipomanũ de Vitis ſanctorum.
	Subarrhationis,		Breuiarium Romanum & alia.
	Deductionis,		Martyrologia { Bedæ, Vſuardi, Adõis & cæterorũ.
	Conſummationis.		

ALIA TEMPORVM PARTITIO, EX Vuilhelmo Durando. TABVLA 64.

VT annus ſolaris ĩ quatuor diuiditur partes, videlicet, in	Hyemem, in qua ſemina iaciũtur:	Sic & magnꝰ vitæ pſentis annus, ab initio ſeculi vſque ad finẽ mũdi, 4. temporum diſtinguitur varietate.	Primũ fuit deuiationis à Dei cultu, ab Adam vſq; ad Moiſen. Quod tẽpus dicitur ignorantiæ & cæcitatis.	Quod tẽpus cõcordat cũ	Hyeme, in qua regnat obſcuritas.
	Ver, in quo ſeminata prodeũt, & in ſpicas acuuntur:		Secundum, Reuocationis, à Moiſe, vſque ad natiuitatem Chriſti. Quod tempus dicitur promiſſionis.		Vere, quod aliquid habet quidẽ luminis, ſed etiã multũ obſcuritatis.
	Aeſtatem, in qua Meſſes albeſcũt, & falce ſuccidũtur:		Tertium, reconciliationis ſiue liberationis, à natiuitate Chriſti vſq; ad aſcenſionẽ eiuſdem. Quod tempus dicitur ſalutis, & tempus acceptabile.		Aeſtate, in qua regnat claritas.
	Autumnũ, in quo per ventilationẽ grana à paleis ſeparata, in horreis reponuntur:		Quartum, peregrinationis, ab Aſcenſione Domini, vſque ad diem iudicij, vbi erit conſummatio ſeculi.		Autumno, qui & ſi multum habeat luminis, habet tamen aliquid etiã obſcuritatis.

PARTITIONIS HVIVS APPLICATIO AD VSVM Eccleſiæ Catholicæ, quid in ea per totum agatur annum.

TABVLA 65.

HAEC Quatuor tempora

- Conſiderātur ſecundum 4. principales dieipartes, videlicet
  - Noctis,
  - Auroræ,
  - Meridiei,
  - Veſperæ.
  - Quæ pertinet ad tēpus
    - Deuiationis.
    - Reuocationis.
    - Reconciliationis.
    - Peregrinationis.
    - Quod dicitur
      - Deſperationis.
      - Reſpirationis.
      - Liberationiſ.
      - Exercitationis.
      - Et ideò Eccleſia in prīcipio
        - Hyemis
        - Veris
        - Aeſtatis
        - Autumni
        - Cātat,
          - Circūdederunt me gemitꝰ mortis.
          - Ad te leuaui animā meam.
          - Quaſi modò geniti.
          - Domine, in tua miſericordia ſperaui.
- Deſignātur per quatuor principales Chriſti actiones:
  - Natiuitatis, vt ſunt
    - Circunciſio,
    - Apparitio,
    - Baptiſmus,
    - Purificatio.
  - Paſſionis, cuius partes ſunt
    - Ieiunium,
    - Tentatio.
  - Reſurrectionis, ad quam pertinent
    - Aſſcenſio in cælum, & Spirituſſancti miſſio.
  - Aduentûs ad iudicium, ad quem locum referuntur
    - Transfiguratio.
    - Miraculorū operatio.
  - Ex his
    - Paſſio,
    - Natiuitas
    - Reſurrectio
    - Aduentus
    - Cōparatur
      - Hyemi.
      - Vêri.
      - Aeſtati.
      - Autumno.
- Repræſentantur. Tempus quidem
  - Lapsûs, à Septuageſima vſque ad Paſcha, recolendo caſum & pœnam primorum parentum, propter eorum culpam.
  - Promiſſionis, ab aduentu Domini vſque ad Feſtum natiuitatis Chriſti.
  - Reparationis, ab octauis Paſchæ vſque ad octauas Pentecoſtes.
  - Peregrinationis, ab octauis Pentecoſtes vſque ad Domini aduentum. Cuius temporis ratio in ſequentibus explicatur tabulis.

Hactenùs ex Rationali diuinorum officiorum ſub initium libri ſexti.

DE TEM-

DE TEMPORE PEREGRINATIONIS, QVID illo potiſſimùm Catholica reſpiciat Eccleſia. Ex eodem in fine libri ſexti. TABVLA 66.

TOTVM HOC *tempus peregrinationis non incommodè referri poteſt ad lectiones ſacras illius temporis, cuius ſeries fuit, à Dauid vſque ad Domini aduentum, & quæ à primitiua cœpit Eccleſia. Nam*

- *Primùm*
  - *Sicut Sauli ſucceſſit Dauid, 1. Reg. 8. 2. Reg. 5.*
  - *Sic dæmonum cultui verus ſuperuénit vnius Dei cultus.*
- *Deindè*
  - *Quemadmodùm Regnum Dauid per Roboam & Ieroboam in ſciſſuras diuiditur,*
  - *Ità Eccleſiam hæreticorum ſcindit inſania.*
- *His ſubijciuntur præterea libri Salomonis: quia poſt pugnas hæreticorũ, claruerunt in Eccleſia ingenia ſanctorum Doctorum.*
- *Sequitur tandèm liber Iob, vbi agitur de perſecutionibus & conſolationibus eius. Quia quantumuìs in pace floreat Eccleſia, tentationes tamen non deſunt ſpiritualium aduerſariorum. Quorum quanto occultior eſt pugna, tanto eſt difficilior: ſed eo glorioſior erit adquiſita tandèm victoria.*

QVAE VETERIS PRAECIPVE TESTAMENTI ſcripturæ, ſingulis anni temporibus in Eccleſia Dei & legi & cantari conſueuerint. Ac primùm de hyeme, ſiue primo illo diſpenſationis tempore. TABVLA 67.

EARVM RERVM *ſumma, quas hoc tẽpore Catholica contemplatur Eccleſia, continetur in libris præcipuè Moſis. Cùm autẽ tempus diſpenſationis à Ianuario vſque ad Iunium dures excluſiuè, ſinguli eius mẽſes ſingulis temporibus præteritis rectè poſſunt adplicari. Nam per menſem*

- *Ianuarium, in quo nouus annus inchoatur:*
- *Februarium, in quo Alleluia deponitur:*
- *Martiũ, in quo plerũquè celebratur quadragesima:*
- *Aprilem, in quo paſchatis peraguntur ſolennia:*
- *Maium, in quem Feſtum incidit Pentecoſtes:*

Illud tẽpus innuitur,

- *In quo mundus à diluuio iterũ renouatus eſt.*
- *In quo vniuerſitas linguarum confunditur.*
- *Sub quo Dei populus in Aegypto affligitur.*
- *Quandò idem populus à Pharaonis tyrannide liberatur.*
- *Vbi adhuc idẽ ille Dei populus in pmiſſiõis terra gratulabat̃.*

QVÆ

QVAE VETERIS TESTAMENTI SCRIPTVræ, peregrinationis tempore in Eccleſia recitari ſoleant.

TABVLA 68.

HVIVS TEMporis lectiones, præſertim nocturnales, ſua varietate ſuoq́ ordine ſeriem deſignãt temporum vel profectuum ſanctæ Eccleſiæ. Nam

- *Iunius & Iulius, quibus hiſtoria Regum legitur, Regnum Saül & Dauid cõmemorant.*
- *Auguſtus, in quo liber Sapientiæ recitatur, Regnum ſapientis Salomonis inſinuat.*
- *Reliqui quatuor menſes principalia denotãt regna, videlicet Regnum*
  - *Babylonicũ, quod eſt in Oriente.*
  - *Perſarũ, quod eſt in meridie.*
  - *Græcorũ, quod eſt in Aquilone.*
  - *Romanorum, quod eſt in Occidente.*

  Atq; hinc leguntur in Eccleſia, Menſe quidem
  - *Septembri per*
    - *Duas Hebdomadas priores, hiſtoria Iob: Quia regnum illud durauit per duas annuales hebdomadas, id eſt, per bis ſeptingentos annos. Tot enim anni numerantur à tempore Nini, à quo regnum Babyloniæ incepit, vſq; ad Cyrum regem Perſarum, in quo defecit.*
    - *In reliqua parte Septembris innuitur regnũ Perſarum, & duæ legũtur hiſtoriæ: eô ꝙ nunc de Perſis, nunc de Medis reges aſſumebantur.*
  - *Octobri Hiſtoria legitur Machabæorum, & Græcorum ſignificas regnũ, ſub quibus Machabæi fuerunt afflicti.*
  - *Nouembri & Decẽbri leguntur Prophetæ, in quibus regnum repræſentatur Romanorum, in quo Chriſti viget Religio. Prophetiæ enim maximè loquuntur de Chriſto. Cuius natiuitas eſt in fine anni, ſicut Romanorum regnum eſt in fine mũdi. Ex Guilhelmo Durand. de officijs diuinis, li. 6. in fin.*

DE

DE RECTA HOMINIS CHRISTIANI INSTITVTIONE

PERFECTA hominis Chriſtiani Inſtirutio conſiſtit in verbis illis quinque, quibus D. Paulus fidelem Dei populum in Ecclesia inſtruendum eſſe ſuo dpcet exẽplo: Sed in Ecclesia, inquit, volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in lingua, 1. Corin. 14. Hoc eſt, mâlo pauca verba loqui, cùm à me, tum ab alijs rectè intellecta, quàm multa ſine vero eorum ſenſu & intellectu. Gloſſ. ibid.

QVAENAM QVINQVE ILLA SINT verba. TABVLA 69.

SVMMA PAVlinæ huius ſententiæ ea eſt, inter Chriſtianos loquendũ eſſe cum intellectu, vt alij doceantur. B. Tho. d. ca. 14. epiſtolæ ad Co. 1. Quinq; autẽ illa, quæ in Eccleſia ſunt docenda, hæc ſunt:

- *Credenda; ad Tit. 3. Hæc loquere & exhortare &c.* — *Fidem, vt credenda.*
- *Agenda, Matth. vlt. Euntes in mũdum &c. docentes eos ſer.*
- *Vitanda, ſcilicet peccata. Ecclef. 21. Quaſi à facie colubri fuge &c. Eſai. 58. Annuncia populo meo ſcelera &c.*
- *Speranda, ſcilicet merces æterna. 1. Pet. 1. De qua ſalute exqſiêrũt &c.*
- *Timenda, pœnæ videlicet æternæ. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum.*

Horũ alia pertinẽt ad *Mores, reliqua quatuor, videlicet*:
- *Virtutes,*
- *Vitia,*
- *Gloria,*
- *Pœna. Gloſſ. ibid.*

DE CREDENDIS, SIVE DE REGVLA fidei Catholicæ. TABVLA 70.

CREDENDA *ſunt, quæcunque ad fidem pertinent Catholicam. In eorum verò cognitionem ducit præcipuè notitia*
- *Verbi Dei,*
- *Symboli Apoſtolorum,*
- *Orationis Dominicæ,*
- *Sacramentorum,*
- *Sacrificiorum.*

DE VERBO DEI, EX FRANCISCO Sonnio. TABVLA 71.

- **VERbum DEI**
  - *Eſt, quod Deus loqutur ſpiritu ſuo diuino, ſiue per*
    - *Semetipſum, vt in principio orbis conditi ante legem fecit ad Adam, ad Noë, ad Abraham, ad Moiſen, ad Heliam, aliosq́; ſanctos Dei homines, nonnunquàm*
      - *Forinſecùs quaſi ore ad os,*
      - *Aliquãdò intrinſecùs, reuelans intùs myſteria.*
    - *Interpoſitas perſonas, vt ſolet maieſtas regũ, dans reſpõſa per interpretes. Quo quidẽ modo patefecit nobis Deus*
      - *Plerumque per Prophetas ſub tempore legis.*
      - *Præcipua autem per*
        - *Filium ſuum vnigenitum Chriſtum,*
        - *Illiusque Apoſtolos, vt Paulus docet ad Hebr. cap. 1. in princip.*
      - *Multa etiam per Angelos ſuos diuerſo tempore, Ante / Sub / Poſt Legem.*
  - *Diuiditur in verbum*
    - *Scriptum, cuius partes ſunt*
      - *Litera, quæ occidit,*
      - *Spiritus, qui viuificat.* (2. Cor. 3.)
    - *Non ſcriptũ, quod conſtat*
      - *Traditione, id eſt, viuæ vocis miniſterio. Eſt enim traditio doctrina quædam verbi diuini, per Apoſtolicos viros annunciata, & deindè iuxta ſeriem temporum ex animo in animum transfuſa, medio intercurrente verbo, recepta populi conſenſu, atque communi vſu fidelium comprobata, citra ſcriptum, viua tantummodò voce, & eadem vbiquè conſuetudine nota.*
      - *Conſuetudine, quæ & ipſa eſt duplex:*
        - *Vniuerſalis omnium Eccleſiarũ. Quam ſcriptæ legis vim habere, demonſtratur*
          - *Authoritate*
            - *D. Pauli 1. Cor. 11. Si quis autem videtur contentioſus eſſe, inquit, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*
            - *Auguſtini epiſtola 118. Quædam, inquit, tota per orbem frequentat Eccleſia, quæ ſimiliter atquè illa, quæ ſacræ ſcripturæ præſcribit authoritas, obſeruanda ſunt.*
          - *Ratione. vis enim legis ex conſenſu reſultat: conſenſus autem non minor ineſt conſuetudini, quàm legi ſcriptæ. Nam conſuetudinem longus & approbatus vſus inducit, quæ nullius impediente clamore, diuino magìs quàm humano videtur recepta conſilio. Pius Papa.*
        - *Particularis, quam nõ tota obſeruat Eccleſia, ſed per loca terrarum regionesq́; ad ædificationem fidei & morum, ſecundùm ſingularem Eccleſiarum ſpeciales conditiones introducta & recepta variantur. De quibus cenſet ipſe Auguſtinus ità dicens: Totum hoc genus rerum liberas habet obſeruantias. Nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentiq́; Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quancunque fortè deuenerit, nè ipſe cuiquã ſit offendiculo, aut alius quiſpiã ſibi. Franciſc. Sonnius lib. Demonſtrat. 1. cap. 2. 9. & 10.*

DE SYM.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM, SIVE de duodecim fidei Catholicæ articulis, qui regulam & ſummam continent fidei Chriſtianæ, ex Inſtitut. D. Ioan. Viguerij. TAB. 72.

TESTE *Clemente, cùm apoſtoli ad diuerſas puincias iuxta præceptũ Domini diſceſſuri eſſent, in vnũ conuenerunt: & ſymbolũ, hoc eſt, Regulam fidei ediderunt. Articulorum autem, quibus hæc Regula fidei continetur, iuxta*

- *Communẽ & receptam in Eccleſia Partitionem, ſunt* 12. *pertinent autẽ partim ad*
  - *Diuinitatem, De cuius*
    - *Vnitate Trinitate*
    - *Operib'*
      - *Creationis,*
      - *Iuſtificationis,*
      - *Reſurrectionis,*
      - *Glorificationis,*
    - *Sub his verbis agitur:*
      - *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et in Ieſum Chriſtũ filium eius vnicum &c. Et, in ſpiritum S.*
      - *Creatorem cæli & terræ.*
      - *Dum poſt mentionẽ de ſpiritu ſancto, (cui attribuitur ſanctificatio) additur: Eccleſiã Catholicã, ſanctorũ communionem, Remiſſionem peccatorũ,*
      - *Carnis reſurrectionem,*
      - *Et vitam æternam.*
  - *Humanitatem. Agitur enim de*
    - *Incarnatione, q̃ per*
      - *Conceptionẽ facta eſt,*
      - *Natiuitatẽ innotuit.*
    - *Paſſione, Morte & ſepultura.*
    - *Deſcenſu ad inferos.*
    - *Reſurrectione.*
    - *Aſſcenſione ad cælos, & ſeſſione ad dexterã.*
    - *Aduentu eius ad iudicium.*
    - *In hæc verba:*
      - *Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto,*
      - *Natus ex Maria virgine.*
      - *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.*
      - *Deſcendit ad inferos.*
      - *Tertia die reſurrexit à mortuis.*
      - *Aſſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris.*
      - *Indè venturus eſt iudicare viuos & mortuos.*
- *Secundùm aliquos autẽ ſunt quatuordecim:*
  - *Septem ex parte diuinitatis,*
    - *Diuidentes Articulum Trinitatis in ſex,*
    - *Coniungentes Articulum reſurrectionis & glorificationis.*
  - *Et ſeptem ex parte humanitatis, diuidentes articulum conceptionis & natiuitatis.*

REGVLA.

Quanuìs autem non ſit niſì vna fides, tamen ponuntur duodecim Articuli: qui omnes ad vnum reducuntur, qui eſt credere diuinæ reuelationi. Sic etiam, quãuìs non ſit niſì vna fidei confeſſio, tamen propter exortas hæreſes ponuntur diuerſa ſymbola, hoc eſt, Regulæ, (habemus enim Apoſtolorum, Nicenum, Conſtantinopolitanum, & Athanaſij ſymbolum) quæ ad vnum reducuntur, videlicet, vt rectè cognoſcamus ſolum verum Deum, & quem is miſit Ieſum Chriſtum, Ioan. 17. Ioannes Viguer. Inſtit. cap. 10. §. 1. verſ. 2.

ALIA SYMBOLI APOSTOLICI PARTITIO, EX Traditione Eccleſiaſtica. TABVLA 43.

- SYMbolũ Apoſtolorum in tres diuiditur partes, q̃ cõtinent Regulã & ſententias ſiue locos communes rectæ fidei de
  - DEO Patre,
  - Filio Dei,
  - Spiritu ſancto.
    - quibus attribuũtur diuina illa officia ſeu partes et opa
      - Creationis, quod continetur ſub articulo primo de
        - DEO Patre.
        - Creatore
          - Cæli
          - &
          - Terræ.
      - Redemptionis, quæ ꝓponũtur in Articulo
        - Secũdo de filij Dei
          - Nomine ꝓprio,
          - Sacerdotio,
          - Primogenitum,
          - Imperio.
            - In verb. Et in
              - Ieſum,
              - Chriſtum,
              - Filium eius vnicum,
              - Dominum noſtrum.
        - Tertio, de incarnatione per
          - Conceptionem,
          - Natiuitatem.
        - Quarto, de
          - Paſſione,
          - Morte, &
          - Sepultura.
        - Quinto, de
          - Deſcenſu ad inferos,
          - Reſurrectione à mortuis.
        - Sexto, de
          - Aſcenſione ad cælos,
          - Seſſione ad dexteram Dei Patris.
        - Septimo, de
          - Aduentu Chriſti ſecundo,
          - Iudicio extremo.
      - Sanctificationis ſeu iuſtificationis, cuius partes explicãtur in quinque ſequentibus ſymboli Articulis:
        - Octauo, de Spiritûs ſancti appellatione.
        - Nono, de
          - Eccleſia, &
          - Communione ſanctorum.
        - Decimo, de remiſſione peccatorum.
        - Vndecimo, de mortuorum reſurrectione.
        - Duodecimo, de immortalitate & vita beatorum æterna.

RABANVS DE INSTITVT. CLERICORVM.

SYMBOLVM Græcè & indicium dicitur, & collatio. Eſt enim ſignum, per quod agnoſcitur Deus, quodque proindè credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina præparent. In quo quidem pauca ſunt verba, ſed omnia continẽtur ſacramẽta. De totis enim ſcripturis hæc breuiatìm collata ſunt ab Apoſtolis, vt quoniam plures credentium literas neſciunt, vel qui ſciunt, præ occupatione ſeculi ſcripturas legere non poſſunt, hæc corde retinentes habeant ſufficientem ſibi ſcientiam ſalutarem. Eſt enim breue fidei verbum & olìm à propheta prædictum: Quoniam verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram, lib. 2. cap. 56.

DE PAR.

DE PARTIBVS ORATIONIS DOMINICAE, ex Catechiſmo Catholico & Inſtit. Viguerij.

TABVLA 74.

ORATIO Dominica non ſolùm continet quæ deſiderare poſſumus, & vel ſola optare licet, ſed etiã quo ordine deſiderare debeamus. Sunt autẽ huius precationis veluti partes, ſeptẽ poſtulationes: Quibus vel

- *Appetimus bona*
  - *Aeterna & ſpiritualia, quæ DEI gloriæ ſunt ꝓpria. Quò pertinẽt petitio*
    - *Prima, pro ſanctificatione nominis diuini, vt per vitam noſtram Deus Opt. Max. glorificetur.*
    - *Secũda, pro Regno Dei, qua petimus*
      - *Gratiam Dei, quæ dicitur Regnum. Luc. 17.*
      - *Chriſtum & meritum eius. Lucæ 11. Si in digito Dei.*
      - *Gloriam & vitam æternam, quæ conſiſtit in clara viſione Dei. Ioan. 17.*
    - *Tertia, pro obedientia & gratia implendi omnia mandata & præcepta Dei, vt ſuæ in omnia & per omnia pareamus voluntati.*
  - *Temporalia & caduca, quæ nobis aut proximo cuique, tam ad corporis ſubſidia, quàm ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria, vt in petitione Quarta pro pane quotidiano*
    - *Corporali, id eſt,*
      - *Victu*
      - *&*
      - *Amictu.*
    - *Spirituali, id eſt, animæ cibo, qui in ſacra cõtinetur Euchariſtia.*
- *Deprecamur mala, hoc eſt, triplicia declinamus impedimenta,*
  - *Peccati,*
  - *Tentationis,*
  - *Pœnæ.*
  - *Inpetitiõe*
    - *Quinta, pro remiſſione peccatorum obtinenda.*
    - *Sexta, pro victoria tentationũ, nè illis aut victi ſuccumbamus, aut conſentiamus decepti.*
    - *Septima, pro liberatiõe à malo*
      - *Corporali,*
      - *Spirituali, videlicet*
        - *Diabolo, &*
        - *Omni impedimẽto beatitudinis.*

ALIA EIVSDEM PRECATIONIS DOMInicæ Partitio.

TABVLA 75.

ORAtio Dominica petitiones cõtinet ſeptem.

- *Prima ſpectat ad Deum. Huic impendi petimus laudem, honorem & reuerentiam in toto orbe, cùm dicimus: Sanctificetur nomen tuum.*
- *Sex aliæ ſpectant ad nos, q̃bus aut,*
  - *Precamur bona*
    - *Summa, / Media, / Infima,*
    - *vt*
      - *Vitam æternam.*
      - *Gratiam qua ſeruemus mandata.*
      - *Corporis, vt victum.*
    - *Dicẽdo*
      - *Adueniat regnũ tuum.*
      - *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.*
      - *Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodiè.*
  - *Deprecamur mala*
    - *Summa, / Media, / Infima,*
      - *Peccata.*
      - *Peccandi occaſiones, vt tẽtationes triũ hoſtiũ.*
      - *Afflictiões tum animi, tum corporis.*
    - *His verbis,*
      - *Et dimitte nobis debita.*
      - *Et nè nos inducas &c.*
      - *Sed libera nos à malo.*

APPENDIX AVTHORIS, DE ALIA PARtitione orationis Dominicæ. TABVLA 76.

ORATIO Dominica diuiditur in duas Partes:

- *Confeſſionem fidei ſimplicem, qua Dei vnitatem quodammodò profitemur, in trinitate perſonarum*
  - *Patris,*
  - *Filij,*
  - *Spirituſſancti.*
  - *Quæ*
    - *Compræhenditur ſub hoc exordio, Pater Noſter qui es in cælis.*
    - *Et primum ad ſalutem continet gradum, Cognitionem ſcilicet Dei.*
- *Rerũ ad ſalutẽ neceſſariarũ Petitiones ſeptem:*
  - *Sanctificetur nomen tuum.*
  - *Adueniat Regnum tuum.*
  - *Fiat volũtas tua, ſicut in cælo & in terra.*
  - *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.*
  - *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*
  - *Et nè nos inducas in tentationẽ.*
  - *Sed libera nos à malo.*

Sub quibus ſepẽ compræbẽduntur virtutes

Virtutes		*Item ſeptẽ Spiritûs ſancti dona:*	*quæ certiſſima ſunt arma contra ſeptẽ peccata mortalia:*	*Quibus tanquàm remedia totidem opponuntur virtutes Morales:*
Theologicæ tres:	*Fides,*	*Sapientiæ.*	*Superbiam.*	*Humilitas & obedientia.*
	Spes,	*Intellectûs.*	*Auaritiam.*	*Contẽptus diuitiarũ & eleemoſyna.*
	Charitas.	*Conſilij.*	*Inuidiam.*	*Charitas proximi.*
Cardinales 4.	*Prudẽtia,*	*Fortitudinis.*	*Gulam.*	*Sobrietas, Abſtinentia & Ieiuniũ.*
	Iuſtitia,	*Sciẽtiæ.*	*Iram.*	*Patientia & manſuetudo animi.*
	Temperantia,	*Pietatis.*	*Acediam.*	*Oratio, Lectio, ſtudium, Bona opera.*
	Fortitudo.	*Timoris Domini.*	*Luxuriam.*	*Caſtitas & continentia.*

DE SA-

DE SACRAMENTIS. ET PRIMVM DE ijs, quæ legis antiquæ ſunt Sacramenta, ex ſumma D. Thomæ.

TABVLA 77.

SACRAMENTA IN *antiqua lege propriè dicebãtur, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam conſecrationẽ, per quam ſcilicet quodammodò deputabantur ad cultũ Dei. Qui cultus vt generaliter quidem ad vniuerſum populum, ſpecialiter tamen ad ſacerdotes pertinebat & Leuitas: ità Sacramẽta partìm pertinebant ad populũ, partìm verò ad ſacerdotes: & circa vtroſque tria erant neceſſaria. Quorum*

- *Primũ erat, inſtitutio in ſtatu colendi Deũ: & hæc, quo ad*
  - *Maſculos oẽs,*
  - *Sacerdotes,*
  - *Fiebat per*
    - *Circunciſionem,*
    - *Conſecrationem.*
- *Secundò requirebatur vſus eorũ, quæ pertinebãt ad diuinum cultum, & ſic*
  - *Quantùm ad oẽs, erat eſus Agni Paſchalis cum certis ſolennitatibus, ad quod nullus admittebatur incircunciſus. Exod. 12.*
  - *Quo ad ſacerdotes, erat oblatio victimarum, & eſus Panum propoſitionis, & aliorũ quæ ſacerdotum vſibus erant deputata.*
- *Tertiò reqrebatur remotio immũditiarum. Atque hinc*
  - *Populi reſpectu erant inſtitutæ quædam*
    - *Purificationes & Expiationes*
    - *à quibuſdã immunditijs.*
  - *Reſpectu verò ſacerdotum & Leuitarũ, inſtituta erat*
    - *Ablutio*
      - *manuũ,*
      - *pedum.*
    - *Raſio capillorũ.*
    - *Horũ rationes vide apud Tho. 1. 2. q. 101.*

QVAE NVNC ISTORVM SAcramentorum vis ſit.

PROINDE prima ſacramenta, quæ obſeruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Chriſti venturi. Quæ cùm ſuo aduẽtu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt, & ideò ablata, quia impleta. Non enim venit ſoluere legẽ, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquàm iuſtitia fidei reuelata. Auguſt. contra Fauſtum lib. 19. cap. 13.

QVID HAEC DIFFERANT A SACRAmentis nouæ legis.

PRAECEPTA eadem (in nouo & veteri teſtamento,) Sacramenta non eadẽ: quia alia ſunt ſacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Saluatorem. In Pſal. 73.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS.

TABVLA 78.

SACRAMENTVM, VT *à B. definitur Auguſtino, eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, (hoc eſt, res ſenſibilis) ad cultũ Dei ordinata, eiuſdem (ſcilicet gratiæ) imaginem gerens, & cauſa ipſius exiſtens. Sacramenta porrò, vt eccleſiæ & conciliorum conſtat authoritate, neq; plura ſunt, neque pauciora, quàm ſeptem: videlicet,*

- *Baptiſmus,*
- *Confirmatio,*
- *Euchariſtia,*
- *Pœnitentia,*
- *Extrema vnctio,*
- *Ordo,*
- *Matrimonium.*

Ex his

- *Tria ad ſalutem ſunt neceſſaria:*
  - *Baptiſmus abſolutè,*
  - *Pœnitẽtia poſt lapſũ à baptiſmi gratia.*
  - *Ordo* ECCLESIÆ: QUIA *vbi non eſt gubernator, populus corruit.*
- *Sed alia Sacramenta neceſſaria ſunt tantùm, vt ea, ſine quibus non ità conuenienter habetur finis. D. Thom. in ſumm. q. 65. p. 3.*

DE BAPTISMO.

TABVLA 79.

BAPTISMVS *eſt ablutio corporis exterior, facta ſub forma præſcripta verborum. Et eſt triplex:*

- *Fluminis,* qui fit per *Ablutionẽ aquæ,*
- *Flaminis,* qui fit per *Spiritûs S. gratiam,*
- *Sanguinis.* qui fit per *Effuſionem ſanguinis.*

Differunt. Nam

Primus à tota pœna liberat & culpa, & gratiã in habitu infundit, & characterem imprimit.

Secundus delet culpam non ſemèl tantùm, ſed pluriès: & habet gratiam in vſu, in quo conſiſtit meritum.

Tertius liberat ab omni tẽtatione, & confert ſtatim præmium, quia proprium eſt martyrum ſtatìm auolare. Compend. Theolog. Veritat.

DE CONFIRMATIONE.

TABVLA 80.

CONFIRMATIO *eſt ſacramentum, quod baptizatis confertur cum impoſitione manuum Epiſcopalium, & ſacri Chriſmatis inunctione. Caniſ. in ſum. doctrin. Chriſtian. Cuius effectus ſunt tres:*

- *Primus eſt character.*
- *Secundus, robur & firmitas ad pugnandum contra inimicos.*
- *Tertius eſt deletio alicuius partis reatûs peccatorũ poſt baptiſmum commiſſorum. Viguer.*

DE EVCHARISTIA.

TABVLA 81.

EVCHARISTIA *eſt cibus & potus ſpiritualis, veri corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis ad bonã & optimam conſequendam gratiam. Viguer. in Inſtitut. In quo eorũ, quæ credenda proponuntur homini Chriſtiano, potiſſimùm conſideranda ſunt quinque:*

- *Primum, de veritate Euchariſtiæ.*
- *Alterum, de panis & vini tranſſubſtantiatione.*
- *Tertium, de adoratione eius.*
- *Quartum, de oblatione & ſacrificio.*
- *Poſtremũ, de ſumptiõe ipſius ſub altera vel vtraq; ſpecie.*

De quibus v. de ſummã doctrinæ Chriſtianæ de ſacramento Euchariſtiæ.

DE POENITENTIA.

TABVLA 82.

POENITENTIA, *quæ ſecunda poſt naufragium dicitur tabula, eſt ſignũ ſenſibile, ſiue imago ſacræ rei, ſcilicet remiſſionis peccatorum, per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem ſenſibilem, ac etiam per abſolutionem, eius cauſa exiſtens. Partes Pœnitentiæ ſunt tres:*

Contritio, quæ eſt dolor de peccatis proprijs, voluntariè aſſumptus propter Deum ſummè dilectum, cum propoſito à talibus & alijs omnibus cauendi, & Dei mandata implendi, cum ſpe veniæ conſequendæ.

Confeſſio, eſt actus virtutis pœnitentiæ, quo ſpecialis, diſtincta, & particularis, ac voluntaria peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, fit manifeſtatio, cum ſubmiſſione ſacerdoti poteſtatem clauium habenti facta, cum ſpe veniæ ad remiſſionem conſequẽdam, & cum propoſito in futurum cauendi, & iniunctam pœnitẽtiam implendi.

Satisfactio eſt ſolutio vel expiatio temporalis pœnæ debitæ pro peccato præterito.

DE EX-

DE EXTREMA VNCTIONE.

Extremæ Vnctionis ſacramentum, eſt vnctio ſacra infirmorũ cum olei liquore, ex olearum baccis expreſſo, & ab epiſcopo conſecrato, cum orationibus in nomine Domini, ad depellendam vel alleuiandam ægritudinem, & remiſſionẽ peccatorum maximè venialium. Iaco. 5. & ibì Beda.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

TABVLA 83.

ORDO EST POTEſtas ſpiritualis, & gratia ſingularis, q̃ certis quibuſdã datur perſonis, per manuũ impoſitionem, vt ex profeſſo munus aliquod in Dei gerant ecclesia. Sum. doctr. Ordinum autẽ eccleſiaſticorum dicuntur alij

- *maiores,*
  - *Presbyterorũ, quorũ 4. ſunt gradus:*
    - *Sacerdotes,*
    - *Epiſcopi,*
    - *Archiepiſcopi,*
    - *Patriarchæ.*
  - *Diaconorum,*
  - *Subdiaconorum.*
- *Minores,*
  - *Acolytorum,*
  - *Lectorum,*
  - *Exorciſtarum,*
  - *Oſtiariorum.*

Horumcũm
- *Caput & pater ac moderator vniuerſalis* ecclesiæ *eſt ſummus Pontifex*
- *Officia ſingulorũ vide in Catechiſmo Catholico De Sacerdotio & eius gradibus.*

DE MATRIMONIO.

TABVLA 84.

MATRIMONIVM *dupliciter conſiderari poteſt:*

Vno modo, vt eſt officium quoddam naturæ, quod Philoſophi & Iureconſulti definiunt legitimam viri & mulieris coniunctionẽ, quæ indiuiduam continet vitæ conſuetudinem.

Alio modo, vt eſt ſacramentum, quo primùm iſta naturæ officia includit omnia, & prætereà addit, quòd fuerit contractum in fide filij Dei incarnati, & eccleſiæ tanquàm ſponſæ. Viguer.

QVAM RATIONEM HABEAT HIC NVMERVS & ordo Sacramentorum. TABVLA 85.

PRIMA huiꝰ numeri & ordinis ratio ſumitur à diuerſis hominum conditionibus. Hominum enim alij in Eccleſiam	*Ingrediuntur primùm.*	Quibus partasunt remedia:	*Baptiſmus*	Tanquàm	*Ianua*	*Ad cõſequendã gratiã, hoc eſt, virtutes, ſcilicet*	*Fidem*	Cõtra	*Peccatum originale.*
	Deindè pugnam ſuſcipiunt.		*Confirmatio*		*Robur*		*Spem*		*Impotentiã.*
	In pugna fame tentantur ſpirituali.		*Eucha-riſtia*		*Cibus & refectio*		*Charitatem*		*Malitiam.*
	Sæpè etiã ſuccũbunt, & naufragium patiũtur.		*Pœnitẽtia*		*Secunda tabula*		*Iuſtitiam*		*Peccatum mortale.*
	Miniſterio rerum indigent ſacrarum.		*Ordo*		*Communicatio rerũ ſpiritualium*		*Prudentiam*		*Ignorantiã.*
	Liberis pcreãdis dant operã.		*Matrimonium*		*Adiutoriũ & ſocius laborum*		*Temperantiam*		*Concupiſcẽtiam.*
	Mox etiam non opinantes, iterũ ex hoc euocantur ſeculo.		*Extrema Vnctio*		*Viaticum itineris*		*Fortitudinem*		*Veniale peccatum.*

ALIA RATIO, SVMPTA A MEDICINA.

TABVLA 86.

VT medicina corporalis eſt quadruplex,	*Curatiua,*	Simili modo & ſacramẽta, quæ ſpiritalẽ præbent medicinam, aut	*Curãt, vt* Baptiſmus, Pœnitentia, Extrema vnctio *quidem* — *Simul & totaliter. Quantũ ad culpã primùm, ac deindè pœnã, quouſquè nullius pœnæ homo debitor ſit. A morbis leuioribus, ſcilicet venialibus, ſicut baptiſmus & pœnitentia curant à lætalibus.*
	Cõſeruatiua,		*Conſeruant ſanitatem ſpiritualem, vt Confirmatio, in qua datur ſpiritus ſanctus ad robur & conſeruationem gratiæ datæ in baptiſmo.*
	Præſeruatiua,		*Præſeruant, vt Matrimonium.*
	Augmentatiua, ſeu, vt dicunt, melioratiua:		*In melius reſtituunt, vt Ordo.*
			Hæc autem ſimul omnia facit Euchariſtia. Nam — *Curat venialia, quæ ſunt occaſio ruinæ maioris. Conſeruat gratiam inuentam in homine. Auget hæc eadem. Et nihilominùs à peccato præſeruat. Compend. Theolog. veritat.*

DE SA-

DE SACRIFICIIS LEGIS ANTIquæ. TABVLA 87.

SACRIFICIum *dicitur omnis oblatio quæ offertur Deo in recognitionem ſupremi Dominij, vt ſolutio decimarum & primitiarum. Erat autem ſacrificium in lege antiqua triplex:*

Holocauſtum erat ſacrificium, quod offerebatur Deo, ſpecialiter ad reuerentiam Maieſtatis ipſius, & ad amorem bonitatis eius, & totum comburebatur. Et ſignificabat ſacrificium Chriſti: qui totum ſe obtulit Deo Patri pro nobis. Huic ſacrificio ſuccedit in noua lege profeßio religionis approbatæ, quæ poteſt dici holocauſtum, quia totus homo offert ſeipſum Deo, nihil ſibi reſeruans.

Hoſtia pro peccato, erat ſacrificium quod offerebatur Deo, vt remitteret peccata: & vocabatur ſacrificium remiſſionis, & hoſtia pro peccato. Occidebatur enim animal, & effundebatur ſanguis illius coram arca Domini, & vna pars comburebatur, & alia erat ſacerdotis. Per huiuſmodi ſanguinis effuſionē proteſtabantur offerentes, quòd erant digni effundere proprium ſanguinem, & occidi, ſicut animal illud occidebatur: ſic ſe recognoſcentes peccatores, veniam precabantur, quemadmodum illis qui cum chorda in collo, veniam petunt à Rege. Comburebatur vna pars, quia fiebat in honorem Dei: Seruabatur alia ſacerdotibus, ad ſignificandum, quòd expiatio peccatorum fit à Deo per miniſterium ſacerdotum. Hoc ſacrificium alio nomine vocabatur victima, quæ etiam aliquandò dicitur de holocauſto, cum determinatione: & ſignificat etiam ſacrificium Chriſti, qui ſe obtulit pro nobis hoſtiam Deo patri, & effudit ſanguinem pro peccatis noſtris. Vndè Epheſ. 2. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo patri in odorem ſuauitatis. Loco huius ſacrificij ſuccedit in noua lege ſacramentum pœnitentiæ, in quo quis effundit ſanguinem peccatorum ſuorum confitendo: & occiditur, & quaſi in partes multas diuiditur per contritionem.

Hoſtia Pacifica, erat ſacrificium quod offerebatur Deo pro gratiarum actione, vel pro ſalute & proſperitate offerentium, ex debito beneficij accepti, vel accipiendi. Et erat communiter de rebus aridis & odoriferis: & vna pars incendebatur, quia fiebat in honorem Dei: alia cedebat in vſum ſacerdotum, & tertia pars in vſum offerentium, ad ſignificandum quòd ſalus hominis procedit à Deo, mediantibus miniſtris & cooperantibus hominibus qui ſaluantur. Huiuſmodi ſacrificium figurabat ſacrificium Chriſti, qui reddidit Deo gratias pro nobis, & ſe obtulit in odorem ſuauitatis. In cuius locum ſuccedunt in noua lege orationes, & gratiarum actiones, & omnia quæ ad huiuſmodi ordinantur. Horum ſacrificiorum rationes vide apud D. Thom. 1. 2. quæſt. 102. & Viguer.

DE NO-

DE NOVAE LEGIS SACROSANCTO ALTARIS, hoc eſt, Euchariſtiæ ſeu Miſſæ, ſacrificio. TABVLA 88.

ECCLEſia Catholica ex nouæ legis p̃ſcripto duplex habet ſacrificium:

- *Quoddam eſt propiciatoriũ, quod oblatum pro remiſſione peccatorũ, irã Dei placat, & nos Deo reconciliat: vt eſt ter ſanctũ Catholicæ Miſſæ officium, videlicet Euangelij ſacrificium, per veteris teſtamenti ſacramenta p̃figuratum. Quod*
  - DICITUR
    - *Hebraicè Miſſah, Græcè Liturgia, Latinè ſacrũ miniſterium.*
    - *S. Patres ꝑ hanc dictionem intelligi voluerũt*
      - *Totam illã actionẽ, Quã Chriſtus in extrema cœna executus eſt,*
      - *Et exequendam demandauit.*
  - *Eſt ſacroſanctæ Paſſionis Chriſti commemoratio, in qua panis & vinum ex Chriſti inſtitutione conſecratur, atque corpus & ſanguis Chriſti ſub panis viniq́ ſpecie cæleſti offertur Patri, eademq́ue in animæ alimoniam accipitur.*
  - *Continet duo:*
    - *Rem oblatã, quæ rurſus eſt duplex, videlicet*
      - *Corpus Chriſti verum.*
      - *Et corpus Chriſti myſticum, quod vnà cũ capite ſuo quodammodò offertur.*
    - *Oblationem, id eſt, opus ſacrificantiũ, vbi iterùm ad duo reſpicere oportet, nempe ad*
      - *Cæremoniam ſeu actionem exteriorem, quam ſacramentalem dicimus oblationem:*
      - *Et id, quod intùs agitur per fidẽ, i. ſpiritualem oblationem, ibidem.*
  - *Differt ab hoſtia crucis duobus modis:*
    - *Primo*
      - *Chriſtus in cœna ſub tectis alieniſque ſpeciebus, nempe panis & vini, ſeſe obtulit:*
      - *At in cruce, in propria corporis & ſanguinis ſui forma.*
    - *Secũdo:*
      - *In cruce ſeſe litauit, quô ſua morte & ſanguinis fuſione gratiam, iuſtitiam, ſanctitatem, & æternam ſalutem nobis conciliaret.*
      - *Verùm in cœna non eô ſe obtulit, vt illa oblatione peccata expiaret, neq; ità nobis ſacrificare mãdauit, tanq̃ hoc ſit noua quædã ſatisfactio & redemptio, ſed vt ea cœnæ oblatione nouũ inſtitueret ſacrificiũ, cuius vſu, redemptionis in cruce obtentæ participes eſſe queamus. Ioann. Fab. De Miſſa Euangelica.*
  - *Offertur* DEO *patri in hoc ſacrificio ipſum corpus Chriſti*
    - *Non cruento modo in propria carnis forma. nã ità ſemel Chriſt⁹ oblatus eſt in cruce, Ad Heb. 9. & 10.*
    - *Sed glorioſum ſub ſpecie aliena,*
    - PRO *ſalute*
      - *Cùm viuentium, vt vel in via ſeruentur incolumes, vel reducantur lapſi.*
      - *Tum mortuorum, vt à pœnis purgatorij liberentur.*
      - *Quod cõſtat*
        - TÃ *ex Apoſtolorũ traditione,*
        - QUÀM ECCLEſię *cõſuetudine.*
- *Alterum verò ſacrificium laudis, gratiarum actionis & obedientiæ, quo Deo veluti honorem & ſeruitutem ei propriè debitam reddimus. Enchirid. inſtitut. Concil. Colon. Atque hæc quidem ſunt cõmunia ſacrificia, omni legi, & omni populo credenti, omniq́ loco ac tempore peragi poſſunt: illud autem Miſſæ ſacrificium peculiare eſt Euangelio, datum Eccleſiæ ad reconciliandum populum Chriſtiãnum Deo, nec peragitur niſi in loco ſacro. Sonnius in Inſtitution. Chriſtiana.*

DE PAR-

DE PARTIBVS MISSAE CATHOLICAE.

TABVLA 89.

Conſtat Miſſa Catholica duab⁹ partibus:

- *Altera ad ſubſtantiã pertinet, q̃ colligitur ex verbis Domini, q. bus hoc ſacramẽtum inſtituit Matt. 26. Lu.22. vbi*
  - *Primùm benedixit, ac fregit panem:*
  - *De quo deindè ſic teſtatus eſt: Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis datur.*
  - *Tandèm diſtribuẽs, dixit: Accipite & manducate &c.*
  - *Ex quibus colligũtur tria:*
    - *Conſecratio,*
    - *Oblatio,*
    - *Communio.*
    - *Addito p̃cepto: Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Quod ergò Chriſt⁹ ipſe &*
      - *Fecit,*
      - *Præcepit,*
      - *Hoc etiã Eccleſia facere &*
        - *Potuit,*
        - *Ac debuit.*
- *Alterum ab Apoſtolis, ſanctisq́; Patribus in celſiſſimi huius ſacramẽti honorem ac reuerẽtiam, deuotionis ac pietatis excitãdæ gratia, adiecta, condita atque conſtituta eſt. Ad quam partem pertinent*
  - *Cæremoniæ,*
  - *Cantus,*
  - *Veſtes,*
  - *Vaſa.*
  - *Quæ nihil aliud cõtinent, quã*
    - *Laudes*
    - *Confeſſiones*
    - *Obſecrationes*
    - *Vel Petitiões*
    - pro
      - *Populo,*
      - *Antiſtitib⁹,*
      - *Regibus.*

Enchirid. inſtit. Concil. Colon.

AVGVSTINVS.

Quatuor conſiderantur in omni ſacrificio: Cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: ipſe vnus, verusq́ue mediaror, per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo manet cui offerebar, vnum in ſe fecit ꝑ quibus offerebar: vnus ipſe eſt qui offerebat, & quod offerebat. Hęc ex ſententia diui Auguſtini, De Trinitate lib. 4. cap. 14.

CYPRIANVS.

Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſuî commemorationẽ pręcepit, vtiquè ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Cyprian. epiſt. 3. lib. 2.

AMBROSIVS.

Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cęleſtibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionẽ: & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccara noſtra dimittat. Hîc in imagine, ibì in veritate, vbì apud patrẽ pro nobis quaſi aduocatus intéruenit. Ambroſ. lib. Officiorum 1. cap. 48.

DE CAEREMONIARVM, QVAE IN MISSAE SAcrificio adhiberi ſolent, inrerpretatione morali, ex compend. Theolog.

TABVLA 90.

CAEREmoniæ, quibus hoc ſacroſanctum pagitur officiũ Miſſæ, ſummã propemodũ totius cõtinẽt Euangelij, nec ocioſæ ſunt aut ſuperfluæ, ſed præter myſticum, qui ſub his latet, ſenſum, etiã moralẽ habẽt ſignificationem. Nam

- *Introitus* — Significat: *Boni operis inchoationem, & duplicatur, ut diſcamus*
  - *Declinare à malo,*
  - *&*
  - *Facere bonum.*
- *Kyrieeleyſon* — *Inuocationem miſericordię Dei, qua nouē modis indigemus.* (modis ad)
  - *Primis tribus* — *peccatorũ remiſſionem, quæ committimus*
    - *Corde,*
    - *Ore,*
    - *Opere,*
    - quãtum ad:
      - *Contritionem,*
      - *Confeſſionem,*
      - *Satisfactionē.*
  - *Secũdis tribus* — *Gratiæ collationem, ſcilicet*
    - *Fidei,*
    - *Spei,*
    - *Charitatis.*
  - *Tertijs tribus* — *Glorificationem, qua gaudebimus in Deo*
    - *Supra nos,*
    - *De nobis ipſis,*
    - *Iuxta nos de proximo.*
- *Collectæ,* — *Orationem.*
- *Epiſtola & Euangelium,* — *Nouæ & veteris legis obſeruationem.*
- *Graduale & Alleluia,* — *Vitæ actiuæ & cõtemplatiuæ perfectionem.*
- *Offertorium* — *Contribulati ſpiritûs ſacrificium.*
- *Secreta* — *Statum vitæ.*
- *Præfatio* — *Statum Patriæ.*
- *Hymnus triſagius* — *Exultationem angelorum præſentium.*
- *Canon* — *Tranſitum membrorum in corpus Chriſti myſticum.*
- *Pater noſter* — *Filiationem per gratiam.*
- *Agnus Dei* — *Liberationem per miſericordiã, & triplicatur ut liberemur à malis*
  - *Præteritis,*
  - *Præſentibus,*
  - *Futuris.*
- *Cõmunio ſeu Complenda.* — *Boni operis conſummationem.*

DE ALIIS

DE ALIIS MISSAE RITIBVS.

TABVLA 91.

SVNT etiã alia, quæ in ſacroſancto Miſſæ officio adhiberi ſolẽt: veluti	*Indumẽta, quorũ alia*	*Presbyteris & Epiſcopis ſũt cõmunia, vt*	*Amictus ſiue ſuperhumerale, Podéris ſiue Alba, Cingulum, Manipulus, Orarium ſiue ſtola, Planeta.*	*Quorum omnium myſteria & ſignificationes, tum allegoricas tum morales ſi quis plenius nôſſe velit, videat apud D. Abbatem Tuitienſem de diuinis officijs, Innocent. III. de ſacro altaris myſterio, D. Vuilhel. Durand. in Rationali diuinor. atque alios Liturgiæ elucidatores.*
		Epiſcopi præter hæc habent propria.		
	Vaſa & ornamẽta, vt	*Altare, Calix, Patena, Corporale.*	*Per quæ, iuxta ſignificationem allegoricam, intelligimus*	*Crucem, Sepulcrum, Lapidem ſuperpoſitum, Sindonem, in qua corpus Domini fuit inuolutum.* — *Compend. theolog. veritat. lib. 6. cap. 18.*

DE AGENDIS, HOC EST, BENE BEATE'QVE VIVENDI

formula, de anguſta illa via, quæ ad vitam ducit immortalem.

TABVLA 92.

AGENdorum numero continentur	*Virtutes,*	*Quæ differunt, quia*	*Virtutes potentias diſponunt.*	*Vel qa*	*Virtutibus benè operamur.*
	Præcepta { *Dei, Eccleſiæ, Conſilia Euangelica,* }		*Præcepta & cõſilia opera reſpiciunt.*		*Donis expeditè,*
	Bona opera & eorum fructus,		*Dona operibus perfectionem addunt.*		*Beatitudinibus perfectè,*
	Dona Spiritûs ſancti,		*Fructus facultatem ſpiritui apponunt.*		*Sed fructibus fruimur Deo.*
	Gradus beatitudinis.		*Beatitudines ipſis virtutibus pręmium ſiue vitæ, ſiue patriæ coniungunt.*		*Compend. Theolog.*

DE VIRTVTVM PARTITIONE IN GEnere, ex Viguer. TABVLA 93.

VIRTVS *eſt animi habitus, naturæ, modo atq; rationi conſentaneus. Auguſt. lib. 4. contra Iulia. Quam idẽ Auguſt. à veteribus artem benè rectèque viuendi definitam eſſe teſtatur, lib. 4. De ciuitate Dei ca. 21. Virtutũ porrò triplex ferè eſt partiẽdi ratio:*

- Primò,
  - *Vt habitus diuiditur in habitus*
    - *Intellectuales, &*
    - *Appetitiuos ſeu morales.*
  - *Sic etiã virtutũ quędam ſunt*
    - *Intellectus, q̃ ſunt vel in intellectu*
      - *Speculatiuo*
        - *Intellectus,*
        - *Sapientia,*
        - *Sciẽtia.*
        - *Ex quibus*
          - *Vna inſita & indelebilis eſt.*
          - *Reliquæ acquiſitæ, & delebiles p oppoſitos*
            - *Actus & Habitꝰ*
            - *videlicet, errores.*
      - *practico, ordinãtes cognitionẽ ad operationẽ immanentem, vt*
        - *Synderesis, i. habitus inclinans hominẽ ad benè agendum.*
        - *Prudentia.*
        - *Quarum*
          - *Prima eſt naturalis & indelebilis, et principium omniũ virtutum moraliũ primũ.*
          - *Altera acquiſita eſt, & deleri poteſt per vitia oppoſita.*
    - *Morales. virtus autẽ appetitiua ſeu moralis eſt habitus electiuus in medietate conſiſtens, prout ſapiens determinabit. Et quia tres appetitus ſunt in homine, videlicet*
      - *Voluntas,*
      - *Appetitus concupiſcibilis, et*
      - *Iraſcibilis:*
      - *Ideò virtutes morales ad tria genera reducũtur. Nam*
        - *Iuſtitia, cũ partibus ſuis,*
        - *Fortitudo*
        - *Temperantia*
        - *perficit*
          - *voluntatẽ.*
          - *Appetitũ iraſcibilẽ.*
          - *Cõcupiſcibilẽ.*
- *Secundò, diuiditur etiã virtus generaliter ſumpta, in*
  - *Virtutem perfectam, quæ ſecundùm Philoſophum, bonum facit habẽtem, & opus eius reddit bonum, 2. Ethicor. Sunt autem quatuor ſolùm propriè & perfectè virtutes acquiſitæ, videlicet, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.*
  - *Imperfectam, quæ inclinat ad actum bonum, ſed nõ facit, nec reddit bonum habentem, ſaltem ſimpliciter: licèt benè ſecundùm quid. Et tales ſunt virtutes intellectuales ſpeculatiuæ, & omnes artes mechanicæ.*
- *Tertiò virtutũ aliæ vocantur*
  - *Infuſæ, quæ virtute naturali acquiri non poſſunt: excedunt enim capacitatem naturalem: ſed à Deo infunduntur, & ordinant hominem in finem ſupernaturalem. Cuiuſmodi ſunt eæ, quæ virtutes appellantur Theologicæ, hoc eſt, quæ habent Deum pro obiecto, & ſunt tres, videlicet*
    - *Fides,*
    - *Spes,*
    - *Charitas.*
    - *Quarũ*
      - *Prima eſt in intellectu.*
      - *Reliquæ duæ in voluntate.*
      - *Maior autẽ harum eſt charitas.*
  - *Acquiſitæ, Morales nimirùm, quas D. Ambroſius & alij Patres vocãt Cardinales, hoc eſt, principales, nõ quidẽ inter infuſas, quia illæ excellunt ratiõe cauſæ & finis, ſed inter morales & adquiſitas. Sunt autem virtutes Cardinales quatuor:*
    - *Prudentia,*
    - *Iuſtitia,*
    - *Fortitudo,*
    - *Temperãtia:*
    - *Quæ & ipſæ, ſi finẽ, ad quem tendũt, reſpiciamus ſupernaturalem, infuſæ dici ſolent. Viguer. in fine capitis tertij.*

DE VIR-

DE VIRTVTIBVS ACQVISITIS SEV MORALIBVS,

quas vocant Cardinales, ex Vig. & Compen. Theolog. Veritat. TAB. 94.

VIRTVTES CARDI- *nales dicuntur, quia ſicut oſtiū vertitur in cardine, ſic in his vertitur & regitur vita hominis, His enim virtutibus vel inprimis homo Chriſtianus*
- *Inſtruitur*
  - *Quo ad ſe,*
  - *Quo ad proximū,*
- *Armatur*
  - *In proſpc ris,*
  - *Aduerſis*

per
- *prudentiā,*
- *Iuſtitiam,*
- *Temperātiam,*
- *Fortitudinem.*

Quarū vis cernitur in reb⁹
- *Eligendis,*
- *Diſtribuendis,*
- *Vtendis,*
- *Tolerandis.*

DE PRVDENTIA.

TABVLA 95.

PRVDENTIA *eſt recta ratio agibiliū, ſiue vt ait Macrobius, prudentiæ eſt ad rationis normam, quæ cogitat quæq; agit, vniuerſa dirigere, ac nihil p̄ter rectum velle vel facere. Porrò prudentia, vt eſt virtus Politica,*
- *Eſt triplex:*
  - *prima eſt cordis, & hæc verſatur in*
    - *Diſpoſitione præſentium,*
    - *Recognitione præteritorū,*
    - *Præuiſione futurorum.*
    - *Deu. 32. vtinā ſapērēt, & intelligerēt, ac nouiſ. puidereēt*
  - *Secunda eſt oris, quæ verſatur in moderatione ſermonū. Nam qui moderatur labia, prudentiſſimus eſt. Prouer. 10.*
  - *Tertia eſt operis, & hæc conſiſtit in fuga mali, & electione boni. Vndè Pſalmographus: Declina à malo, inquit, & fac bonū. Pſal. 36.*
- *Partes habet 8.*
  - *Memoriam, Intelligentiam, Docilitatem,*
  - *Ευστοχίας, Solertiam, Rationem,*
  - *Circunſpectionem, Cautionem.*
- *Opponuntur ei vitia imprudentiæ, quæ ipſius prudentiæ carentia eſt ſiue defectus, videlicet*
  - *Præcipitatio, Inconſideratio,*
  - *Negligentia, prudentia carnis,*
  - *Adulatio, Dolus, Solicitudo.*

DE IVSTITIA.

TABVLA 96.

IVSTITIA *eſt conſtās & perpetua volūtas ius ſuum cuique tribuēdi, vel vt Macrobius, cſt ſeruare vnicuique quod ſuum cſt.*
- *Diuiditur in iuſtitiā.*
  - *Generalem, quæ ad bonū pertinet publicum, & diuiditur in Iuſtitiam*
    - *Legalem & epijkeiam.*
    - *Hoc eſt, in*
      - *Rigorem Iuris, & Aequitatem.*
  - *Particularem, quæ priuatum reſpicit cōmodum, & ſecatur in Iuſtitiam*
    - *Diſtributiuam, quæ verſatur circa*
      - *Præmia virtutum,*
      - *Pœnas vitiorum.*
    - *Commutatiuam, cuius actus ſunt*
      - *Emptio, Venditio,*
      - *Et omnes penè contractus.*
- *Partes eius ſunt*
  - *Religio,*
  - *Pietas,*
  - *Obſeruantia,*
  - *Obedientia,*
  - *Gratitudo,*
  - *Vindicatio,*
  - *Veritas,*
  - *Amicitia,*
  - *Liberalitas.*
- *Vitia oppoſita ſunt*
  - *Superſtitio & ſacrilegium,*
  - *Impietas,*
  - *Neglectus,*
  - *Inobedientia,*
  - *Ingratitudo,*
  - *Impunitas,*
  - *Mendacium,*
  - *Adulatio,*
  - *Auaritia.*

DE FORTITVDINE.

TABVLA 97.

FORTITVDO, *vt iterum inquit Macrobius, eſt, animum ſupra periculi metũ agere, nihilq́; niſi turpia timere, tolerare fortiter aduerſa vel proſpera. Eſt*

- *Verſatur inter* { *Timores, & Audacias,* } *Quaſi* { *Timorum cohibitiua, & Audaciarum moderatiua.* }
- *Cuius actus ſunt* { *Adgredi & Suſtinere,* } *Vt ſuſtinere martyrium.*
- *Partes habet quatuor:* { *Magnanimitatẽ, Magnificentiam, Patientiam, Conſtantiam & Perſeuerantiam.* } *Quibus opponũtur* { *Puſillanimitas, Paruificentia, vt vocatur à Philoſopho, & conſumptio. Impatientia, Mollities & pertinacia.* }
- *Conſiſtit in*
  - *Adgreſſione arduorum, Pſal. 30. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum.*
  - *Contemptu terrenorum, Heb. 11. Moiſes negauit ſe eſſe filiũ pharaonis.*
  - *Suſtinentia tribulationũ, Cant. 8. Fortis eſt vt mors dilectio.*
  - *Reſiſtentia tentationum, 2. Tim. 2. Non coronabitur niſi q legitimè certauerit.*
  - *Impugnatione vitiorum, Iob 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram.*
- *Officium eius eſt, firmare & conſeruare bonum rationis in his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in periculis arduis & grauibus. Compend. Theol. verit. & Vig.*

DE TEMPERANTIA.

TABVLA 98.

TEMPERANTIA, *ſecundùm eundem Macrobium, eſt nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugo rationis cupiditatẽ domare. Eius ſunt*

- *Species 4.* { *Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, Pudicitia.* } *Quibus opponuntur* { *Gula, Ebrietas, Fornicatio, Impudicitia.* }
- *Partes 5.* { *Continentia, Clementia & manſuetudo, Modeſtia & humilitas, Studioſitas, Moderatio.* } *Quibus opponuntur* { *Incontinentia, Ira, ſiue iracundia & crudelitas, Superbia, Curioſitas, Immoderatio.* }

DE VIR-

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

TABVLA 99.

- **TRES** omninò ſunt virtutes theologicæ, q̃ hominum mentibus à Deo cælicitùs ſunt infuſæ: Nimirùm
  - *Fides, quæ hîc accipitur pro habitu fidei, quo firmiter aſſentimur reuelatis à Deo, & eſt ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. 11. Eius*
    - *partes ſunt duæ:*
      - *Fides informis, quæ eſt ſine charitate, & in Chriſtiano, qui eſt in peccato mortali.*
      - *Fides formata, quæ cum charitate eſt cõiuncta. Charitas enim omnium virtutum forma eſt,*
        - *Non quidem intrinſeca,*
        - *Sed extrinſeca.*
    - *Actus itidẽ duo,*
      - *Interior, & Exterior.* — Nã
        - *Corde creditur ad iuſtitiã,*
        - *Ore autem fit cõfeſſio ad ſalutem.* — paul. ad ROmã. x
    - *Vitia oppoſita,*
      - *Infidelitas, cuius ſpecies ſiue gradus ſunt*
        - *Titubatio,*
        - *Simplex diſcredentia,*
        - *Hæreſis perfecta,*
        - *Apoſtaſia.*
      - *Blaſphemia,*
        - *Tribuendo Deo, quod non conueniat:*
        - *Negando, quod ei conueniat:*
        - *Tribuẽdo creaturæ, quod ſoli conueniat Deo, & iniuriando ſanctis.*
  - *Spes conſequitur fidẽ, quæ eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & (ſi reſpiciamus rem creditam) ex meritis prouenìens. Ea*
    - *Eſt triplex:*
      - *Veniæ, Pſal. 30. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.*
      - *Gratiæ, Pſal. 31. Sperantes autem in Domino miſericordia circundabit.*
      - *Gloriæ, Prouerb. 28. Qui ſperat in Deo, ſaluabitur.*
    - *Vitia habet*
      - *Deſperationem & Præſumptionem.*
  - *Charitas eſt finis præcepti, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. In ea conſideramus*
    - *Ordinẽ, qui ſecundùm Auguſtinum eſt diligere:*
      - *Primò, quod ſupra nos eſt, id eſt, Deum.*
      - *Deindè, quod nos ſumus.*
      - *Poſt hoc, quod iuxta nos eſt, id eſt, proximum.*
      - *Vltimò, quod infra nos eſt, id eſt, Corpus*
        - *Noſtrum & Proximi.*
    - *Effectus, quales ſunt*
      - *Gaudium ſpirituale, Pax, Miſericordia,* — *Interiores.*
      - *Beneficentia, Eleemoſyna, Correctio fraterna:* — *Exteriores.*
    - *Vitia contraria:*
      - *Odium, Acedia, Inuidia,*
      - *Diſcordia, Contentio, Schiſma,*
      - *Bellum, Duellum, Rixæ,*
      - *Seditio, Scandalum.*

ORIGENES.

Puto, quòd prima ſalutis initia, & ipſa fundamenta, fides eſt. Profectus verò, & augmenta ædificij, ſpes eſt. Perfectio autem, & culmen totius operis, charitas. Origen. in cap. Rom. 4.

DE PRAECIPVIS VIRTVTVM DIFFERENTIIS.

TABVLA 100.

VIRTVtes Theologicæ differunt:

- *Primũ inter ſe quinque modis.*
  - I. *Secundum actus proprios. Nam* *Fides*, *Spes*, *Charitas* — *Facit* — *Deo aſſentire*, *Confidere in Deo*, *Deum amare*.
  - II. *Ratione ſubiecti: quia* *Fides*, *Spes*, *Charitas* — *Eſt in* — *Rationali*, *Iraſcibili*, *Concupiſcibili*.
  - III. *Ratione obiecti*, *Fides*, *Spes*, *Charitas.* — *Eſt circa* — *Verum*, *Arduum*, *Bonum*.
  - IIII. *Ratione effectûs*,
    - *Fides in præſenti ſequitur Deum.*
    - *Spes comitatur in cælum.*
    - *Charitas perenniter amplexatur.*
  - V. *Ratione cognitionis, quia per*
    - *Fidẽ cognoſcitur Deus, vt veritas.*
    - *Spem habetur, vt æternitas.*
    - *Charitasem diligitur, vt bonitas.*
- *Deindè à Cardinalibus differũt virtutibus:*
  - I. *Theologicæ mouent ad finem,* / *Sed Cardinales ad ea, quæ mouent ad finem.*
  - II. *Theologicarum virtutum finis & obiectum, eſt ipſe Deus:* / *At cardinalium finis eſt quidem Deus, non tamen obiectum propriè.*
  - III. *Virtutes Theologicæ mouent ad opera, ex rationibus ſumptis à iure diuino.* / *Sed Cardinales, à iure naturali.*
  - IIII. *Virtutes Theologicæ attenduntur, quantùm ad actus interiores:* / *Cardinales verò, ad opera exteriora.*
  - V. *Virtutes Theologicæ non habentur ſine donis,* / *Cardinales verò ſine donis haberi poſſunt.*
  - VI. *Virtutes Theologicæ ſunt diſcretiuæ actuum in Deum,* / *Cardinales verò in proximum.*
  - VII. *In Theologicis habitus generat actus,* / *Sed in Cardinalibus, Actus generat habitus.* / *Compend. Theolog. veritat. lib. 5. cap. 17. & 18.*

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

AVGVSTINVS.

DECALOGVS decem præcepta legis habet. Quæ decem præcepta ſic ſunt diſtributa, vt tria pertineant ad Deum, & ſeptem ad homines. Hæc decem præcepta, ſunt decem chordæ pſalterij, quas tangendo, feras peccatorum occidis. Tangis primam chordam, qua vnus colitur Deus, & cecidit beſtia ſuperſtitionis. Tangis ſecundam, qua non accipitur nomen Dei in vanum, & cecidit beſtia erroris nefandarum hæreſum. Tangis tertiam, vbi pro ſpe futuræ quietis ſpirituale ſabbathum cuſtodis, & interficitur amor ſeculi. Tangis quartam, vt honorem parentibus deferas, & cecidit beſtia impietatis. Non mœchaberis: tangis quintam chordam, & occidis beſtiam libidinis. Nō occides: tangis ſextam, & cecidit beſtia crudelitatis. Non falſum teſtimonium dices: tangis octauam, & cecidit beſtia falſitatis. Non cōcupiſces: tangis nonam, & cecidit beſtia adulterinæ cogitationis. Nō cōcupiſces rem proximi tui: tangis decimā, & cecidit beſtia cupiditatis. Et ità cadentibus omnibus beſtijs, ſecurus & innocens in dilectione & humana ſocietate verſaris. Auguſtinus de decem chordis, cap. 9.

DE LEGIBVS TABVLAE PRIMAE.

TABVLA 101.

DVAE FVERUNT *legis antiquæ tabulæ, quarū prior illa potiſſimū cōtinebat præcepta, quibus inſtruitur homo Chriſtianus, qualē ſe erga Deum exhibere debeat. Sunt autē tria primæ tabulæ pcepta:*

- *Primū de vero vnius Dei cultu, In quo*
  - *Præcipiuntur*
    - *Fides,*
    - *Spes,*
    - *Charitas.*
    - *De quibus cùm anteà duobus in locis dictum ſit ſatis, nihil attinet ea hîc repetere.*
  - *Prohibentur his contraria.*
- *Secundum, de Iuriſiurandi religione, ſiue de illicitis iurationibus. In quo*
  - *Iubemur Deo honorem tribuere.*
  - *Vetantur*
    - *Periurium,*
    - *Blaſphemia,*
    - *Votum illicitum,*
    - *Votorum fractio,*
    - *Inconſiderata diuini nominis aſſumptio*
- *Tertium, de Sabbatho, in quo*
  - *Mandatur Sanctificatio*
    - *Sabbathi & Feſtorū,*
    - *Secūdum legis*
    - *Verba & Mentem.*
  - *Probibentur*
    - *Opus ſeruile,*
    - *Obmiſſio cultûs diuinî,*
    - *Irreuerentia Sacrorum,*
    - *Ludi, & ſimilia.*

DE PRAECEPTIS TABVLAE SEcundæ. TABVLA 102.

ALTEra Tabula, in qua continentur officia hominis Chriſtiani erga proximum, ſeptem habet præcepta:

- *Quartum de parētibus & ſuperioribus honorandis. In quo*
  - *Præcipitur nobis parentū*
    - *Reuerētia, Obediētia, Subuentio,* — *Eos*
      - *Amando,*
      - *Morem gerendo.*
      - *Conſolando & iuuādo.*
  - *Promittitur vitæ*
    - *Longitudo & Gloria* — *In*
      - *Hac terra*
      - *&*
      - *Futuro ſeculo.*
  - *Vetantur*
    - *Irreuerentia,*
    - *Inobedientia,*
    - *Ingratitudo.*
- *Quintū de homicidijs, in quo*
  - *Prohibētur.*
    - *Nominatim homicidium,*
    - *Implicitè omne nocumentū, quo animæ aut corpori proximi nocere poſſumus: vt ſunt*
      - *Percuſſio,*
      - *Mutilatio,*
      - *Maleuolentia,*
      - *Obmiſſio ſubuentionis,*
      - *Obmiſſio reconciliationis fraternæ.*
    - *Huc reduci poſſunt homicidia ſpiritualia*
      - *Vltroneum peccandi periculum,*
      - *Seductio,*
      - *Scandalum,*
      - *Obmiſſio correctionis.*
  - *Iubentur*
    - *Concordia,*
    - *Amicitia,*
    - *Pax,*
    - *Patientia.*
- *Sextum de illicito concubitu. In quo*
  - *Vetantur*
    - *Adulterium & Omne impuritatis genus.*
  - *Præcipitur vt*
    - *Animæ & Corporis.* — *Caſtitatem ſeruemus.* — *Plura de hoc præcepto, vide infrà de Luxuria.*
- *Septimum de iniuſta poſſeſſione, & contrectatione rei alienæ. In quo*
  - *Prohibentur*
    - *Furtum, Peculatus, Plagiatus, Sacrilegiū, Rapinæ, Vſura, Damnum, inuenti retentio, Contractus doloſus.*
  - *Iubentur*
    - *Reſtitutio, Satisfactio & Eleemoſyna.*
- *Octauū de falſis teſtimonijs. In quo*
  - *Vetantur*
    - *Nominatim omne mendacium pernicioſum.*
    - *Implicitè etiam omnia peccata ad locutionem pertinētia, quibus ſaltem infertur damnum proximo, vt ſunt*
      - *Calumnia, Deriſio, Detractio, Maledictio, Temerarium iudiciū, ſuſurratio, Adulatio, Simulatio.*
  - *Præcipiuntur*
    - *Simplicitas & Veritas.*
- *Nonum de vxore aliena non concupiſcenda. In quo*
  - *Prohibentur*
    - *Nominatim alienæ vxoris appetitio,*
    - *implicitè omnia deſideria carnalia.*
  - *Iubentur, vt*
    - *Animum, & Omnes omninò ſenſus* — *Habeamus puros.*
- *Decimum de habendi cupiditate. In quo*
  - *Vetantur*
    - *Nominatim, interior illa voluntatis concupiſcentia:*
    - *Implicitè, omnis illicita habendi cupiditas.*
  - *Præcipitur, vt*
    - *Non tantùm manus habeamus liberas,*
    - *Sed etiam animum innocentem. Method. Confit.*

DE PRÆ-

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE AVguſt. Epiſt.118.cap.5.

Si quid diuinæ ſcripturæ præſcribit authoritas,non eſt dubitandum quin ità facere debeamus,vt legimus: Similiter etiam,ſi quid per orbem frequentet Eccleſia.Nam hoc,quin ità faciendum ſit,diſputare,inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

IDEM AD CASVLANVM.

In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina,mos populi Dei, vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.

QVAE ET QVOT SINT ECCLESIAE præcepta. TABVLA 103.

PRAECIPVA *quinq; numerãtur,cuiq; Chriſtiano & ſcitu, & obſeruatu neceſſaria. Quæ hiſce continentur edictis:*	*Statutos Eccleſiæ Feſtos dies celebrato.* *Sacrum Miſſæ officium diebus Feſtis reuerenter audito.* *Ieiunia certis diebus, temporibuſque indictis obſeruato.* *Peccata tua ſacerdoti proprio annis ſingulis confitetor.* *Sacroſanctam Euchariſtiam ad minimum ſemèl in anno,idque circa Feſtum Paſchæ ſumito. Caniſius in Summa doct.*

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

TABVLA 104.

OMNIA *enumerare hoc loco non attinet: principalia verò tria ſunt, De*	*Paupertate voluntaria,*	Porrò	*Paupertas ad eos pertinet, qui ſemèl omnia derelinquunt, vt Chriſtum exemplo Petri & Apoſtolorum perfectè ſequantur.*
	Caſtitate perpetua,		*Caſtitas eorum eſt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, & vti Tertullian.dixit, ſe voluntarios probant ſpadones:*
	Obedientia religioſa.		*Obedientiã verò præſtãt, qui, vt ſeipſos plenè abnegent, non ſolùm à cupiditatibus,verùm etiã voluntate ſua, quod ſcriptura admonet,prorſus auertuntur, dum eius quem ſibi ſuperiorẽ Chriſti loco elegerũt, voluntati ſeſe totos abijciũt.*

REGVLA DE MANDATORVM OBSERVATIONE Communis,ex Hieronym.

Non ideò putes aliqua contemnenda eſſe mandata,quia leuiora ſunt. Tam enim maxima illa,quàm minima imperata ſunt:& contemptus cuiuſcunque præcepti, præcipientis iniuria eſt. In quouis propoſito,in quouis gradu æquale peccatum eſt,vel prohibita admittere,vel iuſſa non facere. Hieron. ad Celantiam. Nam iuſſa, inquit D. Bernardus, ſine culpa non negliguntur, & ſine crimine non contemnuntur. Bernard. de præcepto & diſpenſat.

DE TRIPLICI GENERE BONORVM

operum, ex ſumma Doctrinæ Chriſtianæ. TABVLA 105.

IVSTITIA *Chriſtiana tam latè patet, vt omnia bona, quæ honeſtè, iuſtè ac piè fiunt, in ſe contineat, nobiſque expetenda & conſectanda proponat. Porrò & ſi ſint benefacta permulta, quæ ex fide viua proficiſcũtur, & iuſtitiã Chriſtianã commendant, augent atque conſummãt: tria tñ ſunt, ad quæ cætera ferè omnia veluti ad fontes referri poterunt, videlicet*

- *Ieiuniũ, quod eſt triplex:*
  - *Magnum & generale ieiunium Auguſtinus vocat, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus.*
  - *Deindè, Philoſophicum, vt quidam vocant, ieiunium eſt, parſimonia cibi & potũs, moraliſque ſobrietas, qua temperatè etiam ab Ethnicis ſecundùm rectam rationem viuitur.*
  - *Tertiò Eccleſiaſticum eſt ieiunium, vtpotè cùm iuxta certum Eccleſiæ morem atque præſcriptum, certis diebus & carnium eſum ſubtrahimus, & vna duntaxàt refectione contenti ſumus.*
- *Oratio, quæ eſt pius noſtræ mentis in Deum affectus, quo petuntur fideliter, quæcũque ſunt nobis aut alijs ſalutaria: quo diuinam quoquè gratiam & virtutem celebramus, aut qualicunque ratione coram ſumma & æterna illa maieſtate nos deuotos teſtamur. Vt huc ſpectet non ſolùm precatio, ſed etiam adoratio, oblatio ſeu ſacrificium, inuocatio, laudatio, gratiarum actio, de quibus paulò antè ſuo dictum eſt loco, videlicet in ordine credendorum.*
- *Eleemoſyna, eſt beneficium ſeu munus, quo alterius miſeriæ ex noſtro commiſerationis affectu ſubuenitur. Hæc in ſacris literis per ſæpè accipitur pro miſericordia, quæ (ſicut Auguſtinus affirmat) eſt alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua vtiquè, ſi poſſumus, ſubuenire compellimur. Opera porrò quæ vulgò dicuntur miſericordiæ, duplicis generis eſſe inueniuntur, cùm alia ſint*
  - *Corporalia ſeptem:*
    - *Eſurientes paſcere,*
    - *Potum dare ſitientibus,*
    - *Operire nudos,*
    - *Captiuos redimere,*
    - *Ægrotos inuiſere,*
    - *Hoſpitio peregrinos ſuſcipere,*
    - *Mortuos ſepelire.*
  - *Spiritualia totidem:*
    - *Peccatores corrigere,*
    - *Ignorantes docere,*
    - *Dubitantibus rectè conſulere,*
    - *Pro ſalute proximi Deum orare,*
    - *Conſolari mæſtos,*
    - *Ferre patienter iniurias,*
    - *Offenſam remittere.*

CHRYSOSTOMVS.

Miſericordia eſt ſalutis præſidium, fidei ornamentum, propiciatio peccatorum: hæc eſt quæ iuſtos probat, ſanctos roborat, Dei cultores oſtendit. Chryſoſto. in homil. de miſericordia & duab. viduis. Quin etiam ſi Ambroſio credimus, Omnis ſumma diſciplinę Chriſtianę, in miſericordia & pietate eſt. In 1. ad Timoh. cap. 5.

DE FRVCTIBVS SPIRITVALIBVS BOnorum operum. TABVLA 106

PRAECLARVM *ſanè fructum pariunt opera iuſtitiæ Chriſtianæ, atque multiplicem cùm in hac, tum in futura vita. Pietas enim ad omnia vtilis eſt, 1. Tim. 4. &, Bonorum laborum glorioſus eſt fructus, Sap. 3.*

Primùm enim hæc opera ex viua fide, id eſt, per charitatem operantem perfecta, non modò ſigna ſunt Chriſtianæ vocationis, ſed eandem quoq; nobis confirmant, certamq; faciunt. Quamobrem Petrus Apoſtolus, qui ad opera bona nunquàm non cohortatur, hoc etiam adiecit: Fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hoc enim facientes, non peccabitis aliquandò. 2. Pet. 1.

Secundò gratiam credentibus augent, atque ſanctificationem perficiunt, Apoſtolo teſte, 2. Cor. 7. vt hinc etiã Iacobus affirmet, quòd fides, quæ operibus cooperatur, ex iiſdem quoquè conſummetur. Iacob. 2.

Tertiò fiduciam bonæ conſcientiæ pariunt, magisq; ad orandum & quidlibet à Deo impetrandum animant, ſcriptum eſt enim: Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.

Demùm id efficiunt, vt laborãtes in vinea Chriſti, denarium diurnum accipiamus, hoc eſt, promiſſam æternæ vitæ mercedem, iuſtitiæque coronam, quam in Eccleſia Dei mandata ſeruantes, in Chriſto promeremur. Ait enim Dominus: Voca operarios, & redde illis mercedem, Matth. 20. Quin etiam id pronunciat: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Matth. 19. Et alibi: Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnũ cælorum, Matth. 7. Caniſ. in Summa.

CHRYSOSTOMVS.

Quemadmodùm vitam veſtram eſca continet, atque iſtam vita viciſsìm diſpenſat: ità ſi bona opera habuerimus, Spiritumſanctum habebimus. Et, ſi ſpiritum ſanctum habuerimus, bona etiam opera habebimus. Chryſoſt. Homil. 28. in cap. Rom. 15.

CAELESTINVS.

Tanta erga omnes homines eſt bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona: & pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus: agit quippe in nobis, vt, quod vult, & velimus, & agamus: nec ocioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda, donauit, vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei: ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicitè recurramus, qui ſanat oẽs languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidiè dicimus: Nè inducas nos in tentationem &c. Cæleſtin. Papa in decretis ſuis, Canon. 12. epiſt. 1. ad epiſcopos Galliæ.

DE CAEREMONIARVM, QVAE IN MISSAE SAcrificio adhiberi ſolent, interpretatione morali, ex compend. Theolog.

TABVLA 90.

CAEREmoniæ, quibus hoc ſacroſanctum pagitur officiũ Miſſæ, ſummã propemodũ totius cõtinẽt Euangelij, nec ocioſæ ſunt aut ſuperfluæ, ſed præter myſticum, qui ſub his latet, ſenſum, etiã moralẽ habẽt ſignificationem. Nam

	Significat
Introitus	*Boni operis inchoationem, & duplicatur, vt diſcamus* { *Declinare à malo,* & *Facere bonum.* }
Kyrieeleyſon	*Inuocationem miſericordię Dei, qua nouẽ modis indigemus.* { *Primis tribus*, *Sec̃udis tribus*, *Tertijs tribus* } *modis ad* { *peccatorũ remiſſionem, quæ committimus* { *Corde, Ore, Opere,* } *quãtum ad* { *Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionẽ.* }; *Gratiæ collationem, ſcilicet* { *Fidei, Spei, Charitatis.* }; *Glorificationem, qua gaudebimus in Deo* { *Supra nos, De nobis ipſis, Iuxta nos de proximo.* } }
Collectæ,	*Orationem.*
Epiſtola & Euangelium,	*Nouæ & veteris legis obſeruationem.*
Graduale & Alleluia,	*Vitæ actiuæ & cõtemplatiuæ perfectionem.*
Offertorium	*Contribulati ſpiritûs ſacrificium.*
Secreta	*Statum vitæ.*
Præfatio	*Statum Patriæ.*
Hymnus triſagius	*Exultationem angelorum præſentium.*
Canon	*Tranſitum membrorum in corpus Chriſti myſticum.*
Pater noſter	*Filiationem per gratiam.*
Agnus Dei	*Liberationem per miſericordiã, & triplicatur vt liberemur à malis* { *Præteritis, Præſentibus, Futuris.* }
Cõmunio ſeu Complenda.	*Boni operis conſummationem.*

DE ALIIS

DE ALIIS MISSAE RITIBVS.

TABVLA 91.

SVNT *etiã alia, quæ in ſacroſancto Miſſæ officio adhiberi ſolẽt: velutì*

- *Indumẽta, quorũ alia*
  - *Presbyteris & Epiſcopis sũt communia, vt*
    - *Amictus ſiue ſuperhumerale,*
    - *Podéris ſiue Alba,*
    - *Cingulum,*
    - *Manipulus,*
    - *Orarium ſiue ſtola,*
    - *Planeta.*
    - *Quorum omnium myſteria & ſignificationes, tum allegoricas tum morales ſi quis plenius nôſſe velis, videat apud D. Abbatem Tuitienſem de diuinis officiis, Innocent. III. de ſacro altaris myſterio, D. Vuilhel. Durand. in Rationali diuinor. atque alios Liturgiæ elucidatores.*
  - *Epiſcopi præter hæc habent propria.*
- *Vaſa & ornamẽta, vt*
  - *Altare,*
  - *Calix,*
  - *Patena,*
  - *Corporale.*
  - *Per quæ, iuxta ſignificationem allegoricam, intelligimus*
    - *Crucem,*
    - *Sepulcrum,*
    - *Lapidem ſuperpoſitum,*
    - *Sindonem, in qua corpus Domini fuit inuolutum.*
    - *Compend. theolog. veritat. lib. 6. cap. 18.*

DE AGENDIS, HOC EST, BENE BEATE'QVE VIVENDI

formula, de anguſta illa via, quæ ad vitam ducit immortalem.

TABVLA 92.

AGEN-*dorum numero continentur*

- *Virtutes,*
- *præcepta*
  - *Dei,*
  - *Eccleſiæ,*
  - *Conſilia Euangelica,*
- *Bona opera & eorum fructus,*
- *Dona Spiritûs ſancti,*
- *Gradus beatitudinis.*

Quæ differunt, quia

- *Virtutes potentias diſponunt.*
- *Præcepta & cõſilia opera reſpiciunt.*
- *Dona operibus perfectionem addunt.*
- *Fructus facultatem ſpiritui apponunt.*
- *Beatitudines ipſis virtutibus pmium ſiue vitæ, ſiue patriæ coniungunt.*

Vel qa

- *Virtutibus benè operamur.*
- *Donis expeditè,*
- *Beatitudinibus perfectè,*
- *Sed fructibus fruimur Deo. Compend. Theolog.*

DE VIRTVTVM PARTITIONE IN GEnere, ex Viguer. TABVLA 93.

VIRTVS eſt animi habitus, naturæ, modo atq; rationi conſentaneus. Auguſt. lib. 4. contra Iulia. Quam idẽ Auguſt. à veteribus artem benè recteque viuendi definitam eſſe teſtatur, lib. 4. De ciuitate Dei ca. 21. Virtutũ porrò triplex ferè eſt partiẽdi ratio:

- **Primò,**
  - Vt habitus diuiditur in habitus
    - Intellectuales, &
    - Appetitiuos ſeu morales.
  - Sic etiã virtutũ quædam ſunt
    - Intellectus, q̃ ſunt vel in intellectu
      - Speculatiuo
        - Intellectus,
        - Sapientia,
        - Sciẽtia.
        - Ex quibus
          - Vna inſita & indelebilis eſt.
          - Reliquæ acquiſitæ, & delebiles p oppoſitos Actus & Habit⁹ videlicet, errores.
      - practico, ordinãtes cognitionẽ ad operationẽ immanentem, vt
        - Synderesis, i. habitus inclinans hominẽ ad benè agendum.
        - Prudentia.
        - Quarum
          - Prima eſt naturalis & indelebilis, et principium omniũ virtutum moraliũ primũ.
          - Altera acquiſita eſt, & deleri poteſt per vitia oppoſita.
    - Morales. virtus autẽ appetitiua ſeu moralis eſt habitus electiuus in medietate conſiſtens, prout ſapiens determinabit. Et quia tres appetitus ſunt in homine, videlicet
      - Voluntas,
      - Appetitus concupiſcibilis, et
      - Iraſcibilis:
      - Ideò virtutes morales ad tria genera reducũtur. Nam
        - Iuſtitia, cũ partibus ſuis,
        - Fortitudo
        - Temperantia
        - perficit
          - voluntatẽ.
          - Appetitũ iraſcibilẽ.
          - Cõcupiſcibilẽ.
- **Secundò, diuiditur etiã virtus generaliter ſumpta, in**
  - Virtutem perfectam, quæ ſecundùm Philoſophum, bonum facit habẽtem, & opus eius reddit bonum, 2. Ethicor. Sunt autem quatuor ſolùm propriè & perfectè virtutes acquiſitæ, videlicet, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.
  - Imperfectam, quæ inclinat ad actum bonum, ſed nõ facit, nec reddit bonum habentem, ſaltem ſimpliciter: licèt benè ſecundùm quid. Et tales ſunt virtutes intellectuales ſpeculatiuæ, & omnes artes mechanicæ.
- **Tertiò virtutũ aliæ vocantur**
  - Infuſæ, quæ virtute naturali acquiri non poſſunt: excedunt enim capacitatem naturalem: ſed à Deo infunduntur, & ordinant hominem in finem ſupernaturalem. Cuiuſmodi ſunt eæ, quæ virtutes appellantur Theologicæ, hoc eſt, quæ habent Deum pro obiecto, & ſunt tres, videlicet
    - Fides,
    - Spes,
    - Charitas.
    - Quarũ
      - Prima eſt in intellectu.
      - Reliquæ duæ in voluntate.
      - Maior autẽ harum eſt charitas.
  - Acquiſitæ, Morales nimirùm, quas D. Ambroſius & alij Patres vocãt Cardinales, hoc eſt, principales, nõ quidẽ inter infuſas, quia illæ excellunt ratiõe cauſæ & finis, ſed inter morales & adquiſitas. Sunt autem virtutes Cardinales quatuor:
    - Prudentia,
    - Iuſtitia,
    - Fortitudo,
    - Temperãtia:
    - Quæ & ipſæ, ſi finẽ, ad quem tendũt, reſpiciamus ſupernaturalem, infuſæ dici ſolent. Viguer. in fine capitis tertij.

DE VIR-

DE VIRTVTIBVS ACQVISITIS SEV MORALIBVS,

quas vocant Cardinales, ex Vig. & Compen. Theolog. Veritat. TAB. 94.

VIRTVTES CARDINALES *dicuntur, quia ſicut oſtiū vertitur in cardine, ſic in his vertitur & regitur vita hominis, His enim virtutibus vel inprimis homo Chriſtianus*

- *Inſtruitur*
  - *Quoad ſe,*
  - *Quo ad proximū,*
- *Armatur*
  - *In proſperis,*
  - *Aduerſis*

per

- *Prudentiā,*
- *Iuſticiam,*
- *Temperātiam,*
- *Fortitudinem.*

Quarū vis cernitur in rebꝰ

- *Eligendis,*
- *Diſtribuendis,*
- *Vtendis,*
- *Tolerandis.*

DE PRVDENTIA.

TABVLA 95.

PRVDENTIA *eſt recta ratio agibiliū, ſiue vt ait Macrobius, prudentiæ eſt ad rationis normam, quæ cogitat quæq; agit, vniuerſa dirigere, at nihil pͤter rectum velle vel facere. Porrò prudentia, vt eſt virtus Politica,*

- *Eſt triplex:*
  - *Prima eſt cordis, & hæc verſatur in*
    - *Diſpoſitione præſentium,*
    - *Recognitione præteritorū,*
    - *Præuiſione futurorum.*
    - *Deu. 32. vtinā ſaperēt, & intelligerēt, ac nouiſ. puiderēt*
  - *Secunda eſt oris, quæ verſatur in moderatione ſermonū. Nam qui moderatur labia, prudentiſſimus eſt. Prouer. 10.*
  - *Tertia eſt operis, & hæc conſiſtit in fuga mali, & electione boni. Vndè Pſalmographus: Declina à malo, inquit, & fac bonū. Pſal. 36.*
- *Partes habet 8.*
  - *Memoriam, Intelligentiam, Docilitatem,*
  - Ευστοχίαν, *Solertiam, Rationem,*
  - *Circunſpectionem, Cautionem.*
- *Opponuntur ei vitia imprudentiæ, quæ ipſius prudentiæ carentia eſt ſiue defectus, videlicet*
  - *Præcipitatio, Inconſideratio,*
  - *Negligentia, Prudentia carnis,*
  - *Adulatio, Dolus, Solicitudo.*

DE IVSTITIA.

TABVLA 96.

IVSTITIA *eſt conſtās & perpetua volūtas ius ſuum cuique tribuēdi, vel vt Macrobius, eſt ſeruare vnicuique quod ſuum eſt.*

- *Diuiditur in iuſtitiā.*
  - *Generalem, quæ ad bonū pertinet publicum, & diuiditur in Iuſtitiam*
    - *Legalem & Epijkeiam.*
    - *Hoc eſt, in*
      - *Rigorem Iuris, & Aequitatem.*
  - *Particularem, quæ priuatum reſpicit cōmodum, & ſecatur in Iuſtitiam*
    - *Diſtributiuam, quæ verſatur circa*
      - *Præmia virtutum,*
      - *Pœnas vitiorum.*
    - *Commutatiuam, cuius actus ſunt*
      - *Emptio, Venditio,*
      - *Et omnes penè contractus.*
- *Partes ēius ſunt*
  - *Religio,*
  - *Pietas,*
  - *Obſeruantia,*
  - *Obedientia,*
  - *Gratitudo,*
  - *Vindicatio,*
  - *Veritas,*
  - *Amicitia,*
  - *Liberalitas.*

Vitia oppoſita ſunt

- *Superſtitio & ſacrilegium,*
- *Impietas,*
- *Neglectus,*
- *Inobedientia,*
- *Ingratitudo,*
- *Impiūitas,*
- *Mendacium,*
- *Adulatio,*
- *Auaritia.*

DE FORTITVDINE.

TABVLA 97.

FORTITVDO, *vt iterum inquit Macrobius, eſt, animum ſupra periculi metũ agere, nihilq́ niſi turpia timere, tolerare fortiter aduerſa vel proſpera. Et*

- *Verſatur inter*
  - *Timores, & Audacias,* — *Quaſi*
    - *Timorum cohibitiua, & Audaciarum moderatiua.*
- *Cuius actus ſunt*
  - *Adgredi & Suſtinere,* — *Vt ſuſtinere martyrium.*
- *Partes habet quatuor:*
  - *Magnanimitatẽ,*
  - *Magnificentiam,*
  - *Patientiam,*
  - *Conſtantiam &*
  - *Perſeuerantiam.*
  - *Quibus opponũtur*
    - *Puſillanimitas,*
    - *Paruificentia, vt vocatur à Philoſopho, & conſumptio.*
    - *Impatientia,*
    - *Mollities & pertinacia.*
- *Conſiſtit in*
  - *Adgreſſione arduorum, Pſal. 30. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum.*
  - *Contemptu terrenorum, Heb. 11. Moiſes negauit ſe eſſe filiũ pharaonis.*
  - *Suſtinentia tribulationũ, Cant. 8. Fortis eſt vt mors dilectio.*
  - *Reſiſtentia tentationum, 2. Tim. 2. Non coronabitur niſi q legitimè certauerit.*
  - *Impugnatione vitiorum, Iob 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram.*
- *Officium eius eſt, firmare & conſeruare bonum rationis in his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in periculis arduis & grauibus. Compend. Theol. verit. & Vig.*

DE TEMPERANTIA.

TABVLA 98.

TEMPERANTIA, *ſecundum eundem Macrobium, eſt nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugo rationis cupiditatẽ domare. Eius ſunt*

- *Species 4.*
  - *Abſtinentia,*
  - *Sobrietas,*
  - *Caſtitas,*
  - *Pudicitia.*
  - *Quibus opponuntur*
    - *Gula,*
    - *Ebrietas,*
    - *Fornicatio,*
    - *Impudicitia.*
- *Partes 5.*
  - *Continentia,*
  - *Clementia & manſuetudo,*
  - *Modeſtia & humilitas,*
  - *Studioſitas,*
  - *Moderatio.*
  - *Quibus opponuntur*
    - *Incontinentia,*
    - *Ira, ſiue iracundia & crudelitas,*
    - *Superbia,*
    - *Curioſitas,*
    - *Immoderatio.*

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

TABVLA 99.

- **TRES** *omninò ſunt virtutes theologicæ, quæ hominum mentibus à Deo cælitùs ſunt infuſæ: Nimirum*
  - *Fides, quæ hîc accipitur pro habitu fidei, quo firmiter aſſentimur reuelatis à Deo, & eſt ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. 11. Eius*
    - *partes ſunt duæ:*
      - *Fides informis, quæ eſt ſine charitate, & in Chriſtiano, qui eſt in peccato mortali.*
      - *Fides formata, quæ cum charitate eſt cõiuncta. Charitas enim omnium virtutum forma eſt,*
        - *Non quidem intrinſeca,*
        - *Sed extrinſeca.*
    - *Actus itidẽ duo,*
      - *Interior, & Exterior.* — *Nã*
        - *Corde creditur ad iuſtitiã,*
        - *Ore autem fit cõfeſſio ad ſalutem.* — *Paul. ad Romã. x*
    - *Vitia oppoſita,*
      - *Infidelitas, cuius ſpecies ſiue gradus ſunt*
        - *Titubatio,*
        - *Simplex diſcredentia,*
        - *Hæreſis perfecta,*
        - *Apoſtaſia.*
      - *Blaſphemia,*
        - *Tribuendo Deo, quod non conueniat:*
        - *Negando, quod ei conueniat:*
        - *Tribuẽdo creaturæ, quod ſoli conueniat Deo, & iniuriando ſanctis.*
  - *Spes conſequitur fidẽ, quæ eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & (ſi reſpiciamus rem creditam) ex meritis prouenient. Ea*
    - *Eſt triplex:*
      - *Veniæ, Pſal. 30. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.*
      - *Gratiæ, Pſal. 31. Sperantes autem in Domino miſericordia circundabit.*
      - *Gloriæ, Prouerb. 28. Qui ſperat in Deo, ſaluabitur.*
    - *Vitia habet*
      - *Deſperationem & Præſumptionem.*
  - *Charitas eſt finis præcepti, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. In ea conſideramus*
    - *Ordinẽ, qui ſecundùm Auguſtinum eſt diligere:*
      - *Primò, quod ſupra nos eſt, id eſt, Deum.*
      - *Deindè, quod nos ſumus.*
      - *Poſt hoc, quod iuxta nos eſt, id eſt, proximum.*
      - *Vltimò, quod infra nos eſt, id eſt, Corpus*
        - *Noſtrum & Proximi.*
    - *Effectus, quales ſunt*
      - *Gaudium ſpirituale, Pax, Miſericordia,* — *Interiores.*
      - *Beneficentia, Eleemoſyna, Correctio fraterna:* — *Exteriores.*
    - *Vitia contraria:*
      - *Odium, Acedia, Inuidia, Diſcordia, Contentio, Schiſma, Bellum, Duellum, Rixæ, Seditio, Scandalum.*

ORIGENES.

Puto, quòd prima ſalutis initia, & ipſa fundamenta, fides eſt. Profectus verò, & augmenta ædificij, ſpes eſt. Perfectio autem, & culmen totius operis, charitas. Origen. in cap. Rom. 4.

DE PRAECIPVIS VIRTVTVM DIFFERENTIIS.

TABVLA 100.

VIRTVTES *Theologicæ differunt:*

- *Primũ inter ſe quinque modis.*
  - I. *Secundùm actus proprios. Nam*
    - *Fides* — *Facit* — *Deo aſſentire,*
    - *Spes* — *Facit* — *Confidere in Deo,*
    - *Charitas* — *Facit* — *Deum amare.*
  - II. *Ratione ſubiecti: quia*
    - *Fides* — *Eſt in* — *Rationali,*
    - *Spes* — *Eſt in* — *Iraſcibili,*
    - *Charitas* — *Eſt in* — *Concupiſcibili.*
  - III. *Ratione obiecti,*
    - *Fides* — *Eſt circa* — *Verum,*
    - *Spes* — *Eſt circa* — *Arduum,*
    - *Charitas.* — *Eſt circa* — *Bonum.*
  - IIII. *Ratione effectûs,*
    - *Fides in præſenti ſequitur Deum.*
    - *Spes comitatur in cælum.*
    - *Charitas perenniter amplexatur.*
  - V. *Ratione cognitionis, quia per*
    - *Fidẽ cognoſcitur Deus, vt veritas.*
    - *Spem habetur, vt æternitas.*
    - *Charitatem diligitur, vt bonitas.*
- *Deindè à Cardinalibus differũt virtutibus:*
  - I.
    - *Theologicæ mouent ad finem,*
    - *Sed Cardinales ad ea, quæ mouent ad finem.*
  - II.
    - *Theologicarum virtutum finis & obiectum, eſt ipſe Deus:*
    - *At cardinalium finis eſt quidem Deus, non tamen obiectum propriè.*
  - III.
    - *Virtutes Theologicæ mouent ad opera, ex rationibus ſumptis à iure diuino.*
    - *Sed Cardinales, à iure naturali.*
  - IIII.
    - *Virtutes Theologicæ attenduntur, quantùm ad actus interiores:*
    - *Cardinales verò, ad opera exteriora.*
  - V.
    - *Virtutes Theologicæ non habentur ſine donis,*
    - *Cardinales verò ſine donis haberi poſſunt.*
  - VI.
    - *Virtutes Theologicæ ſunt diſcretiuæ actuum in Deum,*
    - *Cardinales verò in proximum.*
  - VII.
    - *In Theologicis habitus generat actus,*
    - *Sed in Cardinalibus, Actus generat habitus.*
    - *Compend. Theolog. veritat. lib. 5. cap. 17. & 18.*

DE PRAE-

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

AVGVSTINVS.

Decalogvs decem præcepta legis habet. Quæ decem præcepta ſic ſunt diſtributa, vt tria pertineant ad Deum, & ſeptem ad homines. Hæc decem præcepta, ſunt decem chordæ pſalterij, quas tangendo, feras peccatorum occidis. Tangis primam chordam, qua vnus colitur Deus, & cecidit beſtia ſuperſtitionis. Tangis ſecundam, qua non accipitur nomen Dei in vanum, & cecidit beſtia erroris nefandarum hæreſum. Tangis tertiam, vbì pro ſpe futuræ quietis ſpirituale ſabbathum cuſtodis, & interficitur amor ſeculi. Tangis quartam, vt honorem parentibus deferas, & cecidit beſtia impietatis. Non mœchaberis: tangis quintam chordam, & occidis beſtiam libidinis. Nō occides: tangis ſextam, & cecidit beſtia crudelitatis. Non falſum teſtimonium dices: tangis octauam, & cecidit beſtia falſitatis. Non cōcupiſces: tangis nonam, & cecidit beſtia adulterinæ cogitationis. Nō cōcupiſces rem proximi tui: tangis decimā, & cecidit beſtia cupiditatis. Et ità cadentibus omnibus beſtijs, ſecurus & innocens in dilectione & humana ſocietate verſaris. Auguſtinus de decem chordis, cap. 9.

DE LEGIBVS TABVLAE PRIMAE.

TABVLA 101.

DVAE FVErunt legis antiquæ tabulæ, quarū prior illa potiſſimū cōtinebat præcepta, quibus inſtruitur homo Chriſtianus, qualē ſe erga Deum exhibere debeat. Sunt autē tria primæ tabulæ pcepta:

- *Primū de vero vnius Dei cultu, In quo*
  - *Præcipiuntur*
    - *Fides,*
    - *Spes,*
    - *Charitas.*
    - *De quibus cùm anteà duobus in locis dictum ſit ſatis, nihil attinet ea hîc repetere.*
  - *Prohibentur his contraria.*
- *Secundum, de Iuriſiurandi religione, ſiue de illicitis iurationibus. In quo*
  - *Iubemur Deo honorem tribuere.*
  - *Vetantur*
    - *Periurium,*
    - *Blaſphemia,*
    - *Votum illicitum,*
    - *Votorum fractio,*
    - *Inconſiderata diuini nominis aſſumptio*
- *Tertium, de Sabbatho, in quo*
  - *Mandatur Sanctificatio*
    - *Sabbathi & Feſtorū,*
    - *Secūdum legis*
    - *Verba & Mentem.*
  - *Prohibentur*
    - *Opus ſeruile,*
    - *Obmiſſio cultûs diuini,*
    - *Irreuerentia Sacrorum,*
    - *Ludi, & ſimilia.*

DE PRAECEPTIS TABVLAE SEcundæ.

TABVLA 102.

- *ALTEra Tabula, in qua continentur officia hominis Chriſtiani erga proximũ, ſeptem habet præcepta:*
  - *Quartum de parẽtibus & ſuperioribus honorandis. In quo*
    - *Præcipitur nobis parentũ* — *Reuerẽtia, Obediẽtia, Subuentio,* — *Eos* — *Amando, Morem gerendo. Conſolando & iuuãdo.*
    - *Promittitur vita* — *Longitudo & Gloria* — *In* — *Hac terra & Futuro ſeculo.*
    - *Vetantur* — *Irreuerentia, Inobedientia, Ingratitudo.*
  - *Quintũ de homicidijs, in quo*
    - *Prohibẽtur*
      - *Nominatim homicidium,*
      - *Implicitè omne nocumentũ, quo animæ aut corpori ꝓximi nocere poſſumus: vt ſunt* — *Percuſſio, Mutilatio, Maleuolentia, Obmiſſio ſubuentionis, Obmiſſio reconciliationis fraternæ.*
      - *Huc reduci poſſunt homicidia ſpiritualia* — *Vltroneum peccandi periculum, Seductio, Scandalum, Obmiſſio correctionis.*
    - *Iubentur* — *Concordia, Amicitia, Pax, Patientia.*
  - *Sextum de illicito concubitu. In quo*
    - *Vetantur* — *Adulterium & Omne impuritatis genus.*
    - *Præcipitur vt* — *Animæ & Corporis.* — *Caſtitatem ſeruemus.* — *Plura de hoc præcepto, vide infrà de Luxuria.*
  - *Septimum de iniuſta poſſeſſione, & contrectatione rei alienæ. In quo*
    - *Prohibentur* — *Furtum, Peculatus, Plagiatus, Sacrilegiũ, Rapinæ, Vſura, Damnum, inuenti retentio, Contractus doloſus.*
    - *Iubentur* — *Reſtitutio, Satiſfactio & Eleemoſyna.*
  - *Octauũ de falſis teſtimonijs. In quo*
    - *Vetantur*
      - *Nominatim omne mendacium pernicioſum.*
      - *Implicitè etiam omnia peccata ad locutionem pertinẽtia, quibus ſaltem infertur damnum proximo, vt ſunt* — *Calumnia, Deriſio, Detractio, Maledictio, Temerarium iudiciũ, ſuſurratio, Adulatio, Simulatio.*
    - *Præcipiuntur* — *Simplicitas & Veritas.*
  - *Nonum de vxore aliena non concupiſcenda. In quo*
    - *Prohibentur* — *Nominatim alienæ vxoris appetitio, implicitè omnia deſideria carnalia.*
    - *Iubentur, vt.* — *Animum, & Omnes omninò ſenſus* — *Habeamus puros.*
  - *Decimum de habendi cupiditate. In quo*
    - *Vetantur* — *Nominatim, interior illa voluntatis concupiſcentia: Implicitè, omnis illicita habendi cupiditas.*
    - *Præcipitur, vt* — *Non tantùm manus habeamus liberas, Sed etiam animum innocentem. Method. Confit.*

DE PRÆ-

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE AVguſt. Epiſt. 118. cap. 5.

Si quid diuinæ ſcripturæ præſcribit authoritas, non eſt dubitandum quin ità facere debeamus, vt legimus: Similiter etiam, ſi quid per orbem frequentet Eccleſia. Nam hoc, quin ità faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

IDEM AD CASVLANVM.

In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.

QVAE ET QVOT SINT ECCLESIAE præcepta. TABVLA 103.

PRAECIPVA *quinq; numerãtur, cuiq; Chriſtiano & ſcitu, & obſeruatu neceſſaria. Quæ hiſce continentur edictis:*

- *Statutos Eccleſiæ Feſtos dies celebrato.*
- *Sacrum Miſſæ officium diebus Feſtis reuerenter audito.*
- *Ieiunia certis diebus, temporibusque indicta obſeruato.*
- *Peccata tua ſacerdoti proprio annis ſingulis confitetor.*
- *Sacroſanctam Euchariſtiam ad minimum ſemèl in anno, idque circa Feſtum Paſchæ ſumito. Caniſius in Summa doct.*

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

TABVLA 104.

OMNIA *enumerare hoc loco non attinet: principalia verò tria ſunt, De*

- *Paupertate voluntaria,*
- *Caſtitate perpetua,*
- *Obedientia religioſa.*

Porrò

Paupertas ad eos pertinet, qui ſemèl omnia derelinquunt, vt Chriſtum exemplo Petri & Apoſtolorum perfectè ſequantur.

Caſtitas eorum eſt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, & vti Tertullian. dixit, ſe voluntarios probant ſpadones.

Obedientiã verò præſtãt, qui, vt ſeipſos plenè abnegent, non ſolùm à cupiditatibus, verùm etiã voluntate ſua, quod ſcriptura admonet, prorſus auertuntur, dum eius quem ſibi ſuperiorẽ Chriſti loco elegerũt, voluntati ſeſe totos abijciũt.

REGVLA DE MANDATORVM OBSERVATIONE Communis, ex Hieronym.

Non ideò putes aliqua contemnenda eſſe mandata, quia leuiora ſunt. Tam enim maxima illa, quàm minima imperata ſunt: & contemptus cuiuſcunque præcepti, præcipientis iniuria eſt. In quouis propoſito, in quouis gradu æquale peccatum eſt, vel prohibita admittere, vel iuſſa non facere. Hieron. ad Celantiam. Nam iuſſa, inquit D. Bernardus, ſine culpa non negliguntur, & ſine crimine non contemnuntur. Bernard. de præcepto & diſpenſat.

DE TRI.

DE FRVCTIBVS SPIRITVALIBVS BOnorum operum. TABVLA 106

PRAECLARVM *ſanè fructum pariunt opera iuſtitiæ Chriſtianæ, atque multiplicem cùm in hac, cum in futura vita. Pietas enim ad omnia vtilis eſt, 1.Tim.4.& Bonorum laborum glorioſus eſt fructus, Sap.3.*

Primùm enim hæc opera ex viua fide, id eſt, per charitatem operantem perfecta, non modò ſigna ſunt Chriſtianæ vocationis, ſed eandem quoq; nobis confirmant, certamq; faciunt. Quamobrem Petrus Apoſtolus, qui ad opera bona nunquàm non cohortatur, hoc etiam adiecit: Fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem fatiatis. Hoc enim facientes, non peccabitis aliquandò. 2. Pet. 1.

Secundò gratiam credentibus augent, atque ſanctificationem perficiunt, Apoſtolo teſte, 2. Cor. 7. vt hinc etiã Iacobus affirmet, quòd fides, quæ operibus cooperatur, ex iiſdem quoquè conſummetur. Iacob. 2.

Tertiò fiduciam bonæ conſcientiæ pariunt, magisq; ad orandum & quidlibet à Deo impetrandum animant. ſcriptum eſt enim: Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.

Demùm id efficiunt, vt laborãtes in vinea Chriſti, denarium diurnum accipiamus, hoc eſt, promiſſam æternæ vitæ mercedem, iuſtitiæque coronam, quam in Eccleſia Dei mandata ſeruantes, in Chriſto promeremur. Ait enim Dominus: Voca operarios, & redde illis mercedem, Matth. 20. Quin etiam id pronunciat: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Matth. 19. Et alibi: Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnũ cælorum, Matth. 7. Caniſ. in Summa.

CHRYSOSTOMVS.

Quemadmodùm vitam veſtram eſca continet, atque iſtam vita viciſsim diſpenſat: ità ſi bona opera habuerimus, Spiritumſanctum habebimus. Et, ſi ſpiritum ſanctum habuerimus, bona ètiam opera habebimus. Chryſoſt. Homil. 28. in cap. Rom. 15.

CAELESTINVS.

Tanta erga omnes homines eſt bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona: & pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus: agit quippe in nobis, vt, quod vult, & velimus, & agamus: nec ocioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda, donauit, vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei: ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicitè recurramus, qui ſanat oẽs languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidiè dicimus: Nè inducas nos in tentationem &c. Cæleſtin. Papa in decretis ſuis, Canon. 12. epiſt. 1. ad epiſcopos Galliæ.

DE DO.

DE DONIS SPIRITVS SANCTI.

TABVLA 107.

VLTRA virtutes Theologicas & morales infuſas, fluūt à gratia 7. dona ſpiritûs ſancti, de q. bus Eſa. 11. Requieſcet ſuper eū ſpiritus Dñi: Spiritus, inquam	Sapientiæ,	Quorum alij pertinēt ad	Intellectū	Speculatiuū, ſcilicet	Intellectus & Sapiētia.	Per hos ſumus	Prouidi,	vt	Timor	Expellat	Superbiam,
	Intellectûs,						Maturi,		Pietas		Inuidiam,
	Conſilij,			Practicū, ſcilicet	Conſilium & Scientia.		Cauti,		Scientia		Iram,
	Fortitudinis,						Diſcreti,		Fortitudo		Acediam,
	Sciētiæ,		Vim appetendi, ſcilicet ad		Voluntatē pietas,		miſericordes,		Conſilium		Auaritiam,
	Pietatis,				Appetitū iraſcibilē fortitudo,		Animoſi,		Intellectus		Gulam,
	Timoris.				Concupiſcibilem timor.		Humiles:		Sapientia		Luxuriā. Viguer.

DE FRVCTIBVS SPIRITVS.

TABVLA 108.

AB apoſtolo Paulo, vt ſuprà quoque de verbo dictū eſt breuiato, duodecim fructus ſpiritûs numerantur.

- Primus eſt charitas, fructus quidem generoſiſſimus, ac radix etiam bonorum omnium, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ ipſa non poteſt haberi ſine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus, vt inquit Auguſtinus.
- Alter fructus eſt gaudium, hoc præſtans, vt homo ſpiritualis alacriter lęteq; ſeruiat Deo.
- Tertius, Pax: quæ eò ſpectat, vt in huius mundi procellis, animi ſeruetur tranquillitas.
- Quartus, Patientia: quæ in duris ferendis eſt ſita.
- Quintus, Longanimitas: quæ magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat.
- Sextus, Bonitas: quæ nulli nocet, ſed benè vult omnibus.
- Septimus, Benignitas: inuitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata.
- Octauus, Manſuetudo: quæ omnes iræ motus ſedat & mitigat.
- Nonus, Fides in proximum: vt fideles, pactorumque ac promiſſorum obſeruatores ſimus.
- Decimus, Modeſtia: quæ omnem faſtûs & arrogantiæ ſuſpicionem excludit.
- Vndecimus, Continentia: qua non ſolùm ab eſcis, ſed etiam ab omni nequitia abſtinemus.
- Duodecimus, Caſtitas: quæ mentem caſtam in corpore caſto conſeruat. Caniſ. in Summa.

QVÆ

QVAENAM SINT EVANGELICAE legis beatitudines. TABVLA 109.

ILLAE SVNT, quas & Dominicas beatitudines, & benedictiones Ambroſius vocat, quæ apud Matthæum Euangeliſtam octonario numero recenſentur in hunc modum: Beati

- Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.
- Mites, quoniam ipſi poßidebunt terram.
- Qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.
- Qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.
- Miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
- Mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.
- Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.
- Qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matt. 7.

DE HARVM BEATITVDINVM ORdine & gradibus diſtinctis. TABVLA 110.

BEATITVDInum, quanuis ſecũdum ſubſtantiam ſint octo, tamen iuxta diſtinctionẽ graduũ ſunt ſeptẽ. Quæ inter ſeſe hoc ordine cohærere videntur. Ad integritatem perfectionis requirũtur tria, videlicet

- Receſſus à malo. Nam malũ omne procedit vel ex
  - Tumore ſuperbiæ,
  - Rancore malitiæ,
  - Lãguore cõcupiſcentiæ.
  - Contra hæc 3. ſunt 3. beatitudines.
    - Paupertas ſpiritus,
    - Manſuetudo,
    - Luctus.
- Proceſſus in bono, attenditur ſecũdum diuinã imitationẽ, quæ eſt ſecundum duas vias Domini, ſcilicet
  - Miſericordiam & Veritatẽ. Pſal. 24.
  - Secũdum has duas vias ſumuntur duæ beatitudines, videlicet
    - Eſuries iuſtitiæ, &
    - Affectus miſericordiæ.
- Perfectus ſtatus in optimo, attenditur in duobus, ſcilicet in
  - Limpida cognitiõe,
  - Tranqlla affectiõe.
  - Et ſecundum hoc ſumuntur duæ vltimæ beatitudines, ſcilicet
    - Munditia cordis ad Deum videndum:
    - Et pax mentis ad perfectè fruendũ. Comp. Theol.

DE EARVNDEM BEATITVDINVM VSV. TABVLA 111.

PER HAS ſeptẽ beatitudines excluduntur ſeptem vitia capitalia. Nam

- Paupertas ſpiritualis
- Manſuetudo
- Luctus
- Eſuries iuſtitiæ
- Miſericordia
- Munditia cordis
- Pax

excludit

- Superbiã.
- Iram.
- Inuidiam.
- Acediam
- Auaritiã.
- Gulam.
- Luxuriã.

Et

- Sicut in enumeratiõe donorũ eſt ordo artificialis, quo primò ponuntur digniora:
- Ità in Beatitudinib' eſt ordo naturalis, qa digniores ponũtur vltimò.

DE FVGIENDIS, HOC EST, DE VITIORVM CAVTIONE,

ſiue de ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem.

TABVLA 112.

AVGVSTINO *teſte, peccatũ voluntas eſt retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vndè liberũ eſt abſtinere. lib. de duabus animabus cap. 11. Et alibi docet, peccatum eſſe dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei, lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. Ambroſius verò, Quid eſt peccatum, inquit, niſi legis diuinæ præuaricatio, & cæleſtium inobedientia præceptorum? lib. De paradiſo cap. 8. Eſt autem peccatum triplex:*

Originale vocamus, quod à primo humani generis parente Adam transfuſum, nobiſq́ in ipſa conceptione contractum, per baptiſmum in Chriſto tollitur. De quo Paulus in hunc modum: Per hominem, inquit, peccatum in hũc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.

Mortale, quod vitam ſpiritualem eripit, ac mortem adfert animæ peccantis: quæ mors & à Deo, Deiq́ Regno ſeparat, & ſupplicio æterno dignum facit. Vndè ſcriptum eſt: Stipendia peccati, mors, Rom. 6. Et iniuſtitia, mortis eſt adquiſitio: impij autem manibus & verbis accerſierunt illam. Sap. 1.

Veniale, quod eſt actuale quidem, ſed quod Dei inimicum hominem non efficit, cuiuſq́ à Deo venia fidelibus facilè impetratur. Vndè D. Ioannes dixit: Si dixerimus, quoniam peccatum nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, 1. Ioan. 1. vt mentis euagatio, verbũ ocioſum, riſus immoderatus, & conſimilia, quæ quotidiana dicuntur, & ſine quibus hæc vita non ducitur.

AVGVSTINVS.

Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas eñ & imperitia, contraria ſunt virtuti & ſapientiæ: malitia verò contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur nouit quid ſit virtus & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare, quæ ſint peccata venialia. Et quiſquis nouit quid bonitas Dei, poteſt exiſtimare, quibus peccatis certa pœna debeatur & hîc & in futuro ſeculo. Quibus benè tractatis, probabiliter iudicari poteſt, qui non ſint cogendi ad pœnitentiam luctuoſam & lamẽtabilem, quãuis peccata fateantur: & quibus nulla omninò ſalus ſperanda ſit, niſi ſacrificium obtulerint Deo, ſpiritum contribulatum per pœnitẽtiam. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſtione 26.

ALIA

ALIA PECCATORVM PARTITIO.

TABVLA 113.

INTER omnia peccata præcipuè ſunt animaduertenda ea, quæ dicuntur Capitalia, ꝙ ſint veluti fontes, vel capita reliquorum. Eiuſmodi verò peccata ſunt ſeptē, quæ ſic numerari ſolent:

Superbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ, & vitiorū omniū mater, princeps ac regina. Eius filiæ ſunt	*Præſumptio, Pertinacia, Hypocriſis, Iactantia, Ingratitudo, Contemptus aliorū, Inobedientia, Ambitio, Curioſitas.*	*Quæ vitia curātur*	Obedientia & Humilitate.
Auaritia eſt habēdi appetitus inordinatus. Cuius ſoboles ſunt	*Proditio, Fraus, Fallacia, Periuriū, Inquietudo, Corruptela, Sacrilegiū, Furtū, Vſura, Simonia, Rapina, Violentia, Immiſericordia, ſeu inhumanitas, & durities cordis.*	*vitātur*	*Liberalitate & Eleemoſyna.*
Luxuria eſt appetitus inordinatus impuræ & libidinoſæ voluptatis. Gignit autem ex ſe	*Mentis cæcitatē, Inconſiderationem, Inconſtantiā, Præcipitationem, Amorem ſuî, Odium Dei, Deſiderium huius vitæ nimium, mortis futuriq; iudicij horrorē, ac Felicitatis æternæ deſperationem.*	*His opponuntur virtutes*	*Caſtitas & Continentia.*
Inuidia eſt triſtitia de bono alterius, & odiū alienæ felicitatis. Filias verò ꝓcreat	*Odiū, Suſurrationem, Detractionē, In aduerſis aliorū reb⁹ exultationē, In proſperis afflictiōem, Diſcordiam, Murmurationem, Damnum.*	*Horū remediū eſt Charitas*	Nō tantùm amicorum, Sed etiam inimicorum.
Gula eſt cibi ac potûs appetitus inordinatus. Habet filias	*Ineptam lætitiam. Multiloquiū, Scurrilitatem, Spurcitiem, Senſuum & intellectûs hebetudinē, Somnolentiam & Nauſeam.*	*Sanantur hæc mala*	Sobrietate, Abſtinentia, Ieiunio.
Ira eſt immoderata cupiditas puniendi eius, à quo læſum ſe quis arbitratur. Eius filiæ ſunt	*Rixæ, Tumor mētis, Cōtumeliæ, Clamor, indignatio, Minæ, Probrū, Vltio, Blaſphemia.*	*Iram cōpeſcunt*	*Patientia & Manſuetudo.*
Acedia eſt remiſſi animi languor ad benè operandū, præſertim verò eſt triſtitia de re ſpirituali. Gignit	*Malitiam, Rancorem, Puſillanimitatem, Torporem circa præcepta neceſſaria, Mentis euagationem, Ociū, Incontinentiam, Deſperationem, & Obmiſſionem.*	*Quæ pelluntur*	*Deuotione & Pijs exercitijs*

III. PECCATORVM PARTITIO.

TABVLA 114.

SVNT præterea peccata q̃-dam, quæ dicuntur

- *Aliena, de quib⁹ præcipitur, nè cōmunicaueris peccatis alienis, 1. Tim. 5. Quod nouem fit modis:*
  - *Conſilio, vt Caiphas, Ioann. 11.*
  - *Iuſsione, ſicut Dauid innocentem occidit Vriam, 2. Reg. 11.*
  - *Conſenſu, ità peccauit Saulus, in Stephani protomartyris necem conſentiens, Actor. 7.*
  - *Irritatione, vt vxor Iob, patientiſsimo viro petulanter inſultans, quantùm in ſe quidem erat, ſuaſit etiam Deum blaſphemare, Iob. 2.*
  - *Laudatione ſeu adulatione, vt Eccleſiaſtici malè vulgo blandientes, dum eius licentiæ palàm fauent & applaudunt.*
  - *Reticentia culpæ alienæ. vult enim Deus Euangelizantes clamare, & annunciare populo ſuo ſcelera eorum. Eſa. 58.*
  - *Conniuentia vel indulgentia. Ità peccant magiſtratus cùm gladium fruſtrà portant, vt Saul dum parceret Amalechitis 1. Reg. 15.*
  - *Participatione criminis. Sic Eſaias obijcit populo Iudaico: Principes tui infideles, ſocij furum. Eſa. 1. cap.*
  - *Praua defenſione. Aduersùs hoc peccatum, diuinum intonat oraculum: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Eſa. 5.*
- *In Spiritū ſanctū, quibus gratia diuinitùs oblata, cōtemptim abijcitur. Eiuſmodi 6. recenſentur:*
  - *Præſumptio de miſericordia Dei, vel* — *Diuina miſericordia confidenter abuti.*
  - *Deſperatio.* — *De gratia Dei vel ſalute ſua prorsùs deſperare.*
  - *Agnitæ veritatis impugnatio.* — *Veritatem religionis aduersùs ſuam ipſius conſcientiam hoſtiliter oppugnare.*
  - *Fraternæ charitatis inuidentia.* — *Pertinaci inuidia concitari grauiter ob alienæ ſalutis & virtutum fraternarum ſucceſſum.*
  - *Obſtinatio.* — *Obfirmato animo in crimine ſcienter perſiſtere.*
  - *Impœnitentia.* — *Abſque pœnitentiæ propoſito, peruerſæ vitæ finem nullum facere.*
- *Clamantia in cælum, quæ præ cæteris manifeſtam habent improbitatem. Eiuſcemodi quatuor è ſcriptura numerantur:*
  - *Homicidium voluntarium,*
  - *Peccatum Sodomiticum,*
  - *Oppreſsio pauperum,*
  - *Merces operariorum defraudata.*
  - *De quorum atrocitate & pœnis agitur*
    - *Gen. 4. 9. Pſal. 54.*
    - *Geneſ. 13. 18. 19. Ezech. 16.*
    - *Exod. 3. 7. 14. Eſa. 1. 3. 10.*
    - *Iaco. 5. Eccl. 34. Deut. 24.*

DE TI.

DE TIMENDIS, SIVE DE POENIS MALORVM.

TABVLA 115.

TRIA *ſunt, quæ vnūquenq; maximè à peccato abſtrahere & poſſunt, & debent: videlicet*

- *Mors, quæ nihil eſt miſerabilius. hæc*
  - *Dicitur ab emerita iam vita, hoc eſt, acta & abſoluta: vndè etiam mortui, quaſi emeriti appellantur.*
  - *Definitur ab Auguſtino priuatio vitæ, nomen tantùm habēs, non eſſentiā. Auguſtinus contra Pelagianos.*
  - *Eſt quadruplex:*
    - *Corporis, quæ fit cùm ab eo tollitur anima.*
    - *Animæ, cùm ab ea aufertur gratia Dei.* Hāc *mortem, q̃ prima vocatur, ſequitur mors gehennæ & æternæ dānationis, quā Ioann. Apocalypſis 20. vocat ſecundam.*
    - *Eſt & alia mors propria Chriſtianis & pijs omnibus, quæ ſpiritualis dicitur ſiue transformatoria, qua homo moritur peccato, & viuit Deo: & ob id dicitur ſpiritualis.*
  - *Eius* { *Cauſa* / *Origo* } *Eſt* { *Peccatum* / *Diabolus* } *Ioan. Carten. de 4. nouiſsimis.*
- *Iudicium, quo nihil eſt terribilius, præſertim filijs huius ſeculi obſtinatè peccantibus. Eſt autē ſecundùm Richardū, Iudiciū triplex:*
  - *Primum eſt vniforme, hoc eſt, iudicium præſentis eccleſiæ, quæ nō iudicat niſi de ſola qualitate retributionis, & in genere tantùm, ſecundùm quod bona bonis, & malis mala reddentur: ſed numerum & quantitatem retributionum neſcit.*
  - *Secundum dicitur multiforme, quod quilibet experitur in morte, accipiendo ſententiā de omnibus bonis & malis, quæ geſſit: ſed non omnia bona vel mala ſtatim recipit, quia recipit in anima tantùm, & non in corpore.*
  - *Tertium dicitur Omniforme, id eſt, vltimum iudicium, quādò recipit vnuſquiſq; ſecundùm numerum & quantitatem, ſiue bona ſiue mala, in corpore & in anima. Compen. Theol.*
- *Infernus, cuius pœna nihil intolerabilius ac infelicius poteſt excogitari. vbi ſcriptura teſte, Fletus eſt & ſtridor dentium, Matt. 8. 13. 22. 24. 25. Luc. 13. Porrò infernus*
  - *Eſt lacus ſine menſura, profundus ſine profundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibì miſeria, ibì tenebræ, ibì ordo nullus, ibì horror æternus, ibì nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. Hugo. lib. 4. de anima cap. 13.*
  - *In quo*
    - *Iuxta modum culpæ pœna diſtinguitur, & ſecūdùm modum criminis, vnuſquiſque damnatus in inferni igne cruciabitur.*
    - *Erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida viſiò dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum. Erit enim miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu: quia mors ibì ſemper incipit, & deficere neſcit. Gregorius.*

DE SPERANDIS, HOC EST, DE RERVM SPERANDARVM

conditionibus, ſiue de præmijs bonorum. TABVLA 116.

PRAEMIVM *Chriſtiani certaminis, eſt æternæ gloriæ corona duodecim ſtellarum, quarũ*

- *Prima eſt, Memoria ſine obliuione.*
- *Secunda, Ratio ſine errore.*
- *Tertia, Voluntas ſine omni perturbatione.*
- *Quarta, Impaſſibilitas, in quam corpus noſtrum ſurget ſine corruptione.*
- *Quinta, Claritas, qua configurabitur claritati corporis Chriſti.*
- *Sexta, Agilitas, vt ſecundum mobilitatem cogitationum noſtrarum ſit agile.*
- *Septima, ſubtilitas, qua, quantumlibèt ſpiſſum vel ſolidũ, erit impenetrabile.*
- *Octaua, Diligere proximum in omni veritate tanquàm ſeipſum.*
- *Nona, Videre proximũ ſuũ in puritate diligentẽ ſe, ſicut diligit ſemetipſum.*
- *Decima, Deum perfectè diligere, ſed plùs quàm ſeipſum.*
- *Vndecima, Diligere ſeipſum tantummodò propter Deum.*
- *Duodecima, Videre Deũ diligentẽ ſe ſuprà quàm diligat ſeipſum. Bernard.*

PAVLVS 1. Cor. 2.

Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quę præparauit Deus his qui diligunt illum.

APOCALYP. 21.

Eccè tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, & abſterget oẽm lachrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit vltrà, quæ prima abiêrunt.

AVGVSTINVS.

Eccè venale eſt regnũ Dei. eme, ſi vis: nec multum exiſtimes de re magna propter precij magnitudinem. tantum valet, quantum habes: noli quærere quid habeas, ſed qualis ſis. Res iſta valet tantum, quantum es. tu te da, & habebis illam. Sed malus ſum, inquies, & fortè me nõ accipit. dando te illi, bonus eris.

DOGMA.

DOGMATA VERA ECCLESIAE CATHOLICAE DE PRAECIPUIS Chriſtianæ Religionis Articulis, ſanctorum Patrum teſtimonijs confirmata, ex Tabulis Lindani.

I. DE REGVLA FIDEI.

Quicunque fide verè Chriſtiana & Euangelica Deo placere ſtudet, non ſolùm recipit ſymbolum, quod Apoſtolorum & eſt & dicitur, ſed ſcripturam etiã vniuerſam Canonicam, inſupèr & quæcunq; per traditionem Apoſtolorum initiò accepit Catholica Chriſti eccleſia.

DE PECCATO ORIGINALI.

Infantes omnes naſci peccato originali infectos. Orige. Perì Archon, & ad Roman. 6. Auguſt. epiſt. 28.

DE SACRAMENTIS.

I.

Sacramenta eſſe ſeptem, hoc eſt, ſacra & efficacia diuinæ gratiæ & beneficij ſigna, quibus Chriſtus Dominus nos ſibi ſacrat, ſanctificat & ſanat, ex Concil. vniuerſali 8. Florent. An. 1438. toto ex orbe Chriſtiano congregato.

II.

Eadem eſſe efficacia ſigna, per quoſcunq; miniſtros, etiã malos publicè, adeoq; doctores impios. Auguſtin. contra epiſtolam Parme. cap. 2.

DE BAPTISMO.

I.

Baptiſmum Chriſti, eſſe alium à baptiſmo Ioannis Baptiſtæ. Patres in Concil. Niceno, ex actis Græcis. Conſentiunt Baſilius, Chryſoſt. Nazian. Hierõ. Auguſt. Acto. 19.

II.

Infantes eſſe baptizandos. Orig. ad Rom. 6. Auguſt. epiſt. 28. Ioan. 3.

III.

Infantes ſine baptiſmo non ſaluari. Auguſt. ibid.

IIII.

Paruulos Chriſtianorum renaſci, non naſci, Dei filios. Auguſt. ibid. Ibid.

V.

Exorciſmum baptiſmo præmittendum. Auguſt. ſerm. 10. de verbis Apoſtol. Exorciſmus.

VI.

Abrenunciationem præmittendam. Dionyſ. Areopag. dè eccleſiaſt. Hierarch. Abrenunciatio.

VII.

Aquã fontis conſecrandã. Baſil. cap. 27. de ſpiritu ſancto. Aug. lib. 6. cõt. Iuli. c. 8. Conſecratio aquæ.

VIII.

Baptiſmũ requirere aquã elementũ. Chryſoſt. Homil. 24. in Ioan. Augu. epiſt. 28. Ioan. 3. Epheſ. 5.

IX.

Baptizatos eſſe oleo vngendos. Baſil. d. cap. 27. De ſpiritu ſancto. Diony. Areop. Michael Syngelus. Vnctio.

X.

Baptiſmum plenè tollere peccata ſemèl omnia, ità vt non ſint. 1. Cor. 6. Ephe. 5. Qui ſemèl lotus eſt, non eget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Ioann. 13. Concupiſcentiam igitur reliquam, nõ eſſe peccatum propriè, ſed eius effectum & cauſam, ad peccatum inuitantem. Rom. cap. 8. Auguſt. de nupt. & concup. lib. 1. cap. 23. & 26. Vide 2. cont. Iulian. & lib. 6. cap. 5. 6. & 8.

DE CONFIRMATIONE.

I.

Confirmationem eſſe ſacramentum. Acto. 18. Concil. Floren. Cyprian. ſerm. de ablutione pedum, & epiſt. 12. lib. 1. Auguſt. lib. 5. contra Donatiſt. cap. 20.

II.

Chriſma. Confirmationem habere chriſmatis illinitionem. Cyprianus vbi anteà. Flauianus cum Synodo. Michaël Syngelus.

III.

Epiſcopũ, huius eſſe adminiſtrum. Fabian. Martyr cũ Synod. Hier. cõtra Lucif.

DE EVCHARISTIA.

I.

Euchariſtiam eſſe Sacramentum, quo vegetati, in Chriſto manemus, fouemur, alimur, & excreſcimus in virum adultum. Ioan. 6. Concil. Florent.

II.

Luc. 22. 1. Cor. 11. Euchariſtiam continere verum ac præſens Chriſti Domini corpus, de virgine natum, & in cruce paſſum. Iuſtin. Apol. 2. Irenæus lib. 4. cap. 32. Euſeb. lib. 1. Euãgelic. Demonſtrat.

III.

Euchariſtiam fieri ex vino aqua permiſto. Cyprian. epiſt. 3. lib. 2. concil. 6. Conſtan. & alijs.

IIII.

Euchariſtiam fieri verbis Sacerdotis, non fide ſuſcipientis. Iuſtin. Apol. 2. Baſil. de ſpirituſancto, cap. 27.

V.

Luc. 22. 1. Cor. 11. Euchariſtiam non habere panem & vinum, ſed meras eorum ſpecies ac qualitates tantùm, non item ſubſtantias. Iuſtin. Apol. 2. Irenæ. lib. 4. cap. 34.

VI.

Sacrificium. Cyprian. li. 2. epiſt. 3. Malach. 1. Auguſt. Enchirid. cap. 110. Euchariſtiam eſſe non ſolùm alimentum, ſed & holocauſtum, hoc eſt, Sacrificium, non commemoratiuum tantùm, aut Euchariſticum etiam, ſed & propiciatorium, quod tam defunctis prodeſt, quàm viuis. Sic Apoſtoli, teſtibus Chryſoſtomo Homil. 69. ad populum Antiochenũ, & ad Philip. cap. 1. Damaſc. Oratione in defunctos. Auguſt. ſermõe 32. de verb. Apoſtoli: & tota Africana eccleſia ante Cypriani ætatem, teſte ipſo epiſt. 9. lib. 1.

VII.

Cõmunio ſub vtraque ſpecie. Vide Aug. epiſt. 118. vndè ca. 6. validũ petatur argumentum, & ad hãc rem tuendã atq; conſtituendam mirificè idoneũ. Euchariſtiam ſub vtraq; ſuî ſpecie verũ ac totũ Chriſtũ habere, cõc. Florẽt. Qui alterutrã igitur accipit, totũ etiã accipere Chriſtũ: Vndè non eſt neceſſariũ Laicis, vtriuſq; ſpeciei cõmunionem accipere, cõcil. vniuerſ. Cõſtantien. Cùm olìm apud priſcos liberũ fuerit, vel vnã, vel vtranq; accipere. Clemẽs Alexã. 1. Strom. & cùm vigerent Manichæi Romæ, Item Hieronymi ætate contra Iouinian. & aliâs. vide Ambroſium de fratre Satyro, Orat. Funeb. et Bedam lib. 2. cap. 5. & li. 4. cap. 24. De hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ. Non enim eſt omnibus à Chriſto pceptum, vtranq; ſpeciem ſumere, alioquì & infantibus eſſet ſic communicandũ, quod & aduerſarij negant. vide Palladium in Macario.

VIII.

Cõſeruatio Euchariſtię. Euchariſtiam rectè ſeruari, quia patres priſci Apoſtolici ſeruabant. Irenæus apud Euſeb. lib. 5. cap. 23. concilium Nicenum. cap. 14. Hieron. ad Iouinianum, & de Exuperio epiſt. ad Ruſt.

IX.

Adoratio. Adorandam eſſe ipſa poſtulat religio, quæ Deum vbiq; agnoſcit Deũ, ſiue cum Magis in domuncula, ſiue in Euchariſtia cum Auguſtino, epiſt. 120. cap. 17. & in Pſal. 21. ac D. Euſebio Emiſſeno. 4. homil. in Paſcha.

X.

Geſtatio. Geſtationẽ verò pbet ipſe pij operis finis & vſus, in quẽ circũfertur: ſiquidẽ nõ ad Theatricũ geſtatur ſpectaculũ, ſed ad excitandã fideliũ & piorũ ſpectatorum fidẽ & pietatẽ, vt pro ea neceſſitate, cuius aut depellendę, aut impetrandę gratię circunfertur, orent ardentiùs, ac cõprecentur confidentiùs, maximũ ſibi à Deo Opt. Patre per filiũ interceſſorẽ hîc pſentem, & illic p nobis interpellantẽ polliciti patrociniũ, & impetrandi auxilium. vide Irenæum apud Euſebiũ lib. 5. cap. 23. Solenniter tranſmittebatur Romæ Euchariſtia epiſc. Catholicis.

XI. Eucha-

XI.

Euchariſtiæ myſteria ritè celebrari,ſi vel vnus de ſacrificio edat: fit enim quod Dn̄s fieri iuſſit,Hoc facite.tam enim fit per vnum,q̃ per multos: quos nullus excludit,ſed ſua ipſi culpa ſuam animarum famē nō cōmunicando ſæpiùs augent. Sic olìm infirmi ſoli.Sic & Chryſoſtom⁹ cōquerebatur, ꝙ ſolus altari aſſiſteret.

Miſſa priuata.

DE MISSA.

Miſſam,id eſt,ſacram illam Apoſtolicam actionē, cuius in fine populo dicitur: Ite,Miſſa eſt: id eſt,dimiſſio,ritè pro quolibet fieri Chriſtianorū vſu ac neceſſitate.Auguſt.de ciuitate Dei lib.22.cap.8.pro fuganda Cacodęmonum vexatione. Sic & Miſſa Baſil.& Chryſoſt.pro pace,fructibus,nauigantibus &c.

DE POENITENTIA.

Quia homo dum in hac vita degit, per liberum ſuæ voluntatis arbitrium,tam in actionibus ſalutis, quàm ciuilibus, poteſt ex bono fieri malus, (ſicutì & contrà, gratia adiutus)ideò & pœnitentiæ ſacramentum eſt à Chriſto Dn̄o omnibus à baptiſmi gratia lapſis neceſſariū,Acto.8.Fides autē, huius ſacramenti fons eſt,immò quaſi baſis,non pars,ſicutì nec baptiſmi. Porrò illa fides, qua quis firmiter credit,& certò ſtatuit,propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeſeque poſſeſſurū vitā æternā,nō fides eſt, ſed temeritas:nō ſpiritûs ſancti perſuaſio, ſed humanæ audaciæ p̃ſumptio,ſcripturis aduerſaria,& Patribus Orthodoxis ignota, qui illa ſpe certa docent adultis expectanda ꝑ ſacramenta & pietatis opera. Sed illa fides ad pœnitentiā agendā eſt idonea in adultis, qua verbo Dei credim⁹ tam cōminanti q̃ ꝓmittenti,potiſſimū verò,Chriſtū Ieſum, nobis ꝓpitiatorem ꝓpoſitum in ſanguine ſuo.Acto.8.Rom.3.Quanquā hæc fides,ſymbolo Apoſtolico delineata,vtì ad ſalutem non ſufficit,ità nec ad impij iuſtificationem. Deſiderat enim veram animi conuerſionē ſeu contritionē, Confeſſionē & Satisfactionem,tres Euangelicæ pœnitentiæ partes.Concil.Florent.Act.8. Ioan.20.

Liberum arbitrium

Fides iuſtificans adultos impios. Fides ſpecialis.

DE CONTRITIONE.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi ac ſatisfaciendi.

1.Cor.7. Auguſt.homil.50.de Pœnitentia

DE CONFESSIONE.

Confeſſio eſt diſerta peccatorū(poſt legitimā & ſeriā conſcientiæ inquiſitionē) occurrentiū,etiam occultorū,enumeratio, ſacerdoti ritè ordinato facta, vt ab eis per illum abſoluatur,Ioan.20. Quorum remiſeritis peccata. Leo epiſt. 90.

Ioan.20. Auguſt. vbi ſuprà.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio eſt perſolutio pœnæ plerunq; adhuc debitę poſt remiſſam culpā,quā permanere interdùm,docet ſuo exemplo Dauid 2 Re.12. Huc faciunt Canones pœnitentiales concil.Nice.& ætate Cypriani. Perficitur hęc ꝑ preces,ieiunia,& ſimilia pia opera,q̃ Deo Opt.Max.ità ſunt grata,vt eius irā placare poſſint, eūq; reddere ꝓpitium.3.Reg.21.Cyprian.lib.1.epiſt.3.& 8.ſermo.de eleemoſyn.1.Auguſt.Enchirid.71.& in Matt.12.de Niniuitis.Hieron.2.contra Iouinian.

Tertullian. de pœnitēt. Cypria. ſer. de lapſis.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I.

Porrò q̃a religio Chriſtiana ſua quoq; habet myſteria,& ſacra corā Deo peragēda,non ea ꝑ quēlibet fieri voluït Chriſtus noui Teſtamenti Archipresbyter, ſed eos quos ad illa ordinauit.Vndè & Ordo ſacramentum, quo vnà cum ſpiritûs ſancti cōmunione,conſecratis poteſtas confertur ſacra illa myſteria peragendi. Hic porrò varios habet gradus,ſed Clericorū p̃cipui ſunt ſacerdotes.quibus ſolis ſecundùm Eccleſiæ ritum ordinatis data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum eius corpus & ſanguinem,eadem offerendi,peccataq; dimittendi.Augu.lib.2.contra epiſt.Parme.cap.13. lib.1. De Baptiſ.contra Donat.cap.1.

Heb.5.

1. Tim. 3. Vide quęſt. vete. & noui Teſtam, quæſt.9.

II.

Inter hos quidem ſunt epiſcopi illis maiores & dignitate & poteſtate, ſicuti inter eos præſtant alijs Patriarchę, & ijs omnibus, totiq; adeò Chriſtiano gregi eccleſiæ Rom. epiſco. D. Petri Apoſtolorum principis ſucceſſor. Vndè omnes ei obedire tenētur tanq̃ familiæ Chriſti ſeruo præpoſito, atq; Chriſti vicario. Epiphan. Aërio. Ambroſ. in 1. ad Timot. 3. Hierō. epiſtola ad Damaſ. Auguſt. lib. 2. cap. 51. contra lit. Petil. Cyprian. lib. 1. epiſt. 3.

Actor. 15. Matt. 19. 1. Cor. 5. Hunc ſacerdotum ordinem Chriſtus Dominus duplici armauit authoritate, præter Apoſtolicum docendi miniſterium, putà leges ferendi, & excommunicādi, qua ſuam gubernari voluit Eccleſiam.

DE ECCLESIA.

Auguſt. contra Epiſtolam Fūdamenti. Hieron. cōtra Lucif. Eſt autem Eccleſia viſibilis hominum cœtus, à Chriſto Domino & Apoſtolis collectus, in hunc vſque diem perpetua ſucceſſione cōtinuatus, in vna fide Apoſtolica ſub Chriſto capite & eius in terris vicario, Paſtore, ac ſummo Pontifice agens. His enim notis ab omnibus diaboli cōuenticulis ſecernitur. Extra hāc vnā verā catholicā & Apoſtolicā eccleſiā nulli ſperanda eſt ſalus. Hieron. ad Damaſ.

DE HAERETICIS.

Auguſt. epiſt. 75. Origen. Periarch. Sunt autem extra eam, nō modò q excōmunicantur, (qua pœna mortifera nihil eſt atrocius aut formidabilius in omni terrarū orbe) ſed etiā Hæretici oēs, id eſt, quotquot aliquem fidei articulū pertinaciter aut nō credūt, aut aliter credunt, q̃ illa vna Chriſti eccleſia, ſiue hic in ſcripturā relatus ſit, ſiue non. Fidei eñ Chriſtianæ Regula eſt verbum Dei, ſiue per Apoſtolos euāgelizatum, Matt. 26. 1. Pet. 1. ſiue à ſpirituſancto aliàs Eccleſiæ reuelatum, Ioan. 14.

REGVLA.

Vndè certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionem eccleſiæ catholicæ credenda accepimus, & q̃ definita ſunt ſuper fidei & morum negocijs per Cathedram Petri, vel per concilia generalia legitimè congregata. Auguſt. de ciuitate Dei lib. 19. cap. 18.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

I.

Actor. 15. Cæterùm quòd ad legiſlatiuam attinet poteſtatem, eccleſiæ Paſtoribus à Chriſto datam, obſeruandum eſt, quidquid de feſtis, ieiunijs Litanijs, & alijs ſalutē ꝓmouentibus præcipiunt, quod neglectū, aut nō obſeruatū, conſcientiam hominis facit ream, etiam extra caſum ſcandali. Auguſt. de hæreſ. Aërij.

II.

Quadrageſimam igitur & quatuor tempora, vigilias vſitatas & alia ieiunia, carnium abſtinentiam, & aliorum pro regionum varietate ſeruare debet Chriſtianus, cum opinione neceſſitatis, ſicut & ſexta feria, & Sabbato, & diebus Rogationum à carnibus abſtinere, ac publicis Chriſtianorum conſuetudinibus ſe accommodare. Auguſt. epiſt. 118. cap. 5. lib. 19. contra Fauſt. cap. 20.

DE LIBERTATE EVANGELICA.

Hæc atque id genus cætera libertatem Euangelicam adeò non impediunt, nedū tollunt, vt eam magis promoueant, atque eius finem faciliùs nobis cōcilient, ſicuti nec obedientia ciuilis Magiſtratûs, aut voti & iuramenti obligatio. Eſt enim à peccatis liberas, & ijs omnibus, quæ animum quoquo modo impediunt, quo minùs Deo totus ſeruiat. Epiphan. Aërio.

DE MATRIMONIO.

Verùm qa poſt baptiſmū nobis manet carnis ſtimul⁹, & eccleſia eſt ꝓpaganda, nè qs igitur illo victus, à gratia excidat, inſtitutū eſt à Chriſto Matrimoniū, quo ſacramēto, Chriſti cū eccleſia cōiunctionē ſignificāte, cōiugibus gratia datur, qua adiuti,

adiuti,iura mattimonij caſtè peragant, liberosque Chriſto Domino éducent
atque inſtituant:quod præthereà tam eſt indiſſolubile,vt nullo caſu poſt cõſum- Marc. 10.
mationem diſſolui queat,altero ſuperſtite,qualiſcunque randèm fuerit: etſi ob 1.Cor.7.
fornicationem liceat dimittere,nunq̃ tamen alteram licet ducere. Concil. Mi-
le.cap.17.Auguſt.de nupt.li.1.cap.10.& de bon.coniug.cap.7.

DE VOTO CASTITATIS.

Sed quia hoc vitæ genere virginitas & continẽtia Deo optimo gratior eſt,ideò 1.Cor.7.
rectè voto formata, ſicut & alia,Deo optimo offertur:cuius tãta eſt obligatio,
vt ſi quis pòſt contrahat,non modò ſit irritum, ſed inceſtum etiam connubiũ,
quod & de clericis maiori Ordine initiatis eſt ſentiendum. Vide Epiphan. in
Apoſtolicis.Hieron.contra Iouinian.Auguſt.in Iouinian.in Pſal.75.de ciuitate
Dei lib.17.cap.4.

DE EXTREMA VNCTIONE.

Quô deniq; fortiores mortis acerbiſſimæ agonem depugnemus, ac peccatorũ
reliquijs expiati, ſponſo noſtro Chriſto Ieſu hoc exilio liberati præſentemur,
appoſitum eſt à Chriſto Domino ſacramentum, quod Vnctiõe, quam dicimus Iacob.5.
Extremam,confertur.De hac locutum eſſe D.Iacobum,teſtatur Chryſoſto. lib. Concil.
de ſacerdot.Innocent.epiſtola ad Eugubinum. Florent.

DE SECVRITATE SALVTIS.

Quanquàm interim nemo noſtrûm ſine peccatis viuit,ſed quæ Dei iram, vt nõ
merentur,aut à regno non excludunt,ità oratione Dominica,eleemoſyna,ieiu-
nio,&c. purgãtur aſſiduè. Cæterũ quãdiù inter hoſtes infeſtiſſimos diabolos 1.Ioan.1.
verſamur, nullã nobis eſſe ſecuritatem, ſed cum timore ac tremore incolãtus Auguſt.Enchiri. c.70.
noſtri tempore ſalutẽ eſſe operandã,vt per bona opera vocationem noſtrã cer- 71.& 76.
tam ac firmam faciamus,ſemper ſoliciti,nè qui ſtamus,concidamus,peccati fal- 2.Pet.1.
lacia decepti. Porrò dum cadimus,ac ſcelere nos polluimus, peccatóve mortali 1.Cor.10.
offendimus,non fidem ſemper,niſi infidelitate,amittimus: ſemper verò ſpiri- Heb.3
rumſanctum à nobis expellimus,iramque Dei ſempiternam commeremur. Sap.1.

DE BONIS OPERIBVS, ET eorum meritis.

Hiſce ſeptem Catholicæ Chriſti eccleſiæ Sacramentis adiuti & inſtructi, vitam Phil.1.
viuimus Chriſtianam,q̃ cùm actuoſa ſit,fieri non poteſt, vt bonorum operum 1.Cor.15.
ſit ſterilis.Hæc autem opera bona Deo non modò grata ſunt,eiq; per ſe(quia ex Ioann.3.
Chriſti ſpiritu,immò in Deo ſunt facta)placita,verique cultus,Luc.2.ſed meri-
ta etiam tam p̃miorum hac in vita,q̃ poſteà vitæ adeò ipſius æternæ.Sunt enim
ità iuſta & perfecta,vt eis legem Dei pij impleant,Rom.12. Immò vt ſeuerũ Dei Legis impletio.
iudicium ſuſtinere queant.1.Tim. 4.1.Ioan.4.Auguſt.epiſt.106.

II.

Ad hæc non ſuis modò proſunt authoribus,dum iram Dei placant, nè nos iu-
dicet ac puniat,ſed & alijs quoq;,pro quibus ea pij aut ſuſcipiunt,aut Deo offe-
runt,ad peccatorum adeò expiationem tam mortuorum q̃ viuorum : vt Deus 1.Cor.11.
videlicet miſericordiùs cum eis agat,q̃ alioqui erat acturus.Hæc Auguſt. verba
vide ſer.32.de verb.Apoſt. Enchir.cap.61.& 110.vide de ciuit. Dei,lib.21.ca.27.

DE INDVLGENTIIS.

Quin etiam priſca illa Apoſtolica Eccleſia,propter aliorum piorũ opera, pœ-
nitentibus olim ex more mitigabat pœnam alioqui luẽdam, teſte Cyprian. li.3.
epiſt.15.16.& 18.Tertullian.de pœnitẽ.Immò illi Corinthio inceſto aliquid pœ-
nitentiæ agendæ remiſit & donauit Paulus,ait Theodoretus & Oecumenius &
Theophylactus 2.Cor.2.propter Timothei preces, & aliorum collugentiũ tri- 2.Cor.2.
ſtitiam.Quarè indulgentiæ,quæ pœnarum ſunt remiſſio & imminutio, ſaluta-
res ſunt,ac verè,quod ſonant,efficiunt. Concil.Lateranẽ & Viennẽ.

DE PVRGATORIO.

Quia verò Chriſtianorum, hac vita exuli defunctorũ, tria ſunt genera, I. Beatorum cum Chriſto regnantiũ; II. Damnatorũ, infinitate tormentorum miſerum: III. Purgandorũ à peccatorum reliquijs, ſicut primũ nullo noſtro eget auxilio, & ſecundum nullo iuuari poteſt patrocinio, ità tertium varijs modis iuuari, & à pœnis, quas pendit, poteſt liberari, non viuorum tantùm precibus, eleemoſynis ac ieiunijs &c. ſed ſalutari etiam Dominici corporis ſacrificio, ait Auguſtin. ſerm. 32. de verbis Apoſt. de ciuitate Dei 21. cap. 13. Enchirid. 110. Immò ipſi Apoſtoli pro mortuis offerendum docuêre, ergò & Purgatorium agnouerunt, teſte Chryſoſt. Homil. 69. ad Antioch. Auguſt. loco iam commemorato, Gregorio Nyſſe. & totà totius Africanæ Eccleſiæ ſynodo, Cyprian. lib. 1. epiſt. 9. Tertull. de exhortatione caſtitat.

2. Mach. 12.

DE VENERANDIS IMAGINIBVS
& reliquijs ſanctorum.

Beatos autem homines rectè veneramur, ac imaginibus colimus, atq; feſtis, ex traditionibus Apoſtolorum. Eorum reliquias honoramus, quas & peregrinationibus cohoneſtamus. Auguſt. epiſtola 103. quum apud eas deus per ſanctos miracula operetur, quos ritè ad auxilium ferendum aut mala deprecanda inuocamus, vt eorum meritis & interceſſione adiuuemur. Auguſt. de Ciuitat. Dei li. 22. cap. 8. & contra Fauſt. lib 20. cap. 21. Vide & D. Hieron. in Threnos, & plura apud eundem Lindanum. Tab. 1. numero 32. & ſeq. & tab. 5. numero 4.

DE FVTVRO IVDICIO.

Phil. 1. Porrò illæ purgandorũ animæ; à pœna peccatis debita ſuo abſolutę tempore, nõ dormiunt vſq; ad iudiciũ, ſed cum Chriſto ſuo Dño regnant in cælis beatæ: quò
Actor. 1. vt & omnes pios transferat Dei filios ſuos fratres, venturus eſt ad iudicium. Sed
Marc. 13. Ioan. 11. quo demùm anno aut menſe, omnibus eſt incognitum, vt credentibus & viuentibus in eo reddat vitam æternam: qui verò non crediderunt, aut credentes malè egérunt, ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Ambroſ. in Lucam 21. cap. Auguſt. in Pſal. 119. Auguſt. de ciuitate Dei lib. 18. cap. 53. Auguſt. Hæc mea fides eſt, quia fides Catholica eſt. Hilar. Veritatis autem miniſtros vera decet profiteri. Ambroſ. Chriſtum enim negat, qui non omnia, quæ Chriſti ſunt, confitetur.

CONFESSIO CATHOLICA ACADEMIAE LOVANIENSIS,
de articulis controuerſis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Credendum eſt, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, à Chriſto inſtituta: Quæ ſunt,
Sacramẽta. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitẽtia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Per quæ, quanuis externa & corporalia ſigna Deus inuiſibiliter, ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros, noſtram ſalutem operatur.

II.

Baptiſmus. Baptiſmus ad ſalutem omnibus eſt neceſſarius, etiam infantibus, per quem peccata planè tolluntur, & fiunt filij Dei ac hæredes vitæ æternæ: nec vnquàm eſt iterandus.

III. Pœ-

III.

Pœnitentiæ ſacramentum (quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutē neceſſarium) complectitur Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Pœnitētia.

IIII.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. non autē (vt quidam hoc ſeculo perniciosè docent) terror conſcientiæ, propter appræhenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitū. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad veram animi contritionem. Contritio.

V.

Confeſſurus, diligentiā legitimā adhibere debet, quô ſacerdoti iudici ſuo, manifeſtet omnia peccata ſua mortalia, etiam occulta cordis, vt ab eis per illum abſoluatur: cuius abſolutionis miniſter eſt ſolus ſacerdos, ſecundùm Eccleſiæ ritū cōſecratus. Confeſſio.

VI.

Satisfactio, eſt perſolutio pœnæ plerūq; adhuc debitæ, remiſſa iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam ſemper condonari, culpa remiſſa, erroneū eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur. Satisfactio.

VII.

Certa fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè, & cum gratia Dei benè agere, & poſt mortale peccatum admiſſum, Deo adiuuāte pœnitere, & peccatorum remiſſionem conſequi. Liberum Arbitrium.

VIII.

Ad iuſtificatiōem ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides, qua certò credimus, Chriſtum Ieſum Dei filium, nobis propitiatorem à patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius, ſine qua nullis noſtris operibus, nullaq; pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt: ſicut nec fide ſola ſine pœnitentia & propoſito viuendi ſecundùm mandata Dei. Iuſtificatio.

IX.

Fides qua quis firmiter credit, & certò ſtatuit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in ſcripturis teſtimonium, immò eiſdem aduerſatur: etiam ſi firmā & certa ſpe expectare debemus in hac quidem vita per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ peccatorum remiſſionem, in ſeculo autem futuro vitam æternam. Fides ſpecialis.

X.

Itaq; quàm diù inter hoſtes noſtros & aduerſarias poteſtates hîc viuimus, nulla nobis eſt ſecuritas: ſed cum timore & tremore iuxta ſententiam Apoſtoli, noſtrā ſalutem operari debemus. Et ſecundùm varias animorum noſtrorū affectiones, nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamen magis & frequentiùs de miſericordia Domini ſperandum eſt, quàm formidandum de ſeueritate.

XI.

Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & cùm ex fidei & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ità grata ſunt Deo, vt eis tanquàm iuſtam mercedem vitam retribuat æternam. Opera.

XII.

Confirmatio & Extrema Vnctio, ſacramenta ſunt à Chriſto inſtituta: ſed non, vt duo præcedentia, ad ſalutem neceſſaria: ex contemptu tamē illa omittere, mortale peccatum eſt. Confirmatio, Extrema Vnctio.

XIII.

In Euchariſtiæ Sacramento eſt re ipſa verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum quod de virgine natum, & in cruce paſſum eſt. Euchariſtia

XIIII.

In Euchariſtia non manent panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinē Chriſti admirabili potentia verbi ipſius ſunt conuerſa, manentibus tantùm panis vndique ſpeciebus. Vndè certa fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſanctè à no- Tranſſubſtantiatio.

ooo bis

bis adorari, ſiue in Miſſa, ſiue extra Miſſam vbicũquè repoſita fuerit, aut quotiès in ſupplicationibus publicis à ſacerdote circunfertur.

XV.

Comm. ſub vtraque ſpecie. Non eſt Laicis neceſſaria ad ſalutem communio ſub vtraque ſpecie: iuſtiſque de cauſis ab Eccleſia ſancitum eſt, vt illis ſub vna tantùm panis ſpecie Sacramentum communicetur: in quo carnem & ſanguinem, atq; ità totum Chriſtum ſub vna ſpecie ſumunt.

XVI.

Sacrificium viuis & defunctis. Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti tam viuis prodeſt, quàm defunctis.

XVII.

Poteſtas cõſecrandi. Soli ſacerdotibus ſecundùm Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.

XVIII.

Matrimonium. Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile: qualiſcunque fiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.

XIX.

Nunquàm licet Chriſtianos poſt diuortium contrahere matrimonium, viuente eo, cum quo priùs legitimè contraxerat.

XX.

Matrimonia contracta, contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

XXI.

Eccleſia. Firma fide tenendum eſt, vnam eſſe in terris veram atque Catholicã Chriſti Eccleſiam, eamque viſibilem, quæ ab apoſtolis fundata, in hanc vſque noſtram ætatem perdurans, retinet & ſuſcepit quicquid de fide & religione tradidit, tradit, & traditura eſt cathedra Petri, ſuper quam ità à Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, vt in his quæ fidei ſunt & religionis, errare non poſſit.

XXII.

Extra hanc nulli ſperanda eſt ſalus: ſuntq; extra eam hęretici, ſchiſmatici & excõmunicati: vndè vehementer formidanda eſt excommunicatio: nec humana, ſed diuina eſt excommunicandi poteſtas.

XXIII.

Summus Pontifex. Vnus eſt Eccleſiæ ſummus paſtor, cui omnes obedire tenetur: ad cuius iudicium controuerſiæ, quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

XXIIII.

Summam hãc præpoſituram primus omnium geſſit ſanctus Petrus, verus Chriſti in terris vicarius, & totius familiæ eius paſtor. Poſt Petrum verò ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra ſucceſſores.

XXV.

Traditio. Certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiã quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negocijs per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.

XXVI.

Conſtitutiones. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ de ieiunijs, feſtis, & abſtinentia ciborum, alijſque multis, obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

XXVII.

Sanctorum veneratio. Rectè fit in Eccleſia, ꝙ ſanctos in cælis cũ Chriſto agentes veneramur & inuocamus, vt pro nobis orent, quorũ etiã meritis & interceſſione Chriſtus nobis hîc multa largitur, aliâs nõ largiturus: ꝑ quos etiã miracula multa in terris operatur.

XXVIII.

Peregrinationes. Quapropter ſanctè & religioſè faciunt, qui loca eis dicata, vnà cum ipſorum reliquijs religioſa pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

XXIX. Gra-

XXIX.

Gratus eſt etiam Dei imaginum vſus: rectèque coram eis procumbimus, inuocaturi ſanctos quos repræſentant. Imagines.

XXX.

Firmiter credendum eſt, poſt hanc vitam Purgatorium eſſe animarũ, in quo ſoluitur pœna peccatis adhuc debita. Eiſdem tamen ſubuenitur ſacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemoſyna, alijsque bonis operibus viuorum, ſicut & indulgentijs, quo citiùs ab ea liberentur. Purgatoriũ.

XXXI.

Animæ defunctorum purgatæ, mox regnant cum Chriſto in cælis, & animæ impiorum hinc migrantes, ſempiternis inferni traduntur ſupplicijs.

XXXII.

Rectè vota Deo facimus, tam monaſtica, quàm alia: & facta, obligant apud Deũ, nec aduerſantur libertati Euangelicæ: quæ à peccatis libertas eſt & ijs, quæ ſpiritum noſtrum quoquo modo impediunt, quo minùs totus Deo ſeruiat: non autem, à voti vel iuramenti obligatione, nec ab obedientia magiſtratûs Eccleſiaſtici vel ſecularis. Vota.

Anno à Natiuitate Domini M.D.XLIIII. menſis Decembris die ſexta, Facultas Theologiæ congregata per iuramentum in collegio Theologorum ſuper Articulis præcedentibus, probauit hos articulos ſub forma qua ſcripti ſunt.

DECLARATIO FIDEI
ET RELIGIONIS CHRISTIANAE
Academiæ Pariſienſis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Certa & firma fide credendum eſt, baptiſma omnibus etiam paruulis, ad ſalutem neceſſarium eſſe, ac per ipſum dari gratiam ſpiritûs ſancti. Baptiſmus.

II.

Eadem fidei conſtantia eſt tenendum, homini ineſſe liberum arbitrium, quo poteſt benè vel malè agere, & per quod, ſi etiam in peccato mortali fuerit, Deo adiuuante, ad gratiam reſurgere valet. Liberum Arbitrium.

III.

Nec minùs certum eſt, adultis & ratione vtentibus, poſt peccatum mortale admiſſum, neceſſariam eſſe pœnitentiam, quæ in contritione & confeſſione ſacramentali vocaliter ſacerdoti facienda, ſimiliter & in ſatisfactione conſiſtit. Pœnitẽtia.

IIII.

Ad hæc peccatorem non ſola fide, ſed & bonis operibus iuſtificari, quæ adeò neceſſaria ſunt, vt ſine illis nemo adultus vitam conſequatur æternam. Iuſtificari.

V.

Quilibet Chriſtianus tenetur firmiter credere, in conſecratione Euchariſtiæ panem & vinum conuerti in verum Chriſti corpus & ſanguinẽ, remanentibus tantùm panis & vini ſpeciebus, ſub quibus realiter verum Chriſti corpus cõtinetur, quod ex virgine natum eſt, & in cruce paſſum. Euchariſtia

VI.

Sacrificium Miſſæ eſt ex Chriſti inſtitutione valens pro viuis & defunctis. Miſſa.

VII.

Non eſt Laicis ad ſalutem neceſſaria communio ſub vtraque ſpecie, rectéq; certis ac iuſtis de cauſis olim ab Eccleſia ſancitum eſt, vt illis ſub vna tantùm panis ſpecie communicetur. Comm. ſub vtraque ſpecie.

VIII.

Poteſtas cõſecrandi & abſoluendi. Porrò ſolis ſacerdotibus ſecundùm Eccleſiæ ritum ordinaris data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum Chriſti corpus,& in foro pœnitentiæ à peccatis abſoluendi.

IX.

Sacerdotes mali. Quos certum eſt,étiamſi mali & in peccato mortali fuerint, conſecrare verum Chriſti corpus, ſi quidem illud conſecrare intendant.

X.

Cõfirmatio Vnctio extrema. Cæterùm Confirmatio & Vnctio extrema,ſunt duo ſacramenta à Chriſto inſtituta,per quæ datur gratia ſpiritûs ſancti.

XI.

Miracula ſanctorum. Nec dubitandum eſt, ſanctos & in hac mortali vita, & in paradiſo agentes, miracula operari.

XII.

Inuocatio ſanctorum. Sanctum eſt,& Deo maximè gratum,orare beatam Dei genitricem Mariam, & ſanctos qui in cælo ſunt,vt ſint pro nobis aduocati & interceſſores apud Deum.

XIII.

Ij itaque ſancti beatam cum Chriſto vitam degentes,non ſolùm ſunt imitãdi, ſed & venerandi,& orandi.

XIIII.

Peregrinationes. Ob idque religiosè faciunt,qui loca eis dedicata, ex deuotione viſitant.

XV.

Si quis in templo,aut extra templum,priùs ſua oratione ad beatam virginẽ, aut ſanctorum aliquem recurrat,quàm ad Deum,non peccat.

XVI.

Imagines. Nec vllo modo addubitandum eſt, quin genu flectere coram imagine Crucifixi, & beatæ Marię,& ſanctorum,ad rogandum Chriſtum & ſanctos,opus ſit bonum ac pium.

XVII.

Purgatoriũ Ad hæc firmiter credendum eſt,& nullatenùs dubitandum,Purgatorium eſſe, in quo animæ detentæ,oratione,ieiunio,eleemoſyna, alijſque bonis operibus iuuantur,vt citiùs liberentur à pœnis.

XVIII.

Eccleſia. Tenetur & quilibet Chriſtianus firmiter credere,vnam eſſe in terris vniuerſalem Eccleſiam viſibilem,in fide & moribus errare non valentem, cui omnes fideles in his quæ ſunt fidei & morum,obedire adſtringuntur.

XIX.

Quòd ſi quid in ſcripturis ſacris controuerſiæ aut dubij oriatur,ad præfatam Eccleſiam definire ſpectat & determinare.

XX.

Traditio. Eſt & certum,multa eſſe credenda,quæ nõ ſunt expreſsè ac ſpecialiter tradita in ſcripturis ſacris,quæ tamen per traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſariò recipiẽda.

XXI.

Excommunicatio. Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem Excommunicandi, eſſe de iure diuino immediatè à Chriſto Eccleſiæ conceſſam,& ob id magnoperè timendas eſſe cenſuras Eccleſiaſticas.

XXII.

Concilium Oecumenicum. Certum eſt,Concilium generale legitimè congregatum, vniuerſalem repræſentans Eccleſiam,in fidei & morum determinationibus errare non poſſe.

XXIII.

Summus Pontifex. Nec minùs certum,vnum eſſe iure diuino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem,cui omnes Chriſtiani parére tenentur:Qui quidem poteſtatem habet & indulgentias conferendi.

XXIIII. Con-

XXIIII.

Constitvtiones Eccleſiaſticę,vt de ieiunio,delectu ciborum,de abſtinentia à carnibus,alijſq; multis,verè obligant in foro conſcientiæ, etiam omni ſecluſo ſcandalo. Conſtitutiones eccleſiaſticæ.

XXV.

In eodem conſcientię foro vota obligant,etiamſi monaſtica ſint,perpetuę ſcilicet continentię, paupertatis & obedientiæ.

Anno Domini M.D.XLII. Die decima menſis Martij,Facultas Theologię cõgregata per iuramentum in collegio Sorbonę,ſuper articulis pręcedentibus, ꝓbauit hos articulos ſub forma,qua ſcripti ſunt.

EPILOGVS
EX VINCENTIO LIRINENSI.

I.

Quæ propriæ ſint veræ & Catholicæ religionis Notæ.

In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt,vt id teneamus, quod vbiquè,quod ſemper,quod ab omnibus creditum eſt:hoc eſt enim verè proprieque Catholicum,quod ipſa vis nominis ratioque declarat,quę omnia verè vniuerſaliter compręhendit.Sed hoc ità demùm fit,ſi ſequamur Vniuerſitatem,Antiquitatem,Conſenſionem.Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo: Si hãc vnam fidem veram eſſe fateamur,quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ità,ſi ab his ſenſibus nullatenùs recedamus,quos ſanctos Maiores ac patres noſtros,celebrare manifeſtum eſt: Conſenſionẽ quoquè itidèm, ſi in ipſa vetuſtate omnium,vel certè penè omnium ſacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones,ſententiasque ſectemur.

II.

Quis verus & germanus ſit Catholicus.

Ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit:q diuinę religioni,qui Catholicę fidei nihil præponit,nõ hominis cuiuſpiam authoritatem,non amorem,non ingenium,non eloquentiam,non philoſophiam: ſed hęc cuncta deſpiciens,& in fide fixus, ſtabilis permanens,quidquid vniuerſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit,id ſolùm ſibi tenendum credendumque decernit.Quidquid verò ab aliquo deincèps vno,pręter omnes,vel contra omnes ſanctos nouum & inauditũ, ſubinduci ſenſerit,id non ad religionem,ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.

Quæ optima hæreſum extirpandarum ſit ratio,& primùm de inueteratis vitandis hæreſibus.

REGVLA.

Antiqvas & inueteratas hęreſes quaſcũque,vel Schiſmatũ,vel Hęreſeon prophanitates,nullo modo nos oportet,niſi aut ſola,ſi opùs eſt, ſcripturarũ authoritate conuincere,aut certè iam antiquitùs vniuerſalibus ſacerdotum Catholicorum Concilijs conuictas condemnataſque vitare.

Vt recentibus occurrendum ſit hæreſibus & prophanis nouitatibus.

REGVLA I.

Qvvm primùm mali cuiuſq; erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſuî quędam ſacrę legis verba furari,eaq; fallaciter & fraudulẽter exponere, ſtatim interpretando Canoni Maiorum ſententię congregandę ſunt, qbus illud

quodcunque exurget nouitium,ideoque prophanum,& abſq; vlla ambage prodatur,& ſine vlla retractatione damnetur.

REGVLA II.

Sed eorum duntaxàt patrum ſententiæ conferendæ ſunt,qui in fide & communione catholica ſanctè,ſapienter,conſtanter viuentes,docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter,vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt.

REGVLA III.

Qvibvs tamen hac lege credendũ eſt,vt quidquid vel omnes vel plures vno eodemque ſenſu manifeſtè,frequenter,perſeueranter,velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum Concilio,accipiendo,tenendo,tradẽdo firmauerint,id pro indubitato,certo,ratoque habeatur.

REGVLA IIII.

Qvidqvid verò (vnus) quanuìs ille ſanctus & doctus,quanuìs epiſcopus,quanuìs confeſſor & martyr,prẹter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias,& occultas,& priuatas opiniunculas,à communis & publicæ,generalis ſentẽtię authoritate ſecretum ſit,nec cum ſummo ęternę ſalutis periculo,iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem,vniuerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa,vnius hominis nouitium ſectemur errorem.

IIII.

AXIOMATA EX EODEM, DE ISTARVM Regularum vſu & praxi.

AXIOMA PRIMVM.

Qvid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua particula, ab vniuerſalis fidei communione præciderit? Quid itaque,niſi vt peſtifero corruptoque membro ſanitatem vniuerſi corporis anteponat?

AXIOMA II.

Qvid ſi nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantùm, ſed totam pariter eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat,quę prorsùs iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci.

AXIOMA III.

Qvid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum,vel certè ciuitatis vnius, aut etiã prouinciæ alicuius error depræhendatur? Tunc omninò curabit,vt paucorum temeritati vel inſcitię,ſi qua ſunt vniuerſaliter antiquitùs vniuerſalis cõcilij decreta,præponat.

AXIOMA IIII.

Qvid ſi tale aliquid emergat,vbi nihil eiuſmodi reperiatur? Tunc operã dabit, vt collatas inter ſe Maiorum conſulat interrogetq; ſententias, eorum duntaxàt, qui diuerſis licèt temporibus & locis,in vnius tamẽ Eccleſię Catholicę communione & fide permanentes,Magiſtri probabiles extiterunt: & quidquid nõ vnus aut duos tãtùm, ſed omnes pariter vno eodemque conſenſu apertè,frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoquè intelligat abſque vlla dubitatione credendum.

IN SVMMA.

Qvòd ſi neque Apoſtolica definita,neq; Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecũdùm ſacroſanctam Vniuerſitatis & Antiquitatis conſenſionẽ cuncti ſemper hęretici,iurè meritoq; damnati ſunt,neceſsè eſt profectò omnibus deincèps Catholicis,qui ſeſe Eccleſię matris legitimos filios probare ſtudent, vt ſanctę ſanctorum Patrum fidei inhęreant,adglutinent,immoriantur: Profanas verò profanorum nouitates deteſtentur,horreſcant, inſectentur,perſequantur.

LAVS DEO, PAX VIVIS, ET REQVIES DEFVNCTIS.


IN QVO EST SAL' VITA ET RESVREC TIO
GEORG EDER
I.C.F.

PARTITIONES

CATECHISMI CATHOLICI, EIVS NIMIRVM, QVI EX DECRETO CONCILII TRIDENTINI, PII V. PONT. MAX. IVSSV

ad parochos primùm editus:

NVNC VERO FACILIORIS COGNITIONIS GRATIA in luculentam hanc Epitomen & commodas aliquot Tabulas, ſic digeſtus atque diſtributus eſt,

VT OMNI HOMINVM ET ÆTATI ET CONDITIONI magnoperè vſui eſſe poſſit:

PER
D. GEORGIVM EDERVM FRISING. S. CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIVM &c.



PAVLVS AD TIT. III.
Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quęſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: Sunt enim inutiles & vanæ &c.

COLONIÆ,
Apud Geruuinum Calenium, & Heredes Ioannis Quentelij,
ANNO M. D. LXXI.


IN QVO EST SALV
VITA ET RESVREC
GEORG EDER.
I.C.F.

AD SENATVM ET
ACADEMIAM INCLYTAE CO-
lonienſis Reip. Georgij Ederi I.C. Præfatio.

CVM INFELICIS SECVLI NOSTRI SECTAE plurima habeãt abſurda, quæ magnam ſapiunt non tãtùm vanitatem, ſed quandã etiam redolent barbariẽ & impietatem, Lectiſſimi & ampliſſimi viri, tum illud mihi præ ceteris abſurdiſſimũ eſſe viſum eſt ſemper, quòd Nouatores quidam, neglecta Maiorum noſtrorũ fide, aliam religionem puriorem neſcio quam, nũc demùm, in angulis quibuſuis potiùs, quàm in ea Eccleſia, quę in Symbolo noſtro Apoſtolico non abſque grauiſſima cauſa dicitur Catholica, quærere incipiant. Quod an ſtultè magis, an impiè ſit factum, ſi quis dubitet, is mihi perpendat, quęſo, quàm graues & pernicioſi ex hac temeritate vel ſola ſecuti adhuc ſint errores. Nam quos ſic profanę nouitatis inſatiabile occupauit ſtudium, vt ſacris relictis fontibus, impuros ſectari mâlint riuulos, illi ſanè aut Eccleſiam, cui tutò ſe credere poſſent, hactenùs fuiſſe nullam, aut ſi fuerit aliqua, eam tamen ſine fide, ſine verbo, ſine doctrina, ſine ſpiritu, & omninò ſine capite vero fuiſſe, non obſcurè videntur ſentire. Quorum alterum manifeſtam habet impietatem, alterum etiam cum intolerabili coniunctum eſt blaſphemia. Vtrunque certè falſiſſimum eſſe, vel vnica D. Pauli conuincit ſententia. Sacramentum enim hoc magnum eſt, in Chriſto videlicet, & in Eccleſia, quam & dilexit, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata. Hanc ille non in delira demùm mundi ſenectute, nec apud ſectas, ſed tum ſtatìm vbì eam colligere cœpiſſet, in medio Doctorum, & inter Apoſtolos, quærendam eſſe voluit. Apoſtolis enim tantùm, quibus poſteà etiam claues tradidit regni cælorum, & non alijs, dixit: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernere credatur. Id verò cùm, vt ſancti volunt Patres, & recta dictat ratio, non de illis tantùm intelligendum ſit Apoſtolis, quos tum coràm Saluator noſter eſt allocutus, ſed ad eos etiam pertineat hæc oratio, qui primis iſtis gentium Doctoribus, cùm in ordine, tum in miniſterio atq; doctrina ritè ſucceſſerunt: quales noſtri proculdubiò ſunt Pontifices & Epiſcopi, quorum vnuſquiſque vocationem & ordinationem ſuam à Chriſto & Apoſtolis vſque ſine vlla temporum interruptione demonſtrare poteſt: quis nunc ſanæ mẽtis homo abſque atroci blaſphemiæ nota negare poterit, veram Dei Eccleſiam citra controuerſiam eſſe illam tantùm, in qua legitima Pontificum & Epiſcoporum eſt ſucceſſio? Quę cùm & viſibilis, & certa hucuſquè fuerit ſemper, certa etiam & perſpicua ſemper ea fuit Eccleſia, ad quam primus &

ſummus Chriſtianæ religionis Pontifex noſter Chriſtus ipſe nos tam ſeriò remiſit: cum graui comminatione, vt qui hanc non audiat, pro ethnico habendus ſit atque publicano. De illa autem Eccleſia, quam in extrema, quę nunc eſt, mundi calamitate ſibi Nouatores illi ſint imaginaturi, tam apertè alibì prophetauit, vt nullus cuiquam dubitãdi locus ſit relictus. Surgent em̃ pſeudo, inquit, chriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ità vt in errorẽ inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Quo dicto quid aliud intelligi voluit, quàm nec ſigna, nec prodigia quantunuìs magna (qualis hęreticorum fortaſsìs videri queat inflata ſcientia & grandiloquentia ſeſquipedalis, qua illi vel potiùs malis artibus & dolis partem orbis Chriſtiani non exiguam faſcinâſſe videntur) ſatìs liquidam eſſe verę Eccleſię notam, cùm & diabolus ſe in angelum ſæpè lucis transformare, ac ità fraudes ſuas tegere nouerit, vt incautos, quantunuìs doctos, facilè in ſuam pertrahat ſententiam. Quarè vt eo plus apud nos ponderis haberet hæc tam ſalutaris admonitio, nec vlla curioſulis nouitatum ſectatoribus excuſandi aut tergiuerſandi iuſta ſupereſſet ratio, cum emphaſi quadam ſingulari, huic cautioni etiam hęc adiecit verba: *Eccè prædixi vobis:* quibus animos noſtros & in fide antiqua confirmare, & ab omni nouitatis cupiditate abſtrahere voluit. Non enim ſicut humana voluntas ad mortem vſque eſt ambulatoria, ſic diuina conſilia in horas ſunt mutabilia: ſed conſtans ſibi & ſemper, & vbiquè, & apud omnes eſt ſapientia Diuina: quæ ędificauit ſibi domum ſupra petram tam firmam, vt nec omni moueatur doctrinę vento, nec vllo pacto flecti aut mutari queat, ſed eadem hodiè ſit, quę fuit & hactenùs ſemper: quę, inquam, columna eſt & firmamentum veritatis, domicilium fidei, & templum DEI, contra quam ne inferi quidem portę vnquàm ſint pręualiturę, extra quam nulli poſſit contingere ſalus, & nec Chriſti etiam prodeſſe alicui profeſſio. Nam neque hanc propriam eſſe indubitatę fidei aut incorruptę doctrinę ſignificationem, quòd Nouatores iſti, Chriſti vbiquè pręferant nomen, à quo tamen nec miſſi ſunt, nec quæ Dei, ſed quę ſua ſunt, quęrunt, id luculenter oſtendit grauiſſima illa exhortatio, qua is idem & ſponſus & caput Eccleſię ſuę Chriſtus, hanc ſeueram concludit prophetiam: *Si ergò dixerint vobis, ait, Eccè in deſerto eſt, nolite exire: eccè in penetralibus eſt, nolite credere:* Id omninò indicans, religionem DEO gratam, non in Synagoga Iudęorum, nec in ſcholis Philoſophorum, aut conciliabulis nouatorum, ſed in medio illius magnæ quærendam eſſe Eccleſiæ, cuius vis atque poteſtas ab Oriente ad Occidentem, hoc eſt, per vniuerſum protenditur orbem. Cùm itaque & diabolus ſe frequenter mentiatur Chriſtum, rectè D. Hieronymus ſtultum eſſe dixit, eum in paruo vel abſcondito quærere loco, qui totius mundi eſt lumen. Quid enim abſurdiùs vnquàm dici potuit, quàm poſt tot à Chriſto nato ſecula, atque adeò iam primùm rebus alioquì omnibus ferè ad interitum vergẽtibus, aut aliud quęrere Euangeliũ, quàm à Chriſto & Apoſtolis accepimus, aut alium ſcriptę literę ſenſum petere, quàm eſt Catholicus Patrum omnium cõſenſus, eorum maximè, qui Apoſtolorum in Ec-

cleſia

cleſia ſemper tenuerunt ordinem atque locum? Quid verò magìs temerarium potuit excogitari, quàm ab ea religione, quę totius orbis cõſenſu ſemèl eſt recepta, & adeò longo temporum interuallo in hodiernum vſque diem tam piè propagata, tamque ſanctè conſeruata, ſine ratione, ſine conſilio, & ſine omni prorsùs iuſta cauſa deficere? Quam leuitatẽ acriter olìm in Galatis ſuis D. reprębendit Paulus: O inſenſati Galatæ, inquit, quis vos faſcinauit non obedire veritati? Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſì ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Quantum verò Apoſtolus hac ſententia Galatas ad conſtantiam in fide Catholica retinendã hortari videtur, tantum in ſequẽti diſputatione nos omnes, ab omni prophanæ nouitatis ſtudio ſumma contentione deterrere conatur: Sed licèt aut nos, ait, aut angelus de cælo euangelizet vobis pręterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Ac nè id perfunctoriè tantùm, aut impetu magìs, quàm ratione dixiſſe videretur, eandem ſententiam, mox iiſdem repetit & inculcat verbis: Sicut prędiximus, & nunc iterùm dico, ſi quis vobis euangelizauerit, pręter id, quod accepiſtis, anathema ſit: hoc eſt, vt Vincentius Lirinenſis antiquus, idemque grauiſsimus author exponit, ſeparatus, ſegregatus, excluſus, nè vnius ouis dirum contagium, innoxium gregem Chriſti venenata permiſtione contaminet. Eſt enim omnibus hęreticis, vbì ſemèl perfricuerint frontẽ, hoc quaſi proprium & peculiare, vt eum ordinem, vndè ſunt digreſsi, ad extremum vſq; perſequi ſtudeant, ac alios, quantùm in ſe eſt, vnà ſecum omnes quàm maximè perditos eſſe velint. Eum in finẽ ſuperioribus hiſce annis aliquot à diuerſarum ſectarũ authoribus atq; propugnatoribus, tam multi, tam varij, tamque peſtiferi editi ſunt libri, totque picturę pluſquàm impię ac blaſphemę, paſquilli verò & famoſi libelli penè infiniti, quibus religionem Catholicam toti orbi Chriſtiano non tantùm ſuſpectam, ſed exoſam etiam reddere, ac piorum mentes ab ea abſtrahere atque peruertere conati ſunt. Verùm cùm illis improbus iſte conatus apud cordatos homines procederet parùm, nec illi inter ſe conuenirẽt ipſi, cœpit poſteà pro ſe quiſq; ſuam propriam edere confeſſionem: Sic, vt breui tempore, tot fierent confeſſiones, quot eſſent ſectę: tot autem eſſent ſectę, quot penè Nouatorũ ſunt capita. Vbì verò animaduerterẽt, ex tot cõfeſſionibus inter ſe in præcipuis ferè articulis ex diametro pugnantibus, tãtam ſuboriri confuſionẽ, ex qua ſe ipſi honeſtè extricare non poſſent, vt tectis eorum fraudibus eo faciliùs miſeræ imponerent plebeculę, ac diabolicis artibus & impoſturis teneram etiam inficerent iuuentutem, innumeros penè obtruſerunt nobis, eosq; valdè peſtilentes Catechiſmos: ſed id quoquè tanta diſſenſione, vt vix duo ſibiipſis conſtare, nedùm inter ſe conuenire viderentur: omnes autem ab antiqua Catholicę religionis pietate tantum diſcederent, quantum cælũ diſtat à terra. Quam ob rem cùm eò vſq; hęc progreſſa eſſet impietas, vt incertum planè videretur, quid cuiq; aut tenendum credendúm ve, aut fugiendum atque deteſtandum eſſet: operęprecium fuit, perq; neceſſarium,

ceſſarium, hiſce tot ac tantis Reip. Chriſtianæ perturbationibus, tandem & cõmodo, & pręſenti, atque efficaci aliquo conſulere remedio. Non minùs itaque piè quàm prudenter, & rectè inprimìs, ab optimis ſacroſancti Concilij Tridentini Patribus publico cautum eſt decreto, vt cõtra omnes omnium nouorum Catechiſmorũ profanas nouitates & errores, vt craſſos, ità etiam impuros & peſtiferos, totius Eccleſię nomine Catholicus aliquis conſcriberetur Catechiſmus, qui vera contineret orthodoxę & antiquę religionis fundamenta, quorum pręſidio ſyncerę pietatis amantes, improbos ſectariorum dolos & impoſturas & faciliùs cognoſcere, & rectiùs poſſent euitare. Quod eo quidem libro, qui Pij Quinti Pontificis Optimi Maximi iuſſu, hoc & titulo, & argumento in lucem nupèr eſt editus, tanta pręſtitum eſt cùm dignitate, tum vtilitate, vt nihil ferè toti Eccleſię Catholicę hoc tempore illuſtrius auguſtiúsve cõtingere potuerit. In quo ſcripto an vel dictionis puritatem, vel ipſius doctrinę hîc explicatę maieſtatem, an verò eximiam authorum eruditionem & induſtriã ſingularem magìs admirari debeat, meritò quis dubitare poſſit. Nam ad genus dicendi quòd attinet, etſi nihil ei deſit omninò, quod ad perfectam pertineat eloquentiæ laudem, id tamen hic liber habet pręterea peculiare, quòd eius oratio plus contineat in ſe, non ſolùm veritatis & ſcientię, ſed etiam ſpiritûs cęleſtis & ſapientiæ diuinę, quàm vniuerſa Nouatorum omniũ habeant portentoſa volumina in vnum conflata. Eſt argumenti etiam tractatio ſic numeris ſuis omnibus abſoluta & perfecta, vt nihil ad Chriſtianam inſtitutionẽ neceſſarium ſimpliciores ampliùs deſiderare, neque doctiores quidquam velut abundans aut inutile reſpuere poſſe videātur. Authores verò, quorũ labore & induſtria hoc opus totum eſt perfectum, prorsùs ſunt eiuſmodi, qui docendi quidem ratione atque Methodo, cum eruditiſſimo quouis certare poſſint, dictionis elegantia & puritate pręcipuos æquent & philoſophos & oratores: argumentorũ verò pondere poſt ſe quàm longiſſimè relinquant omnes, quos illi hoc genere ſummos ac quoſdam velut Coriphæos aut anteſignanos & dici velint & haberi. Accedit huc Pontificis noſtri & re & nomine verè Pij maxima, nec temerè vnquàm violanda authoritas: quem vt Principis Apoſtolorum beati Petri agnoſcimus ſucceſſorẽ, ità diuinitùs eum afflictiſſimæ nunc Eccleſiæ in præſidium quoddam ſingulare datum eſſe minimè dubitamus: vtpotè cuius rara vitæ integritas, eruditio præclara, pietas incomparabilis, & innumerę ferè alię dotes eximię, quibus eum prępotentis Dei auxit & ornauit benignitas, ſatis magno ſint argumento, eum verum eſſe Eccleſiæ Catholicæ Paſtorem, ac ob id ſaluberrimam eius doctrinam, quæ in hoc diuino continetur Catechiſmo, ſummam mereri fidem atque reuerentiam. Nam ſi rectè olìm de inſtitutionibus ſuis gloriatus eſt Imp. Iuſtinianus, quòd liceat illius prudentię ſtudioſis, prima legum cunabula non ab antiquis fabulis diſcere, ſed ab imperiali ſplendore appetere: quanto iuſtiùs, quęſo, nos gloriabimur, quibus nunc veræ & Catholicæ religionis fundamenta non à prophanis hæreticorum nugis atque nouitatibus, ſed à diuino ſplendore, ex illius Pontificis in-

cis inſtitutione tam fideli, ac traditione prorsùs Apoſtolica, & tutò petere, & conſequi affluēter liceat, cuius virtutes Maximo Pontifice digniſſimæ, tam ſunt ipſis etiam aduerſarijs cognitæ atque perſpectæ, vt quod in eo reprætendant, non habeant, etſi maximè velint: quem etiam illis omnibus & plùs ſapere, & Eccleſiæ rectiùs conſultum cupere, quàm ipſi velint Nouatores, tot eximijs conſtat argumentis, quot illius illuſtria in Remp. extant merita. Quibus nominibus hic liber bonis & pijs omnibus longè debet eſſe gratiſsimus. Ego certè huius Catechiſmi lectione in Catholica religione, quam Dei beneficio hactenùs, etiam in medijs & errorum & perſecutionum fluctibus, immotam retinui ſemper, plurimùm confirmatus & conſolatus ſum. Cuius cognitionem cùm intelligerem toti orbi & vtilem eſſe, & neceſſariam, ac ob id plurimùm referre arbitrarer, vt omnium populorum linguis & nationibus familiaris eſſet atque communis, cœpi eius mox bonam partem in Germanicā vertere linguam: atque hanc verſionem, diuina concedente gratia, iamdudùm abſoluiſſem, niſi mihi à fide dignis relatum fuiſſet, eundem laborem ante me ſibi ſumpſiſſe Reuerendum Patrem Dominum Petrum Caniſium Theologum, olìm apud vos in Theologicis Præceptorem meum & Patronum ſingularem: cui nō lubens tantùm ceſsi, ſed eo nomine plurimùm etiam & mihi & toti gratulatus ſum Eccleſiæ: tum quòd magno me liberâſſet onere, tum quòd is hanc operam longè feliciùs præſtare poſſet, quàm à me quidem expectari debuit. Nè tamen vllam prætermitterem rationem, qua homines noſtri omnes, maximè verò Latini, ad diligentiorē huius Catechiſmi lectionem inuitarentur, in breues eum atque ſuccinctas redegi tabulas, quæ Methodum & artificium, quo in conſcribendo opere iſto ipſi authores, viri, quicunque tandèm ſint, citra controuerſiā doctiſsimi, vſi fuiſſe videntur, ſatis (vt ſpero) luculenter oſtendunt. Nam etſi ſumma proculdubiò ratiōe Catholicus hic Catechiſmus perpetua & continua ſcriptus eſt oratione, ſitq; pro rerum in eo compræhenſarum maieſtate, vt hac forma in Eccleſia perpetuò retineatur, vtiles tamen erunt hæ tabulæ, cùm ad intelligendū ordinem diſciplinæ Chriſtianæ, tum ad iuuandā teneræ iuuentutis memoriā, q̄ rerū inter ſe diuerſarū diſtinctione atq; ordine, vehementer non tantùm augeri, ſed etiam mirificè ſolet confirmari. Et profectò ſi aut mihi, quod iamdudùm cogito, licuerit, vel alius me impedito perfecerit, vt hæ tabulæ in eā reducantur rationem, qua triuialia tradi ſolent erotemata, hoc eſt, in cōmodas reſoluantur interrogationes & reſponſiones, ac ea ipſa erotemata tandèm etiam in Germanica explicentur lingua, ſpe ducor, vt exiſtimo, non vana, quòd liber hic diuinus toti Eccleſiæ non vtilis tantùm, ſed vulgatiſſimus etiā & gratiſſimus ſit futurus. Quidquid autem hic labor meus, quamuìs tenuis & exilis, cū ad immortalē præpotentis Dei gloriā, tum ad perfectā Eccleſiæ ſuę afflictiſſimæ conſolationē, aut cōmodi, aut profectûs adferre poterit, id totū veſtræ inprimìs Catholiciſſimæ Reip. dedicatū atq; conſecratū eſſe & volui, & omninò etiā, niſi inſigniter velim eſſe ingratus, debui. Ac eius quidē officij tot cauſas habeo non minùs iuſtas q̄ gra-

ues atque neceſſarias, quot veſtra in me olìm fuerunt beneficia. Quæ tanta ſunt certè, vt ea ſine grauiſsima ingratitudinis, immò & infamię cuiuſdam nota, ſilẽtio ampliùs præterire non poſsim. Non vt longo vos ſingulorũ meritorũ morer catalogo, quæ tam cõmuni, q̃ priuatorum nomine multifariè multisq́; modis in me ſunt collata, quod operis eſſet penè infiniti: ſed vt ea tantùm cõmemorem, quorum nomine p̃ cæteris me plurimùm vobis debere intelligo. Apud vos enim, quod omniũ eſt maximũ, prima hauſi cùm pietatis, tum religiõis verę catholicęq́; doctrinę principia, quæ per annos ſex continuos, quibus me in veſtro complexi eſtis gremio, pia & honeſta bonorum virorum cõuerſatione, ſic in me ſunt confirmata, vt etiamnùm ad ſenium ferè declinans, in ea religione & viuere & mori cupiam, quam veſtro exemplo in prima imbibi adoleſcẽtia. Etſi verò, q̃ mea tum ſors erat, in ſumma ad vos veniſſem egeſtate & inopia, adeò vt mihi omni ferè auxilio humano deſtitutus eſſe viderer, non defuerunt tamẽ viri pietate & humanitate inſignes, qui hanc egeſtatẽ benigno ſuo leuarent patrocinio. Inter quos vt primus ferè, ità præcipuus ſanè fuit vir eruditione & probitate clariſsimus, Reuerend. D. Schilderus, veſter tum in Rhetoricis Profeſſor, nunc verò magna cum dignitate Decanus Embricenſis, & p̃ceptor & Mecœnas meus ſingularis. Cui poſt Deũ penè ſoli, vt omnis fortunæ meæ & initiũ & progreſſum debeo, ità ei⁹ memoria apud me erit immortalis. Huius exemplo paulatìm me etiam alij complecti cœperunt viri & natura & doctrina atq; prudẽtia pręſtantes: Celeberrimus inprimìs Theologus Tilmãnus Sibergenſis Prior Dñicanorum, tum hęreticæ prauitatis Inquiſitor, Andreas Barduuick Canonicus apud D. Gereonem, Matthias Aquenſis, canonicus apud S. Andream, Regẽs gymnaſij Montani, Iacobus Hochſtrat eiuſdẽ Eccleſię Canonicus, oẽs ſacræ Theologiæ Licentiati: Spectatę item integritatis viri, Hermannus Sudermãnus inclytę veſtræ Reip. in hunc vſq; diem Conſul vigilantiſsimus, Melchior Noueſianus inſignis dum viueret, Typographus, & Ioannes à Gerezhem, vir conſularis & pius & humanus &c. quorum omniũ opera & cõmendatione plurimùm in ſtudijs meis ſum adiutus: adeò vt illorum teſtimonio & pietate permotus inſignis Theologus Reuerend. D. Ioannes Cochlæus, cœperit me beneficijs & ſumptibus ad ſtudia neceſſarijs iuuare & proſequi etiam non viſum. Tandèm totius Academiæ veſtræ beneficio, Magiſterij Gradum in artibus feliciter ſum adeptus, qui mihi ianua fuit ad eos Honores, ad quos niſi optimo cuique adſpirare minimè licet, & in quibus nunc me licèt indignum, conſtitutum eſſe intelligitis. Quorũ omniũ memoria vt mihi hactenùs gratiſsima fuit ſemper, ità viciſsìm etiam dolui nõ parùm, nullam hucuſquè datam fuiſſe occaſionem ſatìs commodam, qua vobis gratitudinem meam luculento aliquo teſtimonio declarare potuiſſem. Quod tamen nè per me ſtetiſſe videatur, hanc interìm voluntatis meæ ſignificationem præmittere volui, vt aliquod ſaltem apud vos gratę mentis à me extet indicium, vſquedùm per Voſipſos mihi vberiùs veſtræ inſeruiendi Reipub. amplior aliqua offeratur occaſio. Atque

hæc

hæc quidem dedicationis cauſa mihi fuit quaſi propria, ſed eſt & alia omnibus ferè,qui ſuas vobis lucubrationes inſcribere ſolent, communis, præclara videlicet ac ſingularis illa in Catholica religione conſtantia. De qua ego,vt qui oculatus aliquandò fuerim teſtis, dicerem hîc multa, niſi fides veſtra in vniuerſo annunciaretur mundo. Neq; enim tam vel ignota vel obſcura eſſe aut poteſt aut debet pietas illa rara & incomparabilis, qua antiquam Maiorum veſtrorum colitis deuotionem. Multa quidem habetis cum alijs benè pieq́ue inſtitutis Rebusp. communia: ſed quod omniũ eſt primum,id vobis præ multis alijs ſactum eſt ferè proprium & ſingulare, ꝙ hæc ſancta Ciuitas veſtra ab ea fide,quam Maiores veſtri ſemèl à Romana ſuſceperunt Eccleſia, nunquàm receſſit,aut nutauit, ſed in eadem pietate ac religione in hunc vſque diem omni tempore ſumma permanſit cõſtantia. Cuius rei cùm non deſint Diuina iudicia quædam non leuia neq; vulgaria,tum etiam alij ampliſſimi ſuperſunt laudum veſtrarum teſtes atque præcones. Tot enim Eccleſiæ veſtræ ſanctorum clarent reliquijs, vt hoc nomine S. veſtra Colonia plerunq; ſemper altera dicta ſit Roma: tot ſplẽdidis abundant miraculis,vt Deo gratum eſſe cultum veſtrum, nemo pius iurè quidem dubitare poſſit. Et hæc me non tam ex affectu, quàm pro veritate ſcribere, infinita propè hiſtoriarum teſtantur monimenta. Quam ob rem ſummi aliquot Pontifices,immò omnes, maximo vos ſemper complexi ſunt amore. Quanti porrò,vt alios prætercam, D. Imperator Carolus V. veſtram fecerit pietatem, id publica aliquot eius confirmant edicta, in ſingularem Reip. Veſtræ laudem, tum maximè templorũ valuis affixa,cùm vobis, quod mihi videre calamitoſiſsimum fuit, à veſtris paſtoribus ipſis variæ ſtruerentur inſidiæ. Commendauit etiam religionem veſtram non ſemèl pius Imper. Ferdinand. quem vobis hoc nomine benigniſsimum fuiſſe & Dominum & fautorem,eius laudis habetis vosipſi præclara domi veſtræ indicia. Nec ſanè debetis dubitare, quin hæc ipſa conſtantia veſtra alioquì celebratiſsima, Diuo etiã Maximiliano II. Imperatori noſtro Catholiciſsimo, pergrata ſit atque chara, cui iam dudùm nihil æquè cordi eſt, quàm religio Catholica, & antiqua Maiorum noſtrorum in ea religione concordia. Prædicant præterea veſtram conſtantiam per vniuerſum terrarum orbem boni ac pij quidem viri omnes,atque ſic prædicant, vt ea Catholicis omnibus & exemplo & ornamento, ſectarijs verò ſoleat eſſe terrori. In ea enim egiſtis hactenùs tranquillitate, vt Deũ pro vobis pugnâſſe ſemper, velint nolint, etiam inimici fateri cogantur. Sed nè omnia proſequi voluiſſe videar, quid ego de veſtris laudibus dicere poſſum vel dignius vel amplius, quàm quod præclarè & verè de vobis nupèr in Commentario illo rerum in orbe hoc ſeculo geſtarum ſcripſit ac prædicauit vir non contemnendæ eruditionis & pietatis Reuerendus Dominus Laurentius Surius Carthuſianus: Habet, inquit, ſemperq́ue, quàm diù hic ſtabit orbis, habebit ſuas laudes eximias inclyta & præclara Colonia Agrippina, quòd tam multis in Germania ab auita eademq́; ſanctiſſima religiõe deficientibus, ipſa conſtantiſſima permanſit, nec eam fidem & religiõem

puerili

puerili leuitate ſibi deferendam putauit, quam longè ante mille annos acceperat, & in hunc vſque diem à ſanctis Maioribus ſuis integra fide velut per manus ſibi traditam religioſè conſeruâſſet, licèt ſæpè incredibilibus aſtutiſſimorum ſatanæ ſatellitum fraudibus & technis, armis & machinis oppugnata. Præclarè deniquè atque adeò rectè de vobis tota ferè canit, dicit & prædicat Eccleſia: Felix & ſancta diceris Agrippina Colonia, quę poſtquàm fidem ſuſcepiſti, Ciuitas prænobilis, recidiua non fuiſti, ſed in fide ſtabilis. Quæ laus tam diù erit vobis immortalis, quàm diù vos in eadem fidei Catholicæ conſtantia perſeuerâſſe non pœnituerit. Nulla verò ratione pœnitebit vnquàm, ſi quàm & hæc conſtantia ipſi præpotenti Deo grata, & quàm is merces vobis ampla & copioſa ſit futurus, vt facitis, diligenter expendatis. Parùm enim fuerit, veram ſemèl fidei Catholicæ ſuſcepiſſe doctrinam, nisì quis in hac ſtatione, hoc eſt, Maiorum Euangelica & Apoſtolica traditione, ad extremum vſque perſtiterit ſpiritum. Nec etiam vel ipſo Saluatore noſtro, hoc ità affirmante, ſaluus erit vllus homo, nisì qui ad præſtitutū vſque perſeuerauerit finem, cùm hæc ipſa perſeuerãtia, virtutum aliarum omnium & finis ſit, & conſummatio. Qua gratia vt vos cæteris Germaniæ ciuitatibus prælucetis ferè omnibus, ità hanc ego felicitatem à Deo Opt. Max. ampliſſimæ veſtrę Reip. ſalutarem precor & immortalem. Cùm autem ad retinendam in fide Catholica conſtantiam, nõ parùm adiumenti adferre poſſint Partitiones Catechiſmi illius ſiue Romani, ſiue Tridentini, omnibus modis certè pij & Catholici, illud etiam oro, vt eas veſtro celeberrimo nomini dedicatas, ijſdem accipiatis animis, quibus vos paulò antè etiam Summam doctrinæ Chriſtianę, à doctiſsimo Theologo Reuerendo D. Petro Caniſio confectam, & vobis conſecratã, accepiſſe non dubito. Nam etſi diuerſa ſit vtriuſque & opera & diligentia, adeò quòd is ſuorum munerum ipſe ſit author, ego aliena tantùm offerre ſim coactus: idem tamen erit ſcopus, veſtris videlicet ſtudendi commodis. Doctrinæ certè genere ſic duo hi libelli conueniunt, vt ſimul coniuncti, perfectam exhibeant totius religionis catholicæ formulam, & quandam fidei Orthodoxæ veluti regulam, cuius ductu iuuentus Chriſtiana Nouatorum technas & impoſturas omnes facilè declinare & effugere poſſit. De mea porrò in vos promptiſſima voluntate atque debita omninò reuerẽtia ſic ſtatuatis, quæſo, nihil à me requiri poſſe tam vel arduum vel difficile, quod non veſtra cauſa, quantùm in me erit, ſemper animo vt grato, ſic etiam perlubenti ſim ſuſcepturus: & profectò ſi aliud potero nihil, id ſaltem dabo operam, nè vos beneficiorum in me tam benignè collatorum, vllo tempore merito meo pœnitere aut poſſit, aut debeat vnquàm. Viennæ Auſtriæ, ipſis Nonis Februar.

Anno ſalutis M.D.LXVIII.

DE PRAECI-

DE PRAECIPVIS CATHOLICI CATECHISMI PARTIBUS.

TABVLA 1.

OMNIS *doctrinæ ratio, q̃ fidelib⁹ tradenda ſit, verbo Dei cõtinetur: quod diſtributum eſt in*

- *Scripturam, quæ diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad*
  - *Docendum,*
  - *Arguendum,*
  - *Corripiendum,*
  - *Erudiendum in iuſtitia,*
  - *Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, 1. Tim. 4. 2. Tim. 3.*
- *Traditiones: ſed quoniã quæ diuinitùs tradita fuerũt, multa ſunt & varia, vt nec ità facilè aut omninò cõpræhendi, aut mente compræhenſa, memoria teneri poſſint, vt cùm ſe obtulerit docendi occaſio, eorum parata ſit & prompta explicatio: ſapientiſſimè maiores noſtri, totam hanc vim & rationem ſalutaris doctrinæ, in 4. hæc capita redactam diſtribuerũt, videlicet in*
  - *Symbolũ Apoſtolorũ,*
  - *Sacramenta,*
  - *Decalogum,*
  - *Dominicam orationem.*
  - *Ad hæc quatuor genera, vniuerſæ ſcripturæ vis atque doctrina referri poteſt. Nam omnia*
    - *Quæ Chriſtianæ fidei diſciplina tenenda ſunt, ſiue ad Dei cognitionem, ſiue ad mundi creationẽ & gubernationẽ, ſiue ad humani generis redemptionẽ ſpectant, ſiue ad bonorum præmia & malorũ pœnas pertinent, ſymboli doctrina continentur.*
    - *Quæ autem ſigna ſunt & tãquàm inſtrumenta ad diuinam gratiã conſequendam, hæc ſeptem ſacramentorũ doctrina complectitur.*
    - *Iam verò quæ ad leges referuntur, quorum finis eſt charitas, decalogo deſcripta ſunt.*
    - *Quidquid deniquè ab hominibus optari, ſperari ac ſalutariter peti poſſit, id Dominica precatione compræhenditur.*

PARS PRIMA

DE SYMBOLO APOSTOLORVM, SIVE de Myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, ab Apoſtolis ſub 12. fidei Catholicæ articulis compræhenſo.

RATIO ORDINIS.

SANCTI patres inltiandis Chriſto Domino, & in eius diſciplina inſtituendis hominibus à fidei doctrina initium fecerunt, quam ad ſalutem eſſe neceſſariam, nemo iurè dubitabit, præſertim cùm ſcriptum ſit: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Cùm enim finis, qui ad beatitudinẽ homini propoſitus eſt, altior ſit, quàm vt humanæ mentis acie perſpici poſſit, neceſsè ei erat, ipſius à Deo cognitionem accipere. Hæc verò cognitio nihil aliud eſt, niſì fides: cuius virtus efficit, vt id ratum habeamus, quod à Deo traditum eſſe ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ authoritas comprobârit. Nulla enim fidelibus poteſt accidere dubitatio in ijs, quorum Deus author eſt, qui eſt ipſa veritas.

PAR-

PARTITIO SYMBOLI APOSTOLICI.

TABVLA 2.

Eſt autem hoc ſymbolum nihil aliud, quàm Chriſtianæ fidei formula, ſeu ꝓfeſſio & compendium, quod apoſtoli ſymbolum appellârunt, ſiue quia ex varijs ſententijs, quas ſinguli in commune contulerunt, conflata eſt: ſiue quia ea veluti nota, & teſſera quadam vterentur, qua deſertos & ſubintroductos falſos fratres, qui euangelium adulterabant, ab ijs, qui verè Chriſti militiæ ſacramento ſe obligarent, facilè poſſent internoſcere.

QVAE IGItur primùm Chriſtiani homines tenere debent, illa ſunt, quæ fidei ducet doctoresq́ ſancti apoſtoli, diuino ſpiritu afflati, duodecim ſymboli articulis diſtinxerunt.

Atque in hoc ſymbolo myſteriū totius Trinitatis cōpræhenſum eſt. Nā vt maiores noſtri, qui in hoc argumento piè & accuratè verſati ſunt, obſeruauerunt, in tres potiſſimùm partes ità diſtributum videtur,

- *Vt in vna, diuinæ naturæ prima ꝑſona & mirum creationis opus deſcribatur* — *Sub his* — *Primi articuli verbis,* CREDO *in*
  - *Deum,*
  - *Patrem omnipotentem,*
  - *Creatorem cæli & terræ.*
- *In altera, ſecūda ꝑſona et humanæ redemptiōis myſteriū, is ſequentibus ſex articulis,*
  - *Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum.*
  - *Qui conceptus eſt de ſpirituſancto, natus ex Maria virgine.*
  - *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus,*
  - *Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis.*
  - *Aſſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*
  - *Indè venturus eſt iudicare viuos & mortuos.*
- *In tertia, item tertia perſona, caput & fons ſanctitatis noſtræ, varijs & aptiſſimis ſententijs cōcluditur in poſterioribus quinque articulis,*
  - *Credo in Spiritumſanctum.*
  - *Sanctā ecclesiam Catholicā, Sanctorū cōmunionē.*
  - *Remiſſionem peccatorū.*
  - *Carnis reſurrectionem.*
  - *Et vitam æternam.*

Eas autem ſententias ſimilitudine quadam à patribus noſtris frequēter vſurpata, Articulos appellamus. Vt enim corporis membra articulis diſtinguuntur, ità etiam in hac fidei confeſſione, quidquid diſtinctè & ſeparatim ab alio nobis credendum eſt, rectè & appoſitè articulum dicimus.

DE SYM-

DE SYMBOLI HVIVS NECESSITATE atque certitudine, deque credendi vtilitate.

TABVLA 3.

CVM multa in Chriſtiana religione fidelibus proponantur, quorum ſingulatìm vel vniuerſè certam & firmam fidem habere oportet: tum verò illud primò ac neceſſariò omnibus credendum eſt, quod velutì veritatis fundamentum, ac ſumma de diuinæ eſſentiæ vnitate, ac trium perſonarum diſtinctione, earumq́ actionibus, quæ præcipua quadam ratione illis attribuuntur, Deus ipſe nos docuit.

IGITVR CREDENDI *vox, hoc loco putare, exiſtimare, opinari, non ſignificat: ſed, vt docet ſacræ literæ, certiſſimam aſſenſionis vim habet, qua mens Deo, ſua myſteria aperienti, firmè conſtãterq́ aſſentitur. Quãobrem is credit, (quòd ad huius loci explicationem attinet) cui aliquid ſine vlla hæſitatiõe certum & perſuaſum eſt. In quo aſſenſu hæ tenendæ ſunt velutì Regulæ:*

I.

Nè quis exiſtimet, fidei notitiam minùs certam eſſe, quòd ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit, diuinum lumen quo ea perſpicimus, tametſi rebus perſpicuitatem non afferat, nos tamẽ de his dubitare non ſinit

II.

Eum qui cæleſti hac fidei cognitione præditus eſt, inquirendi curioſitate liberum eſſe. Deus enim cùm iuſſit nos credere, non diuina iudicia ſcrutanda, eorumq́ rationem & cauſam perquirendam nobis propoſuit, ſed immutabilem fidem præcepit, quæ efficit, vt animus in æternæ veritatis notitia conquieſcat: Cùm teſte Apoſtolo, Deus verax, omnis autem homo ſit mendax. ad Rom. 3. Fides itaq, ſecluſa omni non ſolùm ambiguitate, ſed etiam demonſtrandi ſtudio, tenenda eſt.

III.

Verùm illud prætereà monendum eſt, eum qui dicit, credo, præterquàm quòd intimum mentis ſuæ aſſenſum declarat, qui interior fidei actus eſt, debere id, quod animo incluſum habeat, aperta fidei profeſſione præ ſe ferre, ſummaq́ alacritate palàm fateri ac prædicare.

Oportet enim fideles

Habere eum ſpiritum, quo fretus propheta, dixit: Credidi, propter quod locutus ſum. Pſal. 115.

Imitari Apoſtolos, qui ad principes populi reſponderunt: Non poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Actor. 4.

D. Pauli præclara illa voce excitari: Non erubeſco Euangelium: Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti. Rom. 1.

Item, quo maximè huius ſententiæ veritas confirmatur: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom. 10.

ARTICVLVS PRIMVS.

CREDO IN DEVM PATREM OMNIpotentem, creatorem cæli & terræ.

RATIO ORDINIS.

HINC iam Chriſtianæ ſapientiæ dignitatem & præſtantiam, ex eaque quantum diuinæ bonitati debeamus, cognoſcere licet, quibus datum eſt, ſtatìm ad rei præſtantiſſimæ, maximeque expetendæ cognitionem quaſi fidei gradibus aſſcendere. In hoc enim multùm inter ſe differunt Chriſtiana philoſophia, & huius ſeculi ſapientia, quòd hæc quidem naturalis tantùm luminis ductu ab effectibus, & ab ijs, quę ſenſibus percipiuntur, paulatìm progreſſa, non niſì poſt longos labores vix

tádèm inuiſibilia Dei contemplatur, primamq́; omniũ rerum cauſam & authorẽ agnoſcit atq; intelligit: contrà verò illa humanæ mentis aciem ità exacuit, vt in cælũ nullo labore penetrare poſſit, atque diuino ſplendore colluſtrata, primùm quidem æternum ipſum luminis fontem, deindè quæ infra ipſum poſita ſunt, intueri: vt nos vocatos eſſe de tenebris in admirabile lumen, quod eſt apud Apoſtolorum principem, cum ſumma animi iucunditate experiamur, & credentes exultemus lætitia inenarrabili, 1. Pet. 2.

DE DEO. TABVLA 4.

RECTè igitur fideles, primò ſe credere profitentur in Deum,

- *Cuius maieſtatem ex Hieremiæ ſentẽtia incompræhenſibilem eſſe dicimus. Hier. 32. Lucem enim, vt ait Apoſtolus, inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. 1. ad Tim. 6. Cùm enim ad Moiſen loqueretur, Non videbit me (inquit) homo, & viuet. Exod. 33. Nam vt mens noſtra ad Deum, quo nihil eſt ſublimius, perueniat, neceſſe eſt eam omninò à ſenſibus abſtractam eſſe: cuius rei facultatem in hac vita naturaliter non habemus.*
- *Cui etiam philoſophi bonorum omnium perfectam vim & copiam tribuerunt, vt ab eo, tanquàm à perpetuo quodam & inexhauſto fonte bonitatis ac benignitatis, omnia ad oẽs creatas res atque naturas perfecta bona dimánent: quem ſapientem, veritatis authorem & amantem, iuſtum, beneficentiſſimum, & alijs nominibus appellauerunt, quibus ſumma & abſoluta perfectio continetur: cuius immenſam & infinitam virtutem, omnem complentem locum, & per omnia pertingentem eſſe dixerunt.*
- *Sed ex diuinis literis hoc multo meliùs conſtat & illuſtriùs, vbi dicitur inter alia, Ego ſum* { *Via, Veritas, Et vita.* } *Ioan. 14.*
- *Quem*
  - *Cognoſcimus per*
    - *Naturam, id eſt, humanam philoſophiam,*
      - *Et ductu luminis naturalis,*
      - *Ab effectibus,*
      - *Et ab ijs, quæ ſenſibus percipiuntur.*
    - *Fidem, qua*
      - *Primùm, æternum ipſum luminis fontem aſſequimur.*
      - *Deindè, quæ infra ipſum poſita ſunt, intuemur.*
  - *Confitemur vnum ſolum, & non plures eſſe deos. Nam cùm Deo ſummam bonitatem & perfectionem tribuamus, fieri non poteſt, vt id, quod ſummũ atq; abſolutiſſimum eſt, inueniatur in pluribus. Quòd ſi cui aliquid ad ſummum deeſt, eo ipſo imperfectum eſt: quarè nec Dei natura illi conuenit. Deuter. 6. Exod. 20. Eſa. 44. 48. 41. Ad Epheſ. 4.*

DE TRINITATE. TAB. 5.

CREdimꝰ autẽ

- *Vnitatem in eſſentia diuinitatis,*
- *Diſtinctionẽ in pſonis. Tres enim ſunt in diuinitate perſonæ:*
  - *Patris, qui à nullo genitus eſt.*
  - *Filij, qui ante omnia ſecula à patre genitus eſt.*
  - *Spiritusſãcti, q itidẽ ab æterno procedit ex* { *Patre & Filio.* }

Hæ tres pſonæ ſuis tãtũmodò pprietatibus diſtinctæ ĩtelliguntur: Siquidem

- *Pater ingenitus eſt,*
- *Filius à patre genitus,*
- *Spiritusſanctus ab vtroque pcedit.*

Atque ità triũ pſonarũ eandẽ eſſentiã cõſitemur: vt ĩ confeſſione veræ ſempiternæq; deitatis

- Et in perſonis proprietatem,
- Et in eſſẽtia vnitatem,
- Et in Trinitate æqualitatẽ piè et ſanctè colẽdam credamus.

DE DEO PATRE, PRIMA SANCTISSIMAE Trinitatis Perſona, ſiue de opere creationis.

TABVLA 6.

PATREM, *ex humanis rebus ducta ſimilitudine, ſic dicimus, quemadmodum eum, à quo familia propagata eſt, cuiuſque cōſilio & imperio regitur, patrē vocabāt: ità hac ratione factum eſt, vt Deū quē omniū rerū opificem & rectorem agnoſcebant, patrem appellari voluerint. Quē Symbolum Apoſtolicum confitetur*

- *Omnipotentem. Quo nōie, quod oībus in Trinitate perſonis eſt commune, intelligimus, nihil eſſe, nihil animo & cogitatione fingi poſſe, quod Deus efficere nequeat. Valet autem hæc cōfeſſio ad*
  - *Fidē*
    - *Augendam. Nam cùm Deum omnipotentem agnoſcimus, ſimul etiam fateamur neceſſè eſt, eum omnium rerum ſcientiam habere, omnia item eius ditioni & imperio ſubiecta eſſe.*
    - *Confirmandam. Nulla enim res tam ad fidē & ſpem noſtram confirmandam valet, quàm ſi fixum in animis noſtris teneamus, nihil non à Deo fieri poſſe.*
  - *Omnem animi modeſtiam, & humilitatem nos inſtituit. Vndè & Petrus: Humiliamini, inquit, ſub potenti manu* DEI. *1. Pe. 5.*
  - *Immenſa erga nos Dei beneficia cognoſcenda & celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo eſſe non poteſt, quin ſæpiùs exclamet: Fecit mihi magna qui potens eſt. Luc. 1.*
  - *Deniquè hac fide præcipuè munitos nos eſſe oportet, cùm vel*
    - *Admirāda aliqua opera ad proximorum vſum & vtilitatem edere cogimur:*
    - *A Deo precibus impetrare aliquid volumus.*
- *Creatorē*
  - *Cæli, ſub quo cōtinentur*
    - *Ornatus ſiderū cum diſtinctione temporū.*
    - *Angeli,*
      - *Boni, quos cum bona voluntate, id eſt, cū amore caſto, quo illi adhærent, creauit, ſimul in eis & condēs naturā, & largiēs gratiā.*
      - *Mali, qui à Deo parente, & creatore ſuo defecerunt, ex altiſſimis illis ſedibus deturbati, atq; in obſcuriſſimum terræ carcerem incluſi, æternas ſuperbiæ ſuæ pœnas luunt.*
  - *Et terræ, quā*
    - *Super ſtabilitatē ſuā fundatā Deus verbo ſuo iuſſit in media mundi parte conſiſtere, effecitq; vt aſſcēderēt mōtes, & deſcenderēt campi in locū, quem fundauit eis: ac nè aquarū vis illam inūdaret, terminum poſuit, quem non tranſgrediētur, neque conuertentur operire terram.*
    - *Non ſolùm arboribus, omniq; herbarum & florum varietate conueſtiuit, atq; ornauit, ſed innumerabilibus etiam animātium generibus, quemadmodùm anteà aquas & aëra, ità etiam terras cōpleuit.*
  - *Ex qua ſic formauit hominē,*
    - *Vt nō quidem naturæ ipſius vi, ſed diuino beneficio immortalis eſſet & impaſſibilis:*
    - *Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.*
    - *Cū*
      - *Libero arbitrio & imperio rationis.*
      - *Dono Iuſtitiæ originalis.*
    - *Ac vt cæteris animātib' pęſſet.*
  - DEVS *autē mūdum fabricatus eſt,*
    - *Non ex materia aliqua, ſed ex nihilo.*
    - *Nulla vi aut neceſſitate, ſed ſua ſpōte ductus.*
    - *Propter ſolam bonitatē ſuam.*
    - *Sine exemplo aut forma extra ipſum poſita, quam ſequeretur.*
    - *Vt quæ ab ipſo effecta ſunt, infinita ſua virtute conſeruet.*

SVMMA ARTICVLI PRIMI.

His primi articuli verbis ea ſententia ſubiecta eſt: Certò credo, ac ſine vlla dubitatione profiteor, Deum Patrem, primam ſcilicet Trinitatis perſonam, qui ſua omnipotenti virtute cælum ipſum & terram, & omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur ac regit: neque ſolùm eum corde credo & ore confiteor, verùm ſummo ſtudio ac pietate ad illum, veluti ſummum & perfectiſsimum bonum, contendo.

SENTENTIAE HVIVS CONFIRMATIO.

Hæc omnia breuiter quidem Propheta complexus eſt illis verbis: Tui ſunt cæli & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem eius tu fundâſti. Pſal. 88. Sed multo etiam breuiùs Patres Niceni concilij, additis in Symbolo duobus illis verbis, Viſibilium & Inuiſibilium, ſignificauerunt. Quęcunque enim rerum vniuerſitate comprehenduntur, atque à Deo creata eſſe cõfitemur, ea vel ſub ſenſum cadunt, & Viſibilia dicuntur: vel mente & intelligentia percipi à nobis poſſunt, quæ Inuiſibilium nomine ſignificantur.

REGVLA.

Nec verò ità Deum creatorem atque effectorem omnium credere oportet, vt exiſtimemus, perfecto abſolutoque opere, ea quę ab ipſo effecta ſunt, deincèps ſine infinita eius virtute conſtare potuiſſe. Nam quemadmodùm, omnia vt eſſent, creatoris ſumma poteſtate, ſapientia, & bonitate effectum eſt, ità etiam, niſi conditis rebus perpetua eius prouidentia adeſſet, atque eadem vi, qua ab initio conſtitutę ſunt, illas conſeruaret, ſtatim ad nihilum reciderent. Sap. 11.

ALIA REGVLA.

Non ſolùm autem Deus vniuerſa quæ ſunt, ſua prouidẽtia tuetur atque adminiſtrat, verùm etiã quæ mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ità impellit, vt quantunuìs ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, pręueniat tamen, cùm eius occultiſsima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodùm Sapiens teſtatur, Attingat à fine vſque ad finem fortitèr, & diſponat omnia ſuauiter. Sap. 8.

EPILOGVS.

Atque hæc de primi Articuli explicatione ſatis fuerint, ſi tamen illud etiam admonuerimus, creationis opus omnibus ſanctę & indiuiduę Trinitatis perſonis commune eſſe. Nam hoc loco, ex Apoſtolorum doctrina, patrem creatorem cæli & terrę confitemur: in ſcripturis ſacris legimus de filio, Omnia per ipſum facta ſunt, Ioan. 1. & de ſpirituſancto, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, Geneſ. 1. & alibì, Verbo Domini cęli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, Pſal. 32.

ARTICVLVS II.

ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM eius vnicum, Dominum noſtrum.

CONTINVATIO.

Cvm igitur ex altiſsimo concidiſſet noſtrum genus, ſubleuari indè, & in priſtinum locum reſtitui nullo modo poterat hominum aut angelorum viribus. Quarè reliquum erat illud ruinę & malòrum ſubſidium, vt Dei-filij infinita virtus, aſſumpta carnis noſtrę imbecillitate, infinitam tolleret peccati vim, & nos reconciliaret Deo ſanguine ſuo.

DE FILIO DEI, SECVNDA IN DIVINA TRINItate perſona: ſiue de generis humani redemptione.

TABVLA 7.

SECVNdam in Trinitate perſonam profitemur

- IESVM: *Proprium enim hoc nomen eſt eius, qui Deus & homo eſt, quod Saluatorem ſignificat, non quidem fortuitò, aut hominum iudicio & volūtate, ſed Dei conſilio & præcepto illi impoſitum. Quæ autem præterea nomina prædicta ſunt Dei filio diuinitus imponenda, ad vnum hoc, Ieſus, nomen referuntur. Cùm enim cætera ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipſum vniuerſæ ſalutis humanæ vim, rationemque complexum eſt.*
- *Chriſtum. quod vnctū ſignificat, ac honoris & officij nomē eſt, nec vnius rei proprium, ſed cōmune multorum. Nam*
  - *Veteres illi patres noſtri Chriſtos appellabant*
    - *Sacerdotes, qui populum aſsiduis precibus Deo commendant, qui ſacrificia Deo faciunt, qui pro populo deprecantur.*
    - *Reges, quibus populorum gubernatio commiſſa eſt: ad eoſque pertinet maximè legū authoritatem tueri, & nocentium audaciā vlciſci.*
    - *Quos De⁹ propter muneris dignitatem vngi præceperat.*
    - *Prophetas etiam vngendi mos fuit, qui Dei immortalis interpretes & internuncij, cæleſtia arcana nobis aperuerunt, atque ad emendandos mores, ſalutaribus præceptis & futurorum prædictione hortati ſunt.*
  - *Et Ieſus Chriſtus Saluator noſter cū in mundū venit, triū perſonarū partes & officia ſuſcepit:*
    - *Prophetæ, qui nos Dei voluntatem docuit, & à cuius doctrina orbis terrarum patris cæleſtis cognitionem accepit.*
    - *Sacerdotis, non quidem ex ordine, ex quo in veteri lege Leuiticæ tribûs ſacerdotes extiterunt, verùm ex illo, de quo Dauid Propheta cecinit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſal. 109.*
    - *Regis,*
      - *Qui, vt angelus teſtatus eſt, regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Luc. 1.*
      - *Quod quidem Chriſti regnum, ſpirituale eſt atque æternum, in terriſq́; inchoatur, in cælis perficitur.*
      - AC *regis quidem officia admirabili prouidentia ſuæ præſtat Eccleſiæ, ipſe eam regit, ipſe ab hoſtium impetu atque inſidijs tuetur, ipſe ei leges præſcribit: ipſe non ſolùm ſanctitatem & iuſtitiam largitur, verùm etiam ad perſeuerandum facultatem & vires præbet.*
    - *Atque ob eas cauſas Chriſt⁹ dictus eſt vnctus, ad illorum munerū functionem.*
- *Filium eius vnicum: quibus verbis oſtenditur, Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei, verum Deum, & verum hominem, genitum quidem vt Deum, ante omnium ſeculorum ætates ex patre: vt hominem verò, natum in tempore ex Maria virgine: & quanquàm duplicē eius natiuitatem agnoſcamus, vnum tamen filium eſſe credimus. Vna enim perſona eſt, in quā diuina & humana natura conuenit.*
- *Dominū noſtrum. Multa in ſacris literis de Saluatore noſtro dicūtur, quorum alia habet à natura*
  - *Diuina: vndè verè dicimus Chriſtum eſſe omnipotentem, æternum, immenſum.*
  - *Humana: vndè de illo dicimus, paſſum, mortuum & ſepultum eſſe, & reſurrexiſſe.*
  - *Vtraque, vt hoc loco, cùm dn̄m noſtrum dicimus: & hoc, quia*
    - *Patri eſt æqualis.*
    - *Redemptor noſter fuit, atque à peccatis nos liberauit.*

SVMMA.

Hoc igitur credendum eſt, filium eiuſdem eſſe naturę, eiuſdem poteſtatis & ſapiētię cum patre vt in Symbolo Niceno explicatiùs continetur. inquit enim: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.

ARTICVLVS III.

QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITVSANcto, Natus ex Maria virgine.

CONTINVATIO.

Maximo quidem & ſingulari beneficio humanum genus à Deo affectum eſſe,qui nos è duriſſimi tyranni ſeruitute in libertatem vindicârit,ex ijs quæ ſuperiori articulo declarata ſunt,intelligere fideles poſſunt. At verò ſi conſilium etiam & rationem,qua potiſſimùm id efficere voluit,nobis ante oculos ponamus: profectò nihil diuina in nos beneficentia ac bonitate illuſtrius, nihil magnificentius eſſe videbitur.

DE INCARNATIONE CHRISTI.

TABVLA 8.

QVI

- *Conceptus eſt*
  - *In vtero virginis,*
  - *Non ex virili ſemine,*
  - *Sed ſupra omnem naturæ ordinem, Spiritusſancti virtute.*
- *De Spiritu ſancto: in qua conceptione tria ſunt expendenda.*
  - *Primum, cùm dicimus Dei filium Spiritusſancti virtute conceptum eſſe, vnã hanc diuinæ Trinitatis perſonam, incarnationis myſterium non confeciſſe, ſed tres illas perſonas omnes, eius fuiſſe authores, iuxta illam Chriſtianæ fidei Regulam: Omnia quæ Deus extra ſe in rebus creatis agit, tribus perſonis communia eſſe, neque vnam magìs quàm aliam, aut vnam ſine alia agere.*
  - *Secundum: ſolent tamen ſacræ literæ earum rerũ, quæ omnibus perſonis communes ſunt, aliam alijs tribuere. Nam*
    - *Patri* / *Filio* / *Spiritui ſancto* — *Adſcribunt* —
      - *Summã omnium rerum poteſtatem,*
      - *Sapientiam,*
      - *Amorem.*
  - *Tertium: in hoc myſterio effecta ſunt quædam*
    - *Supra naturæ ordinem, quòd ſimul atque beata virgo Angeli verbis aſſentiẽs dixit, Eccè ancilla Domini, fiat mihi ſecũdùm verbum tuum, ſtatìm ſanctiſſimum Chriſti corpus formatum, eique anima rationis compos coniuncta eſt: atque ità in ipſo temporis articulo perfectus Deus & perfectus homo fuit.*
    - *Naturæ vi, quòd ex puriſſimo virginis matris ſanguine Chriſti corpus formatum credimus, in eoq; naturam agnoſcimus humanam: cùm illud omnium hominum corporibus commune ſit, vt ex matris ſanguine formentur.*
- *Eſt homo factus*
  - *Ea ratione, quam mente nobis aſſequi non licet, nedùm verbis explicare.*
  - *Ob eum finem, vt nos homines filij Dei renaſceremur.*
- *Natus ex Maria virgine,*
  - *Sine vlla maternæ virginitatis diminutione, quo modo*
    - *Poſteà ex ſepulcro clauſo & obſignato egreſſus eſt, atq; ad diſcipulos clauſis ianuis introiuit.*
    - *Solis radij concretam vitri ſubſtantiam penetrant, neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt.*
  - *Egenus, & vt peregrinus in diuerſorio, in vili præſepio, media hyeme, Luc. 2.*

SVM.

SVMMA.

Hvivs Articuli hæc eſt ſentẽtia,eum ipſum Ieſum Chriſtum vnicum Dominum noſtrum,Dei filium,cùm pro nobis humanam carnem ſuſcepit in vtero virginis,non ex virili ſemine,vt alij homines,ſed ſupra omnem naturæ ordinem,Spirituſſancti virtute conceptum eſſe,ità vt eadem perſona Deus permanens,quod ex æternitate erat,homo fieret,quod antè non erat.

INCARNATIONIS FILII DEI MYSTERIVM, QVANTO pietatis ſtudio ſit recolendum, Regula Prima.

Devs carnis noſtrę humilitatem & fragilitat. ſubire voluit, vt humanum genus in altiſſimo dignitatis gradu collocaretur: quòd homo fuerit,qui idem verus & perfectus Deus ſit.

REGVLA II.

Cavendvm eſt,nè maximo noſtro malo eueniat, vt quemadmodùm illi in diuerſorio Bethleem locus,vbì naſceretur,defuit: ità etiam,quandò iam in carne non naſcitur, locum in cordibus noſtris inuenire non poſſit,vbi in ſpiritu naſcatur.

REGVLA.

Vt ille Spirituſſancti virtute, ſupra naturæ ordinem homo factus, & natus eſt, ſanctuſque, atque ideò ſanctitas ipſa fuit: ità nos oportet non ex ſanguinibus,neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo naſci,ac deindè velutì nouam creaturam,in nouitate Spiritûs ambulare,ſanctitatem illam ac mentis integritatem cuſtodire,quæ homines ſpiritu Dei regeneratos maximè decet.

ARTICVLVS IIII.

PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVcifixus,mortuus,& ſepultus.

CONTINVATIO.

Hoc Articulo velutì fundamento quodam,Chriſtiana Religio & fides nititur,eoque poſito,reliqua omnia rectè conſtituta ſunt.Nam ſi quid aliud humanę menti & intelligẽtię difficultatem affert,certè crucis myſterium,omnium difficilimum exiſtimandum eſt, vixque percipi à nobis poteſt,ſalutem noſtram ex cruce ipſa,& ex eo,qui pro nobis ligno illi affixus eſt,pendere.

DE PASSIONE CHRISTI.

TABVLA 9.

PASſus eſt Chriſtus

- CORPORE. *Nam captus,irriſus,varijs iniuriarum & cruciatuum generibus affectus,demum in crucem ſublatus eſt.*
- ANIMA, *quod ad inferiorem eius partem attinet. Nam quòd humanam naturam verè aſſumpſit,neceſſè eſt fateri,etiam animo grauiſſimum dolorem ſenſiſſe. Quanuìs enim perſonæ diuinæ,humana natura coniuncta fuit,tamen propter eam coniunctionem nihilominùs paſſionis acerbitatem ſenſit,quàm ſi ea coniunctio facta non fuiſſet,cùm in vna Chriſti perſona,vtriuſque naturæ diuinæ & humanæ, proprietates ſeruatæ ſint: Atque idcircò, quod erat paſſibile & mortale, paſſibile & mortale permãſit: rursùs verò,quod impaſſibile & immortale erat,qualem eſſe diuinam naturam intelligimus, ſuam proprietatem retinuit.*
- EO *tempore,quo Pontius Pilatus Iudæam prouinciam procuraret: Quod hoc loco ideò tam diligenter obſeruari videmus,*
  - *Vt tantæ rei, & tam neceſſariæ cognitio exploratior omnibus eſſe poſſit.*
  - *Ac vt ijs verbis declaretur, illam Saluatoris prædictionem exitu comprobatam eſſe: Tradent,inquit,eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Matth. 20.*

DE MOR-

DE MORTE CHRISTI.

TABVLA 10.

QVOD IEſum mortuum eſſe dicimus,

- ID *ſignificamus, eius animam à corpore diuiſam eſſe, neque tamen concedimus diuinitatem ſeiunctã à corpore, quin potiùs conſtãter credimus & cõfitemur, animam eius à corpore diuiſa, diuinitatem tum corpori in ſepulcro, tum animæ apud inferos coniunctam ſemper fuiſſe.*
- SED *illud in Chriſto Domino ſingulare fuit, quòd tunc mortuus eſt, cùm ipſe mori decreuit, Iſa. 53. & locum & tempus in quo moreretur, ipſe ſibi conſtituit, Ioan. 10.*

DE GENERE MORTIS.

TABVLA 11.

GENVS HOC *mortis, id eſt, crucis, à Saluatore delectũ eſt: vel*

- QVIA *ad humani generis redemptionem aptius atq; accommodatius videretur, quemadmodùm certè nullum turpius atque indignius eſſe potuit.*
- VT *vndè mors oriebatur, indè vita reſurgeret. Serpens enim, qui in ligno primos parentes vicerat, victus eſt à Chriſto in ligno crucis.*

DE CHRISTI SEPVLTVRA.

TABVLA 12.

QVòD *Chriſtum ſepultum fuiſſe confitemur,*

- HOC *quidem veluti Articuli pars non conſtituitur, quòd nouam aliquam difficultatem habeat, præter ea, quæ iam de morte dicta ſunt. Nam ſi Chriſtum mortuum credimus, facilè etiam nobis perſuaderi poteſt, eum ſepultum eſſe. Verùm hoc additum eſt, primùm, vt minùs dubitare de morte liceat, cùm maximo argumento ſit, aliquem mortuum eſſe, ſi eius corpus ſepultum probemus: deindè, vt reſurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat.*
- *Neq; verò*
  - *Hoc ſolum credimus, Chriſti corpus ſepultum eſſe.*
  - *Sed*
    - *Illud præcipuè, Deum ſepultum eſſe. nam cùm diuinitas nunquàm diuiſa fuerit à corpore, quod in ſepulcro conditum eſt, rectè confitemur Deum ſepultum eſſe.*
    - *Deindè hoc loco duo inprimis ſunt obſeruanda:*
      - *Alterum, Chriſti corpus in ſepulcro nulla ex parte corruptum eſſe: de quo propheta ità vaticinatus erat: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Pſalm. 15.*
      - *Alterum eſt, quod ad omnes huius articuli partes pertinet, ſepulturam ſcilicet, paſſionẽ etiam, & mortem Chriſto Ieſu, vt homini, non vt Deo conuenire. nam pati, & mori, in humanam tantùm naturam cadunt: quanuìs Deo etiam hæc omnia tribuãtur, quoniam de illa perſona, quæ ſimul perfectus Deus, perfectus homo fuit, rectè dici perſpicuum eſt.*

EXHOR-

EXHORTATIO AD CONTEMPLATIONEM Paſſionis Dominicæ.

VTINAM verò hæc myſteria in animis noſtris aſſiduè verſentur, & vnà cum Domino pati, & mori, & ſepeliri diſcamus, vt deindè, abiecta omni ſorde peccati, ad nouam vitam cum illo reſurgentes, aliquandò tádem ipſius gratia & miſericordia, digni ſimus qui cæleſtis regni & gloriæ participes efficiamur.

QVAE RES IN HAC CONTEMPLATIONE potiſſimùm ſint ſpectandæ. TABVLA 13.

IN CHRIſti Paſſiõe hæc maximè ſunt conſideranda:

- *Quis ille ſit, qui hæc omnia patitur: atque vt vno verbo complectamur, patitur Ieſus Chriſtus, Deus & homo: patitur creator pro ijs, quos ipſe condidit: patitur Dominus pro ſeruis: patitur is, per quem Angeli, homines, cæli, elementa facta ſunt: ille, inquam, in quo, per quem, & ex quo ſunt omnia.*
- *Quanta fuerit Paſſionis huius acerbitas. Quod ſic æſtimatur:*
  - *Ac primùm quidem, nulla fuit eius corporis pars, quæ grauiſſimas pœnas non ſenſerit.*
  - *Præterea omnium & generum & ordinum homines conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius. Pſal. 2.*
  - *Iam verò in cruce ipſa acerbitatem'ne, an ignominiam, an vtrunq; ſimul queremur? Augebat verò pœnarum magnitudinem ipſa Chriſti Ieſu corporis conſtitutio & habitus, quod quanto cæteris fuit perfectius & temperatius, eo acriorem ſentiendi vim habuit.*
- *Ob quam cauſam paſſus fuerit Chriſtus, ſi quis quærat, hanc potiſſimam fuiſſe inueniet, præter hæreditariam labem primorum parentum, vitia & peccata, quæ homines à mundi origine, vſque ad hanc diem admiſerunt, ac deincèps vſque ad conſummationem ſeculi admiſſuri ſunt.*
- *In quem finem hæc omnia pati voluerit, ex quo colligũtur paſſionis hu⁹ commoda.*
  - *Primùm igitur Domini Paſſio, peccati liberatio fuit.*
  - *Deindè, à dæmonis tyrannide nos eripuit.*
  - *Pœnam præterea peccatis noſtris debitam perſoluit.*
  - *Tum verò quia nullum gratius & acceptius Deo ſacrificium offerri potuit, Patri nos reconciliauit, eumque nobis placatum & propitium reddidit.*
  - *Poſtremò, quoniam peccata ſuſtulit, cælorum etiam aditum, communi generis humani peccato interclusum, nobis patefecit.*
  - *Verùm præter hæc immenſa beneficia, illud etiam maximum conſecuti ſumus, vt in hac vna paſſione, omnium virtutum clariſſima exempla habeamus, Patientiæ, humilitatis, charitatis, manſuetudinis, obedientiæ, conſtantiæ &c. Vt verè dicere poſſimus, Saluatorem noſtrum, quæcunque vitæ præcepta toto prædicationis ſuæ tempore verbis nos docuit, ea omnia vno paſſionis die in ſeipſo expreſſiſſe.*

ARTICVLVS V.

DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE

reſurrexit à mortuis.

CONTINVATIO.

MAXIMÈ quidem refert nôſſe gloriam ſepulturæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, de qua proximè dictum eſt. Sed plùs intereſt fidelis populi, cognoſcere illuſtres triumphos, quos ex deuicto diabolo & ſpoliatis inferorum ſedibus deportauit.

DE DESCENSV AD INFEROS.

TABVLA 14.

IN HOC primo Articuli quinti membro, tria inprimis conſiderari debent:

- *Quàm varia ſit vocis, inferni, ſignificatio. Nam inferorum nomen hoc loco non pro ſepulcro accipitur, ſed abdita illa ſignificat receptacula, in quibus animæ detinẽtur, quæ cæleſtem beatitudinẽ non ſunt conſecutæ. Neq; tamẽ ea receptacula vnius & eiuſdẽ generis ſunt omnia.*
  - *Eſt enim teterrimus & obſcuriſſimus carcer, vbi perpetuò & inextinguibili igne damnatorum animæ ſimul cum immundis ſpiritibus torquentur, qui etiam gehenna, abyſſus, & propria ſignificatione infernus vocatur.*
  - *Præthereà eſt purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ, expiantur, vt eis in æternam Patriam ingreſſus patère poſſit, in quam nihil coinquinatum ingreditur, Apoc. 21.*
  - *Tertium poſtremò receptaculi genus eſt, in quo animæ ſanctorum ante Chriſti Domini aduentum excipiebantur: ibique ſine vllo doloris ſenſu, beata redemptionis ſpe ſuſtentati, quieta habitatione fruebantur. Horũ igitur piorum animas, qui in ſinu Abrahæ Saluatorem expectabãt, Chriſtus Dominus ad inferos deſcendens liberauit.*
- *Quæ differẽtia ſit inter deſcenſum Chriſti & aliorum. Differt autem bifariàm:*
  - *Primò:*
    - *Cæteri enim omnes captiui deſcenderant,*
    - *Ipſe verò inter mortuos liber & victor, ad profligandos dæmones, à quibus illi ob noxam incluſi & conſtricti tenebantur, deſcendit.*
  - *Prætereà*
    - *Alij omnes, qui deſcenderunt, partìm pœnis acerbiſſimis torquebantur: partìm verò, vt alio doloris ſenſu carerent, tamẽ Dei adſpectu priuati, & ſpe beatæ gloriæ, quam expectabant, ſuſpenſi torquebantur.*
    - *At Chriſtus Dominus deſcendit, nõ vt aliquid pateretur, verùm vt ſanctos & iuſtos homines, ex miſera illius cuſtodiæ moleſtia liberaret, eiſque paſſionis ſuæ fructum impartiret.*
- *Quibus de cauſis Chriſtus ad inferos deſcenderit. Quarum*
  - *Prima eſt, vt ereptis dæmonum ſpolijs, ſanctos illos Patres, cæteroſque pios è carcere liberatos, non ſolùm qui poſt aduentum Domini in lucem editi erant, ſed qui illum poſt Adam anteceſſerant, ſecũ adduceret in cælum: vel qui vſque ad finem ſeculi futuri ſunt, paſſionis ſuæ beneficio dignos redderet.*
  - *Eſt illa prætereà cauſa, cur deſcẽderit ad inferos Chriſtus Dominus, vt ibi etiam quemadmodùm in cælo & in terris, vim ſuam poteſtatemque declararet, & omninò, vt in nomine eius omne genu flecteretur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Philip. 2.*

SVMMA.

IN priori parte hoc nobis credendum proponitur, Chriſto iam mortuo, eius animam ad inferos deſcendiſſe, ibique tam diù manſiſſe, quàm diù eiuſdem corpus in ſepulcro fuit.

REGV-

REGVLA I.

EADEM Chriſti perſona,eodem tempore & apud inferos fuit,& in ſepulcro iacuit: propterea quod, quamuis anima à corpore diſceſſerit,nunquàm tamen diuinitas vel ab anima, vel à corpore ſeparata eſt.

REGVLA II.

VERÙM &ſi Chriſtus ad inferos deſcendit,nihil de eius ſumma poteſtate detractum eſt: neque eius ſanctitatis ſplendor macula aliqua adſperſus,cùm potiùs hoc facto, veriſſima eſſe omnia, quæ de illius ſanctitate celebrata erant, eumque filium Dei eſſe, quemadmodùm anteà tot prodigijs declarauerat,apertiſſimè comprobatum ſit.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI à mortuis. TABVLA 15.

VERÙM vt huius Articuli vim & ſenſū meliùs pſpiciamus, tria nobis inueſtigāda & cognoſcēda ſunt:

- *Primùm quidē, quarè neceſſe fuerit Chriſtum reſurgere: quod ideò factum confitemur,*
  - *Vt Dei iuſtitia oſtenderetur,à quo maximè decebat eum extolli,qui vt illi obtemperaret,depreſſus,atque omni ignominia affectus erat.*
  - *Præterea, vt fides noſtra confirmaretur, ſine qua hominis iuſtitia conſtare non poteſt.*
  - *Deindè, vt ſpes noſtra aleretur, atque ſuſtentaretur. Cùm enim Chriſtus reſurrexerit,certa ſpe nitimur, fore vt nos etiam reſurgamus: ſiquidem membra capitis ſui conditionem conſequantur neceſſe eſt.*
  - *Poſtremò,vt ſalutis & redemptionis noſtræ myſterium abſolueretur. Chriſtus enim morte ſua nos à peccatis liberauit: reſurgens verò, præcipua nobis bona reſtituit,quæ peccando amiſeramus.*
- *Deindè,quæ à reſurrectiōe Chriſti exempla petere debeamus, nempe duo, quorum*
  - *Alterum eſt,vt, poſtquàm peccati maculas eluimus,nouum vitæ genus inſtituamus,in quo morum integritas, innocentia, ſanctitas, modeſtia,iuſtitia,beneficentia,humilitas eluceat.*
  - *Alterum eſt,vt in eo vitæ inſtituto ità perſeueremus,vt,adiuuante Domino, à iuſtitiæ via, quam ſemèl ingreſsi fuerimus, non excidamus.*
- *Quantū vtilitatis Domini reſurrectio fidelibus attulerit. Nam*
  - *In reſurrectione Deum eſſe immortalem, plenum gloria, mortis & diaboli victorē,agnoſcimus,quod de Chriſto Ieſu ſine vlla dubitatione credendum & confitendum eſt.*
  - *Deindè Chriſti reſurrectio nobis etiam corporis reſurrectionem peperit,tum quia eius myſterij cauſa efficiens fuit,tum quia ad Domini exemplum reſurgere omnes debemus.*
  - *In ſumma: hoc maximè reſurrectione ſua Dominus effecit,vt qui anteà vnà cum illo peccatis & huic ſeculo mortui eramus, cum illo etiam ad nouam vitæ inſtitutionem & diſciplinam reſurgeremus.*

SVMMA.

POSTQVÀM Chriſtus Dominus ſexta feria,hora diei nona,in cruce ſpiritum emiſit,& eadem die veſperè ſepultus eſt ab eius diſcipulis,qui Pilati præſidis permiſſu,corpus Domini è cruce depoſitum,in propinqui horti monumentum nouum intulerunt: tertio à morte die, qui fuit Dominicus,ſummo manè illius anima corpori iterùm coniuncta eſt.

NECESSITAS.

HVIVS Articuli fidem cùm D. Auguſtinus admiraretur,ità ſcripſit: Non magnum eſt, credere quia mortuus eſt Chriſtus: hoc & pagani,& Iudæi,& omnes iniqui credunt: hoc omnes credunt quia mortuus eſt. Fides Chriſtianorum,reſurrectio Chriſti eſt: hoc pro magno habemus,quia credimus eum reſurrexiſſe.

REGVLA I.

SED reſurrectionis voce non illud ſolùm intelligendum eſt, Chriſtum à mortuis excitatū eſſe, quod multis alijs commune fuit,ſed ſua vi ac virtute reſurrexiſſe, quod proprium in illo fuit & ſingulare.

REGVLA II.

QVIN illud etiam præcipuum Chriſti fuit,quòd ipſe primus omnium hoc diuino reſurrectionis beneficio affectus eſt,Ad Coloſſ.1.Apoc.1. Nam &ſi ante Chriſtum multi alij à mortuis excitati ſint, omnes tamen ea conditione reuixerunt,vt eis iterùm moriendum eſſet:at Chriſtus Dominus ità reſurrexit, morte ſubacta & oppreſſa,vt mori ampliùs non poſſit.

REGVLA III.

NEC id prętereundum eſt,quòd tertia die Chriſtus reſurrexiſſe dicitur. Vt enim diuinitatem ſuam declararet,reſurrectionem ad finem ſeculi differre noluit: Rursùs verò,vt eum verè hominem,vereque mortuū eſſe crederemus,non ſtatìm poſt mortem,ſed tertio die reſurrexit,quod temporis ſpatium ad veram mortē comprobandam ſatis eſſe videbatur.

ARTICVLVS VI.

ASSCENDIT AD CAELOS, SEDET AD DEXTEram Dei Patris omnipotentis.

CONTINVATIO.

DE Chriſto Ieſu illud etiam fideles ſine vlla dubitatione credere oportet, eum perfecto iam & abſoluto redemptionis noſtrę myſterio,vt homo eſt,in cęlum corpore & anima aſſcendiſſe: nam vt Deus eſt, nunquàm ab eo abſuit,vt qui diuinitate ſua loca omnia compleat.

DE ASSCENSIONE CHRISTI. TABVLA 16.

HIC *Articulus duabus cōſtat ſententijs:*

- *Aſſcēdit ad cælos: Quib⁹ verbis exprimitur:*
  - MODVS *aſſcenſionis, quo docemur*
    - *Aſſcendiſſe Chriſtum ſua virtute, non aliena vi ſublatum, quēadmodùm Elias, qui igneo curru in cælum euectus eſt, 4. Reg. 2.*
    - *Neque verò ſolùm vt Deum præpotenti diuinitatis virtute in cælos aſſcendit, ſed etiam vt homo eſt.*
  - *Cauſæ ꝓpter quas Chriſtus Dominus in cælos aſſcendit.*
    - *Primùm enim aſſcendit, propterea quòd eius corpori, quod immortalitatis gloria in reſurrectione donatum fuerat, nō terrenæ huius & obſcuræ habitationis locus, ſed altiſſimum & ſplendidiſſimum cæli domicilium conueniret.*
    - *Deindè, vt regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo, re ipſa comprobaret.*
    - *Sed illud etiam Dn̄s noſter in cælū aſſcendens efficere voluit, vt nos eum aſſcendentē mente & deſiderio proſequeremur, & in cælū nos cogitatione conferamus.*
    - *Aſſcendit etiam in cælum ex Apoſtoli ſententia, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, & apud Patrem Aduocati officio fungatur. Heb. 9. 1. Ioan 2.*
    - *Parauit deniq; nobis locum, quod etiam ſe facturum promiſerat, atq; omniū noſtrûm nomine caput ipſe Ieſus Chriſtus venit in cæleſtis gloriæ poſſeſſionem.*
  - *Effectus ſiue cōmoda aſſcenſionis Chriſti.*
    - *Primùm enim fidei noſtræ merito maximus cumulus acceſſit. Nam fides earū rerū eſt, q̄ ſub adſpectum non cadunt, atq; ab hominū ratione ac intelligentia remotæ ſunt.*
    - *Præterea ad confirmandam ſpem in cordibus noſtris magnum habet momentum. Indè enim in magna ſpe ſumus, fore vt nos etiam eius membra illuc aſſcendamus, atque ibi cum capite noſtro coniungamur.*
    - *Deindè hoc quoq; vel maximum beneficium conſecuti ſumus, quòd amorem noſtrū ad cælum rapuit, ac diuino ſpiritu inflammauit.*
    - *Accedit etiam, quòd in terris domum ſuam, id eſt, Eccleſiam amplificauit, quæ Spiritûs ſancti virtute & ductu gubernaretur, varia dans hominibus dona, ſecundùm menſuram donationis ſuæ.*
    - *Ad extremum verò, Chriſti aſſcenſus, non ſolùm veluti exemplar nobis propoſitus eſt, quô altè ſpectare, & ſpiritu in cælum aſſcendere diſcamus, ſed diuinam etiam virtutem, qua id efficere poſſimus, largitus eſt.*
- *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Quibus verbis vtimur ad explicādam Chriſti gloriam, quā vt homo præ cæteris omnibus adeptus eſt, eumq; in Patris dexterā eſſe confitemur. Sedere autē, hoc loco non ſitum & figuram corporis ſignificat, ſed eam regiæ, ſummæq; poteſtatis ac gloriæ firmam & ſtabilem poſſeſſionem, quam à patre accepit, declarat. Quam gloriā adeò conſtat propriam & ſingularem Dn̄i eſſe, vt cuiuis alij creatæ naturæ conuenire non poſſit. Ad quem enim Angelorum dixit aliquandò, Sede à dextris meis? Heb. 1.*

REGVLA

REGVLA I.

In huius Articuli explicatione illud primùm obſeruare oportebit,cætera omnia myſteria ad aſſcenſionem, tanquàm ad finem,referri,in eoque omnium perfectionem & abſolutionem contineri.

REGVLA II.

Praetereà alia Symboli capita, quæ ad Chriſtum Dominum pertinent, ſummam eius humilitatem & contemptionem oſtendunt. At verò quòd eum ſuperiori articulo à mortuis reſurrexiſſe,nunc verò in cælum aſſcendiſſe,& ad Dei Patris dexteram ſedere confitemur, nihil ad eius ſummam gloriam diuinamque Maieſtatem declarandam,magnificentius dici aut admirabilius poteſt.

ARTICVLVS VII.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE viuos & mortuos.

CONTINVATIO.

Tria ſunt Domini noſtri Chriſti ad ſuam Eccleſiam decorandam & illuſtrandam inſignia officia & munera: redemptionis,patrocinij,& iudicij.cùm autem ſuperioribus Articulis ab eo genus humanum paſſione & morte redemptum eſſe,aſſcenſuetiam in cælum,noſtram cauſam & patrocinium in perpetuum ſuſceptum conſtet,ſequitur,vt eius iudicium hoc articulo declaretur.

DE IVDICIO EXTREMO.

TABVLA 17.

INDè

- *Venturus eſt, Act.1. Sacræ autem literæ duos filij Dei aduentus eſſe teſtãtur:*
  - *Alterum,cùm ſalutis noſtræ cauſa carnem aſſumpſit, & homo in virginis aluo effectus eſt.*
  - *Alterum,cùm in conſummatione ſeculi,ad iudicandos omnes homines veniet: & is vocatur dies Domini,quæ ſicut Fur veniet.1.Theſſal.5.*
  - *De die autem illa & hora nemo ſcit.Mar.13.*
  - *Signa tamen, quæ ſcriptura iudicium hoc anteceſſura teſtatur,tria ſunt præcipua:*
    - *Prædicatio Euangelij in vniuerſo orbe.Matth.24.*
    - *Diſceſſio,* } *2.ad Theſſalon.2.*
    - *Antichriſtus.* } *2.ad Theſſalon.2.*
- *Iudicare viuos & mortuos: Act.10. In quo iudicio tria ſunt conſideranda:*
  - *Primò,duo obſeruanda ſunt tempora,in quibus vnicuiq; neceſſe eſt in conſpectum Domini venire, & ſingularũ cogitationum, actionũ, verborum deniquè omnium rationem reddere, demumque iudicis præſentem ſubire ſententiam:*
    - *Primum eſt,cùm vnuſquiſq; noſtrûm migrat è vita. nam ſtatìm ad Dei tribunal ſiſtitur, ibiq; de omnibus iuſtiſſima quæſtio habetur,quæcunq; aut egerit,aut dixerit,aut cogitârit vnq̃. Atque hoc priuatum vocatur iudicium.*
    - *Alterum verò,cùm vno die atque vno in loco omnes ſimul homines ad tribunal iudicis ſtabunt, vt omnibus omnium ſeculorum hominibus inſpectantibus & audientibus,ſinguli,quod de ipſis decretum & iudicatũ fuerit, cognoſcant:hoc autem generale iudicium appellatur.*
  - *Deindè forma.Quæ autem iudicij forma & ratio futura ſit,cùm ex Danielis oraculis, tum ex Sanctorum Euangeliorum & Apoſtoli doctrina, facile erit cognoſcere.*
  - *Poſtremò ſententia, quæ à Iudice pronuncianda ſit:*
    - *Chriſtus enim Saluator noſter, lætis oculis pios à dextris ſtantes intuens, ità de illis iudicium ſumma cum benignitate pronunciabit,Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum,quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.Matth.25.*
    - *Deindè ad eos qui à ſiniſtra ſtabunt,conuerſus,ſuam iuſtitiam in eos effundet his verbis:Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius.*
      - *Ex quibus verbis Theologi duplicem colligunt pœnam:*
        - *Damni vnam, qua damnati, priuãtur adſpectu Dei.ibi,Diſcedite.*
        - *Alteram ſensûs,quòd ſenſu corporis percipiatur. ibi, In ignem æternum.*

SVMMA.

Hvivs Articuli ea vis eſt & ratio, ſummo illo die Chriſtum Dominum de vniuerſo hominum genere iudicaturum eſſe. Hęc autem veritatis formula, iurè vna ex duodecim fidei Chriſtianæ articulis conſtituta eſt, vt ſi quorum animi in prouidentia & iuſtitia Dei nutarent, huius doctrinæ ratione confirmarentur.

REGVLA I.

Verùm Chriſto Domino non ſolùm vt Deo, ſed etiam vt homini hoc iudicium datum eſſe, ſacræ literæ declarant. Quanuis enim iudicandi poteſtas omnibus ſanctæ Trinitatis perſonis communis ſit: præcipuè tamen filio eam tribuimus, quòd ipſi quoquè ſapientiam conuenire dicimus.

REGVLA II.

Decebat autem maximè, à Chriſto Domino hoc iudicium exerceri, vt, cùm de hominibus decernendum eſſet, illi corporeis oculis iudicem videre, & auribus ſententiam, quæ proferebatur, audire poſſent, & omninò iudicium illud ſenſibus percipere.

REGVLA III.

Ac prætereà æquiſſimum erat, vt homo ille qui iniquiſſimis hominum ſententijs condemnatus fuerat, omnium deindè iudex ſedere ab omnibus conſpiceretur.

APPENDIX.

DE NECESSITATE IVDICII GENERALIS: QVAE CAVSA fuerit, cur præter priuatum de ſingulis, alterum etiam de vniuerſis hominibus iudicium exerceretur.

CAVSA PRIMA.

Cvm vel ipſis hominibus mortuis interdùm ſuperſtites ſint filij Parentum imitatores, reliqui ſint libri, diſcipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores, ac propugnatores: quibus rebus ipſorum mortuorum præmia, & pœnas augeri neceſſè eſt, cùm hæc vel vtilitas vel calamitas, ad plurimos pertinens, non priùs finem habitura ſit, quàm extremus veniat mundo dies, æquũ erat de vniuerſa hac rectè, aut perperàm factorum dictorumque ratione perfectam quæſtionem haberi, quod fieri non poterat, niſi facto communi omnium hominum iudicio.

SECVNDA CAVSA.

Accedit etiam, quòd, cùm piorum fama ſæpè lædatur, impij verò innocentiæ laude commendentur: diuinæ iuſtitiæ ratio poſtulat, vt pij ereptam iniuria apud homines exiſtimationem in publico vniuerſorum hominum conuentu & iudicio recuperent.

CAVSA TERTIA.

Deindè verò boni & mali homines quæcunque in vita egérunt, cùm non ſinè corporibus egerint, omninò ſequitur, vt benefacta ſiue malefacta ad corpora etiam pertineant, quæ actionum ipſarum inſtrumentum fuerunt.

QVARTA CAVSA.

Postremò, quoniam in aduerſis, & ſecundis hominum rebus, quæ promiſcue nõnunquàm bonis & malis eueniunt, probãdum erat, nihil non infinita Dei ſapientia & iuſtitia geri ac gubernari, par fuit, non ſolùm bonis præmia, improbis ſupplicia in futuro ſeculo cõſtitui, verùm etiam publico ac generali iudicio decerni, quo omnibus notiora & illuſtriora fierent, atque vt Deo iuſtitiæ & prudentiæ laus ab omnibus tribueretur, pro iniuſta illa querela, qua ſancti etiam viri deplorari interdùm, vt homines, ſolebant, cùm improbos valentes opibus, & honoribus florentes, animaduerterent.

EPILOGVS.

Atqve ſic propoſito iudicio pios recreari, implos terreri oportebat, vt cognita Dei iuſtitia, illi nè deficerent, hi à malis, æterni ſupplicij metu atque expectatione, reuocarentur.

2. COR. 5.

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.

ECCLESIASTICI 7.

In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.

ARTICVLVS VIII.

CREDO IN SPIRITVMSANCTVM.

CONTINVATIO.

HACTENVS, quæ ad primam & ſecundam ſanctæ Trinitatis perſonam pertinebant, quantùm propoſiti argumenti ratio poſtulare videbatur, expoſita ſunt: ſequitur nunc, vt illa etiam, quæ in ſymbolo de tertia perſona, hoc eſt, de ſpiritu ſancto traduntur, explicentur.

DE SPIRITVSANCTO, TERTIA SANCTISſimæ Trinitatis perſona, ſiue de ſanctificatione Eccleſiæ, TABVLA 18.

HVIVS Articuli explicatio cōſiſtit in

- *Nominis notione, quod eſt*
  - *Commune etiam* { *Patri & Filio* } *vterq; enim &* { *Spiritus eſt, & Sanctus.* }
  - *Propriũ Spiritui ſancto nomen tributũ non eſt, cùm eius productio, ſpiratio & pceſſio appelletur. procedit enim à* { *Patre & Filio.* } *Tanq̃ ab vno prĩcipio æterna pceſſione, & tertia dicitur in Trinitate perſona.*
- *Vt intelligamus ſpiritumſanctum æquè àc patrem, & Filium, Deum eſſe, eidem æqualem, æquè omnipotentem, æternum, & infinitæ perfectionis, ſummum bonum ac ſapientiſſimũ, eiuſdemq́; cum Patre & Filio naturæ: id cùm pluribus ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, tum communi probatur baptizandi formula, In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Si enim pater Deus eſt, & filius Deus, omninò fateri cogimur, etiam Spiritumſanctum, qui cum eis pari honoris gradu coniungitur, Deum eſſe.*
- *Cognitione effectuũ. Habet enim ſpiritusſanctus quoſdã admirabiles effectus, et ampliſſima munera, quorũ pcipuos & maximè pprios effectus Eſa. 11. Prophetiæ ſuæ cap. enumerat ſeptem, Spiritum videlicet* { *Sapientiæ, Intellectûs, Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Timoris Dñi.* } *Hæc Spiritûs ſancti dona vocatur, ex quibus Chriſtianæ vitæ pcepta haurimus, ſentireq́; poſſumus, an Spiritusſanctus in nobis ſit.*

REGVLA.

PROINDE, quæcunque bona & beneficia à Deo in nos collata ſunt, (quid autem habemus, quod à Deo, vt inquit Apoſtolus, non accepimus? 1. Cor. 4.) ea nobis ſpiritûs ſancti conceſſu & munere data eſſe, pio & grato animo agnoſcere debemus.

EPILOGVS.

VERVM præ cæteris eius ampliſsimis muneribus, gratia illa prædicanda eſt, quę nos iuſtos facit, ſignatque ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hęreditatis noſtrę. Hæc enim mẽtem noſtram arctiſsimo amoris vinculo Deo iungit: ex quo fit, vt ſummo pietatis ſtudio accenſi, nouã vitam inſtituamus, ac naturę diuinę participes effecti, filij Dei nominemur, & verè ſimus. 1. Ioan. 3.

ARTICVLVS IX.

CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOlicam, Sanctorum Communionem.

CONTINVATIO.

PENDET hic à ſuperiori: quia cùm iam demonſtratum ſit, ſpiritumſanctum omnis ſanctitatis fontem & largitorem eſſe, nunc ab eodem Eccleſiam ſanctitate donatam confitemur.

DE ECCLESIA CATHOLICA.

TABVLA 19.

Hic Articulus complectitur

- **Sanctam eccleſiam Catholicã: quæ**
  - **Dicitur**
    - *Domus & ædificium Dei, 1. Timoth. 3.*
    - *Grex ouium Chriſti, quarum ille oſtiũ eſt.*
    - *Sponſa Chriſti, 2. Cor. 11. ad Epheſ. 5.*
    - *Corpus Chriſti, ad Epheſ. 1. ad Coloſ. 2.*
    - *Et hæc ſingula plurimùm valent ad fideles excitandos, vt ſe dignos immenſa Dei clementia & bonitate præbeant, qui eos, vt populus Dei eſſent, elegit.*
  - *Significat Eccleſia euocationem: verùm ſcriptores poſteà vſurpârunt pro concilio & concione. Eſt, vt ait S. Auguſtinus, populus fidelis, per vniuerſum orbem diſperſus.*
  - **Differt ab**
    - *Alijs rebus publicis.*
      - *Illæ enim humana ratione & prudentia nituntur.*
      - *Hæc autem, Dei ſapientia: vocauit enim nos*
        - *Intimo quidem ſpiritusſancti afflatu, qui hominum corda aperit.*
        - *Extrinſecùs autem, Paſtorum & prædicatorum opera ac miniſterio.*
    - *Synagoga, id eſt, congregatione populi fidelis olim ſub lege poſiti. Nã, vt docet Auguſtinus,*
      - *Hoc ei nomen impoſitum eſt, quia pecudum more, quibus magìs congregari conuenit, terrena & caduca tantùm bona ſpectaret:*
      - *Chriſtianus verò populus, meritò non ſynagoga, ſed Eccleſia dicitur: quia terrenis & mortalibus rebus cõtemptis, cæleſtes & æternas tantummodò conſectatur.*
  - **Diuiditur in**
    - *Triumphantem, quæ eſt cætus ille clariſſimus & feliciſſimus beatorum ſpirituum & eorum qui de mundo, de carne, de iniquiſſimo dæmone triumphârunt, & ab huius vitæ moleſtijs, liberi ac tuti, æterna beatitudine fruuntur.*
    - *Militantem, quæ eſt cætus omnium fidelium, qui adhuc in terris viuũt: & ideò militans vocatur, quòd illi cum immaniſſimis hoſtibus, mundo, carne, ſatana perpetuum ſit bellum. In qua duo ſunt hominum genera:*
      - *Bonorum, qui non ſolùm fidei profeſſione, & communione ſacramentorum, ſed etiam ſpiritûs gratia, & charitatis vinculo inter ſe coniuncti & colligati ſunt.*
      - *Improborum, qui eorundem quidem ſacramentorum participes, eandem quoquè quam boni fidem profitentur, & vita ac moribus ſunt diſſimiles.*
  - **Notas ſeu proprietates habet quatuor: vt ſit**
    - *Vna: Nam vna, inquit, eſt columba mea, vna eſt ſpecioſa mea. Cant. 6.*
    - *Sancta, vel*
      - *Quòd Deo conſecrata dedicataque ſit.*
      - *Quia veluti corpus cum ſancto capite Chriſto Domino, totius ſanctitatis fonte, coniungatur.*
    - *Catholica, id eſt, vniuerſalis: quoniam à ſolis ortu vſque ad occaſum, vnius fidei ſplendore diffunditur. Auguſtinus.*
    - *Apoſtolica: Etenim ſpiritusſanctus qui Eccleſiæ præſidet, primùm quidẽ Apoſtolis tributus eſt: deindè verò ſumma Dei benignitate, ſemper in Eccleſia manſit.*
- **Sanctorũ communionem, hoc eſt,**
  - *Societatem ſanctorum, ad quam nos inuitat D. Ioannes Euangeliſta: Vt & vos, inquit, ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto, 1. Ioan. 1. Eſt autem hic articulus non ſolùm quædam reinterpretatio ſuperioris, doctrinaq́ vberrimorum fructuum, ſed etiam quis vſus myſteriorum eſſe debeat, quæ ſymbolo continentur, declarat. Vnitas enim ſpiritûs, quo Eccleſia Catholica regitur, efficit, vt quidquid in eam collatum eſt, commune ſit.*
  - *Communionem*
    - *Sacramentorũ, quibus fideles veluti ſacris vinculis Chriſto connectuntur.*
    - *Donorũ*
      - *Non eorum tantùm, q̃ homines charos Deo ac iuſtos reddunt.*
      - *Sed gratiæ etiã gratis datæ, vt ſunt, ſciẽtia, Prophetia, donum linguarũ ac miraculorũ.*
    - **Quibus fruũtur**
      - *Qui in charitate vitam Chriſtianam degunt, iuſtiq́ & chari Deo ſunt.*
      - *Mẽbra verò mortua, fructũ eorũ ſpirituale nõ percipiũt, tametſi huius corporis membra eſſe non deſinunt.*

QVI

QVI HOMINES A CATHOLICA EXCLVdantur Eccleſia. TABVLA 2C.

AB ECcleſia excludũtur

- *Tria tãtummodò hominum genera:*
  - *Primò quidem Ethnici & infideles, quòd in Eccleſia nunquàm fuerũt, neq; eam vnquàm cognouerunt, nec vllius ſacramenti participes in populi Chriſtiani ſocietate facti ſunt.*
  - *Deindè verò hæretici atq; ſchiſmatici, qui ab eccleſia deſciuerunt.*
    - *Neque enim illi magìs ad Eccleſiam ſpectant, quàm tranſfugæ ad exercitum pertineant, à quo defecerunt.*
    - *Non negandum tamen, quin in Eccleſiæ poteſtate ſint, vt qui ab ea in iudicium vocentur, puniantur, & anathemate damnentur.*
  - *Poſtremò etiam excommunicati, quòd Eccleſiæ iudicio ab ea excluſi, ad illius communionem non pertineant, donèc reſipiſcant.*
- *De cæteris autem, quamuìs improbis & ſceleratis hominibus, adhuc eos in Eccleſia perſeuerare dubitandum non eſt, idq; fidelibus tradendum aſsiduè: vt ſi fortè Eccleſiæ Antiſtitum vita flagitioſa ſit, eos tamen in Eccleſia eſſe, nec propterea quidquam de eorum poteſtate detrahi certò ſibi perſuadeant.*

ARTICVLVS X.

REMISSIONEM PECCATORVM.

CONTINVATIO.

HVNC articulum, non ſolùm diuinum aliquod myſterium, etiam ad ſalutem comparãdam maximè neceſſarium continere, ſatis illud indicat, quòd Saluator noſter paulò ante aſſcenſum in cælum, de ea re teſtatus eſt, cùm diſcipulis ſenſum aperuit, vt intelligerent ſcripturas: Oportebat, inquit, Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hieroſolyma. Luc. 24.

DE REMISSIONE PECCATORVM. TAB. 21.

ARTIculi huius ſumma hæc eſt, in Eccleſia catholica reperiri

- *Non ſolùm remiſsionẽ peccatorum, in qua tria maximè ſunt ſpectanda:*
  - *Cuius virtutis ſit, peccata remittere. Conſtat enim ab vno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium authorem, quàm ad ſummam eius bonitatem, & potentiam tam munificum opus referendum eſſe. Ego ſum, inquit ipſe Dominus per prophetam, qui deleo iniquitates tuas. Iſai. 43.*
  - *Qua ratione Deus clementiſsimus pater, mundi peccata delere conſtituerit, ſanguine enim vnigeniti filij ſui, ſcelera noſtra expiari voluit, vt pœnam quam nos pro peccatis commeruimus, vltrò ille perſolueret, iuſtusq; pro iniuſtis damnaretur, innocens pro reis morte acerbiſsima afficeretur.*
  - *Quibus veluti inſtrumentis hæc conferatur venia. Nam per ſacramenta ſolùm, ſi eorum forma ſeruetur, peccata remitti poſſunt: alitèr verò nullũ ius à peccatis ſoluendi Eccleſiæ datum eſt.*
- *Sed etiam poteſtatem peccata remittendi in ea eſſe: qua ſi ritè & ſecundùm leges, à Chriſto Dño præſcriptas, ſacerdotes vtantur, verè peccata remitti, & condonari credendũ eſt. Hoc verò admirabile & diuinum munus antequàm Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ impartitum eſt, ſed*
  - *Primus omnium Chriſtus Saluator noſter vt homo, cùm idem verus Deus eſſet, hoc munus à cæleſti patre traditum accepit.*
  - *Deindè Chriſtus eam poteſtatem epiſcopis & presbyteris in Eccleſia conceſsit: Accipite, inquit, ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20. Verùm Chriſtus ſua authoritate, cæteri vt Chriſti miniſtri, peccata dimittunt.*

REGV-

REGVLA I.

NEQVE verò exiſtimandum eſt,hanc poteſtatem certis quibuſdam peccatorum generibus definitam eſſe.Nullum enim tam nefarium facinus vel admitti, vel cogitari poteſt, cuius remittendi poteſtatem ſancta Eccleſia non habeat. Quemadmodùm etiam nemo adeò improbus & ſceleſtus fuerit,quem ſi erratorum ſuorum verè pœniteat,certa ei veniæ ſpes propoſita eſſe non debeat.

REGVLA II.

SED neque hæc eadem poteſtas ità circunſcribitur, vt præfinito ſolùm aliquo tempore ea vti liceat. Nam quacunque hora peccator ad ſanitatem redire voluerit, reijciendum nō eſſe docuit Saluator noſter Matth.18.

REGVLA III.

VERVM hoc loco admonendi ſunt fideles,nè tam ampla veniæ facultate propoſita, quam etiam nullius temporis termino definiri declarauimus,vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcēdum tardiores reddantur: in altero enim cùm iniurioſi & contumelioſi in hanc diuinam poteſtatem manifeſtè deprehendantur,indigni ſunt,quibus Deus miſericordiam ſuam impertiatur: in altero verò magnoperè verendum eſt,nè morte occupati, fruſtrà peccatorum remiſsionem confeſſi fuerint,quam tarditate & procraſtinatione meritò amiſerunt.

ARTICVLVS XI.

CARNIS RESVRRECTIONEM.

CONTINVATIO.

MAGNAM huius articuli vim eſſe ad fidei noſtræ veritatem ſtabiliendam,id maximè oſtendit, quòd diuinis literis non ſolùm credendus fidelibus proponitur, ſed multis etiam rationibus confirmatur.Quod quidem cùm in alijs ſymboli articulis vix fieri videamus,intelligi poteſt hoc veluti firmiſsimo fundamento ſalutis noſtræ ſpem nixam eſſe.Nā vt Apoſtolus ratiocinatur,Si mortuorum reſurrectio non eſt,neque Chriſtus reſurrexit: quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra,inanis eſt & fides veſtra.1.Cor.15.

DE CAR-

DE CARNIS RESVRRECTIONE.

TABVLA 22.

AD HVIVS articuli explicationē pertinent reſurrectionis

Definitio. Eſt autem reſurrectio, authore Damaſceno, ad eum ſtatum vndè cecideris, reuocatio: & inter præcipua Dei numeratur opera. Quemadmodùm enim omnia à Deo initio creationis perfecta fuerunt, ità etiam in reſurrectione futurum omninò affirmare oportet.

Significatio: Nam reſurrectio hominum, in hoc articulo carnis reſurrectio appellatur: vt duarum partium, animæ & corporis, quibus homo conſtat, alteram tantùm, nempe corpus, corrumpi, & in puluerem terræ, ex qua compactum eſt, redire, animam verò incorruptam manere intelligamus.

Differentia: Neque enim par omnium conditio eſt futura, ſed reſurgent:
- *Qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ:*
- *Qui verò mala egérunt, in reſurrectionem iudicij. Ioan. 5.*

Qualitas. Non enim corpus tantùm reſurget, ſed quidquid ad illius naturæ veritatem, atque ad hominis decus & ornamentum pertinet, reſtituendum eſt. Præclarum ea de re ſancti Auguſtini teſtimonium legimus: Nihil tunc vitij, inquit, in corporibus exiſtet: Qui enim vel ab ipſo ortu, oculis capti ſunt, vel ob aliquem morbum lumina amiſerunt, claudi atque omninò manci, & quibuſuis membris debiles, integro ac perfecto corpore reſurgent.

Cauſa finalis: Idcircò autem corpora excitanda ſunt, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. 2. Cor. 5.

Habebunt autem ſanctorum rediuiua corpora, inſignia quædam & præclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura ſint, quàm vnquàm anteà fuerint. Præcipua verò ſunt quatuor illa, quæ dotes appellantur, ex Apoſtoli doctrina à Patribus obſeruata. De quibus in ſequenti vide tabula.

DE DOTIBVS ANIMAE BEATAE.

TABVLA 23.

QVATVOR *dotes habebunt corpora rediuiua, quarum*

Prima eſt, impaſſibilitas, munus ſcilicet & dos, quæ efficit, nè moleſti aliquid pati, vllóve dolore aut incommodo affici queant.

Altera claritas, qua ſanctorum corpora, tanquàm ſol fulgebunt. quam Apoſtolus interdùm gloriam, ad Philip. 3. modò claritatem appellat, 1. Cor. 15. Eſt verò claritas hæc fulgor quidam, ex ſumma animæ felicitate ad corpus redūdans, ità vt ſit quædam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur.

Tertia eſt illa, quam agilitatem vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur: facilimeq́ in quancunq́ partem anima voluĕrit, ità moueri poterit, vt ea motione nihil celerius eſſe queat.

Quarta ea eſt, quæ vocatur ſubtilitas: cuius virtute corpus animæ imperio omninò ſubijcietur, eiq́ ſeruiet, & ad nutum præſtò erit. Seminatur enim corpus animale, inquit Apoſtolus, ſurget corpus ſpirituale. 1. Cor. 15.

DE RE-

DE RESVRRECTIONIS FRVCTIBVS.

TABVLA 24.

INTER FRVctus, qui ex reſurrectionis articulo capiuntur, ſunt ij:

Quòd in eorum morte, qui nobis neceſſitudine vel beneuolentia coniuncti ſunt, facilè tum alios, tum noſipſos conſolabimur.

In omnibus etiam alijs ærumnis & calamitatibus, futuræ reſurrectionis cogitatio, ſummam nobis doloris leuationem afferet.

Prætereà hoc plurimùm valebit ad perſuadendum fidelibus populis, vt rectam vitam, integram, ab omniq́ prorsùs peccati labe puram, agere quàm diligentiſſimè curent.

Contrà verò nulla res maiorem vim habitura eſt ad comprimendas animi cupiditates, hominesq́ à ſceleribus auocandos, quàm ſi ſæpiùs admoneantur, quibuſnam malis & cruciatibus improbi afficiendi ſunt, qui extremo illo die procedent in reſurrectionem iudicij.

ARTICVLVS XII.

ET VITAM AETERNAM.

CONTINVATIO.

SANCTI Apoſtoli duces noſtri, Symbolum, quo fidei noſtrę ſumma continetur, ęternę vitę articulo claudi & terminari voluerunt: tum quia poſt carnis reſurrectionem nihil aliud fidelibus expectandum eſt, niſì ęternę vitę pręmium: tum verò, vt perfecta illa felicitas, & bonis omnibus cumulata, nobis ſemper ante oculos verſaretur, doceremurq́ue in ea mentem & cogitationes noſtras omnes defigendas eſſe.

DE VITAE AETERNAE PRAEMIO, ET gloria beatorum: & primùm, quid eo nomine intelligatur.

TABVLA 25.

VITA AETERNA, cuius gloriam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, 2. Cor. 2. dicitur

Interdùm quidem Regnum Dei, Chriſti, cælorum, Paradiſus, ſancta ciuitas, noua Hieruſalem, domus patris: perſpicuum tamen eſt, nullum ex ijs ad eius magnitudinem explicandam ſatis eſſe. Altior enim & præſtantior quædam res eſt vitæ huius felicitas, quàm vt proprio vocabulo perfectè ſignificare eius rationem poſſimus.

Hoc loco non magìs perpetuitatem vitæ, cui etiam dæmones, ſceleratiq́ homines addicti ſunt, quàm in perpetuitate beatitudinem, quæ beatorum deſiderium expleat, ſignificat.

QVI-

QVIBVS IN REBVS VERA CONSISTAT beatitudo ſiue felicitas.

TABVLA 26.

CONSIſtit hæc felicitas in

- *Malorum liberatione: Non enim eſurient beati, neque ſitient ampliùs, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus, Apocal. 7. Sed abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quæ prima abiêrunt, Apocal. 21.*
- *Bonorũ adeptione. Qua in re illa diſtinctione vti oportebit, quã à grauiſſimis diuinarũ rerum ſcriptoribus accepimus. Ij enim duo bonorum genera eſſe ſtatuũt, quorum alterum*
  - *Ad beatitudinis naturam pertinet, quæ quidem eſſentialis dicitur beatitudo, & in eo ſita eſt, vt Deum videamus, eiusq́ pulchritudine fruamur, qui eſt omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium. Hæc eſt vita æterna, inquit Chriſtus Dominus, vt cognoſcãt te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: Quam ſententiam ſanctus Ioannes videtur interpretari, cùm ait: Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Significat enim beatitudinem ex ijs duobus conſtare:*
    - *Tum quòd Deum intuebimur, qualis in natura ſua ac ſubſtantia eſt.*
    - *Tum quòd veluti dij efficiemur. Nam qui illo fruuntur, quanuis propriã ſubſtãtiam retineant, admirabilem tamẽ quandam & propè diuinam formã induunt, vt dij potiùs, quàm homines videantur.*
  - *Ipſam beatitudinem conſequitur, quæ bona acceſſoria dicuntur. Ad illam enim accedunt quædam ornamenta communia, quæ quoniam ab humana ratione minùs remota ſunt, vehementiùs quoquè animas noſtras commouere & excitare ſolent. Huius generis ea ſunt, de quibus Apoſtolus ad Romanos videtur intelligere: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonũ. Infinita verò eſſet omnium oblectationũ enumeratio, quibus beatorum gloria cumulata erit: ac ne cogitatione quidem fingere eas poſſumus.*

QVIBVS REBVS VITA AETERNA SIT comparanda.

ADQVIRITVR ab hominibus, ſi fide & charitate inſtructi, & in oratione & ſacramentorum ſalutari vſu perſeuerantes, ad omnia benignitatis officia in proximos ſe exerceant. Ità enim Dei miſericordia fiet, qui beatam illam gloriam diligentibus ſe præparauit, vt aliquandò impleatur, quod dictum eſt per prophetam: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Eſa. 32.

REGVLA I.

SED tamen hoc fidelibus perſuaſum eſſe debet, quæcunq; nobis iucunda in hac vita contingere, vel etiam optari queant, ſiue ea ad mentis cognitionem, ſiue ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copijs beatam cæleſtium vitam circunfluere.

REGVLA II.

HOMINES Chriſtiani etiam hîc ſpe beati meritò dicentur, ſi abnegantes impietatem ac ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè vixerint in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Tit. 2.

PARS SECVNDA CATECHISMI CATHOLICI DE SACRAmentis. Et primùm de eorum numero. TABVLA 27.

Catholicæ igitur Eccleſiæ Sacramenta, quemadmodùm ex ſcripturis probatur, & patrum traditione ad nos peruenit, & conciliorum teſtatur authoritas, ſeptenario numero definita ſunt. Cur autem neq; plura, neque pauciora numerentur, ex ijs etiam rebus, quæ per ſimilitudinem à naturali vita ad ſpiritualem transferuntur, probabili quadam ratione oſtendi poterit.

HOMInis enim ad viuēdum, vitamq́; cōſeruādam & ex ſua reiq́; publicæ vtilitate traducendā, hæc 7. neceſſaria videntur:

- *Vt ſcilicet in lucem edatur.*
- *Augeatur.*
- *Alatur.*
- *Si in morbum incidat, ſanetur.*
- *Imbecillitas virium reficiatur.*
- *Vt magiſtratus nūquàm deſint, quorum authoritate & imperio regatur.*
- *Vt legitima ſobolis propagatiōe ſeipſum & humanum genus conſeruet.*

Quibus reſpōdere vidētur

- *Baptiſmus, veluti cæterorum ianua, quo Chriſto renaſcimur.*
- *Confirmatio, cuius virtute fit, vt diuina gratia augeamur & roboremur.*
- *Euchariſtia, qua tanquàm cibo verè cæleſti, ſpiritus noſter alitur & ſuſtinetur.*
- *Pœnitentia, cuius ope ſanitas amiſſa reſtituitur, poſtquàm peccati vulnera accepimus.*
- *Extrema vnctio, qua peccatorū reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur.*
- *Ordo, quo publica ſacramentorum miniſteria perpetuò in Eccleſia exercendi, ſacrasq́; omnes functiones exequendi poteſtas traditur.*
- *Matrimonium, quo ex maris & fœminæ legitima & ſancta coniunctione, filij ad Dei cultum & humani generis conſeruationem procreentur, & religioſè educentur.*

QVID referat, numerum tenere ſacramentorum.

Quæ quidem cognitio hanc vtilitatem affert, quòd populus eo maiori pietate omnes animi ſui vires ad laudandam & prædicandam Dei erga nos ſingularem beneficentiam conuertet, quo plura ſalutis ac beatæ vitæ adiumenta, nobis diuinitus parata eſſe intellexerit.

DE DVPLICI SACRAMENTORVM definitione. TABVLA 28.

DEFInitio Sacramenti, eſt alia

- *Nominis,*
  - *Nam profani authores ſacramenti nomine obligationem illam ſignificari voluerunt, cùm iurati aliquo ſeruitutis vinculo obſtringimur, ex quo iuſiurādum, quo ſe milites fidelem operam reip. præſtaturos pollicentur, ſacramentum militare dictum eſt.*
  - *Verùm apud Latinos Patres, qui res diuinas ſcriptis tradiderunt, Sacramēti nomen aliquam rem ſacram, quæ in occulto latet, declarat, quemadmodùm Græci ad eandem rem ſignificandam, myſterij vocabulo vſi ſunt.*
- *Rei.*
  - *Sacramentum enim, teſte Auguſtino, eſt ſignum rei ſacræ: vel vt alijs verbis, in eandem tamen ſententiam, dictum eſt: Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.*
  - *Item Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.*

DE SIGNIS ET REBVS SIGNATIS, SIVE DE ſignorum & rerum ſignatarum qualitate atq; differentia. TABVLA 29.

RERVM *omniũ quæ ſenſibus p-cipiuntur, duo ſunt genera. Aliæ enim*

- *Ob id inuentæ ſunt, vt aliquid ſignificent, vt ſcriptura, vexilla, imagines, tubæ, & alia huiuſcemodi pmulta. Atque hæc propriè appellantur ſigna, quorum dicuntur alia*
  - *Naturalia, quæ præter ſe ipſa alterius rei notitiã in animis noſtris gignunt, veluti fumus, ex quo ſtatim ignem adeſſe intelligitur.*
  - *Conſtituta atq; ab hominibus inuenta ſunt, vt & colloqui inter ſe, & alijs animi ſui ſenſa explicare, viciſſimq; aliorum ſententiam & conſilia poſſint cognoſcere, quorum nonnulla ad oculorum, pleraq; ad aurium ſenſum, reliqua ad cæteros ſenſus pertinent.*
  - *Diuinitus data, in quibus tria ſunt cõſiderãda:*
    - *Primò ſigna quædã à Deo hominibus commendata ſunt & inſtituta,*
      - *Vt aliquid tantùm ſignificarent, vel admonerent, cuiuſmodi fuerunt legis purificationes, panis azymus, & alia permulta.*
      - *Vt non ſignificandi modò, ſed efficiendi etiam vim haberent. Quo in genere ſacramenta nouæ legis numeranda ſunt.*
    - *Deindè hæc myſtica ſigna non ſolùm ſanctitatem & iuſtitiã noſtram, ſed prætereà duo alia cũ ipſa ſanctitate coniuncta declarant: videlicet*
      - *Chriſti redemptoris paſſionẽ, quæ ſanctitatis cauſa eſt.*
      - *Vitam æternã, cæleſtemq; beatitudinem, ad quam ſanctitas noſtra tãquàm ad finem referri debet.*
    - *Poſtremò, vnicuique ſacramentorum triplicem ſignificãdi vim ineſſe ſacri doctores tradiderunt: tum quia*
      - *Alicuius rei præteritæ memoriam afferat.*
      - *Aliam præſentem indicet ac demonſtret.*
      - *Aliam futuram prænunciet.*
- *Non alterius rei ſignificandæ, ſed ſua tantùm cauſa effectæ ſunt: quo in numero omnes penè res, quæ natura conſtant, haberi poſſunt. Quòd verò ad propoſitam ſacramenti definitionem attinet, diuinarum rerum ſcriptores, ſacræ rei nomine Dei gratiam, quæ nos ſanctos efficit, ac omnium diuinarum virtutum habitu exornat, demonſtrant: huic enim gratiæ propriam ſacræ rei appellationem tribuendam meritò putârunt, quippe cùm eius beneficio animus noſter Deo conſecretur & coniungatur.*

QVAE HVIVS DOCTRINAE DE SIGNORVM NAtura atque differentia ſit vtilitas.

NEQVE verò parùm proderit, ſi fidelis populus ſacramenta ad ſigna pertinere intellexerit: ità enim fiet, vt quæ illis ſignificantur, continentur atque efficiuntur, ſancta & auguſta eſſe faciliùs ſibi perſuadeat: cognitaque eorũ ſanctitate, ad diuinam erga nos beneficentiam colendam ac venerandam magis excitetur.

DE QVATVOR IN SACRAMENTIS obſeruandis.

TAB. 30.

IN SAcramentis obſeruanda eſt

- *Materia, quæ dicitur elementũ.*
- *Forma, quæ communi vocabulo verbum appellatur.*
  - *Nam ex his duobus quodlibet conficitur Sacramẽtum. Vndè D. Auguſtinus: Accedit verbum, inquit, ad elementum, & fit Sacramentum.*
- *Cauſa effectũ producẽs, quæ eſt duplex:*
  - *Principalis, Deus. Nam cùm Deus ſit qui homines iuſtos efficiat, ipſa verò ſacramenta iuſtitiæ adipiſcendæ mirifica quædam inſtrumenta ſint: patet, vnum eundemq́ Deum in Chriſto iuſtificationis & Sacramentorũ authorem agnoſcendum eſſe.*
  - *Velut inſtrumentalis, Miniſtri Eccleſiæ. Nõ minùs enim miniſtrorũ officio, quàm materia & forma ad ſacramenta conficienda opus eſt.*
    - *Atq; hi quidem miniſtri, quoniam in ſacra illa functione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerũt: ea re fit, vt, ſiue boni, ſiue mali ſint, modò ea forma & materia vtantur, quã ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia catholica ſeruauit, idq́ facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, verè ſacramenta conficiant & conferant.*
    - *Meminerint tamen ſacramentorum miniſtri, ſacramenta diuinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquàm amittere: at verò impurè ea adminiſtrãtibus, æternam perniciem & mortem adferre.*
- *Cauſa, cur ſacramenta inſtitui oportuerit. Plures aũt eius rei cauſæ numerari ſolẽt, quarum*
  - *Prima, eſt humani ingenij imbecillitas. Siquidem natura ità comparatum videmus, vt ad earum rerum notitiam, quæ mente atq; intelligentia comprehenſæ ſunt, niſi per ea, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemini adſpirare liceat.*
  - *Altera verò cauſa eſt, quòd animus noſter haud facilè commouetur ad ea, quæ nobis promittuntur, credenda. Quarè Chriſtus cùm nobis peccatorũ veniam, cæleſtem gratiam, & ſpiritûs ſancti communicatiõem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubiecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus, atque ità fidelem in promiſſis futurum, nunquàm dubitare poſſemus.*
  - *Tertia cauſa fuit, vt illa tanquàm remedia, vt ſcribit S. Ambroſius, atque euangelici Samaritani medicamenta, ad animarum ſanitatem vel recuperandam vel tuendam præſtò eſſent.*
  - *Sed quarta etiam cauſa accedit, cur ſacramentorũ inſtitutio neceſſaria videri poſſit: vt ſcilicet notæ quædã & ſymbola eſſent, quibus fideles internoſcerentur.*
  - *Prætereà aliam etiam iuſtiſſimam fuiſſe cauſam ſacramenta inſtituendi, ex illis Apoſtoli verbis: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, Rom. 10. oſtendi poteſt. Sacramentis enim fidem noſtram in hominum conſpectu profiteri, & notam facere videmur.*
  - *Magnam deindè vim habent Sacramenta, non ſolùm ad fidem in animis noſtris excitandam & exercendam, ſed etiam eam charitatem inflammandam, qua amare inter nos debemus, cùm arctiſſimo vinculo nos colligantes, & vnius corporis membra effectos eſſe, ex ſacrorum myſteriorum communione recordamur.*
  - *Poſtremò, quod in Chriſtianæ pietatis ſtudio plurimi faciendum eſt, humanæ mentis ſuperbiam edomant ac comprimunt, nosq́ ad humilitatem exercent, dum ſenſibilibus elementis ſubijcere nos cogimur, vt Deo obtemperemus, à quo anteà impiè defeceramus, vt mundi elementis ſeruiremus.*

DE SACRAMENTORVM DIFFERENTIIS.

TABVLA 31.

NOVAE *legis ſacramenta differunt à*

- *Sacramentis antiquæ legis,*
  - *Tum* — *Quòd in illis adminiſtrandis nulla, quòd quidem acceperimus, definita forma ſeruaretur: quo etiam fiebat, vt incerta admodùm & obſcura eſſent.*
    Noſtra verò formam verborum ità præſcriptam habẽt, vt ſi fortè ab ea diſcedatur, ſacramenti ratio conſtare non poßit: ob eamq́ue rem clarißima ſunt, ac nullum relinquunt dubitandi locum.
  - *Tum quòd* — *Illa veteris legis ſacramenta, cùm infirma eſſent, egenaq́ elementa, inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, nõ animæ. Quarè vt ſigna tantùm earum rerum, quæ myſterijs noſtris efficiendæ eſſent, inſtituta ſunt.*
    Hæc verò nouæ legis ſacramenta, ex Chriſti latere manantia, emundant conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendũ Deo viuenti, atque ità eam gratiam, quam ſignificant, Chriſti ſanguinis virtute operantur.
- *Seipſis, & hoc duobus modis:*
  - *Neceßitate. Ex his enim tria præ cæteris ſunt neceſſaria.* — *Baptiſmum enim vnicuiq; ſine vlla adiunctione neceſſarium eſſe Saluator his verbis declarauit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3.*
    Pœnitentia verò illis tantummodò neceſſaria eſt, qui ſe poſt baptiſmum aliquo mortali peccato, obſtrinxerunt.
    Ordo prætereà etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen Eccleſiæ omninò neceſſarius eſt.
  - *Dignitate, quæ ſi in ſacramentis ſpectetur, Euchariſtia ſanctitate & myſteriorum numero ac magnitudine, longè cæteris antecellit.*

DE SACRAMENTORVM EFFECTIBVS.

TABVLA 32.

DVO *præcipuè ſacramẽtorum numerantur effectus:*

- *Ac principem quidem locum meritò gratia illa obtinet, quam vſitato à ſacris doctoribus nomine iuſtificãtem vocamus. ità enim Apoſtolus apertißimè nos docuit, cùm inquit, Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & ſeipſum tradidiſſe pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, Ad Epheſ. 5.*
- *Alter verò ſacramentorum effectus eſt, Character, quem animæ imprimunt. Character autem*
  - *Deſcribitur à D. Paulo his verbis: Vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritûs in cordibus noſtris, 1. Cor. 1.*
    Eſt veluti inſigne quoddam animæ impreſſum, quod deleri nunquàm poteſt, eiq́ perpetuò inhæret.
  - *Præſtat hoc*
    - *Tum, vt apti ad aliquid ſacri ſuſcipiendum vel peragendum efficiamur:*
    - *Tum, vt aliqua nota alter ab altero internoſcatur.*
  - *Proprius triũ eſt ſacramentorum, videlicet* — *Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis.* — *Nam hæc tria tantùm ſacramenta characterem imprimunt, neque vllo vnquàm tempore iteranda ſunt.*

DE CAEREMONIIS, IN SACRAMENTOrum adminiſtratione adhibendis TABVLA 33.

MERITO QVIDEM à primis vſque eccleſiæ têporibus illud ſemper ſeruatum eſt, vt ſacramenta ſolennibus quibuſdam cæremonijs adminiſtrarêtur.

- *Primùm enim maximè decuit, ſacris myſterijs eum religionis cultum tribuere, vt ſancta ſanctè tractare videremur.*
- *Præterea, quæ ſacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animos fidelium altiùs imprimunt.*
- *Deindè verò mentes illorum, qui eas intuentur & diligenter obſeruant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemq́ in eis & charitatem excitant.*

REGVLA

Cæremoniæ tametſi prætermitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſsitas cogat: tamen ſi quandò omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera ſacramenti ratione imminui credendum eſt.

DE SACRAMENTORVM VENERATIONE & vſu. TAB. 34.

IN SAcramêtorum explicatione duo potiſsimum efficienda ſunt:

- *Primum eſt, vt fideles intelligant, quanto honore & cultu & veneratione hæc diuina & cæleſtia munera digna ſint.*
- *Alterû verò, vt quoniâ à clementiſsimo Deo ad communem omniû ſalutem propoſita ſunt, ijs piè & religiosè vtâtur: quod futurum eſt, ſi diligenter expendant,*
  - *Primùm, à Domino Saluatore noſtro, à quo nihil niſi perfectiſsimum proficiſci poteſt, inſtituta eſſe.*
  - *Præterea, cùm adminiſtrantur, Spirituſſancti, intima cordis noſtri permeantis, efficaciſsimum numen præſtò eſſe.*
  - *Deindè, admirabili & certa curandarum animarû virtute prædita eſſe.*
  - *Tum, per ea immenſas illas Dominicæ Paſsionis diuitias ad nos deriuari.*
- *Poſtremò verò conſiderandum etiam illud eſt, totum Chriſtianum ædificium firmiſſimo quidem lapidis angularis fundamento inniti: verùm niſi verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum vſu vndiquè fulciatur, magnoperè verêdum eſſe, nè magna ex parte labefactatum concidat. Vt enim per Sacramenta in vitam ſuſcipimur, ita hoc veluti pabulo alimur, conſeruamur, augemur.*

REGVLA.

Omnibus Sacramentis hoc commune eſt, vt per illa virtus Paſsionis Chriſti Domini communicetur.

DE BAPTISMI SACRAMENTO, AC PRIMVM

de vera huius Myſterij ſignificatione. TABVLA 35.

Baptiſmi natura & ſubſtantia explicatur

- *Ex ipſius vocis ſignificatione, quam Græcam eſſe nemo ignorat: Porrò*
  - *Etſi in ſacris literis non ſolùm eam ablutionem, quæ cum Sacramento coniuncta eſt, ſed etiam omne ablutionis genus, quod aliquandò ad paſſionem tranſlatum eſt, ſignificat.*
  - *Tamen apud Eccleſiæ ſcriptores, non quamuis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum Sacramento coniungitur, nec ſine præſcripta verborum forma miniſtratur: qua quidem ſignificatione Apoſtoli ex Chriſti Domini inſtituto frequentiſſimè vſi ſunt.*
  - *Alia quoq; nomina ad eãdem rem ſignificandã S. Patres vſurpârũt. Nam Diuus*
    - *Auguſtinus*
    - *Chryſoſtomus*
    - *Dionyſius*

    appellauit baptiſmum
    - *Sacramentum fidei, quòd illud ſuſcipientes, vniuerſam Chriſtianæ religionis fidem profiteantur.*
    - *Tum*
      - *Expurgationem, veteris videlicet fermenti.*
      - *Chriſti*
        - *Sepulturam,*
        - *Plantationem,*
        - *Crucem.*
    - *Principium ſanctiſſimorum mandatorum, quòd veluti ianua ſit, qua in Chriſtianæ vitæ ſocietatem ingredimur.*
  - *Alij, quia fide corda noſtra illuminantur, quam in baptiſmo profitemur, hoc Sacramentum illuminationem vocârunt. nam & Apoſtolus ita inquit ad Heb. 10. Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, tempus nimirùm quo baptizati erant, ſignificans.*
- *Definitione rei. Etſi verò multæ ex ſacris ſcriptoribus afferri poſſunt, illa tamen aptior & commodior eſſe videtur, quam ex verbis Domini apud Ioannem, & Apoſtoli ad Epheſios, licet intelligere. Nam cùm Saluator dicat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei: Et Apoſtolus, cùm de Eccleſia loqueretur, Mundans eam lauacro aquæ in verbo: itá fit, vt rectè & appoſitè definiatur, Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Vndè ſentiendum eſt, hoc Sacramentũ confici ablutione, cui ex Domini Saluatoris inſtituto certa & ſolennia verba neceſſariò adhibentur, quemadmodum ſemper ſancti Patres docuerunt, quod apertiſſimè illo D. Auguſtini teſtimonio demonſtratur: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*
- *Declaratione materiæ & formæ, quæ in ſequentibus continentur tabulis.*

DE MATERIA BAPTISMI.

TABVLA 36.

MATERIA, SIVE ELEmentum huius Sacramenti, *eſt omne naturalis aquæ genus, ſiue ea maris ſit, ſiue fluuij, ſiue paludis, ſiue putei aut fontis, quæ ſine vlla adiunctione aqua dici ſolet. Quantùm verò baptiſmi naturæ & virtuti conſentaneum fuerit, vt eius propria materia aqua inſtitueretur, ex his poteſt animaduerti:*

- *Quoniam hoc ſacramentum omnibus, ſine vlla exceptione, ad conſequendam vitam neceſſarium erat, idcircò aquæ materia, quæ nunquàm non præſtò eſt, atque ab omnibus facilè parari poteſt, maximè idonea eſt.*
- *Deindè aqua effectum baptiſmi maximè ſignificat: vt enim aqua ſordes abluit, ità etiam baptiſmi vim atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optimè demonſtrat.*
- *Accedit illud, quòd quemadmodùm aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur.*

DE BAPTISMI FORMA.

TABVLA 37.

BAPTISMI

- *Forma hæc eſt:*
  - *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti.*
  - *Apud Græcos hæc: Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine*
    - *Patris,*
    - *Et Filij,*
    - *Et Spiritûs S.*
- *Modus eſt triplex. Nã q hoc ſacramẽto initiari debẽt, vel*
  - *In aquã merguntur,*
  - *Aqua in eos infunditur,*
  - *Adſperſione aquæ tinguntur.*
  - *Ex his aũt ritibus q-cunq; ſeruetur,*
    - *Baptiſmum verè perfici credendum eſt.*
    - *Aqua enim in baptiſmo adhibetur, ad ſignificandam animæ ablutionem quam efficit. Quarè baptiſmum ab Apoſtolo lauacrum appellatur, ad Epheſ. 5.*
- *Duo diuerſa ſunt tempora:*
  - *Alterum, cùm Saluator eum inſtituit. tunc enim à Domino hoc ſacramẽtum inſtitutum eſſe perſpicitur, cùm ipſe à Ioanne baptizatus, ſanctificandi virtutem aquæ tribuit. Teſtantur enim ſancti Gregorius Nazianzenus & Auguſtinus, eo tempore aquæ vim generandi, in ſpiritualem ſcilicet vitam, datam eſſe.*
  - *Alterum, cùm lex de eo ſuſcipiendo ſancita eſt. Nam inter ſacros ſcriptores conuenit, poſt Domini reſurrectionem, cùm Apoſtolis præcepit, Euntes docete omnes gentes &c. ex eo tempore omnes homines, qui ſalutem æternam conſecuturi erant, lege de baptiſmo teneri cæpiſſe.*

QVI PROPRII SINT MINISTRI BAPTISMI.

TABVLA 38.

HVIVS *Sacramēti miniſtrorū triplex eſt ordo:*

- *Ac in primo quidem Epiſcopi & Sacerdotes collocandi ſunt, quibus datum eſt, vt iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate, hoc munus exerceant.*
- *Secundum miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi aut Sacerdotis conceſſu, non licere hoc Sacramentum adminiſtrare, plurima ſanctorum Patrum Decreta teſtantur.*
- *Extremus ordo illorū eſt, qui cogēte neceſsitate ſine ſolennibus cæremonijs baptizare poſſunt: nam hoc munus, cùm neceſsitas cogit, permiſſum eſt etiam*
  - *Laicis, Fœminis, Iudæis, Infidelibus, Hæreticis.*
  - *Si tñ*
    - *Id efficere eis ꝓpoſitum fuerit,*
    - *Quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit.*

Non tamē baptizare debet

- *Mulier, ſi mares adſunt.*
- *Laicus item præſente clerico.*
- *Tum clericus coram Sacerdote.*

HIS MINI- *ſtris ex vetuſtiſsima Eccleſiæ conſuetudine adhiberi ſolēt Patrini, qui olim ſuſceptores, ſponſores, ſeu fideiuſſores cōmuni vocabulo à rerū diuinarum ſcriptorib⁹ vocabantur. In quibus cōſiderātur hæc:*

- *Cauſa, cur ad baptiſmum præter Sacramenti miniſtros adiungerentur, hæc eſt: Vt enim in lucem editi, nutrice & pædagogo indigent: ità etiam neceſſè eſt, vt qui ex baptiſmi fonte Spiritualem vitam viuere incipiunt, alicuius fidei & prudentiæ committantur, à quo ad omnem pietatis rationem inſtitui poſsint.*
- *Officium, quod eſt, vt ſpirituales filios perpetuò commendatos habeant, atq; in ijs quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem pertinēt, curent diligenter, vt illi tales ſe in omni vita præbeant, quales eos futuros eſſe ſolenni cæromonia ſpoponderunt. Admonebunt autem eos ex ſententia D. Auguſtini, vt*
  - *Caſtitatem cuſtodiant,*
  - *Iuſtitiam diligant,*
  - *Charitatem teneant.*
  - *Et ante omnia, Symbolum & orationem Dominicam eos doceant.*
  - *Decalogum etiam, & quæ ſint prima Chriſtianæ religionis rudimenta.*
- *Numerus: Plures enim nè baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, ſed vt vnus tantùm ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummū vnus & vna, Tridentino Concilio ſtatutum eſt.*
- *Qui Patrini adſciſci debeant vel non: Præter parentes enim, quibus non licet eam curationem ſuſcipere, hæretici inprimìs, Iudæi & infideles, ab hoc munere omninò prohibendi ſunt: vt qui in ea cogitatione & cura ſemper verſentur, vt fidei veritatem mendacijs obſcurent.*

DE BA-

DE BAPTIZANDORVM QVALITATE ET DIFFErentia: & primùm de baptizandis adultis.

TABVLA 39.

BAPTIZANtur *Adulti, perfectum iam rationis vſum habentes, qui ſcilicet ab infidelibus oriuntur. Atq; hi quidem*

- *Primùm ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam cohortandi, alliciendi, inuitandi ſunt.*
- *Admonendi prætereà ſunt, nè vltra tempus ab Eccleſia præſcriptum, baptiſmi Sacramentum differant. Nam*
  - *Quo ſeriùs ad baptiſmum veniunt, eo diutiùs ſibi carendum eſſe cæterorum ſacramentorum vſu & gratia.*
  - *Deindè etiam maximo fructu priuari, quem ex baptiſmo percipimus.*
- *Ad certum tempus*
  - *Differendi ſunt, tribus de cauſis:*
    - *Primò, quoniam ab Eccleſia diligenter prouidendum eſt, nè quis ad hoc ſacramentum ficto animo accedat, voluntas eorum qui baptiſmum petunt, magìs exploratur atque perſpicitur.*
    - *Deindè, in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudiuntur perfectiùs.*
    - *Præstereà maior religionis cultus Sacramento tribuitur, ſi conſtitutis tãtùm Paſchæ & Pentecoſtes diebus, ſolenni cæremonia baptiſmum ſuſcipiant.*
  - *Non differendi, ſi*
    - *Vitæ periculum inſtare videatur.*
    - *Ac præſertim, ſi illi abluendi ſint, qui iam fidei myſteria plenè perceperint.*

DE BAPTISMO PARVVLORVM.

TABVLA 40.

ETIAM PVeros *infantes baptizandos eſſe, idq; ab apoſtolica traditione Eccleſiam accepiſſe, communis patrum ſententia & authoritas confirmat. Nam*

Primò credendum eſt, noluiſſe Chriſtum Dominum baptiſmi Sacramentum & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnũ cælorum. Matth. 19. Mar. 10.

Præstereà, cùm legimus totam aliquã familiam à Paulo baptizatam eſſe, ſatìs appáret, pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe, 1. Cor. 1.

Deindè circuncìſio, quæ figura fuit baptiſmi, eum morem maximè commẽdat. Pueros enim octauo die circuncidi ſolitos, nemo eſt qui ignoret.

Poſtremò, cùm per Adæ peccatum pueri ex origine noxam contraxerint: multo magìs per Chriſtum Dominum poſſunt gratiam & iuſtitiam conſequi, vt regenerentur in vitam: quod quidem ſine baptiſmo fieri nullo modo poteſt.

REGVLA.

Neque enim dubitare licet, quin fidei Sacramenta, cùm abluuntur, accipiant, non quia mentis ſuæ aſſenſione credant: ſed quia parentum fide, ſi parentes fideles fuerint: ſin minùs, fide (vt D. Auguſtini verbis loquamur) vniuerſæ ſocietatis Sanctorum muniuntur.

BAPTIZANDOS VT AFFECTOS ESSE oporteat. TABVLA 42.

QVI BAptizandi ſunt, ſic affecti eſſe debent,

Vt velint, propoſitumq́ illis ſit, baptiſmũ ſuſcipere. Neq; verò in pueris quoquè infantibus eã voluntatẽ deeſſe exiſtimãdum eſt, cùm Eccleſiæ voluntas, quæ pro illis ſpondet, obſcura eſſe nõ poſsit. Vbi notandum eſt, amentes & furioſos,

Qui cũ aliquandò compotes mentis eſſent, inſaniã deindè inciderunt, niſi vitæ periculũ immineat, & antequàm furere inciperent, voluntatis baptiſmi ſuſcipiendi ſignificationẽ dederunt, baptizandos non eſſe.

Quòd ſi in mentis poteſtate nunquàm fuerunt, eos in fide Eccleſiæ non ſecùs, àc pueros, baptizãdos eſſe, Eccleſiæ authoritas & conſuetudo ſatis declarat.

Præterea fides etiam, ad conſequendam Sacramenti gratiam maximè neceſſaria eſt, iuxta illud: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Marc. 16.

Deindè, vt quemlibet admiſſorum ſcelerum & malè actæ vitæ pœniteat, atque vt idem in poſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuat, opus eſt.

DE EXIMIIS BAPTISMI FRVCTIBVS.

TABVLA 42.

Effectus Baptiſmi ſunt ſaluberrimi, ijdemq́ue complures.

PRIMVS.

Ac primùm baptiſmi proprius effectus, eſt peccatorum omnium, ſiue originis vitio, ſiue noſtra culpa contracta ſint, remiſsio, cuius rei cauſa à Domino & Saluatore noſtro inſtitutum eſſe, clariſsimis verbis Apoſtolorum princeps, vt alia teſtimonia omittamus, explicauit, cùm inquit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum, Act. 2. Nam & ſi in baptizatis concupiſcentia, vel fomes remaneat: illa tamen verè peccati rationem non habet, ſed manet tantùm infirmitas: reatus autem concupiſcentiæ in baptiſmate ſoluitur.

SECVNDVS.

Iam verò, in baptiſmo non ſolùm peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam & ſcelerum pœnæ omnes à Deo benignè condonantur. Excepto tamen eo pœnarũ genere, quæ ciuilibus iudicijs ob graue aliquod ſcelus perſoluendæ ſunt, à quibus per baptiſmum nemo liberatur.

TERTIVS. TABVLA 43.

Efficit prætereà baptiſmus poſt huius vitæ curriculum, pœnarum omnium, quæ originale peccatum conſequũtur, liberationem: Siquidem merito mortis Domini factũ eſt, vt hæc conſequi poſſemus. Quòd ſi quærat aliquis, cur ſtatìm poſt baptiſmum, & in hac vita ad eum non reſtituamur gradum, in quo Adam fuerat collocatus? id quidem duabus potiſsimùm de cauſis factũ eſſe reſpondebitur: quarum

Prima eſt, quòd nobis, qui per baptiſmum Chriſti corpori coniuncti, atque eius membra effecti ſumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quàm ipſi capiti noſtro tributum eſſet.

Altera verò illa eſt, vt ſcilicet tanquàm ſegetem & materiam virtutis haberemus, ex qua deindè vberiorem gloriæ fructum, atque ampliora præmia conſequeremur.

Huc accedit, quòd ſi per baptiſmum, præter dona cæleſtia quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito poſſet, quin multi, præſentis potiùs vitæ commoda, quàm futuræ ſperatam gloriam conſectantes, ad baptiſmum venirent.

QVARTVS.

Neque ſolùm à malis, quæ verè maxima dicenda ſunt, huius ſacramenti virtute liberamur, verùm etiam eximijs bonis & muneribus augemur. Animus enim noſter diuina gratia repletur, qua iuſti & filij Dei effecti, æternæ quoquè ſalutis hæredes inſtituimur. Eſt autem gratia, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſsio, ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſasq́ animas pulchriores & ſplendidiores reddit: Huic autem additur nobiliſsimus omnium virtutũ comitatus, q̃ in animã cum gratia diuinitùs infundũtur.

QVIN-

QVINTVS.

Ad hæc per baptiſmum etiam Chriſto capiti tanquàm membra copulamur & cõnectimur, ex cuius plenitudine in omnes, qui iuſtificantur, diuina virtus & gratia diffunditur.

SEXTVS.

Túm etiam per baptiſmum conſignamur charactere, qui ex animo deleri nunquàm poteſt: ex cuius vi & natura ab Eccleſia definitum eſt, baptiſmi Sacramentum nulla ratione iterandum eſſe. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Neque verò quiſquam putet, eum ab Eccleſia iterari, cùm, adhibita huiuſmodi verborum formula, aliquem abluit, de quo incertum eſt, an baptizatus priùs fuerit: Si baptizatus es, te iterùm non baptizo: Si verò nondùm baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. ità enim non impiè iterari, ſed ſanctè cum adiunctione baptiſmum adminiſtrari dicendum eſt. At tamen ea baptiſmi forma in illis tantùm permittitur, de quibus, re diligẽter perquiſita, dubium relinquitur, an baptiſmum ritè ſuſceperint.

SEPTIMVS.

Prætereà verò, quæ ex baptiſmo conſequimur, illud velutì extremum eſt, quò reliqua omnia videntur referri, quòd ſcilicet cæli aditum, propter peccatum priùs interclusum, vnicuique noſtrûm patefacit.

Hæc autem, quæ in nobis baptiſmi virtute efficiuntur, ex ijs planè intelligi poſſunt, quæ in Saluatoris baptiſmo contigerunt. Vt enim in illo cæli aperti ſunt, & Spiritusſanctus columbæ ſpecie in Chriſtum Dominum deſcendens apparuit, ità eis qui baptizantur, diuini numinis chariſmata impartiuntur, & cælorum ianua reſeratur: non quidem, vt, ſimul atquè baptizati ſunt, ſed vt magìs opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, cùm omnium miſeriarum expertes, quæ in beatam vitam cadere non poſſunt, pro mortali conditione immortalitatem aſſequentur.

FPILOGVS.

Atque hi quidem ſunt baptiſmi fructus, quos, ſi quidem ſacramenti vim ſpectemus, æquè ad omẽs pertinere dubitari non poteſt: ſin autem, quo quiſque animo affectus ad illum ſuſcipiendum acceſſerit, conſideremus, plus minúſve cæleſtis gratię & fructùs ad vnum aliquem, quàm ad alium, peruenire, omninò fateri oportet.

DE SOLENNIBVS SACRI BAPTISMATIS CAEREmonijs, & primùm de ijs, quę ante baptiſmum adhiberi ſolent. TABVLA 44.

OMNES *eæ cæremoniæ & precationes ad tria capita redigendæ ſũt. Ac primum quidẽ illarũ genus eſt, quæ antequàm accedatur ad baptiſmi fontem, ſeruantur. Igitur*

In primis aqua paranda eſt qua ad baptiſmum vti oportet. Conſecratur enim baptiſmi fons addito myſticæ vnctionis oleo: neque id omni tempore, ſed certis quibuſdã diebus.

Afferuntur, vel etiam adducuntur, qui baptiſmo initiandi ſunt, ad eccleſiæ fores, quòd indigni ſint, qui domum Dei, antequàm Chriſto ſe addixerint, ingrediantur.

Tum verò ſacerdos ab eis exquirit, quidnam ab Eccleſia petant.

Quo cognito, primùm eos Chriſtianæ fidei doctrina, quam in baptiſmo profiteri debent, inſtituit: id autem catechiſmo efficitur.

Si is qui inſtituitur, adulta ætate fuerit, ad ea, quæ rogantur, ipſe per ſe reſpondet: ſi autem infans ſit, pro illo ſponſor ritè reſpondet, ſolennemque ſponſionem facit.

Sequitur exorciſmus, qui ad expellendum diabolum, eiusque vires frangendas & debilitandas, ſacris & religioſis verbis ac precationibus conficitur.

Sal in illius os, qui ad baptiſmum adducendus eſt, inſeritur, quo ſignificatur, eum fidei doctrina & gratiæ dono conſecuturum eſſe, vt à peccatorum putredine liberetur, ſaporemque bonorum operum percipiat, & diuinæ ſapientiæ pabulo delectetur.

Obſignantur præthereà ſigno crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures: quæ omnia declarant, baptiſmi myſterio ſenſus baptizati aperiri ac roborari, vt Deum excipere, præceptaque eius intelligere ac ſeruare poſſit.

Poſteà verò illi nares & aures ſaliua liniuntur, ſtatimque ad baptiſmi fontẽ mittitur: quò intelligamus, ſacræ ablutionis eam vim eſſe, vt menti ad cæleſtem veritatẽ perſpiciendam lumen afferat.

DE CAEREMONIIS, QVAE IN IPSO SERuantur Baptiſmo. TABVLA 45.

ALTERVM GENVS EArum eſt cæremoniarum, quæ, cùm ad ipſum fontem ventum eſt, adhibentur: ex quibus Chriſtianæ religionis ſummam licet cognoſcere.

- *Sacerdos enim tèr conceptis verbis eum, qui baptizandus eſt, interrogat: Abrenuncias ſatanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius? at ille, aut eius nomine Patrinus, ad ſingulas interrogationes reſpondet, Abrenuncio.*
- *Deindè ad ipſum baptiſmi fontem conſiſtens, interrogatur à Sacerdote, hoc modo: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Cui ille reſpondet, Credo. Atque ità deincèps de reliquis Symboli articulis rogatus, fidem ſuam ſolenni religione profitetur.*
- *Sed cùm iam baptiſmum adminiſtrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus eſt, num baptizari velit: quo quidem per ſe, vel eius nomine, ſi infans ſit, Patrino annuente, ſtatìm in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, ſalutari aqua eum abluit. Qua in re illud præcipuè monere oportet, non quamlibet corporis partem, ſed potiſſimùm caput, in quo omnes tum interiores, tum externi ſenſus vigent, abluendum: ſimulque ab eo, qui baptizat, non ante aut poſt ablutionem verba Sacramenti, quæ formam continent, ſed eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, pronuncianda eſſe.*

DE IIS CAEREMONIIS, QVIBVS ECCLESIA Catholica peracto, vtitur baptiſmate. TABVLA 46.

TERTIVM VERO CAEremoniarum genus eſt earũ, quæ, peracto iam baptiſmo, addi ſolent: Poſtquàm enim Baptiſmus abſolutus eſt,

- *Primùm Sacerdos ſummum baptizati verticem Chriſmate perũgit, vt intelligat ſe ab eo die Chriſto capiti tãquàm membrum coniunctum eſſe, atque eius corpori inſitum, & ea re Chriſtianum à Chriſto, Chriſtum verò à Chriſmate appellari.*
- *Induit poſteà baptizatũ veſte alba. Quo Symbolo ſignificari ſancti patres docent tum*
  - *Reſurrectionis gloriam, ad quã per baptiſmum naſcimur.*
  - *Nitorem & pulchritudinem, qua, dilutis peccatorum maculis, anima in baptiſmo ornatur.*
  - *Innocentiam atq; integritatem, quã in omni vita baptizatus ſeruare debet.*
- *Et deindè cereus ardens in manum traditur, qui oſtendit, fidem charitate inflammatam, quam in baptiſmo accepit, bonorum operum ſtudio alendam atque augendam eſſe.*
  Ad extremum verò, nomen baptizato imponitur, quod quidem ab aliquo ſumendum eſt, qui propter excellentem animi pietatem & religionem, in ſanctorum numerum relatus eſt.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO, AC PRIMVM DE MYSTERII HVIVS NATVRA.

TABVLA 47.

CONFIRMATIO

- *Dicitur*
  - *Non ab eo, vt quidam non minùs imperitè, quàm impiè, finxerunt, quòd olim qui infantes baptizati erant, cùm iam adulti eſſent, ad Epiſcopum adducebantur, vt fidem Chriſtianam quam in baptiſmo ſuſceperant, confirmarent, ità vt Confirmatio nihil à catecheſi differre videatur, cuius conſuetudinis nullum probatum teſtimonium afferri poteſt:*
  - *Sed ab eo nomen rei impoſitum eſt, quòd huius ſacramenti virtute, Deus in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari cœpit, noſq; ad Chriſtianæ ſoliditatis perfectionem adducit: nec verò confirmat ſolùm, ſed auget etiam.*
- *Idcircò vocatur, quoniam*
  - *Qui baptizatus eſt, cùm ab Epiſcopo ſacro chriſmate vngitur, additis ſolennibus verbis &c. niſi aliud ſacramenti efficientiam impediat, nouæ virtutis robore firmior, atq; adeò perfectus Chriſti miles eſſe incipit.*
  - *In cõfirmatione verã et propriã ſacramẽti rationẽ Catholica eccleſia ſemp agnouit, quod cõplures ſanctiſſimi declarant viri, in quibus ſunt*
    - *Melchiades, Clemens, Vrbanus, Fabianus, Euſebius,* — *Rom. Pontifices.*
    - *Dionyſ. Areo. Euſeb. Cæſar. Ambroſius, Auguſtinus,* — *ſancti patres*
    - *Ex tribus ſacræ ſcripturæ locis*
      - *Nolite contriſtare ſpiritũ ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis. Epheſ. 4.*
      - *Sicut vnguentum in capite, quod deſcẽdit in barbã, barbã Aarõ. Pſal. 132.*
      - *Charitas Dei diffuſa eſt ĩ cordibus noſtris p ſpiritũ S. q dat' eſt nobis. Rom. 5.*
- *Differt à baptiſmo. Conſtat enim varietatẽ gratiæ quam ſingula ſacramenta tribuunt, & rei ſenſibus ſubiectæ, q̃ ipſam gratiã ſignificat, efficere, vt varia quoquè & diuerſa ſacramenta ſint: Vtriuſq; diſcrimen Miltiades pontifex isà deſcribit:*
  1. *In baptiſmate homo ad militiam recipitur.*
     Et in confirmatione coarmatur ad pugnam.
  2. *In fonte baptiſmatis Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam:*
     Confirmatione autem, perfectionem ad gratiã miniſtrat:
  3. *In baptiſmo regeneramur ad vitam,*
     Poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur.
  4. *In baptiſmo abluimur,*
     Poſt baptiſmum roboramur,
  5. *Regeneratio per ſe ſaluat in pace baptiſmũ recipientes:*
     Confirmatio armat atque inſtruit ad agones.
  - *In ſumma,*
    - *Quantùm in naturali visa generatio ab incremẽto diſtat,*
    - *Tantùm inter ſe differũt*
      - *Baptiſmus, qui regenerandi vim habet:*
      - *Et cõfirmatio, cuius virtute fideles augeſcunt, & perfectũ animi robur aſſumunt.*
- *Originem duxit ab ipſo Chriſto: Qui*
  - *Primùm ſic allocutus eſt Apoſtolos ſuos, Sedete in ciuitate, quoaduſque induamini virtute ex alto.*
  - *Deindè, Spiritumſanctum in die Pentecoſtes in corda effudit diſcipulorum.*
  - *Quam admirabilem effuſionẽm deſcribit S. Lucas 2. Actor. capite.*
- *Inſtituta eſt,*
  - *Non quidem ad ſalutis neceſſitatem, vt ſine ea ſaluus quis eſſe non poſſit: ſed vt eius virtute optimè inſtructi & parati inueniremur, cùm nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet.*
  - *A nemine tamen prætermitti debet, ſed potiùs maximè cauendum eſt, nè in re ſanctitatis plena, per quam nobis diuina munera tam largè impertiũtur, aliqua negligentia committatur.*

DE SACRAMENTI HVIVS PARTIBVS.

TABVLA 48.

PARTES huius Sacramenti ſunt

- *Materia, quæ Chriſma appellatur: Quo nomine*
  - *A Græcis accepto, & profani ſcriptores quodlibet vnguenti genus ſignificant:*
  - *Illi tamen, qui res diuinas tradunt, ipſum cõmuni loquendi conſuetudine, ad illud tantummodò vnguentum accommodârunt, quod ſolenni Epiſcopi conſecratione conficitur ex*
    - *Oleo, quod cùm pingue ſit, & natura ſua dimánet ac diffluat, gratiæ plenitudinẽ exprimit, quæ per ſpiritum ſanctum à Chriſto capite in alios redundat atq; effunditur. Vnxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Pſal. 44. ac de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. 1.*
    - *Et Balſamo, cuius odoratus cùm ſit iucundiſſimus, quid aliud ſignificat, quàm fideles, cùm Sacramento confirmationis perficiuntur, eàm virtutum omnium ſuauitatem effundere, vt illud Apoſtoli queãt dicere: Chriſti bonus odor ſumus Deo. 2. Cor. 2.*
- *Forma, quæ abſoluitur his*
  - *Verbis: Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & ſpiritûs ſancti. In quibus verbis hæc tria obſeruanda ſunt:*
    - *Diuina poteſtas, quæ vt principalis cauſa ĩ Sacramento operatur, in verb. In nomine Patris, & Filij, & Spirituſſancti.*
    - *Robur animi & ſpiritûs, quod per ſacrã vnctionem fidelibus ad ſalutem tribuitur. In verb. Confirmo te Chriſmate ſalutis.*
    - *Signum, quo notatur is, qui in certamen Chriſtianæ militiæ deſcenſurus eſt. In verb. Signo te ſigno crucis.*

In Cõfirmandorũ

- *Aetate illud obſeruandum eſt, omnibus quidem poſt baptiſmum confirmationem poſſe adminiſtrari, ſed minùs tamen expedire hoc fieri, antequàm pueri rationis vſum habuerint. Quarè ſi duodecimus annus non expectandus videatur, vſque ad ſeptimum certè hoc Sacramentum differre, maximè conuenit, quòd pueri, qui adhuc vſu rationis carent, apti non ſint ad eam pugnam, quæ pro fide Chriſti ſuſcipienda eſt.*
- *Ex his verò efficitur, vt qui adulta iam ætate confirmandi ſunt, ſi quidem huius Sacramenti gratiam & dona conſequi cupiant, eos*
  - *Non ſolùm fidem & pietatem afferre,*
  - *Sed grauiora etiã peccata, quæ admiſerũt, ex animo dolere oporteat.*
    - *Vndè laudabilis olim fuit ecclesiæ cõſuetudo, vt nõ niſi ieiuni hoc Sacramentum ſuſciperent.*

Huius Sacramẽti miniſter

- *Solus eſt Epiſcopus, quem eius conficiendi ordinariam poteſtatem habere oſtendunt*
  - *Sacræ literæ. Acto. 8.*
  - *Teſtimonia clariſſima ſanctorũ Patrum atq; Pontificum,*
    - *Vrbani,*
    - *Euſebij,*
    - *Damaſi,*
    - *Innocentij,*
    - *Leonis,*
    - *Auguſtini.*
- *Patrinus etiam, vt in baptiſmo fieri demonſtratum eſt, in hoc Sacramento adhiberi ſolet.*

DE CONFIRMATIONIS EFFECTIBVS.

TABVLA 49.

CONFIRMA*tionis effectus præcipui numerantur tres:*

Primùm, Confirmatio hoc cum cæteris Sacramentis commune habet, vt niſi impedimentum aliquod inferatur, nouam gratiam tribuat: ex quo ſequitur, vt peccata etiam condonet ac remittat: Quoniam gratiam ſimul cum peccato ne fingere quidem nobis licet.

Sed præter hæc, quæ cum alijs communia cenſenda ſunt, primum quidem illud propriè cōfirmationi tribuitur, quòd baptiſmi gratiam perficit. Qui enim per baptiſmum Chriſtiani effecti ſunt, quaſi infantes modò geniti, teneritatem adhuc & mollitiem quandam habent: ac deindè Chriſmatis Sacramento aduerſùs omnes carnis, mundi & diaboli impetus robuſtiores fiunt: & eorum animus in fide omninò confirmatur, ad confitendum & glorificandum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex quo etiam nomen ipſum inuentum eſſe, nemo dubitârit.

Habet152 prætereà Confirmatio eam vim, vt characterem imprimat: quo fit, vt nulla vnquàm ratione iterari poſsit: quod etiam in baptiſmo ſuprà obſeruatum eſt, ac de Sacramento Ordinis quoquè ſuo loco planiùs exponetur.

DE SACRAMENTI HVIVS RITIBVS ET cæremonijs.

TABVLA 50.

RESTAT *nūc, vt aliqua etiam de ritibus & cæremonijs, qbus in hoc ſacramento adminiſtrādo Catholica Eccleſia vtitur, breuiter pſtringātur. Qui igitur confirmātur, ſacro Chriſmate*

In fronte vnguntur. Nam hoc ſacramento Spiritus ſanctus in animos fideliū ſeſe infundit, in eiſque robur & fortitudinem auget, vt in ſpirituali certamine viriliter pugnare, & nequiſsimis hoſtibus reſiſtere queant.

Sed illud quoquè ſolenni religione in Eccleſia Dei ſeruatum eſt, vt in Pentecoſte præcipuè hoc ſacramentum adminiſtraretur, quòd hoc maximè die Apoſtoli, Spiritusſancti virtute roborati & confirmati ſint: cuius diuini facti recordatione fideles admonerentur, quæ quantaque myſteria in ſacra vnctione cogitanda eſſent.

Deindè verò, qui vnctus & confirmatus eſt, vt meminerit ſe tanquàm fortē athletam paratum eſſe oportere, ad omnia aduerſa inuicto animo pro Chriſti nomine ferenda, manu leuiter in maxilla ab Epiſcopo cæditur.

Poſtremò autem Pax ei datur, vt intelligat ſe gratiæ cæleſtis plenitudinē & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe.

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO, ET PRIMVM CVR ſit inſtituta Euchariſtia.

TABVLA 51.

EVCHA*riſtia duabus de cauſis à Chriſto inſtituta eſt:*

Altera eſt, vt cæleſte animæ noſtræ alimentum eſſet, quo vitam ſpiritualem tueri & conſeruare poſſemus.

Altera, vt Eccleſia perpetuum ſacrificium haberet, quo peccata noſtra expiarentur. Etenim hoc ſacramentum non ſolùm theſaurus eſt cæleſtium diuitiarum, quo ſi benè vtamur, Dei gratiam nobis conciliamus & amorem: ſed in eo præcipua quædam ratio ineſt, qua ei pro immenſis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam referre poſsimus.

DE VA-

DE VARIIS HVIVS SACRAMENTI NOMINIBVS, & alijs quibuſdam.

TABVLA 52.

HOC ipſum Euchariſtiæ Sacramentū

- *Varia habet nomina: interdum enim appellatur*
  - *Euchariſtia, quod verbū Latinè reddere poſſumus, vel*
    - *Bonam gratiā, tum qa*
      - *Vitam æternam, de qua ad Rom. 6. ſcriptum eſt, Gratia Dei vita æterna, præſignificat.*
      - *Chriſtum Dominum, qui vera gratia atq; omnium chariſmatum fons eſt, in ſe continet.*
    - *Gratiarum actionem. ſiquidem cùm hanc hoſtiam immolamus, immenſas quotidiè gratias pro vniuerſis in nos beneficijs Deo agimus.*
  - *Sacrificium: de quo myſterio paulò poſt latiùs dicendum erit.*
  - *Communio: quod verbum ex illo Apoſtoli loco ſumptum eſſe liquet, vbi ait: Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quē frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? 1. Cor. 10.*
  - *Sacramentum pacis & charitatis: quo nihil nos ſtudioſiùs ſeruare, quàm pacem & charitatem profitemur.*
  - *Viaticū, tum quia*
    - *Spiritualis cibus eſt, quo in huius vitæ peregrinatione ſuſtentamur:*
    - *Viam nobis ad æternam gloriam & felicitatem munit.*
  - *Cœna, quòd in illo nouiſſimæ cœnæ ſalutari myſterio à Chriſto Domino ſit inſtituta.*
- *Inter ſeptem verò Sacramenta numerandum eſſe, conuincitur*
  - *Infinitis penè ſacrorum ſcriptorum teſtimonijs.*
  - *Ex ipſa ratione & natura ſacramenti.*
    - *In eo ſigna ſunt externa & ſenſib⁹ ſubiecta.*
    - *Habet deindè gratiæ ſignificationem & efficientiam.*
    - *Præterea de Chriſti inſtitutione, neque euangeliſtæ, neque Apoſtolus dubitandi locum relinquunt, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.*
    - → *Quæ oīa cùm in vnū cōueniant ad Sacramēti veritatem confirmandā, nullis alijs argumentis opus eſſe proſpicitur.*
- *Conſtat duobus,*
  - *Viſibili ſcilicet elementorum ſpecie,*
  - *Et inuiſibili*
    - *Carne & Sanguine* — *Ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Auguſtinus.*
- *Differt à reliquis Sacramētis:*
  - *Cætera Sacramenta materiæ vſu perficiuntur, dum ſcilicet alicui adminiſtrari ea contingit: At verò ad Euchariſtiæ perfectionem ſatis eſt ipſius materiæ conſecratio: vtrunque enim Sacramentum eſſe non deſinit, quamuis in pyxide aſſeruetur.*
  - *Deindè in conficiendis alijs Sacramentis, nulla fit materiæ atque elementi in aliam naturam mutatio: In Euchariſtia verò, quod panis & vinum ante conſecrationem erat, confecta conſecratione, verè eſt corporis & ſanguinis Domini ſubſtantia.*
  - *Deniquè Euchariſtia fonti, cætera riuulis comparantur.*
- *Tria nobis indicat.*
  - *Primum eſt, Chriſti Domini Paſſio, quæ iam præterijt.*
  - *Alterum eſt, diuina & cæleſtis gratia, quæ præſens ad animam alendam & conſeruandam hoc Sacramento tribuitur.*
  - *Tertium eſt, quod futurum prænunciat, æternæ iocūditatis & gloriæ fructus, quem in cæleſti Patria ex Dei promiſſione capiemus.*

QVAE SACRAMENTI HVIVS SIT MATERIA.

TABVLA 53.

EST itaque duplex Sacramenti huius Materia:

- *Altera, Panis*
  - *Ex tritico confectus: communi enim loquendi conſuetudine, cùm panis abſolutè dicitur, panem ex tritico intelligi ſatis conſtat. Sicut in veteri præceptum fuerat teſtamento, vt panes propoſitionis, qui hoc Sacramentum ſignificabant, ex ſimula conficerentur.*
  - *Azymus. Chriſtus enim ipſe prima azymorũ die, quo nihil fermẽtati domi habere Iudæis licebat, hoc Sacramẽtum confecit atq; inſtituit,*
    - *Neque tamen ea qualitas adeò neceſſaria exiſtimanda eſt, vt, ſi illa pani deſit, ſacramentum confici non poſsit: vtrunque enim panis genus, veram & propriam panis rationem & nomen habet: quanquàm nemini licet priuata authoritate, vel potiùs temeritate, laudabilem Eccleſiæ ſuæ ritum immutare: atque eo minùs id facere Latinis ſacerdotibus permiſſum eſt, quibus præterea pontifices maximi præceperunt, vt ex azymo tantùm Sacra myſteria conficerent.*
    - *Quàm multa autem materia ad Sacramentum conficiendum vti oporteat, definitum non eſt: cùm illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui aut poſſint, aut debeant ſacra myſteria percipere.*
- *Altera, vinũ ex vitis fructu expreſſum, cui modicum aquæ permiſtum ſit. Nam*
  - *Dominum Saluatorem vino in huius Sacramenti inſtitutione vſum eſſe, Catholica Eccleſia ſemper docuit, cùm ipſe dixerit, Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum. Matth. 26. Marc. 14.*
  - *Aquã Dei Eccleſia vino ſemper admiſcuit:*
    - *Primùm, q̃ id à Chriſto Dño factum eſſe, Conciliorum authoritate, & S. Cypriani teſtimonio comprobatur.*
    - *Deindè, quòd ſanguinis & aquæ, q̃ ex huius latere exiẽrunt, hac permiſtione memoria renouatur.*
    - *Tum verò aq̃, vt in Apocalypſi legimus, populũ deſignãt: quarè aqua vino admiſta, fidelis populi cum Chriſto capite cõiunctionẽ ſignificat.*
    - *De hac autem miſtione tres cõſiderandæ ſunt regulæ.*
      - *Quanuis aquæ admiſcendæ ità graues rationes ſint, vt eam ſine mortali peccato prætermittere non liceat: ea tamen ſi deſit, ſacramentum conſtare poteſt.*
      - *Modicam aquã infundẽdam eſſe. Nam Eccleſiaſticorũ ſcriptorũ ſententia & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur.*
      - *Denique, pluribus Decretis ſancitum eſt, ne quid aliud præter panem & vinum, offerre liceat.*

QVID HAEC DVO PANIS ET VINI SYMBOLA ſignificent.

TABVLA 54.

HAEC duo Symbola

- *Primùm Chriſtum nobis ſignificant, vt vera eſt hominum vita. ipſe enim Dominus ait, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Ioan. 6.*
- *Nonnihil etiam hæc ipſa elementa ad id valent, vt eam cognitionem accipiant homines, eſſe in Sacramento corporis & ſanguinis Domini veritatem.*
- *Affert etiam aliquid adiumenti hæc admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum quod fit in anima. Vt enim & ſi nulla extrinſecùs panis & vini mutatio appáret, tamen eorum ſubſtantia in carnem & ſanguinem Chriſti verè tranſit: ità etiam tametſi in nobis nihil immutatum videtur, interiùs tamen ad vitam renouamur, dum veram vitam Euchariſtiæ ſacramento accipimus.*
- *Accedit ad hæc, quòd cùm vnum Eccleſiæ corpus ex multis membris compoſitum ſit, nulla re magis elucet ea coniunctio, quàm panis viniq́ue elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, & vinum ex multitudine racemorum exiſtit. atque ità nos cùm multi ſimus, huius diuini myſterij vinculo arctiſſimè colligari, & tanquàm vnum corpus effici declarant.*

QVÀM

QVAM APTE SACROSANCTA MYSTERIA ſub panis & vini ſpecie adminiſtrentur. TABVLA 55.

SVMMA *Dei prouidẽtia hîc ſuſpiciẽda venit. Nam*

Primum ſapientiſſimè factum eſt, vt ſanctiſſimum corpus & ſanguis ſub earum rerum ſpecie, panis, inquam, & vini, nobis adminiſtraretur, quorum quotidiano & communi alimento maximè delectamur.

Adiunctæ etiam ſunt duæ illæ vtilitates, quarum

- *Prima eſt, quòd ab infidelium calumnia liberati ſumus: quas facilè effugere non poſſemus, ſi Dominum ſub propria ſpecie comedere videremur.*
- *Altera eſt, quòd dum corpus & ſanguinem Domini ità ſumimus, vt tamen, quod verè fit, ſenſibus percipi non poſſit, hoc ad fidem in animis noſtris augendam, plurimum valet.*

FORMA CONFICIENDAE EVCHARISTIAE quæ ſit. TABVLA 56.

FORma *conſecrationis*

- *Panis, eſt hæc: Hoc eſt corpus meum.*
- *Vini, hæc eſt: Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamẽti, myſteriũ fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Mat. 26. Mar. 14. Lu. 22.*

Vt autem ſeparatim duæ fiant conſecrationes, optimo iure inſtitutũ eſt:

- *Primò enim vt paſſio Domini, in qua ſanguis à corpore diuiſus eſt, magis referatur: cuius rei cauſa in conſecratione ſanguinem effuſum eſſe meminimus.*
- *Deindè maximè conſentaneum fuit, vt quoniam ſacramento ad alendam animam, vtendum nobis erat, tãquàm cibus & potus inſtitueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum conſtare perſpicuum eſt.*

VSVS HVIVS SAcramenti *conſiſtit in*

- *Præparatione,*
- *Sumptione,*
- *Communicandi tempore & ritu.*

Quarum explicatio tribus proximè ſequentibus continetur tabulis.

DE PRAEPARATIONE AD SACRAM Synaxin. TABVLA 57.

PRAEparatio *alia eſt*

Animi, cuius quinq; ſunt p̄cepta:

- *Primum, vt fideles diſcernant menſam à menſa, hanc ſacram ab alijs prophanis, cæleſtem hunc panem à communi.*
- *Alterum, vt vnuſquiſque à ſeipſo quærat, num pacem cum alijs habeat, num proximos verè atque ex animo diligat.*
- *Deindè conſcientiam noſtram ſcrutari diligenter debemus, nè fortè exitiali aliquo peccato contaminati ſimus, cuius pœnitere neceſſè ſit, vt priùs contritionis & confeſſionis medicamento illud eluatur.*
- *Præthereà taciti cum animis noſtris cogitemus, quàm indigni ſimus, quibus diuinum hoc beneficium à Domino tribuatur.*
- *Exquiramus etiam à nobis ipſis, an illud Petri vſurpare nobis liceat: Domine, tu ſcis, quia amo te. Ioan. 21.*

Corporis. Nam

- *Ieiuni ad ſacram menſam accedere debemus.*
- *Poſtulat etiam tanti Sacramenti dignitas, vt qui matrimonio iũcti ſunt, aliquot dies à concubitu vxorum abſtineant.*

DE SALVTARI SACRAE EVCHARISTIAE ſumptione. TABVLA 58.

TRES EV. chariſtiæ ſumẽdæ diſtinguũtur rationes. *Alij enim*

- *Sacramentum tantùm accipiunt, vt peccatores, qui ſacra myſteria impuro ore & corde accipere non verentur, quos Apoſtolus ait indignè manducare & bibere corpus Domini.*
- *Spiritu tantummodò Euchariſtiam ſumere dicuntur: ij ſunt, qui deſiderio & voto propoſitum cæleſtem illum panem comedunt, fide viua incenſi, quæ per dilectionem operatur.*
- *Sacramento & ſpiritu ſacram Euchariſtiam percipiunt: qui cùm ex Apoſtoli doctrina priùs ſe probauerint, ac veſte nuptiali ornati ad diuinam hanc menſam acceſſerint, ex Euchariſtia capiunt vberrimos fructus.*

DE COMMVNICANDI TEMPORE & ritu. TABVLA 59.

ADMONENDI ſunt fideles,

- *Omnibus quidem eam legem propoſitam eſſe, vt ſacram Euchariſtiam accipiant.*
- *Excipi tamen eos*
  - *Qui nondum rationis vſum propter ætatis imbecillitatem habent, vt infantes.*
  - *Amentibus præterea, qui tunc à pietatis ſenſu alieni ſunt, Sacramenta dare minimè oportet.*

VTRVM *autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel dieb. id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt. ſed certiſſima eſt illa B. Auguſtini: Sic viue, vt quotidiè poſsis ſumere. Olim tñ ſancitum eſt, vt fieret hæc ſumptio ab oĩbus quotannis*

- *Ter:*
  - *Natali Domini,*
  - *Reſurrectione,*
  - *Pẽtecoſte.*
- *Semèl ad minùs in Paſcha.*

Vt in Concilio

- *Agathẽſi primo, & alijs multis.*
- *Lateranẽſi ſub Innocentio 3.*

Quòd ad communicand. ritum pertinet, Eccleſiæ lege interdictum eſt, nè quis ſine ipſius Eccleſiæ authoritate, præter ſacerdotes corpus Domini in ſacrificio conficientes, ſub vtraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat. Quæ conſuetudo ab Eccleſia multas ob cauſas approbata eſt, potiſſimùm ad conuellendam eorum hæreſin, qui negabant ſub vtraque ſpecie totum Chriſtum eſſe, ſed corpus tantùm exangue ſub panis, Sanguinem autem ſub vini ſpecie contineri aſſerebant.

DE EF.

DE EFFECTIBVS ET PRAECIPVIS HVIVS Sacramenti fructibus. TABVLA 60.

Admirabiles huius Sacramēti ſunt fructus. Nam

1. *Fons eſt omnium gratiarum, cùm fontem ipſum cæleſtium chariſmatum & donorum Chriſtum Dominum in ſe contineat.*

2. *Quos vſus corpori panis & vinum adfert, eos omnes animæ ſaluti & iucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Euchariſtiæ ſacramentum præbet.*

3. *Gratia in animam influit, cùm eum purè & ſanctè accipit, qui de ſeipſo dixit: Qui mãducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis & religionis ſtudio affecti hoc Sacramentum ſumunt, Chriſti corpori tanquàm viua membra inſeruntur, ſiquidem ſcriptum eſt: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Nec tamen hoc ità intelligendum eſt, perindè àc neceſſe non ſit, vt qui re ipſa hoc ſacramentum vtiliter percepturus eſt, gratiam anteà adeptus fuerit. Conſtat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimẽtum nihil prodeſt, ità etiam animæ, quæ ſpiritu non viuit, ſacra myſteria non prodeſſe. Non enim reuocandæ ad vitã animæ, ſed in vita conſeruandæ cauſa inſtituta ſunt.*

4. *Vt corpus cibo naturali non conſeruatur modò, ſed etiam augetur, guſtuſq; nouam quotidiè ex eo voluptatem & ſuauitatem percipit: ità etiam ſacræ Euchariſtiæ cibus non ſolùm animam ſuſtentat, ſed vires illi addit, efficitq; vt ſpiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur.*

5. *Remittuntur Euchariſtia & condonantur leuiora peccata, quæ venialia dici ſolent.*

6. *Euchariſtia nos à criminibus puros & integros, atque à tentationum impetu incolumes ſeruat: carnis libidinem cohibet ac reprimit, & concupiſcentiæ ardorem reſtinguit.*

7. *Sacræ Euchariſtiæ ſumma vis eſt ad æternam gloriam comparandam: & eius gratia fideles, dum hanc vitam degunt, ſumma conſcientiæ pace & tranquillitate perfruuntur: eiuſq; virtute recreati, non ſecùs atquè Elias, qui ſubcineritij panis fortitudine ambulauit vſque ad montem Dei Oreb, cùm ex vita emigrandi tempus aduenit, ad æternam gloriam & beatitudinem aſſcendunt.*

QVAE PRAETEREA IN HOC SACRAMENTO myſteria ſint conſideranda. TABVLA 61.

TRIA SVNT MAXImè *admiranda atq; ſuſpicienda, quæ in hoc Sacramẽto verbis cõſecrationis effici fides Catholica ſine vlla dubitatione credit ac confitetur.*

Primum eſt, verum Chriſti Domini corpus, illud idem, quod natum ex virgine, in cælis ſedet ad dexteram patris, hoc ſacramento contineri.

Alterum eſt, nullam in eo elementorum ſubſtantiam remanere, quanuìs nihil magìs à ſenſibus alienum & remotum videri poſſit.

Tertium eſt, quod ex vtroque facilè colligitur, etſi verba cõſecrationis id maximè exprimunt, accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut alijs ſenſibus percipiuntur, ſine vlla re ſubiecta eſſe, mira quadam atque inexplicabili ratione.

DE VE-

DE VERITATE CORPORIS ET SANGVI- nis Chriſti in Euchariſtia. TABVLA 62.

CIRCA *primũ hoc membrũ, quatuor ſunt obſeruanda:*

- *Diſtinctio eorũ, quæ in hoc ſacramento nõ eadem oĩa ratione aut virtute continentur:*
  - *Quædam enim ſunt, quæ ex vi & efficientia conſecrationis in ſacramento eſſe dicimus. Nam cùm verba illa efficiant, quidquid ſignificant: id eſſe in ſacramento ex vi ſacramenti, diuinarum rerum ſcriptores appellârũt, quod verborum forma exprimitur: ità ſi contingeret, vt aliquid ab alijs rebus omninò ſeiunctum eſſet, id ſolùm, quod forma ſignificaret, in Sacramento eſſe, cætera non item eſſe docuerunt.*
  - *Quædam verò in Sacramento continẽtur, quòd illis rebus coniuncta ſunt, quæ forma exprimũtur. Sic quia corpori, quod conſecratione efficitur, ſanguis, anima, & diuinitas coniungitur, hæc quoquè in ſacramento erunt omnia: non quidem ex conſecrationis virtute, ſed ex concomitantia, hoc eſt, vt ea quæ corpori coniuncta ſunt.*
- *Probatio huius doctrinæ, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti: Quam Catholicam eſſe, demõſtratur ex*
  - *Ipſis verbis*
    - *Chriſti, dicentis, Hoc eſt corpus meum: Et, Hic eſt ſanguis meus, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*
    - *Pauli, 1. Cor. 10. & 11.*
  - *Communi ſententia patrum, præcipuè verò*
    - *Ambroſij,*
    - *Chryſoſtomi,*
    - *Auguſtini,*
    - *Cyrilli, &c.*
  - *Authoritate Conciliorum, ſpeciatim*
    - *Vercellenſis, Turonenſis, Romanorum duorum* — *Aduersùs Berengarium.*
    - *Lateranenſis ſub Innocentio 3.*
    - *Conſtantienſis,*
    - *Florentini,*
    - *Tridentini, &c.*
  - *Authoritate ſymboli Apoſtolici.*
    - *Cùm enim Dei ſummã omnium rerum poteſtatem fideles credunt, & confitentur, credant etiam neceſſè eſt, poteſtatem ei non defuiſſe maximi huius operis efficiendi, quod in Euchariſtiæ Sacramento admiramur & colimus.*
    - *Deindè cùm credunt ſanctam Eccleſiam Catholicam, neceſſariò ſequitur, vt ſimul credant eam eſſe, quam explicauimus, huius ſacramenti veritatem.*
- *Concomitantia, ex qua oſtenditur*
  - *Totum Chriſtum vſqueadeò tam in panis, quàm in vini ſpecie contineri, vt quemadmodùm in panis ſpecie non corpus modò, ſed etiam ſanguis & totus Chriſtus verè ineſt, ſic contrà in vini ſpecie non ſolùm ſanguis, ſed corpus & totus Chriſtus verè inſit.*
  - *Neque verò ſolùm in vtraque ſpecie, ſed in quauis vtriuſq; ſpeciei particula, totum Chriſtum contineri. Sic enim Auguſtinus ſcriptum reliquit: Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.*
- *Vtilitates & fructus, quos capiunt fideles ex huius ſacramenti contẽplatione.*
  - *Primùm enim intelligunt, quanta ſit Euangelicæ legis perfectio, cui datum eſt id re ipſa habere, quod ſignis tantùm & figuris Moſaicæ legis tempore adumbratum fuerat.*
  - *Prættereà fideles hoc Sacramento Chriſti Saluatoris noſtri perfectiſſimam charitatem experiuntur, qua naturam, quam à nobis ſumpſerat, à nobis nunquàm ſubtrahere, ſed quantùm fieri poſſet, eſſe verſariq; nobiſcum voluit.*

DE TRANS.

DE TRANSSVBSTANTIATIONE, SIVE CONVERſione panis & vini in verum corpus & verum ſanguinem Chriſti.

TABVLA 63.

CVM IN Sacramẽto Euchariſtiæ tota vnius rei ſubſtantia in totã alteri⁹ rei ſubſtantiam trãſeat, rectè & ſapienter à maioribus noſtris iſta conuerſio appellata eſt Transſubſtantiatio. Quæ & ipſa

- *probatur*
  - *Authoritate*
    - *Chriſti*
      - *Primùm, quòd in eius ſacramẽti inſtitutione ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum. vocis enim Hoc, ea vis eſt, vt omnem rei præſentis ſubſtantiã demonſtret. Quòd ſi panis ſubſtantia remaneret, nullo modo verè dici videretur: Hoc eſt corpus meum.*
      - *Deindè Chriſtus Dñs apud Ioan. 6. Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita: Panem videlicet carnem ſuam vocans.*
    - *Conciliorũ* — *Lateranẽ magni, Florẽtini, Tridẽtini.*
    - *Diuorũ Patrũ.* — *Ambroſij, Hilarij, Auguſtini, Damaſceni, &c.*
    - *Qui vnanimi conſenſu ſufatentur oẽs* — *Ante conſecrationem, panem eſſe & vinum, quod natura formauit. Poſt conſecrationem verò, carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit.* — *Ità vt corpus ſecũdũ veritatẽ contĩctum ſit diuinitati.* — *Non ꝙ ipſum corpus aſſumptum, de cælo deſcendat: Sed ꝙ ipſe panis & vinũ in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutẽtur. Damaſcen.*
  - *Ratione: Etenim ſi eſt verum Chriſti corpus ſub panis & vini ſpecie poſt conſecrationem: omninò neceſſe eſt, cùm ibi anteà non eſſet, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipſum conuerſione factum eſſe. At verò fieri non poſſe conſtat, vt corpus Chriſti in Sacramento ſit, quòd ex vno in alium locum venerit: ità enim fieret, vt à cæli ſedibus abeſſet: quoniam nihil mouetur, niſi locum deſerat, à quo mouetur. Creari autem corpus Chriſti minùs credibile eſt, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc poteſt. Relinquitur ergò, vt in Sacramento ſit corpus Domini, quòd panis in ipſum conuertatur. quarè nulla panis ſubſtantia remaneat neceſſe eſt.*
- *Declaratur*
  - *Modo ipſius conuerſionis: quæ ità fit, vt tota panis ſubſtantia diuina virtute in totam corporis Chriſti ſubſtantiam, ſine vlla Domini noſtri mutatione, conuertatur. Neque enim Chriſtus aut generatur, aut mutatur, aut augeſcit, ſed in ſua ſubſtãtia totus permanet.*
  - *Duabus veluti regulis:*
    - *Prima eſt, quo pacto ea mutatio fieri poſſit, curioſiùs non inquirendũ, ſed potiùs fide quid hoc ſit, cognoſcẽdum. Qua in re fideles animos ſuos illa voce præmunire debent, Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.*
    - *Altera eſt, Chriſtum Dominum in hoc Sacramento, vt in loco, non eſſe, etenim locus res ipſas conſequitur, vt magnitudine aliqua præditæ ſunt: Chriſtum verò Dominum ea ratione in ſacramento eſſe nõ dicimus, vt magnus aut paruus eſt, quod ad quantitatem pertinet, ſed vt ſubſtãtia eſt. Subſtantia enim panis in Chriſti ſubſtantiam, non in magnitudinem aut quantitatem conuertitur. Nemo verò dubitat, ſubſtantiam æquè in paruo atquè in magno ſpatio contineri.*

Tertium reſtat, quod in hoc Sacramento maximum atq; admirabile videatur; quod quidem, iam duobus alijs explicatis, facilè probari poteſt, Panis videlicet & vini ſpecies in hoc Sacramento ſine aliqua re ſubiecta conſtare. Nam cùm anteà demonſtratum ſit, corpus Domini & ſanguinem verè in Sacramento eſſe, ità vt nulla ampliùs ſubſit panis & vini ſubſtãtia, quoniam ea accidentia Chriſti corpori & ſanguini inhærere non poſſunt: relinquitur, vt ſupra omnem naturæ ordinem ipſa ſe, nulla alia re niſa, ſuſtentent. Hæc perpetua & conſtans fuit Catholicæ Eccleſiæ doctrina.

DE EV-

DE EVCHARISTIA VT EST SACRIFICIVM.

TABVLA 64.

- PORRÒ *Euchariſtia*
  - *Habet præter Sacramenti v.m, etiam ſacrificij rationẽ: Quod*
    - *Exprimitur vaticinio Malachiæ, his verbis: Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomine meo oblatio munda &c.*
    - *Præfiguratur in Melchiſedech ſacrificio. ipſe enim Saluator ſacerdotẽ ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum in extrema cæna ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri obtulit.*
    - *Inſtitutum eſt à Chriſto in extrema illa nocte, cùm hæc ipſa ſacra myſteria Apoſtolis commendans: Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Eos enim, quemadmodùm à ſancta ſynodo definitum eſt, tunc ſacerdotes inſtituit: præcepitq́; vt ipſi, & qui eis in ſacerdotali munere ſucceſſuri eſſent, corpus eius immolarent & offerrent.*
    - *Differt à ſacramento:*
      - *Primò,*
        - *Sacramentum conſecratione perficitur.*
        - *Omnis verò ſacrificij vis in eo eſt, vt offeratur.*
      - *Secundò,*
        - *Vt Sacramentum eſt, ijs qui diuinam hoſtiam ſumunt, meriti cauſam affert, & omnes illius vtilitates, quæ ſuprà commemoratæ ſunt.*
        - *Vt autem ſacrificium eſt, non merendi ſolùm, ſed ſatisfaciendi quoquè efficientiam continet.*
    - *Fit vni Deo: nam etſi eccleſia interdùm Miſſas in memoriam & honorem ſanctorum celebrare conſueuit, non tamen illis ſacrificium, ſed vni Deo, qui ſanctos immortali gloria coronauit, offerri docuit.*
  - *Offertur quotidiè in Miſſa diuina. Neq; enim cruẽta & incruẽta hoſtia duæ ſunt hoſtiæ: ſed vnum idemq́; ſacrificium eſſe fatemur, & haberi debet, quod in Miſſa peragitur, & quod in cruce oblatum eſt: quemadmodùm vna eſt & eadem hoſtia Chriſtus, videlicet Dominus noſter, qui ſeipſum in ara crucis ſemèl tantummodò cruentum immolauit. Sacroſanctum autem Miſſæ ſacrificium*
    - *Eſt non ſolùm laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificij, quod in cruce factum eſt, ſed verè etiam propiciatorium ſacrificium, quo Deus nobis placatus & propicius redditur.*
    - *Prodeſt*
      - *Non ſolùm*
        - *Immolanti, &*
        - *Sumenti:*
      - *Sed omnibus etiam fidelibus, ſiue illi*
        - *Nobiſcũ in terris viuant:*
        - *Iã in Dño mortui, nõdùm planè expiati ſint.*

EX QVO FACILE PERSPICITVR,

Omnes Miſſas, communes cenſendas eſſe, vt quæ ad communem omnium fidelium vtilitatem & ſalutem pertineant.

DE POE-

DE POENITENTIAE SACRAMENTO, ET PRIMVM DE eius natura atque ſubſtantia.

TAB. 65.

POENITENTIÆ toties locus datur, quoties poſt baptiſmũ peccare cõtingit. Vndè illa ſancti Hieronymi ſententia, ab oĩbus rerũ ſacrarum ſcriptoribus magnoperè comprobatur. pœnitẽtiã eſſe ſecũdam poſt naufragiũ tabulam. Quæ aũt vocis huius vis ſit atq; poteſtas, ſatis apparet ex

- Significatiõe, quæ eſt multiplex
  - Primùm enim pœnitẽtia de ijs dicitur, quibus aliqd diſplicet, quòd anteà placuerit, nulla habita ratione huius cogitatiõis, bonimne, an malum fuerit. Sic omnes pœnitet, quorum triſtitia ſecundùm ſeculum eſt, non ſecundùm Deũ.
  - Altera eſt pœnitẽtia, cùm qs ex ſcelere admiſſo, quod qdẽ anteà placabat, dolorẽ non Dei, ſed ſuiipſi͏us cauſa ſuſcipit.
  - Tertia eſt, cùm nõ ſolùm admiſſi ſceleris cauſa intimo animi ſenſu dolem͏us, vel eius doloris externũ etiam aliquod ſignum damus, verùm vnius Dei cauſa in eo mœrore ſumus.
  - Verùm inter has pœnitẽtiæ ſignificatiões magnũ diſcrimẽ obſeruare oportet:
    - Prima enim in vitio ponenda eſt.
    - Altera eſt quædam commoti & perturbati animi affectio.
    - Tertiam dicimus
      - Tum ad virtutem pertinere.
      - Tũ ſacramentũ eſſe, quæ ſignificatio hui͏us loci ꝓpria eſt.
- Quñ accipitur pro
  - Virtute, ea
    - Intima dicitur pœnitentia, & eſt illa cùm ad Deum nos ex animo cõuertimus, & commiſſa à nobis ſcelera deteſtamur & odio habemus: ſimulq; illud nobis certum & deliberatum eſt, malam vitæ conſuetudinem, corruptosq; mores emendare, non ſine ſpe veniæ, à Dei miſericordia conſequendæ. Quòd autem intima hæc pœnitentia ad virtutẽ pertineat, apertè oſtendunt multa, q̃ de pœnitentia tradita ſunt præcepta. Lex enim de ijs tantùm actionibus, quæ ſuſcipiuntur cum virtute, præcipit. Negare prætereà nemo poteſt, quin dolere, quandò, quomodò & quatenùs oportet, virtutis ſit: hoc autem vt rectè fiat, pœnitentiæ virtus præſtat.
    - Ad quã licet aſcẽdere his velut gradibus:
      - Primùm itaq; Dei miſericordia nos præuenit, cordaq; noſtra ad ſe conuertit, Quod cùm precaretur Propheta: Conuerte inquit, nos Domine ad te, & conuertemur. Thren. 5.
      - Deindè hoc lumine illuſtrati, per fidem ad Deũ animo tẽdimus. Credere enim oportet accedentẽ ad Deũ, vt teſtatur apoſtolus, quia eſt, & requirẽtibus ſe remunerator ſit. ad Heb. 11.
      - Prætereà motus timoris conſequitur, & ſuppliciorũ acerbitate propoſita, animus à peccatis reuocatur.
      - Huc deindè accedit ſpes impetrandæ à Deo miſericordiæ, qua erecti, vitam & mores emendare conſtituimus.
      - Poſtremò charitate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis & ingenuis filijs dignus oritur: atq; ità vnum illud veriti, nè qua in re Dei maieſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omninò deſerimus.
  - Sacramento, externa dicitur pœnitentia q̃ habet externas quaſdã res ſenſibus ſubiectas, qbus declarantur ea, q̃ interiùs in anima fiũt. Eſſe aũt hãc pœnitẽtiam verè ſacramentũ, his oſtenditur rationibus:
    - Vt enim baptiſmus Sacramentum eſt, quia peccata omnia ac præſertim quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia, poſt baptiſmum voluntate vel actione ſuſcepta, tollit, verè & propriè ſacramentum dicendum eſt.
    - Deindè quod caput eſt, cùm illa quæ extrinſecùs, tum à pœnitente, tum à ſacerdote fiunt, declarent ea, quæ interiùs efficiuntur in anima, quis neget pœnitentiam vera & propria ſacramenti ratione præditam eſſe?
    - Quanq̃ hoc aptè indicant illa Saluatoris verba, Mat. 16. Tibi dabo claues regni cælorũ: & quodcunq; ſolueris ſup terrã, erit ſolutũ & in cælis. Abſolutio enim, ſacerdotis verbis enũciata, remiſſionẽ illã peccatorũ ſignat, quã in aĩa efficit.

DE POENITENTIAE MATERIA ET forma. TABVLA 66.

- *SACRAmẽti hui⁹*
  - *Quaſi materiam dicũtur alij*
    - *Actus pœnitentis,* *Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionẽ.* *Et hoc*
      - *Non quia veræ materiæ rationem non habeant,*
      - *Sed quia eius generis materia non ſint, quæ extrinſecùs adhibeatur, vt aqua in baptiſmo &c.*
    - *Peccata ipſa: vt enim ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis conſumuntur: ità peccata, quæ pœnitentia delentur, rectè huius Sacramenti materia vocari poſſunt.*
  - *Forma eſt: Ego te abſoluo. Atq; hanc formam*
    - *Licet colligere*
      - *Non ſolùm ex illis verbis: Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis:*
      - *Sed ex eadem Chriſti Domini doctrina, quam ab Apoſtolis traditam accepimus.*
    - *Adduntur præterea complures preces, non quidem ad formã neceſſariæ, ſed vt ea remoueantur, quæ ſacramenti vim & efficientiã illius culpa, cui adminiſtratur, impedire poſſent.*

- TRIA *ſunt, quæ ſibi tanquam finẽ proponit is, quẽ verè pœnitet:*
  - *Primum eſt, vt peccatum aboleat, omnemq; animæ culpam & maculam abſtergat.*
  - *Alterum, vt pro ſceleribus admiſſis Deo ſatisfaciat: quod quidem ad iuſtitiam referri perſpicuum eſt. Nam & ſi inter Deum & homines propria iuſtitiæ ratio intercedere non poteſt: aliquam tamen eſſe iuſtitiam conſtat, cuiuſmodi eſt inter Patrem & filios, inter dominum & ſeruos.*
  - *Tertium, vt homo in Dei gratiam redeat, in cuius offenſionem & odium propter peccati fœditatem incurrit. Hæc verò tria ſatis declarant, pœnitentiam ad virtutem ſpectare.*

DE INTEGRIS POENITENTIAE partibus. TABVLA 67.

- EST AV*tem huius ſacramenti propriũ, vt præter materiam et formã, quæ omnibus Sacramentis cõmunia ſunt, partes etiam habeat illas,*
  - *Quæ tanquam totã integramq; pœnitentiam conſtituant,*
    - *Contritionem, Cõfeſſionem, Satisfactionẽ.*
      - *Hæ autẽ partes dicuntur integræ, ex quibus pœnitentia ità conſtituitur, vt*
        - *Quanuis, quòd ad eius naturam attinet, contritio & confeſſio, quibus homo iuſtus efficitur, ſatis ſit.*
        - *Tamen niſi tertia etiam pars, i. Satisfactio accedat, aliquid ei omninò ad perfectionem deſit neceſſe eſt.*
  - *Quarum partium duplicem rationem afferre poſſumus.*
    - *Vnam, quòd animo, verbis, & reipſa peccata in Deum committantur. Quarè conſentaneum fuit, vt noſipſos Eccleſiæ clauibus ſubijcientes, quibus rebus Dei ſanctiſſimum numen à nobis violatum eſſet, iiſdem etiam eius iram placare, & peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur.*
    - *Alterum, quòd pœnitentia ſit veluti quædam delictorum compenſatio, ab eius voluntate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quẽ peccatum commiſſum eſt, conſtituta. Quarè & voluntas compenſandi requiritur, in quo maximè contritio verſatur: & pœnitens ſacerdotis iudicio, qui Dei perſonam gerit, ſe ſubijciat neceſſe eſt, vt pro ſcelerum magnitudine pœnam conſtituere in eum poſſit: ex quo tum confeſſionis, tum ſatisfactionis ratio & neceſſitas perſpicitur.*

DE CON-

DE CONTRITIONE, PRIMA POENITENTIAE parte.

TABVLA 68.

IN CONtritione ſpectanda ſunt hæc:

- *Quid ſit.* Eam verò ità definiunt patres in Concilio Tridentino: Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi decæterò. Et paulò pòſt de contritionis motu ſubijcitur: Ità demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur, coniunctus ſit.
- *Ad verum contritionem quæ ſint neceſſaria.*
  - Primùm enim neceſſe eſt, peccata omnia quæ admiſimus, odiſſe & dolere: nè, ſi quædam tantùm doleamus, ficta & ſimulata, neque ſalutaris pœnitentia à nobis ſuſcipiatur. Nam qui offendit in vno, factus eſt omnium reus. Iacob. 2.
  - Alterum eſt, vt ipſa contritio, confitendi & ſatisfaciendi voluntatem coniunctam habeat: de quibus poſteà ſuo loco agetur.
  - Tertium eſt, vt pœnitens vitæ emendandæ certam & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat. Hoc verò propheta his verbis apertè nos docuit: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur, &c. & paulò pòſt: Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animã ſuam viuificabit. Ezech. 18.
  - Deniquè curandum eſt, vt quidquid iniuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur ac condonetur. Niſi enim dimiſerimus hominibus, nec pater noſter demittet nobis peccata noſtra. Matth. 6.
- *Quis præcipuus eius ſit fructus*
  - Porrò veræ contritionis ea vis eſt, vt illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatìm à Domino impetremus. Id ſatìs apertè declarant Prophetæ verba illa: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Dño, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pſal. 31.
- *Qua ſe quiſq; ratiõe ad cõtritiõem exercere poſſit: qua in re admonendi ſumus,*
  - Vt omnes conſcientiam ſuam frequenter excutientes videant, num quæ à Deo, ſiue eccleſiaſticis ſanctionibus præcepta ſunt, ſeruauerint.
  - Quòd ſi quis alicuius ſceleris reum ſe eſſe cognouerit, ſtatìm ſeipſum accuſet, ſupplexq; à Domino veniam expoſcat, & ſpatium tum confitendi, tum ſatisfaciendi, ſibi dari poſtulet.
  - Inprimìs verò diuinæ gratiæ præſidio ſe adiuuari petat, nè in poſterum eadem illa peccata admittat, quæ admiſiſſe vehementer pœnitet.
  - Curandum erit prætereà, vt in peccatũ ſibi quiſque ſummum odium concitet:
    - Tum, quia ſumma eſt illius fœditas & turpitudo:
    - Tum, quia grauiſſima damna & calamitates nobis affert.

DE CONFESSIONE, SECVNDA POENITENTIÆ parte, ac primùm de eius natura & efficientia.

TAB. 69.

IN confeſſiõe videndũ eſt, quæ ſit

- *Definitio: Eã igitur definiunt*
  - *Eſſe peccatorum accuſationem, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eò ſuſceptam, vt veniam virtute clauium impetremus.*
  - *Huic ferè concordant Patres, vel vti cùm ſanctus*
    - *Auguſtinus inquit: Confeſſio eſt, per quam morbus latens, ſpe veniæ aperitur.*
    - *Gregorius: Confeſſio eſt peccatorum deteſtatio.*
    - *Quarũ vtraq; quæ in ſuperiori definitiõe cõtinetur, facilè ad eã referri poterit.*
- *Conditiones. curãdum eſt enim ſedulò, vt Cõfeſſio ſit*
  - *Integra & abſoluta, quod adeò neceſſarium eſt, vt ſi quis dedita opera alia quidem ex iis, quæ explicari debent, prætermittat, alia verò tantùm confiteatur, non ſolùm ex ea confeſſione is commodum nullum conſequatur, ſed etiam nouo ſcelere ſe obſtringat.*
  - *Non diſſoluta, nè fortè nimis remiſſè conſcientiam noſtram ſcrutati ſimus, adeoq; negligenter peccata admiſſa memoria repetere ſtuduerimus, vt ea ne recordari quidem voluiſſe, meritò videri poſſimus.*
  - *Nuda, ſimplex & aperta, non artificioſè compoſita, vt à nonnullis fit, qui potiùs vitæ ſuæ rationem exponere, quàm peccata confiteri videntur.*
  - *Prudens & verecunda: neque enim nimis multis verbis agendum eſt, ſed quæ ad cuiuſque naturam & rationem pertinent, breui oratione, quæ modeſtiam coniunctam habeat, aperienda ſunt.*
  - *Secreta: in quo tum confitenti, tum ſacerdoti maximè laborandum eſt, vt eorum ſermo in confeſſione ſecretò habeatur. Quarè fit, vt nemini omninò neque per nuncium, neque per literas, quoniam ea ratione nihil iam occultè agi poteſt, peccata confiteri liceat.*
  - *Frequens. Nulla enim res fidelibus adeò curæ eſſe debet, quàm vt frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudeant expiare. Etenim cùm aliquis mortifero ſcelere vrgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt, ob multa, quæ impendent, vitæ pericula, quàm ſtatim peccata ſua confiteri. Nam vt ſibi quiſq; diuturnum vitæ ſpatium polliceri queat, turpe profectò eſt, cùm in eluendis corporis aut veſtium ſordibus tam diligentes ſimus, non eadẽ ſaltem diligentia curare, nè animæ ſplendor turpiſſimis peccati maculis obſoleſcat.*

DE QVIBVSDAM AD CONFESSIONEM pertinentibus. TABVLA 70.

IN confeſſiõe faciẽda adhibere cõuenit
- *Enumerationem*
  - *Peccatorum*
    - *Mortalium, quæ omnia ſacerdoti aperire oportet.*
    - *Venialium, quæ quidem*
      - *Sine culpa prætermitti, multisq́ alijs rationibus expiari poſſunt.*
      - *Vtiliter tamen, quod piorum vſus demonſtrat, confitemur.*
  - *Circumſtantiarum, quæ prauitatem valdè vel*
    - *Augent,*
    - *Minuunt.*
- *Rationem*
  - *Temporis. Sancta enim Eccleſia in Concilio Lateranenſi iubet quidem ſemèl ſaltem quotannis fideles omnes peccata ſua confiteri: verùm ſi, quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet, conſideremus: profectò quotiès vel mortis periculũ imminet, vel aliquam rem tractare adgredimur, cuius tractatio homini peccatis contaminato non conueniat, velutì cùm Sacramenta adminiſtramus, aut percipimus, totiès confeſſio prætermittenda non eſt.*
  - *Aetatis, in qua illud vniuersè ſtatuendum videtur, ab eo tempore confeſſionem puero indictam eſſe, cùm inter bonum & malum diſcernendi vim habet, in eiusq́ mentem dolus cadere poteſt.*
- *Ceremonias & ritus*
  - *Qui etſi ad Sacramenti rationem non ſpectant, eius tamen dignitatem magìs ante oculos ponunt, & confitentium animos pietate accenſos, ad Dei gratiam faciliùs conſequendam præparant. Cùm enim aperto capite, ad pedes ſacerdotis abiecti, demiſſo in terrã vultu, ſupplices manus tendentes, aliaq́ huiuſmodi Chriſtianæ humilitatis ſigna dantes, quæ ad ſacramenti rationem neceſſaria nõ ſunt, peccata confitemur, ex his perſpicuè intelligimus, tum in ſacramento cæleſtem vim agnoſcendam, tum à nobis diuinam miſericordiam ſummo ſtudio requirendam, atque efflagitandam eſſe.*

DE CONFESSIONIS INSTITVTIONE ET miniſtro. TABVLA 71.

Confeſſio Chriſto Deo, qui benè omnia, & vnius ſalutis noſtræ cauſa fecit, ob eius ſummam bonitatem & miſericordiam inſtituta eſt.

CONfeſſionis miniſter debet eſſe
- *Legitimus & idoneus, qualis eſt*
  - *Sacerdos, qui habeat poteſtatem*
    - *Ordinis*
    - *Et iuriſdictionis.*
      - vel *Ordinariam,* / *Delegatam.* — *Vt ex eccleſiaſticis ſanctionibus ſatis appáret.*
  - *Quanquàm ſi mortis periculum imminet, & proprij ſacerdotis facultas nõ datur: quilibet Sacerdos & peccata condonare, & ab excommunicationis vinculo abſoluere poteſt.*
- *Preditus*
  - *Scientia & Prudẽtia:*
    - *Quæ in eo requĩrũtur, vt in*
      - *Iudice, cui ſcientia nõ vulgaris eſt neceſſaria, qua & peccata inueſtigare, & ex varijs peccatorũ generibus, q̃ grauia q̃ leuia ſint, ꝓ cuiuſq; hominis ordine & genere iudicare poſſit.*
      - *Medico, q ſumma quoq; prudentia indiget, vt ea remedia ægroto adhibeãtur, q̃ ad illius animã ſanandam, & in poſterum contra morbi vim muniendam aptiora eſſe videantur.*

DE CONFESSIONIS VTILITATE ET neceſsitate. TABVLA 72.

EST itaque confeſſio non tantùm

Vtilis ad

- *Conſequendam ſcelerum remiſſionem,*
- *Mores emendandos,*
- *Cohibendam peccandi conſuetudinem: etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati & licentiæ tanquàm frenos inijcit, & improbitatem coërcet:*

Sed etiam neceſſaria, quòd quidem pulcherrima translatione à Domino apertè ſignificatū videmus, cùm huius ſacramenti adminiſtrandi poteſtatem, clauem regni cælorum appellauit. Vt enim locum aliquem ingredi nemo poteſt ſine eius opera, cui claues commiſſæ ſunt: ſic intelligimus neminem in cælum admitti, niſi fores à ſacerdotibus, quorum fidei claues Dominus tradidit, aperiantur. Aliter enim nullus planè clauium vſus in Eccleſia eſſe videbitur: ac fruſtrà is, cui clauium poteſtas data eſt, quempiam cæli aditu prohibebit, ſi tamen alia via introitus patere queat.

DE CONDITIONIBVS, AD CONFESSIOnem verè pœnitentibus neceſſarijs. TABVLA 73.

QVARè cùm fideliū ſaluti omni ſtudio ſuccurrendū ſit, ſacerdotes in pœnitēte diligenter obſeruabunt,

Si veram peccatorum ſuorum contritionem habeat, certumq́; illi ſit, in poſterum à peccatis abſtinere, admoneatur, vt

- *Pro tanto & tam ſingulari beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cæleſtis gratiæ præſidium petere nunquàm deſinat.*
- *Nullum patiatur eſſe diem, quin aliquid de paſſionis Domini myſterijs meditetur, ad eumque imitandum & ſumma charitate amandum, ipſe ſe excitet atque inflammet.*

Sin adeò peccata ſua non doleat, vt verè contritus dicendus ſit, conetur magno contritionis deſiderio eum afficere, vt deindè huius præclari doni cupiditate incēſus, illud à Dei miſericordia petere & efflagitare, in animum inducat.

Inprimìs autem reprimenda eſt, quorundam ſuperbia, qui ſcelera ſua excuſatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur.

Perniciosior autem eſt illorum culpa exiſtimanda, qui ſtulta quadam verecundia impediti, peccata confiteri non audent.

Alij ſunt, qui, vel quòd raró peccata confiteri ſolent, vel quòd nullam curam & cogitationem in perueſtigandis ſuis ſceleribus poſuerunt, nec commiſſa confeſſione expedire, nec, vndè eius officij initium ducendum ſit, ſatis ſciunt.

CAVTIO.

Si audita confeſsione, ſacerdos iudicauerit, neque in numerandis peccatis diligētiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti omninò defuiſſe, abſolui poterit. Sin autem vtrunque in eo deſiderari animaduerterit, author illi & ſuaſor erit, vt maiorem curam in excutienda conſcientia adhibeat, hominemq́ue, vt blandiſsimè poterit, tractatum dimittet.

DE SATISFACTIONE, TERTIA PARTE POENITENTIAE:

ac primùm de eius neceſſitate. TABVLA 74.

DVO ſunt, quæ peccatũ conſequuntur: *Macula,* & *Pœna.*

Ac quamuis *Semper, culpa dimiſſa, ſimul etiam mortis æternæ ſupplicium, apud inferos conſtitutum, condonetur:*

Tamen non ſemper contingit, quẽadmodùm à Tridentina Synodo declaratum eſt, vt Dominus peccatorum reliquias, & pœnam certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, remittat.

Verùm qua de cauſa factum ſit, vt pœna omnis pœnitentiæ Sacramento, æquè àc baptiſmo non condonetur, præclarè à ſancta Tridentina Synodo explicatum eſt his verbis: Diuinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemèl à peccati & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritûs ſancti dono, ſciẽtes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Et diuinam Clementiam decet, nè ità nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt, occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis irã in die iræ.

DE SATISFACTIONIS SIGNIFICATIONE.

TABVLA 75.

SATISFACERE, vt nõnulli definiêrunt, eſt

Deo debitum honorem impendere, quod non poteſt, niſì qui peccata vitare omninò conſtituat.

Cauſas peccatorum excidere, & eorum ſuggeſtioni aditum non indulgere. In quam ſententiam alij aſſenſerunt, ſatisfactionem eſſe purgationem, qua eluitur, quidquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit, atque à pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, abſoluimur.

QVÒD *ad hunc locum pertinet, ſatisfactionis nomẽ theologi pro ea compenſatione vſurpârũt, cùm homo pro peccatis commiſſis Deo aliqd perſoluit. Ità fit, vt ſatisfactio variè accipiatur:*

Ac prima quidem & præſtantiſſima illa eſt, qua pro ſcelerum noſtrorum ratione, etiamſi Deus ſummo iure nobiſcum velit agere, quidquid à nobis debeatur, cumulatè perſolutum eſt. Hæc verò eiuſmodi eſſe dicitur, quæ nobis Deum propitium & placatum reddit, eamq́ue vni Chriſto Domino acceptã ferimus, qui in cruce, precio pro peccatis noſtris ſoluto, pleniſſimè Deo ſatisfecit.

Alterum ſatisfactionis genus, quæ & Canonica appellatur, & certo temporis ſpatio definita perficitur. Quarè antiquiſſimo Eccleſiæ vſu receptum eſt, vt, cùm pœnitentes à peccatis ſoluuntur, pœna aliqua eis irrogetur: cuius pœnæ ſolutio, ſatisfactio vocari conſueuit.

Eodem verò nomine quodlibet etiam pœnæ genus ſignificatur, quam pro peccatis non quidem à Sacerdote conſtitutam, ſed ſpontè noſtra ſuſceptam, atque à nobis ipſis repetitam ſuſtinemus. verùm hæc ad pœnitentiam, vt ſacramentũ eſt, minimè pertinet:

Sed illa tantùm Sacramenti Pars cenſenda eſt, quam diximus ex præcepto Sacerdotis Deo pro peccatis dependi, hoc adiuncto, vt ſtatutum cum animo & deliberatum habeamus, peccata in poſterum omni ſtudio vitare.

IN SATISFACTIONE QVAE SINT inſpicienda. TABVLA 76.

FREQVENTISSIMè *à S. Auguſtino docemur, duo hæc in pœnitentia animaduertenda eſſe, Dei*

- *Miſericordiam, qua peccata & pœnas æternas illi debitas condonat.*
- *Iuſtitiam, qua pœnis tempore definitis hominem punit.*

QVAE RES AD VERAM SATISFACTIONEM requirantur. TABVLA 77.

SED DVO *præcipuè in Satisfactione requiruntur.*

- *Primum eſt, vt is qui ſatisfacit, iuſtus ſit ac Dei amicus. opera enim, quæ ſine fide & charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt.*
- *Alterum, vt eiuſmodi opera ſuſcipiantur, quæ natura ſua dolorem & moleſtiam afferant. Etſi verò vel patiendi conſuetudo, vel accenſa in Deum charitas, efficiat, vt quæ perpeſſu grauiſſima ſunt, ne ſentiantur quidem, non tamen eo minùs ſatisfaciendi vim habent. Siquidem hoc proprium eſt filiorum Dei, ità eius amore & pietate inflammari, vt acerbiſſimis laboribus cruciati, aut nihil ferè incommodi ſentiant, aut omnia lætiſſimo animo perferant.*

DE SATISFACTIONIS PARTIBVS. TABVLA 78.

OMNE SATISFA*ctionis genus, ad hæc tria præcipue conferandũ eſt, videlicet*

- *Orationem,*
- *Ieiunium,*
- *Eleemoſynã.*

Quæ reſpondent tribus bonis,

- *Animæ,*
- *Corporis,*
- *Externis.*

Quæ omnia à Deo accepimus.

Nam cùm omne quod in mundo eſt, aut ſit

- *Concupiſcentia carnis,*
- *Concupiſcentia oculorum,*
- *Superbia vitæ:*

Hiſce morbi cauſis totidèm opponuntur medicinæ,

- *Ieiunium,*
- *Eleemoſyna,*
- *Oratio.*

Cum ſint etiam, quos peccatis noſtris offendimus,

- *Deus,*
- *Proximus,*
- *Nos ipſi:*

Iterùm

- *Deum oratione placamus,*
- *Eleemoſyna proximo ſatisfacimus,*
- *Ieiunio nosipſos caſtigamus.*

QVAE SATISFACTIONIS SIT VTILITAS.

TABVLA 79.

HABET *Satisfactio non paruas vtilitates:*

- *Primò enim magnoperè à peccato reuocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ Satiſfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in poſterum pœnitentes efficiunt.*
- *Accedit, vt tanquàm teſtificationes quædam ſint doloris, quē ex peccatis commiſſis capimus, qua ratione Eccleſiæ fit ſatis, quæ noſtris ſceleribus grauiter offenſa eſt.*
- *Præterea pœnitentiæ noſtræ exempla alios docent, quomodò ipſi vitam inſtituere debeant.*
- *Deindè verò huiuſmodi pœnarum perpeſſione conſequimur, vt capitis noſtri Ieſu Chriſti, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, ſimilitudinem & imaginem geramus. Nihil enim tam deforme videri poteſt, vt à S. Bernardo dictum eſt, quàm ſub ſpinoſo capite delicatum eſſe membrum.*
- *Ad hæc, Satiſfactionis quanta vis ſit, ex eo colligitur, quòd tota à Chriſti Domini paſſionis merito pendet. A quo etiā honeſtis actionibus duo illa maxima bona conſequimur:*
  - *Alterum eſt, vt immortalis gloriæ præmia mereamur, ità vt calix etiam aquæ frigidæ, quam in eius nomine dederimus, mercede non careat.*
  - *Alterū, vt pro peccatis noſtris ſatisfaciamus. Neq. verò id perfectiſſimam Chriſti Domini ſatisfactionem obſcurat, ſed multo clariorem & illuſtriorem reddit. Chriſtus enim Dominus tāquàm caput in membra, & vitis in palmites, gratiam ſuam in eos, qui ſibi per charitatem coniuncti ſunt, continenter diffundit. Quæ quidem gratia bona opera noſtra ſemper antecedit, comitatur, & conſequitur, & ſine qua mereri & ſatisfacere Deo nullo modo poſſumus.*

QVAESTIO, NVM VNVS PRO ALTERO ſatisfacere poſſit.

IN eo verò ſumma Dei bonitas & clementia, maximis laudibus & gratiarum actionibus prædicāda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus poſſet pro altero ſatisfacere: quod quidem huius partis pœnitentiæ maximè proprium eſt. Vt enim quòd ad contritionem & confeſſionem attinet, nemo pro altero dolere aut confiteri poteſt: ità qui diuinà gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſoluere. quarè fit, vt quodā pacto alter alterius onera portare videatur. Ad Galat. 6.

SENTENTIAE HVIVS CONFIRMATIO.

NEC verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo, ſanctorum communionem confitemur. Nam cùm omnes eodem baptiſmo abluti, Chriſto renaſcamur, eorundem Sacramentorum participes ſimus, inprimis verò eiuſdem corporis & ſanguinis Chriſti Domini cibo & potu recreemur: hoc apertiſſimè demonſtrat, nos omnes eiuſdem corporis eſſe membra. Quemadmodùm igitur neque pes ſuæ tantùm, ſed etiam oculorum vtilitatis cauſa, munere ſuo fungitur: neque rurſùs quòd oculi videant, ad illorum propriam, ſed ad communē omnium membrorum vtilitatem referendum eſt: ità communia inter nos ſatisfactionis officia exiſtimari debent.

LIMITATIO EIVSDEM.

NEQVE tamen id ſine vlla exceptione verum eſt, ſi commoda omnia, quæ ex ea capiuntur, ſpectemus. Nam ſatisfactionis opera, medicinæ etiam & curationes quædam ſunt, quæ pœnitenti ad ſanandos prauos animi affectus præſcribuntur, quo quidem vtilitatis fructu eos, qui per ſe non ſatisfaciunt, prorſùs carere perſpicuum eſt.

DE EXTREMAE VNCTIONIS SACRAMENTO, ET PRIMVM

de huius Vnctionis natura &c. TABVLA 80.

Hoc ſacramentum idcircò extrema Vnctio appellatum eſt, quòd hæc omnium ſacrarum vnctionum, quas Dominus Saluator noſter Eccleſiæ ſuæ commendauit, vltima adminiſtranda ſit. Quarè hæc ipſa vnctio à Maioribus noſtris Sacramentum etiam Vnctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium dicta eſt.

QVÒD autem *extremæ Vnctioni propria Sacramenti ratio conueniat, probatur*

Verbis D. Iacobi Apoſtoli: Infirmatur quis in vobis? inquit, inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Nam quòd condonari peccata Apoſtolus affirmat, in eo declarat Sacramẽti vim & naturam. Iacob. 5.

Authoritate conciliorũ, cùm aliorũ plurium, tum Tridentini, quod hãc Catholicæ Eccleſiæ de extrema vnctione doctrinã fuiſſe perpetuam ità declarat, vt in eos omnes anathematis pœnam cõſtituerit, qui aliter docere aut ſentire audeant.

Teſtimonijs { *Innocentij, Dionyſij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Gregorij Magni.*

Etſi verò ex pluribus rebus & verbis cõſtituitur, eſt tamen vnum,

Non quidem Partium cõtinuatione, quæ diuidi non poſſint:

Sed perfectione, cuiuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant:

Vnum, inquam, ſignum eſt, & vnius rei, quam ſignificat, efficientiam habet.

QVATVOR PRAECIPVE AD EXTREMAM

Vnctionem requiruntur. TABVLA 81.

HVIVS *ſacramenti*

Author eſt Deus. cùm enim demonſtratum ſit, extremam Vnctionem verè & propriè in Sacramentorum numero habendam eſſe: illud etiam ſequitur, eius inſtitutionem à Chriſto Domino profectam eſſe, quæ poſteà à S. Iacobo Apoſtolo fidelibus propoſita & promulgata eſt.

Miniſter, Sacerdos ritè ordinatus: { *Non tamen quiuis,* / *Sed* { *Proprius Paſtor, qui habeat iuriſdictionem:* / *Vel alius, cui ille eius muneris fungendi poteſtatem fecerit.*

Materia eſt oleum ab Epiſcopo conſecratũ, liquor ſcilicet non ex quauis pingui & craſſa materia, ſed ex olearum baccis tantummodò expreſſus. Aptiſſimè autem hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur. Nam vt oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit, ità Sacramenti virtus animæ triſtitiam ac dolorem minuit.

Forma verò Sacramenti, eſt verbum & ſolennis illa precatio, quam ſacerdos ad ſingulas actiones adhibet, cùm inquit: Per iſtam ſanctam vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, ſiue narium, ſiue tactûs vitio deliquiſti.

Adhibetur quidem hoc ſacramentum, vt præter ſpiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatẽ etiam reſtituat ægrotis. tamen qa non ſemper ſequitur, vt ægri à morbis conualeſcant, ob eàm cauſam precatione forma conficitur, vt à Dei benignitate id impetremus, quod ſacramenti vis conſtãti & ꝑpetuo ordine ex ea parte efficere nõ ſolet.

Atque hinc fit, vt cùm

Aliorum ſacramẽtorũ forma vel { *Abſolutè ſignificet, quod efficit, vt cùm dicimus, Baptizo te, aut, Signo te &c.* / *Tanquàm ab imperantibus ꝓnuncietur. vt, Accipite poteſtatem &c.*

Hæc vna Extremæ Vnctionis forma precatione quadam abſoluatur.

DE VN.

DE VNCTIONIS EXTREMAE CAEREMONIIS & ritibus. TABVLA 82.

ADHIbentur in huius quoquè Sacramẽti adminiſtratione proprij quidam ritus, qui continent

- *Precationes, quibus ſacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam vtitur. Nullum enim eſt aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur: ac rectè quidem, quoniam eo potiſſimùm tempore fideles pij obſecrationibus adiuuandi ſunt.*
- *Obſeruationem, ſiue rationẽ habẽdam*
  - *Perſonarũ. Quãuis enim hoc Sacramẽtum ad oẽs pertineat, quædã tamen hominum genera excipiuntur, quibus adminiſtrandum nõ eſt*
    - *Ac primùm excipiuntur, qui ſano & firmo corpore ſunt: ijs enim extremam vnctionẽ tribuendam non eſſe*
      - *Et Apoſtolus docet, cùm inquit. Infirmatur quis in vobis? Iacob. 5.*
      - *Et ratio oſtendit, ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modò vt animæ, ſed etiam vt corpori medicinam afferat.*
    - *Omnes prætereà, qui rationis vſu carent, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt.*
    - *Et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare huius Sacramenti remedio opus ſit.*
    - *Amentes itẽ & furioſi, niſi interdùm rationis vſum haberent, & eo potiſſimùm tempore pij animi ſignificationem darent, peterentque vt ſacro oleo vngerentur.*
  - *Partium corporis. non enim totum corpus, neque omnes corporis partes vngendæ ſunt, ſed ea tantùm membra, in quibus potiſſimùm ſentiendi vis eminet, putà:*
    - *Oculi, Aures, Nares, Os, Manus, Renes, Pedes* — *Propter* — *Viſionem. Auditum. Odoratum. vel Guſtum. / Sermonẽ. Tactum. Libidinem. Ingreſſum.*
  - *Temporis. Nam hæc vnctio tũc eſt adhibenda,*
    - *Cùm graui morbo affligimur, ac vitæ periculum impendet.*
    - *Semèl tãtùm in vna eademq́ ægrotatione,*
    - *Sed quotiès poſteà quiſpiã in aliud vitæ diſcrimẽ inciderit, totiès eiuſdẽ ſacramẽti ſubſidiũ ei poterit adhiberi.*
    - *Ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quæ iterari ſolent, reponendã eſſe hãc vnctionem.*
- *Præparationem ad ſuſcipiendã ſacrã vnctionẽ: vbi iſthæc curanda ſunt:*
  - *Primùm, quoniam nihil magìs huius Sacramẽti gratiam impedit, quàm alicuius peccati mortiferi conſcientia, ſeruanda eſt Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, vt ante extremam Vnctionem pœnitẽtiæ & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur.*
  - *Deindè ægroto perſuadendum eſt, vt ea fide ſe vngendum ſacerdoti præbeat, qua olìm, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſeipſos offerre conſueuerant.*
  - *Inprimìs autem animæ ſalus, deindè corporis valetudo, cum illa adiũctione, ſi ea ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt.*
  - *Nec verò dubitare fideles debent, quin ſanctæ illæ & ſolennes preces à Deo audiantur, quibus Sacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ & Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam gerens, vtitur.*

DE SA-

DE SACRAMENTI HVIVS EFFECTIBVS ſeu fructibus. TABVLA 83.

EXPLICANDÆ etiam ſunt vtilitates, quas ex hoc ſacramẽto capimus, quarum

- Vna eſt, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & inprimis quidem leuiora, & vt communi nomine appellantur, venialia remittit: exitiales enim culpæ, pœnitẽtiæ Sacramento tolluntur.
- Altera eſt Sacræ Vnctionis vtilitas, quòd animam à languore & infirmitate, quã ex peccatis contraxit, & à cæteris omnibus peccati reliquijs liberat, eamque pio & ſancto gaudio replet.
- Præterea fidelibus arma & vires hoc Sacramento ſubminiſtrantur, quibus aduerſarij vim & impetum frangere, & illi fortiter repugnare poſſint.

DE ORDINIS SACRAMENTO, ET PRIMVM DE VI NOMInis, atque Sacramenti ratione. TABVLA 84.

CVM naturali inſtinctu homines agnoſcerent Deũ colendũ eſſe: cõſequẽs erat, vt in quauis Rep. aliq ſacrorũ & diuini cultûs procurationi p̃ficerentur, quorũ poteſtas aliquo modo ſpiritualis diceretur. Atq̃ hęc quidẽ poteſtas ĩ lege Euangelica

- Eſt cæleſtis, omnemque angelorum etiam virtutem ſuperat, neque à Sacerdotio Moſaico, ſed à Chriſto Domino, qui non ſecundùm Aaron ſacerdos fuit, ſed ſecũdùm ordinem Melchiſedec, ortum habet. Is enim, qui ſumma poteſtate gratiam tribuendi, & peccata remittendi præditus fuit, hanc poteſtatem, quamuis virtute definitam, & Sacramentis adſtrictam, Eccleſiæ ſuæ reliquit. quarè ad eam exercendam certi miniſtri inſtituti ſunt, & ſolenni religione conſecrati, quæ quidem conſecratio, Ordinis Sacramentum vel ſacra ordinatio vocatur.
- Diuiditur in poteſtatem
  - Ordinis, q̃ ad verũ Chriſti Dñi corp⁹ in ſacroſancta Euchariſtia refertur. De quo hoc loco quæruntur duo:
    - Quid ſignificet. Eſt enim ordo, ſi propriam eius vim & notionem accipiamus, diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum, quæ inter ſe ità aptæ ſunt, vt vna ad alteram referatur. Cùm itaque in hoc miniſterio multi ſint gradus, & variæ functiones, omnia verò certa ratione diſtributa ſint & collocata, rectè & commodè ordinis nomen ei impoſitum videtur.
    - Num inter cætera Eccleſiæ Sacramenta, ſacra ordinatio numerãda ſit. Et quidem habere eã propriam ſacramẽti rationẽ, probatur
      - Authoritate
        - Sacræ ſcripturæ, ex verbis
          - Chriſti Ioan. 20. Matt. 18. ſicut miſit me Pater, et ego mitto vos: Accipite ſpiritũ S. quorũ remiſeritis peccata, remittũtur eis, &c.
          - Pauli 2. Tim. 1. Admoneo te, vt reſuſcites gratiã Dei, q̃ eſt in te p̃ impoſitionẽ manuũ mearũ.
        - Concilij Tridentini.
      - Ratione: Nam cùm ſacramentum ſit rei ſacræ ſignum, id verò quod hac conſecratione extrinſecùs fit, gratiam & poteſtatẽ ſignificet, quæ illi tribuitur, qui conſecratur: omninò ſequi perſpicuum eſt, Ordinem verè ac propriè ſacramentum dicẽdum eſſe.

        Quarè Epiſcopus ei qui ſacerdos ordinatur, inquit: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificiũ &c. Quibus verbis perdocuit Eccleſia, poteſtatem conſecrandæ Euchariſtiæ charactere animo impreſſo tradi, cui gratia adiuncta ſit ad illud munus ritè & legitimè obeundum.
  - Iuriſdictionis, quæ tota in Chriſti corpore myſtico verſatur, ad eam enim ſpectat, Chriſtianum populum gubernare & moderari, & ad æternam cæleſtemque beatitudinem dirigere.

DE ORDINIBVS, ET PRIMVM DE PRIMA tonſura. TABVLA 85.

ORDINES incipiendi ſunt à prima tonſura,

- *Quæ eſt præparatio quædam ad ordines accipiendos. Vt enim homines ad baptiſmum exorciſmis, ad matrimonium ſponſalibus præparari ſolent: ità cùm, tonſo capillo, Deo dedicantur, tanquàm aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur.*
- *Quē tondendi morem*
  - *Primùm omnium Apoſtolorum Principem introduxiſſe ferunt.*
  - *Deindè etiam meminerunt eius vetuſtiſſimi & grauiſſimi Patres,*
    - *Dionyſius Areopagita,*
    - *Hieronymus,*
    - *Auguſtinus.*
- *Et fit in capite ad*
  - *Similitudinem coronæ, & hoc vel ad*
    - *Memoriam Coronæ, quæ ſpinis contexta, Saluatoris noſtri capiti fuit impoſita.*
    - *Declarandam regiam dignitatem, quæ ijs maximè, qui in ſortem Domini vocati ſunt, conuenire videtur.*
  - *Figuram circuli, quæ omnium perfectiſſima eſt, ad ſignificandam vel perfectioris vitæ profeſſionem à clericis ſuſceptam, vel externarum rerum contemptionem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem.*
- *Porrò qui ſic tondentur, Clerici dicuntur, quod nomen illis tunc primùm imponitur, & ab eo deductum eſt, quòd Dominum ſortem & hæreditatem ſuam habere incipiant,*

DE ORDINVM NVMERO ET GRADIBVS, ac primùm de minoribus Ordinibus. TABVLA 86.

HI ORdines ſeptenario cõtinentur numero. Ex quibus alij dicuntur minores:

- *Nam poſt primam tõſuram ad Oſtiarij ordinē primus gradus fieri conſueuit. eius munus eſt,*
  - *Templi claues & ianuam cuſtodire, & aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat.*
  - *Ad ſanctum etiam Miſſæ ſacrificium aſſiſtebat, curaturus nè quis propiùs, quàm par eſſet, ad ſacram aram accederet, & ſacerdotem rem diuinam facientem interpellaret.*
- *Secundus ordinis gradus eſt Lectoris munus. Ad quem pertinet*
  - *In Eccleſia, veteris & noui teſtamenti libros clara voce & diſtincta recitare.*
  - *Prima Religionis Chriſtianæ rudimenta fidelibus tradere.*
- *Tertius eſt ordo Exorciſtarum, quibus poteſtas data eſt nomen Domini inuocandi in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur.*
- *Acolytorum quartus eſt gradus. Eorum munus eſt,*
  - *Miniſtros maiores, Subdiaconos & Diaconos, in altaris miniſterio aſſectari, eiſque operam dare.*
  - *Præterea lumina deferunt, cùm Miſſæ ſacrificium celebratur, præcipuè verò cùm Euangelium legitur. ex quo & Ceroferarij alio nomine vocati ſunt.*

DE SACRIS ORDINIBVS, QVI DICVNTVR Maiores.

TABVLA 87.

ALII ORdines, Maiores & ſacri dicuntur. Qui tribus diſtinguuntur gradibus.

- *In eorum primo gradu ſubdiaconus collocatur: cuius munus eſt,*
  - *Diacono ad altare inſeruire. Sacra enim lintea, vaſa, panem, & vinum ad ſacrificij vſum neceſſaria parare debet.*
  - *Nunc Epiſcopo & Sacerdoti aquã præbet, cùm manus in Miſſæ ſacrificio abluunt.*
  - *Epiſtolam etiam, quæ olim à diacono in Miſſa recitabatur, Subdiaconus legit, ac tanquàm teſtis ad ſacrum aſsiſtit, probibetq́ ne ſacerdos ſacra faciens, à quopiam perturbari poßit.*
- *Secundum gradum Diaconus obtinet: cuius miniſteriũ latiùs patet, ſanctiusq́ ſemper habitũ eſt. Ad eum enim pertinet,*
  - *Epiſcopum perpetuò ſequi, concionantem cuſtodire, eiq́ & Sacerdoti ſacra facienti, vel alia Sacramenta adminiſtranti, præſtò eſſe, & in Miſſæ Sacrificio Euangelium legere.*
  - *Peruestigare, quinã in vrbe piè & religiosè, quiue ſeciùs vitam traducant &c.*
  - *Licet ei præterea, ſi abſit Epiſcopus & Sacerdos, Euangelium explanare, non tamen è ſuperiori loco. vt intelligatur, hoc eius proprium munus non eſſe.*
- *Tertius omniumq́ Sacrorum ordinũ ſummus gradus eſt, Sacerdotium. Qui verò illo præditi ſunt, eos veteres Patres appellant interdum*
  - *Presbyteros, quod Græcè ſeniores ſignificat:*
    - *Non ſolùm propter ætatis maturitatem, quæ huic ordini maximè neceſſaria eſt.*
    - *Sed multo magis, propter morũ grauitatẽ, doctrinã & prudẽtiam.*
  - *Sacerdotes,*
    - *Tum quia Deo conſecrati ſunt:*
    - *Tum quia ad eos pertinet, Sacramenta adminiſtrare, ſacrasq́ res & diuinas tractare.*

DE SACERDOTIO.

TABVLA 80.

DVPLEX in Sacris literis deſcribitur Sacerdotium.

- *Interius, quo omnes fideles, poſtquàm aqua ſalutari abluti ſunt, ſacerdotes dicuntur, præcipuè verò iuſti, qui Spiritum Dei habent, & diuinæ gratiæ beneficio, Ieſu Chriſti ſummi Sacerdotis viua membra effecti ſunt. hi enim fide, quæ charitate inflammatur, in altari mentis ſuæ ſpirituales Deo hoſtias immolant. Quo in genere bonæ omnes & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt. Apocal. 1. 1. Pet. 2. Rom. 12.*
- *Externum verò Sacerdotium non omnium fidelium multitudini, ſed certis hominibus conuenit, qui legitima manuum impoſitione, ſolennibusque ſanctæ Eccleſiæ cæremonijs inſtituti, & Deo conſecrati, ad aliquod proprium ſacrumque miniſterium aſſcribuntur. Et hoc tantummodò Sacerdotium ad Ordinis Sacramentum pertinet: De quo plura in ſequenti habes tabula.*

DE SACERDOTIO EXTERNO.

TABVLA 89.

SACERDOTIJ EXTERNI

- *Munera ſunt duo, quòd ad ſacerdotē attinet. Quorum*
  - *Alterum eſt, vt ſacramenta ritè*
    - *Conficiat &*
    - *Adminiſtret.*
  - *Alterum, vt populum fidei ſuæ commiſſum, ijs rebus & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiat.*
- *Gradus ſunt dignitatis & poteſtatis varij. Quorum*
  - *Primus eſt eorum, qui Sacerdotes ſimpliciter vocantur: quorum functiones hactenùs declaratæ ſunt.*
  - *Secundus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopatibus præpoſiti ſunt: vt non ſolùm cæteros Eccleſiæ miniſtros, ſed fidelem populum regant, & eorū ſaluti ſumma cum vigilantia & cura proſpiciant. Quarè in ſacris literis Paſtores ouium ſæpè appellantur, ſed & pontifices dicuntur, accepto ab ethnicis nomine, qui Principes ſacerdotum, Pontifices appellare conſueuerunt.*
  - *Tertius gradus eſt Archiepiſcoporum, qui pluribus Epiſcopis præſunt, qui Metropolitani etiam vocantur, quòd illarum vrbium antiſtites ſint, quæ tanquàm matres habeantur illius Prouinciæ.*
  - *In quarto gradu Patriarchæ collocātur, id eſt, Primi ſupremiq; Patres. Atq; olìm in vniuerſa Eccleſia, præter ſummum Rom. Pontificem, quatuor tantùm Patriarchæ numerabātur, Videlicet*
    - *Conſtantinopolitanus, &ſi ad eum poſt omnes alios hic honos delatus eſt, tamen ob imperij Maieſtatem altiorem locum obtinuit.*
    - *Proximus eſt Alexandrinus, cuius Eccleſiam Marcus Euāgeliſta iuſſu Principis Apoſtolorum fundauit.*
    - *Tertius Antiochenus, vbì Petrus ſedem primò locauit.*
    - *Extremum gradum habet Hieroſolymitanus, quam Eccleſiam Iacobus frater Domini rexit.*
  - *Præter hos omnes Catholica Eccleſia Rom. Pontificem Max. quem in Epheſina Synodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiſcopum totius orbis terrarum, Patrem & Patriarcham appellat, ſemper venerata eſt. Qui Pius Pater ac Moderator, vniuerſali Eccleſiæ vt Petri ſucceſſor, Chriſtique Domini verus & legitimus Vicarius, præſidet.*
- *Miniſter, vt & reliquorum ordinum, eſt Epiſcopus. Nam*
  - *Quamuis nonnullis Abbatibus permiſſum ſit, vt minores & non ſacros ordines interdùm adminiſtrent:*
  - *Tamen hoc proprium Epiſcopi munus eſſe, nemo dubitat. Etenim*
    - *Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes vnꝰ tantùm Epiſcopus ordinat.*
    - *Epiſcopi, ex Apoſtolorum traditione, quæ perpetuò in Eccleſia cuſtodita eſt, à tribus Epiſcopis conſecrantur.*

DE ORDINANDORVM QVALITATE.

TABVLA 90.

HVIVS IGItur tanti officij, putà ſacerdotij, onus nemini temerè imponẽdum eſt, ſed ijs tantùm, qui illud vitæ ſanctitate, doctrina, fide, prudentia ſuſtinere poſſint. Nec verò quiſquã ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tãquàm Aaron. Vocari autem à Deo dicũtur, qui à legitimis Eccleſiæ miniſtris vocãtur. Sunt autem in ſacris ſuſcipiẽdis Ordinibus hæc animaduertenda:

- Quãta circunſpectione ad Sacros ordines ſit accedẽdum. Eſt enim cauendum diligenter,
  - Nè eo conſilio ad hanc viuendi rationem ſe cõuertãt,
    - Vt quæ ad victum veſtitumq́ neceſſaria ſunt, parent, ità vt præter quæſtum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quouis ſordidi artificij genere, ſpectare videãtur. Vt honores & dignitates obtineant.
    - Vel vt diuitijs affluant, quales ſunt, qui, niſi opulentum aliquod eccleſiaſticum beneficium ijs deferatur, nullam ſacri ordinis cogitationẽ habent. Hi verò ſunt, quos Saluator noſter mercenarios appellat, & quos Ezechiel dicebat ſemetipſos, & non oues, paſcere. Ezech. 34.
  - Sed hoc ſibi proponant opùs eſt, vt non ſolùm Dei gloriam in omnibus rebus quærant, quod quidem cùm omnibus, tum maximè fidelibus commune eſſe conſtat: ſed etiam, vt alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti, in ſanctitate & iuſtitia illi ſeruiant.
- Quæ in Sacerdote potiſſimũ requirantur.
  - Primùm itaque in eo, qui Sacerdos creandus eſt, vitæ & morum integritas requiritur. Quare ſanctam illam conſuetudinẽ in Eccleſia ſeruari animaduertimus, vt qui ſacris initiandi ſunt, priùs pœnitentiæ Sacramento conſcientiam purgare diligenter ſtudeant.
  - Prætereà in Sacerdote non ſolùm ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum vſum & tractationem pertinet, ſed etiam ſacrarum literarum ſcientia, ità inſtructum eſſe oportet, vt populo Chriſtianæ fidei myſteria & diuinæ legis præcepta tradere, ad virtutem & pietatem incitare, à vitijs reuocare fideles poſſit.
- Qui ab hoc officio excludantur.
  - Pueris enim, & furioſis vel amentibus, quòd vſu rationis carẽt, hoc Sacramentum dandum non eſt. Aetatem autem legitimã, ex ſacri Concilij Tridentini Decretis licet cognoſcere.
  - Excipiuntur etiam ſerui: neque enim diuino cultui dedicari debet, qui non ſui iuris, ſed in alterius poteſtate eſt.
  - Viri præterea ſanguinum & homicidæ, quia Eccleſiaſtica lege repelluntur, atque irregulares ſunt.
  - Spurij quoquè, & ij omnes qui ex legitimis nuptijs non ſunt procreati: decet enim, vt qui ſacris addicuntur, nihil in ſe habeant, quo ab alijs meritò contemni ac deſpici poſſe videantur.
  - Ad extremum etiam admitti non debent, qui aliquo inſigni corporis vitio deformes aut manci ſunt. ea enim fœditas & debilitatio tum offenſionem habet, tum verò Sacramentorum adminiſtrationem impediat neceſſè eſt.

DE QVI-

DE QVIBVSDAM ALIIS HVC PERTINENTIBVS.

TABVLA 91.

- PRAETEREÀ verò obſeruanda ſunt etiã hæc:
  - *Plurimũ Sacramẽti iſtius explicationẽ profuturam*
    - *Primùm ipſis Paſtoribus, quòd dum in huius argumenti tractatione verſantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti ſunt, magis commouentur.*
    - *Deindè alijs Eccleſiaſticis, qui in ſortem Domini vocati ſunt, partim vt*
      - *Eodem pietatis ſtudio afficiantur:*
      - *Earũ rerũ cognitionẽ percipiãt, quibus inſtructi, viam ſibi ad vlteriores grad⁹ facilè munire poſſint.*
    - *Poſtremò etiã reliquis fidelib⁹, vt quo honore digni ſint Eccleſiæ miniſtri, intelligant*
      - *In vniuerſum omnes:*
        - *Sua ſponte & voluntate illud vitæ genus ſequi velint.*
      - *Illis maximè, qui*
        - *Liberos ſuos adhuc infantes, Eccleſiæ miniſterio ſpe deſtinârint.*
  - *Sacerdotij nobilitas & excellentia. Nam cùm Epiſcopi & Sacerdotes, tanquàm Dei interpretes & internuncij quidam ſint, qui eius nomine diuinam legem & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei perſonam in terris gerunt: perſpicuum eſt, eam illorum eſſe functionem, qua nulla maior excogitari poſſit. Quarè meritò non ſolùm Angeli, ſed Dij etiam, quòd Dei immortalis vim & numen apud nos teneant, appellantur. Quanuis autem omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint, tamen noui teſtamenti ſacerdotes cæteris omnibus honore longè antecellunt. Poteſtas enim tum corpus & ſanguinem Domini noſtri conficiendi & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata eſt, humanam quoquè rationem atque intelligentiam ſuperat: nedùm ei aliquid par aut ſimile in terris inueniri queat.*
  - *Sacramenti huius effectus. Quanuis enim ordinis Sacramẽtum, maximè ad Eccleſiæ vtilitatẽ & pulchritudinem ſpectet, tamen*
    - *In eius quoquè anima, qui ſacris initiatur, ſanctificationis gratiam efficit.*
    - *Deindè aliam quoquè gratiam hoc Sacramento tribui perſpicuum eſt, præcipuam videlicet poteſtatem, quæ ad ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur.*
    - *Atque hæc etiam character ſpiritualis dicitur: quòd qui ſacris imbuti ſunt, interiori quadam nota animæ impreſſa, ab alijs fidelibus diſtinguantur, ac diuino cultui mancipentur.*

REGVLA.

Quemadmodùm Saluator noſter à Patre, Apoſtoli autem ac diſcipuli in vniuerſum mundum à Chriſto Domino miſſi ſunt: ità quotidiè ſacerdotes eadem, qua illi, poteſtate præditi, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti mittuntur.

ALIA REGVLA.

Qui verò in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inſerunt atque intrudunt, de his Dominum intellexiſſe, docendum eſt, cùm inquit: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant. Quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt.

DE MATRIMONII SACRAMENTO: ET PRIMVM DE natura eius atque ſignificatione.

TABVLA 92.

MATRIMOnium Chriſtianorum

- *Dicitur*
  - *Matrimonium ab eo, quòd fœmina idcircò maximè nubere debet, vt mater fiat: vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus eſt.*
  - *Coniugium à coniungendo, quòd legitima mulier cum viro, quaſi vno iugo adſtringatur.*
  - *Nuptiæ, quia (vt inquit S. Ambroſius) pudoris gratia puellæ ſe obnuberent: quo etiam declarari videbatur, viris obedientes ſubiectaſque eſſe oportere.*
  - *Definitur ex communi Theologorum ſententia, viri & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.*
- *Duplicem habet rationẽ: conſiderandũ eſt enim, vel vt*
  - *Naturalis coniũctio: quod quidem*
    - *Deus ipſe*
      - *Non ſolùm inſtituit, Gen. 1. & 2. Matt. 19.*
      - *Verùm, vt ſancta Tridentina Synodus declarat, perpetuum etiam & indiſſolubilem nodum ei addidit, cùm ait: Quod Deus coniunxit, homo nõ ſeparet. Matth. 19.*
    - *Tribus de cauſis fieri debet, quarũ*
      - *Prima eſt, hæc ipſa diuerſi ſexûs naturæ inſtinctu expedita ſocietas, mutui auxilij ſpe conciliata, vt alter alterius ope adiutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.*
      - *Altera eſt procreationis appetitus, nõ tam quidem ob eam rem, vt bonorum & diuitiarũ hæredes relinquantur, quàm vt veræ fidei & religionis cultores educentur. Tob. 6.*
      - *Tertia eſt, vt qui ſibi imbecillitatis ſuæ conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonij remedio ad vitanda libidinis peccata vtatur. 1. Cor. 7.*
  - *Sacramentum, qua ratione eius natura multo pſtantior eſt, & omninò ad altiorem finem refertur. Quòd autem matrimonium ſit Sacramentũ, conuincitur*
    - *Teſtimonio ſacræ ſcripturæ: Nam Paulus de matrimonio ſcribens ad Epheſios, Sacramentum hoc, inquit, magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Ad Epheſ. 5.*
    - *Authoritate Concilij Tridentini, cui grauiſſima adiuncta eſt ratio. Gratiam enim, quæ huic ineſt Sacramento, non ſignificat tantùm, ſed etiam tribuit, in quo maxima ſacramenti ratio ineſt.*

DE MA-

DE MATRIMONII COMMENDATIONE.

TABVLA 93.

TRIA Matrimonij ſunt bona:

- *Primum eſt proles, hoc eſt, liberi, qui ex iuſta & legitima ſuſcipiuntur vxore. id enim tãti fecit Apoſtolus, vt diceret, Saluabitur mulier per filiorum generationem. 1. Timoth. 2.*
- *Alterum eſt Fides, non ille virtutis habitus, quo imbuimur, cùm baptiſmum percipimus, ſed fidelitas quædam, qua mutuò vir vxori, & vxor viro, ità ſe obſtringit, vt alter alteri ſui corporis poteſtatem tradat, ſanctumq́ illud coniugij fœdus, nunquàm ſe violaturum polliceatur.*
- *Tertium, ſacramentum, vinculum ſcilicet matrimonij, quod nunquàm diſſolui poteſt. Nam (vt eſt apud Apoſtolum) Dominus præcepit, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: & vir vxorẽ non dimittat. 1. Cor. 7.*

OFFICia coniugum ſunt hæc:

- *Viri,*
  - *Vxorem liberaliter & honorificè tractare.*
  - *Alicuius honeſtæ rei ſtudio ſemper occupatum eſſe,*
    - *Tum vt ea ſuppeditet, quæ ad familiam ſuſtẽtandam neceſſaria ſunt.*
    - *Tum, nè inerti ocio langueſcat: à quo vitio ferè omnia fluxerunt.*
  - *Familiam rectè cõſtituere, omnium mores corrigere, ſingulos in officio cõtinere.*
- *Vxoris,*
  - *Subditam eſſe viro ſuo &c. de quibus habetur 1. Pet. 3.*
  - *Filios in religionis cultu educare, domeſticas res diligenter curare.*
  - *Domì ſe libenter continere, niſì neceſſitas exire cogat: idq́ ſine viri permiſſu nunquàm facere audeat.*
  - *Meminiſſe ſemper, ſecundùm Deum, magìs quàm virum, neminem diligendum, eòve pluris faciendum eſſe neminem: cui etiam omnibus in rebus, quæ Chriſtianæ pietati non aduerſantur, morẽ gerere & obtemperare, ſumma cum alacritate animi oporteat.*

DE vſu matrimonij duo illa maximè docendi ſunt fideles:

- *Primum quidem eſt, non voluptatis aut libidinis cauſa matrimonio operam dandam eſſe, ſed eo vtendum intrà illos fines, qui à Domino præſcripti ſunt, iuxta præceptum Apoſtoli: Qui habent vxores, tanquàm non habentes ſint. 1. Cor. 7.*
- *Alterum eſt, vt Deum orandi & obſecrandi cauſa, à matrimonij officio interdiũ abſtineant. vt nõ modò hanc vitam piè & placidè traducant, ſed æternæ etiam, Dei benignitate conſequendæ, vera & ſtabili ſpe, quæ non confundit, nitantur.*

PARS CATECHISMI CATHOLICI TERTIA. DE PRAECEptis Dei in decalogo compræhenſis.

TABVLA 94.

Decalogum, legum omnium ſummam & Epitomen eſſe, ſanctus Auguſtinus literis commendauit.

CVM MVLTA *locutus ſit Dominus, duæ tamen tantùm tabulæ dãtur Moiſi lapideæ, quæ dicũtur Tabulæ teſtimonij futuri in arca. Exod. 20. in quibus continentur decem præcepta, pertinẽtia partim ad*

- *Deum, nempe tria hæc:*
  - *Non habebis deos alienos coram me.*
  - *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanũ.*
  - *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.*
- *Proximũ, videlicet hæc ſeptem:*
  - *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus dabit tibi.*
  - *Non occides.*
  - *Non mœchaberis.*
  - *Non furtum facies.*
  - *Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*
  - *Non concupiſces*
    - *Domum proximi tui.*
    - *Nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, nec ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

Cætera omnia, quæ præcepit DEus, *ex his decem præceptis pendêre intelliguntur, ſi diligenter quærãtur, vt rectè intelligantur: quo modo hæc ipſa rurſus decem præcepta, ex duobus illis, dilectionis ſcilicet* DEi *& proximi, in quibus tota lex pendet & prophetæ. Matth. 22.*

IN DECALOGO QVAE SINT SPECTANDA.

TABVLA 95.

Inter cætera, quæ animos hominum ad huius legis iuſſa ſeruanda poſſunt impellere, illud maximam vim habet, DEum *eſſe huius legis authorem. Quanuis enim per angelos data eſſe dicatur, nemo tamen dubitare poteſt, ipſum* DEum *eſſe legis authorem.*

QVAM *piè ac ſuppliciter* DEi *legẽ colere oporteat, hinc facilè poteſt animaduerti:*

- *Nam primùm triduo antequàm ferretur lex,* DEi *iuſſu dictum eſt omnibus, vt veſtimenta lauarent, vxores non attingerent, quô ſanctiores ac paratiores eſſent ad accipiendam legem. Exod. 19.*
- *Deindè, cùm ad montem eſſent adducti, vndè* DOminus *illis per Moiſen leges erat laturus, vni Moiſi dictum eſt, vt in montem aſcenderet: quò* DEus *maxima cum maieſtate venit, & locum tonitruis, fulguribus, igne, denſisq́ nebulis circũfudit, ac loqui cum Moiſe cœpit, eiq́ leges dedit.*

O B*ſeruatio legis*

- *Non eſt difficilis, quod vel vna hac ratione ex Auguſtino probari poterit, cùm dicit: Quî, quæſo, dicitur impoſsibile eſſe homini, amare, amare, inquam, creatorem beneficum, patrem amantiſsimum, deindè etiam, & carnem ſuam in fratribus ſuis? At verò qui diligit, legem impleuit. Nihil autem amanti difficile.*
- *Sed tamen neceſſaria: ait enim Apoſtolus, non præputium, non circuncisionem aliquid eſſe, ſed obſeruationem mandatorum* DEi. *Quòd verò eandem ſententiam alibi repetit, & nouam creaturam in Chriſto tantùm dicit valere, intelligimus planè eam nouam creaturam in Chriſto dicere, qui mandata* DEi *obſeruat.*

FRVCTVS *obſeruatæ legis deſcribuntur Pſal. 118. Nec verò nobis eſt ſeruanda Lex*

- *Tam noſtræ vtilitatis gratia,*
- *Quàm* DEi *cauſa, qui ſuam hominũ generi in lege voluntatem aperuit: quã cùm cæteræ creaturæ ſequãtur, hominẽ ipſum eandem ſequi, multo eſt æquius.*

DE ALIIS

DE ALIIS QVIBVSDAM, QVAE COLLIGVNTVR ex diuinis verbis, quibus lex Dei promulgata eſt.

EXODI XX.

EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, QVI eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis &c. TABVLA 96.

EX HIS *verbis animaduertendū eſt,*

Vnam ex vniuerſis nationibus à Deo delectam eſſe, quam populum vocaret ſuum, & cui ſe cognoſcendum & colendum præberet: non quòd cæteras iuſtitia aut numero vinceret, quemadmodùm Hebræos monet Deus: ſed quòd ipſi Deo ſic placuit potiùs, vt gẽtem exiguam & inopem augeret & locupletaret, quo eius potentia & bonitas notior apud omnes eſſet & illuſtrior.

Deum Hebræos patres diù peregrinari paſſum eſſe, poſteros etiam duriſſima ſeruitute premi, diuexariq́; permiſiſſe ob eam rem, vti doceremur, amicos Dei fieri non niſi mũdi inimicos, ac peregrinos in terris: itaque in Dei familiaritatem faciliùs recipi, ſi nihil omninò nobis ſit commune cum mundo: tum verò, vt ad Dei cultum tranſlati, intelligeremus, quanto feliciores demùm ſint ij, qui Deo, quàm qui mundo ſeruiant.

Poſt ampliùs quadringentis annis Deum promiſſa præſtitiſſe, vt ille populus fide ac ſpe aleretur. Alumnos enim ſuos Deus à ſe perpetuò pendere vult, atque in eius bonitate omnem ſpem ſuam collocare, vt in præcepti explanatione dicetur.

Locum ac tempus, quibus hanc legem populus Iſrael à Deo accepit, diligenter notandum eſſe: nempe poſtquàm eductus ex Aegypto, in deſertum venit: vt beneficij recentis memoria allectus, & loci aſperitate, in quo verſabatur, deterritus, ad accipiẽdam legem aptior redderetur.

APPLICATIO.

ETSI verò ea verba, quibus dicitur, Qui eduxit te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis, Iudæis tantùm videntur conuenire, Aegyptiorum dominatu liberatis: tamẽ ſi interiorem ſalutis vniuerſę rationem ſpectemus, magis ad Chriſtianos homines pertinent, qui non ex Aegyptiaca ſeruitute, ſed è peccati regione, & poteſtate tenebrarum à Deo erepti, atque in regnũ filij dilectionis ſuæ tranſlati ſunt, ad Coloſ. 1, cuius beneficij magnitudinẽ intuẽs Hieremias, prædixit illud: Eccè dies venient, dicit Dominus, & non dicetur vltrà: Viuit Dominus, q̃ eduxit filios Iſrael de terra Aegypti: ſed, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris, ad quas eieci eos, & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum. Eccè ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & quæ ſequuntur, Hierem. 16.

PRAECEPTVM PRIMVM

DE VERO VNIVS DEI CVLTV. TAB. 97.

NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

HIS *verbis duplex continetur præceptum,*

Iubendi: Nam quod dicitur, Non habebis deos alienos coram me: eam habet ſententiã coniunctam: Me verum Deum coles, alienis dijs cultum non adhibebis. In priori autem continetur præceptum
- *Fidei,*
- *Spei,*
- *Charitatis.*

Probibendi, vt ſunt illa verba: Non habebis deos alienos coram me, qua loquendi formula legiſlator vſus eſt:
- *Non quòd ſatis explicata non eſſet hæc ſententia affirmatione præcepti: Me verum Deum coles &c. Si enim Deus eſt, vnus eſt &c.*
- *Sed propter cæcitatem plurimorum, qui olim Deum verum ſe colere profitebantur, multitudinem tamen deorum venerabantur.*

DE PRÆ-

DE PRAECEPTI HVIVS TRANSGRESſoribus.

TABVLA 98.

PECCANT AVTEM in hoc præceptū, qui fidem, ſpem & charitatem non habent: quorū peccatum latiſſimè patet. Sunt enim in hoc numero

- *Qui in hæreſim labuntur.*
- *Qui non credunt ea, quæ ſancta mater Eccleſia credẽda ꝓponit.*
- *Qui ſomnijs, augurijs, cæteriſq; vaniſſimis rebus fidem habent.*
- *Qui de ſua ſalute ſpem abijciunt, nec diuinæ bonitati confidunt.*
- *Qui diuitijs tantùm, Qui corporis valetudine ac viribus nituntur: quæ fuſiùs ab ijs explicata ſunt, qui de vitijs & peccatis conſcripſerunt.*

DE VENERATIONE SANCTORVM.

TABVLA 99.

Verùm illud etiam in præcepti huius explicatione accuratè docendum eſt, Venerationem & inuocationem ſanctorum angelorum, ac beatarum animarum, quæ cæleſti gloria perfruuntur, aut etiam corporum ipſorum ſanctorumq; cinerum cultum, quem ſemper Catholica Eccleſia adhibuit, huic legi non repugnare. Quis enim adeò demens eſt, qui edicente rege, nè ſe pro rege quiſquam gerat, aut regio cultu atq; honore affici patiatur, continuò putet nolle regem, ſuis vt Magiſtratibus honos deferatur?

SANcti itaq; angelici & hominum beatorū ſpiritus &

- *Venerandi ſunt, quòd*
  - *Spiritus S. qui ait, Soli Deo honor & gloria: idem præcepit, vt honore parentes & ſeniores afficeremus.*
  - *Præterea viri ſancti, qui vnum Deum colebant, reges tamen, vt eſt in diuinis literis, adorabant. id eſt, ſupplices venerabantur: Cur non igitur angelicis ſpiritibus, tanto maiorem honorem habebimus, quanto beatæ illæ mentes dignitate Regibus ipſis antecellunt?*
  - *Adde charitatem, qua nos angeli diligunt, qua ducti, pro ijs prouincijs, quibus præſunt, vt ex ſcriptura facilè intelligitur, preces fundunt, quod etiam præſtare ijs, quorum ſunt ipſi cuſtodes, ne dubitãdum quidem eſt: noſtras enim Deo preces offerunt & lachrymas.*
- *Et inuocandi, quòd & perpetuò Deum intuẽtur, & patrocinium ſalutis noſtræ, ſibi delatū, libentiſſimè ſuſcipiunt. Quæ ſententia confirmatur*
  - *Sacræ ſcripturæ teſtimonijs*
    - *Tum Geneſis* 32. 48.
    - *Tum alijs plurimis.*
  - *Authoritate*
    - *Conciliorum*: *Niceni alterius, Gangrenſis, & Tridentini.*
    - *Sanctorum patrum, & in ijs Auguſtini, qui teſtatur multa Deum non concedere, niſi mediatoris ac deprecatoris opera & officium acceſſerit.*
  - *Conſuetudine ab apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuò retenta & conſeruata.*

REGVLA.

Ex quibus etiam colligi poterit, tantum abeſſe, vt ſanctis, qui in Domino dormiêrunt, honore afficiendis atq; inuocandis, & ſacris eorum reliquijs cineribuſque venerandis, Dei gloria minuatur: vt eo maximè augeatur, quo magis hominum ſpem excitat, confirmat, & ad ſanctorum imitationem cohortatur.

LIMITATIO.

Etsi verò angelos Chriſtiani adorare dicuntur, non eam tamen illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt. Vndè quòd legimus, interdùm angelos recusâſſe, nè ſe homines venerarẽtur, eô feciſſe intelligendum eſt, quòd ſibi eum honorem haberi nolebant, qui ſoli Deo deberetur. Apocal.19.22.

DE IMA-

DE IMAGINIBVS SANCTORVM.

TABVLA 100.

NON FACIES TIBI SCVLPTILE, NEQVE omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſupèr,& quæ in terra deorsùm &c. Non adorabis ea, neque coles.

Quidam hoc alterum præceptum exiſtimantes duo poſtrema, ipſa vnius præcepti vi contineri voluerunt; vt ſanctus Auguſtinus illa extrema diuidens, hæc ipſa verba ad primum præceptum pertinere voluit. Quam ſententiam, quia in Eccleſia celebris eſt, libenter ſequimur,

HOC *autem præcepto*

Nõ omninò phibetur ars pingendi, fingendi, aut ſculpendi: Nã

Primùm in ſcripturis iuſſu Dei ſimulacra & imagines effectas legimus, Cherubim, ſerpentis ænei.

Deindè nemo tam rudis eſt, cùm ſanctiſſimæ Trinitatis aliqua perſona quibuſdam ſignis exprimitur, quæ tam in veteri quàm in nouo teſtamento apparuerunt, vt illa imagine diuinitatem credas exprimi, ſed potiùs illis declarari intelligas proprietates aliquas, aut actiones quæ Deo tribuuntur.

Angelis etiam tum humana ſpecies, tum alæ affinguntur: vt intelligant fideles, quàm propenſi ſint in humanum genus, & tanquàm parati ad miniſteria Domini exequenda: omnes enim adminiſtratorij ſpiritus ſunt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Ad Heb. 1.

Præterea cùm Chriſtus Dominus eiusq; ſanctiſſima mater, cæteriq; omnes ſancti humana præditi natura, humanam ſpeciem geſſerint, eorum imagines pingi atque honorari, ſanctum & grati animi certiſſimum argumentum ſemper habitum eſt: quod & apoſtolicorum temporum monumenta, & œcumenicæ ſynodi, & tot ſanctiſſimorum doctiſſimorumq; patrum, inter ſe conſentientium, ſcripta confirmant.

Sed imagines ob eam rem vetitæ ſunt, ne quid ſimulacris quaſi dijs colendis, de vero Dei cultu detraheretur. Duplici autem potiſſimùm ratione, quòd ad hoc præceptũ attinet, Dei maieſtatem vehemẽter lædi perſpicuum eſt:

Altera, ſi idola & imagines, tanquàm Deus colantur, aut credatur ineſſe aliqua in his diuinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, quod paſſim ſacræ literæ repræhendunt.

Altera, ſi quis conetur diuinitatis formam aliquo artificio effingere, quaſi corporeis oculis cõſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Quis enim Deum, vt inquit Damaſcenus, qui ſub adſpectum non cadit, qui corporis expers eſt, qui nullis terminis circunſcribi, nec vlla figura deſcribi queat, poſſit exprimere?

REGVLA

NON ſolùm autem licere in Eccleſia imagines habere,& illis honorem & cultũ adhibere certum eſt, cùm honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa: verùm etiam maximo fidelium bono ad hanc vſque diem factum conſtat: vt ex Damaſceni libro, quem de imaginibus edidit, & ſeptima ſynodo, quæ eſt ſecunda Nicena, intelligitur.

PRAE-

PRAECEPTVM SECVNDVM, DE LICITIS ET ILLICITIS iurationibus.

TABVLA ICI.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI tui in vanum.

IN HVIVS *præcepti explicatione, id primum cõſtet, cũ eo, quod lex fieri prohibet, earum etiam rerum præceptionẽ coniunctam eſſe, quas præſtare homines debent: ità ſanè, vt legis huius ſiue edicti diuini duplex omninò ſit ratio:*

Vna, qua iubemur, diuino nomini honorẽ tribuere. modi autem qbus Deus ſit laudãdus, ſunt varij:

Primùm igitur laudatur Deus, cùm in omnium conſpectu Deum ac Dominum noſtrum fidenter cõfitemur, Chriſtumq́ ſalutis noſtræ authorem, quemadmodùm agnoſcimus, ità etiam prædicamus.

Itemq́ cùm verbo Dei, quo voluntas eius enunciatur, ſanctè & diligenter operam damus: in eius meditatione aſſiduè verſamur, ſtudioſè illud aut legendo, aut audiendo addiſcimus, perindè vt cuiuſque perſonæ & muneri aptum & conſentaneum eſt.

Deindè diuinum nomen veneramur & colimus, cùm officij & religionis cauſa diuinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus, tum proſperis, tum aduerſis, illi ſingulares gratias agimus.

Neque verò minùs Dei nomen honoratur, ſi fidenter opem eius imploramus, quô ſcilicet aut nos ab aduerſis rebus liberet, aut ad eaſdem fortiter perferendas conſtantiam & robur largiatur.

Præterea Dei nomen honore proſequitur, cũ fidei faciendæ cauſa teſtamur Deũ: Qui modus à ſuperioribus valdè differt, Nam

Quæ ſuprà enumerauimus, ità ſuapte natura bona ſunt atque expetenda, vt nihil beatius, nihil homini optabilius poſſit eſſe, quàm ſi in illis ſedulò exequendis ſeipſum dies nocteſq́ exerceat.

At iuſiurandum licèt bonum ſit, eius tamẽ frequens vſus minimè eſt laudabilis. Eſt enim ea de cauſa tantùm inſtitutum, vt eſſet tanquàm remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad probandum, quod dicimus, neceſſarium inſtrumẽtum. Niſi ergò grauis & iuſta cauſa ſubſit, iureiurando vti non eſt ſalutare: quod ſi ſæpiùs adhibeatur, tantum abeſt vt proſit, vt magnum detrimentum afferat.

Altera, qua vetamur diuinum nomẽ in vanum aſſumere. Appáret enim eum graui peccato ſe obſtringere, qui non conſilio, ſed temeritate ad iurandum fertur. Grauiſſimum autem delictum hoc eſſe, illa etiam verba declarant: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: quaſi rationem afferret, cur hoc facinus ſceleſtum adeò ac nefarium ſit, nimirùm propterea, quòd eius maieſtas minuitur, quem nos Deum & Dominum noſtrum eſſe profitemur.

DE IVRISIVRANDI RELIGIONE, SIVE de licito iuramento. TABVLA 102.

IN EO *Iureiurãdo, quo Dei nomẽ honorari dictũ eſt, attenduntur*

- *For-mulæ variæ:*
  - *Primùm, iurare nihil aliud, niſi Deum teſtari, quacunque id forma & conceptione fiat.*
  - *Eſt etiam illud iuſiurandum, cùm ad faciendam fidem per res creatas iuramus, vt per ſacra Dei Euangelia, per crucem, per ſanctorum reliquias & nomen, & cætera id genus, in quibus diuinæ maieſtatis ſplendor eluceſcit.*
  - *Eadem ratio eſt illius iuriſiurandi, quod per execrationem profertur, quale eſt illud ſancti Pauli: Ego teſtem Deum inuoco in animam meam, 2. Cor. 1. Etenim hoc pacto aliquis Dei iudicio, tanquàm mendacij vltori, ſubijcitur.*
- *Genera duo:*
  - *Primum, quod aſſertorium appellatur, nimirùm cùm aliquid de re præſenti, aut præterita, religioſè affirmamus: vt Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas: Eccè coram Deo, quia non mentior. ad Galat. 1.*
  - *Alterum verò promiſſorium dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus ſpectans, cùm aliquid ità fore, pro certo pollicemur, & confirmamus: vt Berſabeæ Dauid iurans per Dominum Deum ſuum promiſit, Salomonem, eius filium, regni hæredem fore, atque in ipſius locum ſucceſſurum.*
- *Tria, q̃ ad iuſiurandũ requiruntur:*
  - *Veritas, quam iureiurando neceſſariam eſſe, Dauid quoquè indicat illis verbis: Qui iurat proximo ſuo, & non decipit. Pſal. 14.*
  - *Iudicium: neq; enim iuſiurandum temerè, & inconſideratè, ſed conſultò & cogitatò adhiberi debet. Itaque iuraturus*
    - *Primùm quidẽ conſideret, vtrùm neceſſitate cogatur, nécne: remq; totã accuratè expendat, an eiuſmodi ſit, vt iureiurando indigere videatur.*
    - *Tempus prætereà ſpectet, locum attẽdat, aliaq; permulta, q̃ rebus adiuncta ſunt, circunſpiciat: nõ odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, ſed ipſius rei vi & neceſſitate.*
  - *Iuſtitiam, quæ maximè in promiſſis requiritur. Quarè ſi quis iniuſtum aliquid & inhoneſtum promittit, & iurando peccat, & promiſſis faciendis ſcelus ſcelere cumulat.*
- *Quòd his omnibus ſeruatis, tutò iurare liceat. Sic enim &*
  - *Lex Domini præcipit: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per eum iurabis, Deut. 6. Et Pſal. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. &c.*
  - *Apoſtolos iurâſſe, ex D. Pauli epiſtolis appáret.*
  - *Interdùm & ipſi iurant angeli. Apoc. 10.*
  - *Quin etiam & Deus ipſe iurauit, angelorum Dominus, Geneſ. 22. Exod. 33. Pſal. 109. Ad Hebr. 6.*
- *Ortus: etenim iuſiurandum à fide originem ducit, qua homines credunt, Deum totius veritatis eſſe authorem, qui nec decipi vnquàm poſſit, nec alios decipere: cuius oculis nuda ſunt omnia & aperta, qui denique vniuerſis rebus humanis admirabili prouidentia conſulit, mundumq; adminiſtrat.*
- *Finis. iuſiurandum enim eò tendit, atque id omninò ſpectat, vt hominis iuſtitiam & innocentiam probet, finemque litibus & controuerſijs imponat.*

DE IRRELIGIOSIS SIVE ILLICITIS iurationibus.

TABVLA 103.

Hoc præcepto prohibetur, nè homines falſum iurent. Nam qui à tanto ſcelere non refugit, vt Deum falſò teſtetur, hic inſignem Deo iniuriam facit, quippe qui aut illi inſcitiæ notam inurit, dum ipſum alicuius rei veritatem latére arbitratur, aut certè improbitatis & praui affectûs, qui mendacium teſtimonio velit confirmare.

IVRAT *autem falſò*

Non is ſolùm, qui quod falſum ſcit, verum eſſe iurando affirmat: ſed ille etiam, qui iureiurando id aſſerit, quod cùm verum ſit, tamen ipſe falſum putat.

Simili quoquè ratione peierat, qui id iurat, quod verum exiſtimat, & tamen re vera falſum eſt: niſi quantùm potuit, curam & diligentiam adhibueris, vt totam rem comperiam atque exploratam haberet.

Eiuſdem verò peccati reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid iureiurando facturum promittit, cùm tamen aut promiſſum implere in animo non fuerit, aut ſi fuit, quod promiſit, re ipſa non præſtat: quod etiam ad eos pertinet, qui cùm ſe voti ſponſione Deo obligârunt, non præſtant.

Prætereà in hoc præceptum peccatur, ſi deſit iuſtitia, quæ ex tribus iuriſiurãdi comitibus vna eſt: vt ſi quis iuret ſe peccatum aliquod mortiferum commiſſurum.

His adiungi debent illa iurandi genera, quæ à contemptu quodam proficiſcuntur, cùm quis iurat ſe non obtemperaturum conſilijs Euangelicis.

Prætereà hanc legem is violat, & iudicio peccat, qui, quod verum eſt iurat, idque ità ſe habere exiſtimat, leuibus quibuſdam coniecturis adductus & longè petitis. Nam qui ſic negligenter iurat, in magno peierandi periculo verſatur.

Falsò prætereà iurat, qui per falſos deos iurat. Quid enim eſt à veritate alienius, quàm mendaces & fictitios deos, tanquàm verum Deum teſtari?

Atque huc etiã pertinet neglectus verbi diuini, cuì honor debetur.

- *Dei enim verbum ſumma iniuria afficit, quicunque ſacram ſcripturam à recta & germana eius ſententia, ad impiorum dogmata & hæreſes flectit.*
- *Prætereà fœdis & inhoneſtis maculis ſacra ſcriptura contaminatur, cùm eius verba & ſententias, quæ omni veneratione colẽda ſunt, ad profana quæq; nefarij homines torquent, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, aſſentationes, detractiones, ſortes, libellos famoſos, & ſi qua ſunt alia id genus: in quod peccatum ſacra Tridentina ſynodus animaduerti iubet.*

Deindè vt ij Deum honorant, qui eius opem atque auxilium in ſuis calamitatibus implorant: ità debitum DEO honorem is negat, qui illius ſubſidium non inuocat.

At verò longè magis deteſtabili ſcelere ſeipſos adſtringunt, qui ſacroſanctum DEI nomen, ab omnibus creaturis benedicendum, & ſummis laudibus extollẽdum, aut etiam ſanctorum nomen cum DEO regnantium, impuro & contaminato ore blaſphemare atque execrari audent.

QVÆ

QVAE POENA IN LEGIS HVIVS TRANSGRESſores conſtituta ſit. TABVLA 104.

NON ENIM HABEBIT INSONTEM DOminus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.

PRO *declaratione huius quaſi appendicis, aduertendum eſt,*

Summa ratione factum eſſe, vt huic præcepto minæ adiungerentur: quo quidẽ & peccati grauitas, & in nos Dei benignitas agnoſcitur: qui cùm hominum perditione non delectetur, nè ipſius iram & offenſionem ſubeamus, hiſce ſalutaribus minis nos deterret, nimirùm vt illum beneuolum potiùs, quàm iratum, experiamur.

Quanta ſit hominum procliuitas, ad hoc peccatum committendum: vt non ſatìs fuerit legem ferre, niſi etiam minæ adderentur. Incredibile enim eſt, quantùm propriæ imbecillitatis cognitio & cogitatio vtilitatis habeat.

Nullum à Deo certum ſupplicium conſtitutum fuiſſe, ſed tantùm vniuersè minari, quicunq; ſe hoc ſcelere adſtrinxerit, non impunè laturum.

PRAECEPTVM TERTIVM DE SABBATHI ET FESTOrum Sanctificatione. TABVLA 105.

MEMENTO VT DIEM SABBATHI SANctifices &c. Exod. 20.

Hoc legis præcepto externus ille cultus, qui Deo à nobis debetur, rectè atque ordine præſcribitur: eſt enim hic veluti quidam prioris præcepti fructus: quoniam quem intimis ſenſibus piè colimus, fide & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus eum non externo cultu venerari, eidemq; gratias agere.

AT VErò *hoc præceptum à cæteris Decalogi legibus*

Differt, quod

Reliqua decalogi præcepta, naturalia ſunt & perpetua, neque mutari vlla ratione poſſunt.

Hoc autem de ſabbathi cultu præceptum, ſi ſtatutum tempus ſpectatur, non fixum & conſtans eſt, ſed mutabile: neque ad mores, ſed ad cæremonias pertinet, neque naturale, quoniam non à natura ad id edocti aut inſtituti ſumus, vt illo die potiùs, quàm alio, externum cultum Deo tribuamus: ſed ex eo tempore, quo populus Iſraeliticus à Pharaonis eſt ſeruitute liberatus, diem ſabbathi coluit.

Conuenit cum eiſdem,

Non ritu & cæremonijs, quæ ſunt antiquatæ:

Sed quia aliquid habet, quod ad mores, naturæq; ius attineat. Nam Dei cultus ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur, à naturæ iure exiſtit: cùm illud natura comparatum ſit, vt aliquot horas in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, verſemur.

DE TERTII PRAECEPTI PARTIBVS.

Ex quinto capite Deuteronomij. TABVLA 106.

Verus ac proprius huius præcepti ſenſus eò ſpectat, vt homo & animo & corpore in eam curam incumbat, vt ſtatuto aliquo tempore, à negocijs corporisq́ laboribus feriatus, Deum piè colat ac veneretur.

ET RECTÈ *in quatuor partes diſtribui poteſt, in quarū*

- *Prima agitur de*
  - *Significatione, quæ eſt duplex:*
    - *Primò Sabbathum, Hebraicum nomen, ſi Latinè interpreteris, ceſſatio dicitur: Sabbathizare propterea, ceſſare & requieſcere, Latino vocabulo appellatur. Et hac ſignificatione accipitur pro ſeptimo die, quo Deus ab omni opere, quod fecerat, requieuit.*
    - *Poſteà verò non ſolùm ſeptimus hic dies, ſed ob eius dignitatem, ipſa etiam hebdomada eo nomine appellata eſt, in quem ſenſum Phariſæus apud ſanctum Lucam dixit: Ieiunio bis in ſabbatho. cap. 18.*
  - *Sanctificatione, hoc eſt, ipſa ceſſatione, quæ fit à corporis laboribus, & à negocijs. Atq; ſic diem ſabbathi*
    - *Dicimus eſſe religioſum, diuinisq́ actionibus & ſanctis rerum officijs conſecratum.*
    - *Tum plenè & perfectè celebramus, cùm pietatis & religionis officia Deo præſtamus: Hocq́ue planè Sabbathum eſt, quòd Eſaias delicatum appellat, quoniam feſti dies ſunt veluti deliciæ Domini & piorum hominum. Iſai. 58.*
- *Altera demonſtratur, diem ſeptimū Dei cultui diuinitùs dedicatū eſſe, Quem Dominus in Exod. cap. 20. & apud Ezechiel. 31. capit. Signum vocat.*
  - *Signum eſt, inquit, inter me & vos, in generationibus veſtris, vt ſciatis quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.*
  - *Deindè ſignum eſt, & quaſi monumentum conditæ huius admirandæ vniuerſitatis.*
  - *Signum præterea fuit Iſraelitarum memoriæ traditū, quo admoniti, ſe Dei auxilio à duriſſimo Aegyptiacæ ſeruitutis iugo, ſolutos ac liberatos eſſe meminiſſent.*
  - *Et ſignum item tum ſpiritualis, tum cæleſtis ſabbathi, quod in ſancta quadam & myſtica quiete conſiſtit, nimirùm cùm vetus homo, Chriſto conſepultus, ad vitam renouatur, atque in ijs actionibus, quæ Chriſtianæ pietati conueniūt, ſtudiosè ſe exercet.*

DE RE-

DE RELIQVIS DVABVS PARTIBVS.

TABVLA 107.

RELIquæ ſunt adhuc partes duæ, videlicet

- *Tertia, in ijs verbis, Sex dies operaberis &c. quibus fideles admonentur,*
  - *Nè ocioſi & deſides vitam traducant: ſed potiùs Apoſtolicæ vocis memores, negocium ſuum quiſque agat, & operetur manibus ſuis, ſicut ab eo præceptum fuerat.*
  - *Vt ſex ipſis diebus opera noſtra efficiamus, nè aliquid eorum quæ alijs hebdomadæ diebus fieri agíve oporteat, in diem feſtum reijciatur: atq; ità animus à diuinarum rerũ cura ſtudioque auocetur.*
- *Quarta deſcribitur,*
  - *Quibus in operib⁹ atq; actionibus Chriſtiani homines diebus feſtis exercere ſe debeant. Illæ verò eiuſmodi ſunt, vt*
    - *Ad Dei templum accedamus, eoque loco ſyncera, piaque animi attentione ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio interſimus.*
    - *Diuina Eccleſiæ Sacramenta, quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, ad animæ vulnerum curationem crebrò adhibeamus.*
    - *Peccata ſacerdotibus ſæpè confiteamur.*
    - *Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum crebrò percipiamus.*
    - *Attentè prætereà diligenterque ſacras audiamus conciones.*
    - *In precibus diuiniſque laudibus frequenter nos exerceamus. itemque in ijs officijs, quæ pietatem continent, pauperibus & egenis eleemoſynam tribuendo, ægros homines viſitando, mærentes, quique dolore afflicti iacent, piè conſolando.*
  - *Quæ facere prohibeamur, videlicet, vt quæcunque diuinum cultum impedire poſſunt, omninò vitemus. Facilè enim perſpici poteſt, omne ſeruilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quòd ſua natura aut turpe, aut malum ſit: ſed quoniam mentem noſtram à diuino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit: quo magis peccata fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolùm animum à diuinarum rerum ſtudio auocant, ſed nos à Dei amore prorsùs ſeiungunt.*

APPENDIX DE RELIQVIS FESTIS Eccleſiæ. TABVLA 108.

ALIOS AVTEM DIES *feſtos ab Eccleſiæ initio, & conſequẽtibus deindè temporibus, Apoſtoli & ſanct. patres noſtri inſtituerũt, vt piè & ſanctè Dei beneficiorũ memoriã coleremus. Inter eos autẽ celeberrimi habentur illi dies,*

- *Qui ob redemptionis noſtræ myſteria, religioni conſecrati ſunt.*
- *Deindè qui dedicantur*
  - *Sanctiſsimæ Virgini Matri,*
  - *Tum verò Apoſtolis, ac Martyribus.*
  - *Cæteriſq́; ſanctis cum Chriſto regnantibus.*

In quorum victoria

- *Dei bonitas & potentia laudatur.*
- *Ipſi debiti honores tribuũtur.*
- *Atq; ad eorũ imitationem fidelis populus incitatur.*

PRAECEPTVM QVARTVM, DE PARENTIBVS ET SVPERIORIBVS honorandis.

HONORA PATREM TVVM ET MATREM tuam, vt ſis longæuus ſuper terram &c.

QVID PRAECEPTA SECVNDAE TABVLAE differant à præcedentibus primæ tabulæ præceptis. TABVLA 109.

DIFFERVNT *præcepta primæ tabulæ, à legibus tabulæ ſecundæ, quinque modis:*

- *I.*
  - *Superioribus tribus præceptis, de quibus dictum eſt, quaſi ſubiecta materies, quam tractant, eſt Deus, id eſt, ſummum bonum.*
  - *Cæteris verò, proximi bonum.*
- *II.* *Illis ſummus, His proximus* — *Amor eſt propoſitus.*
- *III.* *Illa finem, Hæc autem ea quæ ad finem referuntur,* — *Spectant.*
- *IIII.*
  - *Charitas Dei ex ipſo pendet. Deus enim per ſe, non alterius rei cauſa, ſummè diligendus eſt.*
  - *Charitas autem proximi, à charitate Dei ortum habet, atque ad eam, tanquàm ad certam regulam, dirigenda eſt.*
- *V.*
  - *Quòd Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus, ſatis dignè tribuitur, in quem amor augeri infinitè poteſt.*
  - *At charitas, qua proximum complectimur, ſuis finibus circunſcribitur: iubet enim Dominus proximos diligere, ſicut noſipſos.*

DE QVAR-

DE QVARTI PRAECEPTI EXPLICATIONE.

TABVLA 110.

IN HAC *explicatione hæc capita diligẽter inprimis ſunt pertractanda:*

- *Honorare quid ſit. Eſt enim de aliquo honorificè ſentire, & quæ illius ſunt, maxima putare oĩa. Huic aũt honori hæc omnia coniuncta ſunt,*
  - *Amor,*
  - *Obſeruantia,*
  - *Obedientia,*
  - *Et cultus.*
- *Patres qui vocẽtur, nẽpe*
  - *Illi præcipuè, ex quibus generati ſumus:*
  - *Eccleſiæ præſides, Paſtores & Sacerdotes.*
  - *Ij, quibus aut* { *Imperium,* / *Magiſtratus,* / *Poteſtas* } *Commiſſa eſt.*
  - *Quorum procurationi, fidei, probitati, ſapientiæque alij commendantur: cuiuſmodi ſunt*
    - *Tutores,*
    - *Curatores,*
    - *Pædagogi,*
    - *Magiſtri.*
  - *Senes, & ætate confecti, quos etiam vereri debemus.*
- *Vt ſint obſeruandi Parẽtes: ità videlicet,*
  - *Vt, quem eis tribuimus, honor ex amore atque intimo animi ſenſu depromptus videatur.*
  - *Alia præterea ſunt honoris officia, quæ in Parentes conferri debent, cùm à Deo ſuppliciter petimus, vt eiſdem benè & feliciter omnia eueniant, vt in maxima gratia & honore ſint apud homines, vt ipſi Deo ac ſanctis, qui in cælis ſunt, commendatiſſimi ſint.*
  - *Item parẽtes honoramus, cùm*
    - *Noſtras rationes ad eorum arbitrium, voluntatemque conferimus.*
    - *Eorum rectè facta moresque imitamur.*
    - *Conſilia eorum non modò exquirimus, verùm etiam ſequimur.*
    - *Eis ſubuenimus, ea impertientes, quæ victus cultusque deſiderat.*
  - *Quandò ſint honorandi. Et honoris quidem officia parentibus tribuere ſemper debemus,*
    - *Sed tum maximè, cùm periculosè ægrotant.*
    - *Atque etiam mortuis, quod fit, ſi ijs funus facimus, ſi exequias cohoneſtamus: ſi honorem ſepulturæ impertimus: ſi iuſta & ſacrificia anniuerſaria curamus, ſi quæ ab ijs legata ſunt, diligenter perſoluimus.*
- *Quodnam præmium, quamque conſentaneum ijs propoſitum ſit, qui diuino huic præcepto obediunt: Quibus promittitur* { *vſus* / *vitæ* }
  - *Non ſolùm ſempiternæ ac beatæ,*
  - *Sed etiam eius, quam in his agimus terris. Pietas enim ad omnia vtilis eſt &c. 1. Tim. 4.*

PRAECEPTVM V.

DE HOMICIDIIS. TABVLA CXI.

NON OCCIDES.

CVM autem Dominus huius legis vim explicaret, in eo duo contineri oſtendit:

- *Alterũ, Nè occidant: quod à nobis fieri vetitũ eſt; ſunt tamen cædes aliæ*
  - *Quæ hac præcepti lege non vetẽtur. Nam*
    - *Primùm beſtias occidi, prohibitum non eſt: quoniam illis veſci, à Deo hominibus eſt conceſſum, fas item eſt illa occidi.*
    - *Alterum permiſſum cædis genus eſt, quod ad eos Magiſtratus pertinet, quibus data eſt necis poteſtas, qua ex legum præſcripto iudicioque in facinoroſos homines animaduertunt, & innocentes defendunt.*
    - *Qua ratione ne illi quidem peccant, qui iuſto bello non cupiditate, aut crudelitate impulſi, ſed ſolo publicæ vtilitatis ſtudio, vitam hoſtibus adimunt.*
    - *Neque huius præcepti reus eſt, qui non ſponte, neq; meditatò: ſed fortuitò hominem occidit: in quo tamen duabus de cauſis peccari poteſt:*
    - *Altera, ſi quis in re iniuſta occupatus, hominem occiderit: vt ſi quis grauidam mulierem pugno vel calce percuteret, ex quo abortus ſequeretur.*
    - *Altera, ſi non omnibus circunſpectis, negligenter & incautè aliquem occiderit.*
    - *Deniquè ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege non tenetur.*
  - *Prohibitæ:*
    - *Quales ſunt reliq̃ cędes oẽs: ſiue enim ſpectes*
      - *Eos*
        - *Qui cædem faciunt, nemo planè excipitur, non diuites, non potẽtes homines, non domini, non parentes: ſed, delectu omni & diſcrimine remoto, occidere vetitum eſt omnibus.*
        - *Qui interficiuntur: nam ad omnes hæc lex pertinet, nec quiſquã eſt tam humilis & abiectæ conditionis homo, quin legis huius vi defendatur.*
      - *Multiplici cædis faciendæ modo, nemo eſt q̃ excipiatur.*
        - *Non ſolùm enim ſuis cuiq; manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno vitam homini eripere non licet:*
        - *Sed conſilio, ope, auxilio, vel alia quacũq; ratione, id fieri prorſùs vetitum eſt.*
        - *Ad hæc homini Chriſtiano, ne iraſci quidẽ licet, niſi iuſta ſubſit cauſa: cùm lex ſpiritualis nõ manus ſolùm puras, ſed animum etiã caſtum, ſyncerumq; nos habere iubeat.*
        - *Quin etiam, ſi quis perfectam huius legis rationem expendat, nec malo illato reſiſtere permittitur, ſed inimicis etiam benefacere iubemur. ibid. & ad Rom. 12.*
    - *Quarum præcipuum eſt remedium, vt intelligant fideles, quàm nefarium ſit peccatum, hominis cædes: id quod ex plurimis maximisque ſanctarum literarum teſtimonijs perſpici poteſt.*
- *Alterum, quod facere iubemur, vt cõcordi amicitia, charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta deniquè incommoda patienter feramus.*

DE VIR-

DE VIRTVTIBVS HVIC VITIO CONTRARIIS,

ſecunda huius præcepti parte. TABVLA 112.

QVAE verò nobis hoc præcepto ſeruanda iubētur, hæc ſunt:

- *Quæ quidem eò ſpectant, vt pacem cum omnibus habeamus. Matth. 5.*
- *Charitas, qua ſine vlla exceptione oēs ſunt complectendi. Eius veluti comites ſunt*
  - *Patientia, in qua nos animas noſtras poſſeſſuros eſſe, ſaluator docet. Luc 21.*
  - *Benignitas, atq; beneficentia, cuius officiū in ijs rebus maximè verſatur:*
    - *Vt pauperibus ſuppeditemus res neceſſarias, cibum eſurientibus, ſitientibus potum demus, nudos veſtiamus: & quo quiſque opis noſtræ magis indiget, eo in illum plus liberalitatis conferamus.*
    - *Hæc officia, quæ per ſe ſunt illuſtria, eo fiunt illuſtriora, ſi inimicis præſtentur.*
- *Manſuetudo: nam ſi charitatis legem ſpectemus, quæ benigna eſt, omnia quæcunque ad manſuetudinem, lenitatem, aliaſque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea lege præſcribi intelligemus.*
- *Remiſſio iniuriarū. Pleniſſimū enim Charitatis officium illud eſt, vt iniurias, quas accepimus, æquo animo remittamus, atque condonemus: Quod vt planè efficiam⁹, adhibenda ſunt*
  - *Præcipuè tria:*
    - *Primum, vt, qui ſe iniuriam accepiſſe putat, ei maximè perſuadeatur, illum detrimenti aut iniuriæ præcipuam cauſam non fuiſſe, quem ipſe vlciſci cupit. Quæcūque enim in hac vita patimur, à Domino, qui iuſtitiæ omnis miſericordiæq; parens eſt & author, proficiſcuntur. Quò illud pertinet, quod grauiter & eruditè S. pertractauit Chryſoſto. Neminem ſcilicet, niſi à ſeipſo, lædi.*
    - *Alterū, quod duo præcipua cōmoda cōplectitur:*
      - *Vnum, quòd aliena debita remittentibus promiſit Deus, fore vt ipſi etiam peccatorum veniam impetrent.*
      - *Alterum, quod nobilitatem quandam atque perfectionem aſſequimur, adeò vt quodam modo Dei ſimiles efficiamur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos.*
    - *Poſtremò conſideranda ſunt incommoda eorū, qui illatas ſibi iniurias condonare nolunt.*
      - *Odium enim non ſolùm peccatum graue eſt,*
      - *Sed etiam diuturnitate peccandi grauiùs inhæret:*
      - *Et dicitur peccatum diaboli, qñquidē ipſe ab initio homicida fuit.*
  - *Deindè alia quoquè remedia opportuna, quæ ſanctarum literarum monumentis tradita ſunt.*
    - *Ac primum omnium & maximum eſt, Saluatoris noſtri pleniſſima illa pietatis oratio, quam pro perſecutoribus ſuis habuit Luc. 23. cuius exemplum ad imitandum nobis proponere debemus.*
    - *Alterum autem remedium, ab Eccleſiaſtico propoſitū eſt, vt mortē atq; illum Iudicij diem recordemur: Memorare, inquit ille, nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.*

AXIOMA.

Ad miſericordiam Dei implorandam nullum aptius, maiúſve remedium inuenias, quàm obliuionem iniuriarum, & amorem in eós, qui te aut tuos re aut oratione violârint.

PRÆ-

PRAECEPTVM VI. DE ADVLTERIIS ET ALIIS CARnis operibus. TABVLA 113.

NON MOECHABERIS.

HVIVS quoq; Præcepti duplex vis eſt:

- *Altera, qua diſertis verbis vetatur*
  - *Adulterium, quod eſt legitimi tori iniuria, ſiue alienus, ſiue proprius ille ſit. Etenim ſi maritus cum muliere ſoluta rem habet, ſuum ipſe torum violat: ſi verò ſolutus vir alienam cognoſcat vxorem, adulterij labe torus alienus inquinatur.*
  - *Omne impuritatis & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus. Quam ſententiam, non tantùm ex D. Ambroſij & B. Auguſtini ſcriptis, ſed ex ſacris literis tum veteris, tum noui teſtamenti licet cognoſcere. Immò verò omnem intimam animi libidinem hoc præcepto vetitam eſſe, tum ipſius legis vis ſignificat, tum Chriſtus Dominus docuit.*
  - *Præcipuè verò ob eam rem adulteriũ diſertè vetitum eſt,*
    - *Quia præter turpitudinem, quæ illi cum alijs intemperantiæ generibus communis eſt, iniuſtitiæ quoquè peccatum non ſolùm in proximum, ſed etiam in ciuilem ſocietatem adiunctum habet.*
    - *Eſt illud item certum, qui ſe à cæterarum libidinum intemperantia non abſtinet, eum ad hanc, quæ adulterij eſt, incontinentiam facilè labi.*
- *Altera, quæ eam ſententiam incluſam habet, vt animi corporiſq; caſtitatem colamus. vbi fideles*
  - *Docendi ſunt, ac vehementer hortandi, vt pudicitiam & continentiam omni ſtudio colant, mundentque ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes ſanctificationem in timore Dei.*
  - *Inprimis autem admonendi ſunt, quamuis caſtitatis virtus in diuino illo virginitatis propoſito magis eluceat, tamen ijs etiam conuenire, vel qui cælibem vitam agunt, vel matrimonio iuncti, à vetita libidine puros ſe & integros ſeruant.*

DE OPOR-

DE OPPORTVNIS VITII HVIVS REMEDIIS.

TABVLA 114.

QVONIAM verò multa à ſanctis Patribus tradita ſunt, quibus docemur domitas habere libidines & coërcere voluptates, in hac quoquè tractatione diligentiſſimè verſandum eſt. Hæc autē eiuſmodi ſunt, quæ conſiſtunt partim in

- *Cogitatione, quale inprimis eſt, vt intelligamus, quanta ſit huius peccati turpitudo & pernicies. quæ cogitatio paratur ex varijs ſacræ ſcripturæ teſtimonijs & argumentis.*
  - *Primùm enim omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. 1. Cor. 6.*
  - *Deindè, id quod ſceleſtius eſt, ſi homo Chriſtianus meretrici turpiter ſe dedat, membra quæ Chriſti ſunt, ea meretricis facit. ibidèm.*
  - *Eſt prætereà homo Chriſtianus, vt Apoſtolus teſtatur, templum ſpiritûs ſancti, quod violare nihil aliud eſt, niſi ab eo Spiritum ſanctum eijcere. ibid.*
  - *Tum, qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur. Prouerb. 6.*
  - *Deniquè & ſi mortem, qua olìm afficiebantur, & lapidibus obruebantur adulteri, effugiant, intolerabiles tamen dolores, ac pœnarum cruciatus, quibus ſæpè plectuntur, non effugiunt. Nam mente cæci, quæ pœna grauiſſima eſt, ità fiunt, vt neque Dei, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum, deniquè nec vitæ ſuæ rationem habeant: hocque pacto adeò nequam & inutiles fiunt, vt nihil graue eis committi debeat, & ad nullum ferè officij munus idonei ſint.*
- *Actione. Quorum*
  - *Primùm illud eſt, vt ocium maximè fugiamus.*
  - *Deindè crapula magnoperè eſt vitanda.*
  - *Eſt etiam oculorum cohibenda laſciuia.*
  - *Veſtium quoquè fugiendus eſt ornatus elegantior & exquiſitus.*
  - *Turpis obſcœnique ſermonis cauenda procacitas.*
  - *Delicatiores ac molliores cantus, ac ſaltationes, itemque Libri obſcœnè & amatoriè ſcripti, pariterque Imagines, quæ aliquā turpitudinis ſpeciem præ ſe ferunt, vitādæ.*
  - *Deniq. ad libidinis vim opprimendā maximè valent*
    - *Frequens confeſſionis & Euchariſtiæ vſus.*
    - *Aſſiduæ ac piæ quidem preces, cum eleemoſynis atque ieiunio coniunctæ.*
    - *Vigiliæ item ac piæ peregrinationes, atque alia afflictationum genera, quibus corpus eſt exercendum, ſenſuumq́ appetitiones reprimendæ.*

PRAECEPTVM VII.

DE FVRTIS ET ALIIS INIVSTItiæ operibus, Siue de iniuſta poſſeſſione & vſu rerum aliarum. TABVLA 115.

NON FVRTVM FACIES.

EST autem hoc p̄ceptū, quēadmodum ſuperiora, diuiſum in duas Partes: Quarū

- *Altera, apertè eſt annunciata, & vetat*
  - *Furtū, in quo illud animaduertendū eſt, furti nomine*
    - *Non id modò intelligi, cùm occultè ab inuito domino aliquid auferetur:*
    - *Sed etiā cùm aliquid alienum contra voluntatem ſcientis domini poſſidetur. varijs autem nominibus iniuſta poſſeſſio notatur. Aut enim*
      - *Priuatum quid priuato adimitur,* — *Et appellatur* — *Furtum.*
      - *Surripitur publico,* — *Peculatus.*
      - *Homo liber vel ſeruus alienus in ſeruitutē abducitur,* — *Plagiatus.*
      - *Res ſacra eripitur,* — *Sacrilegium.*
  - *Rapinam, quæ in hoc differt à furto, quòd rapinas tantummodò illi facere poſſint, qui potentia & viribus præſtant: furtum verò latiùs patet, & ad plura pertinet.*
  - *Sed præter ipſum furtum, id eſt, externam actionem furandi, etiam animus & voluntas Dei lege prohibetur. Eſt enim ſpiritualis Lex, quæ animum, fontem cogitationum & conſiliorum, inſpicit. De corde enim, inquit Dominus, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia &c.*
- *Alterius ſententia & vis, qua iubemur benigni & liberales eſſe in proximos, in priore occulta eſt & inuoluta, De qua in tertia poſt hanc dicetur tabula.*

DE FVR-

DE FVRTORVM GENERIBVS.

TABVLA 116.

FVRTORVM tam multa ſunt genera, vt ea dinumerare ſit difficilimũ:

Sunt igitur fures etiam, qui furto ſublatas res emunt, vel aliquo modo inuentas, occupatas, aut ademptas retinent.

Eodem ſe alligant ſcelere, qui in emendis vendendiſque rebus fraudes adhibent.

Grauiores & iniquiores in hoc furtorum genere ſunt ij, qui fallaces & corruptas merces vendunt pro veris & integris: quíve pondere, menſura, numero ac regula decipiunt emptores.

Furtum etiam apertum eſt operariorum & artificum, qui totam & integram mercedem exigunt ab alijs, quibus ipſi iuſtam ac debitam operam non dederunt.

Nec verò diſtinguuntur à furibus ſerui Dominorum, rerumque cuſtodes infidi.

Furtum præterea facere videntur, qui fictis ſimulatiſque verbis, quíve fallaci mendicitate pecuniam extorquent, furtum mendacio cumulantes.

Illi quoquè in furum numero reponendi ſunt, qui cùm ad priuatũ aliquod, vel publicum officium conducti ſunt, nullam vel paruam operam nauantes, munus negligunt, mercede tantùm ac precio fruuntur. Reliquam furtorum multitudinem, à ſolerti auaritia, quæ omnes pecuniæ vias nouit, excogitatam, perſequi longum eſt, &, vt diximus, difficilimum.

DE RAPINARVM VARIETATE.

TABVLA 117.

RAPINAE autem latiùs patent. Nam

Qui debitam operarijs mercedem non perſoluunt, ſunt rapaces.

In hoc crimine rapacitatis includuntur etiam, qui vectigalia, tributa, decimas, & reliqua huius generis non diſſoluunt, vel interuertunt, & ad ſe transferunt.

Huc etiam referuntur fœneratores in rapinis acerrimi & acerbiſſimi, qui miſeram plebem compilant, ac trucidant vſuris.

Item rapinas faciunt nummarij iudices, qui venalia habent iudicia, & precio muneribuſque deliniti, optimas tenuiorum & egentium cauſas euertunt.

Fraudatores creditorum & inficiatores, quique ſumpto temporis ſpatio ad ſoluendum, ſua vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine rapinarum.

Qui etiam ab illis, qui ſoluendò non ſunt, quod commodârunt, exigunt acerbiùs, & pignora etiam ea auferunt contra Dei interdictum quæ ad eorum corpus tuendũ ſunt neceſſaria, rectè rapaces vocantur.

Ex raptorum deniquè numero ſunt, qui in frugum inopia comprimunt frumentum, faciuntque vt ſua culpa carior ac durior ſit annona: quod etiam valet in rebus omnibus, ad victum & ad vitam neceſſarijs.

DE SECVNDA HVIVS PRAECEPTI PARTE,

hoc eſt, De ijs quæ tacitè hac lege præcipiuntur. TABVLA 118.

HAEC DE *vitiis, nunc ad iuſſa veniamus: in quibus locum habet*

Primũ Satisfactio vel reſtitutio. Peccatum enim non remittitur, niſi reſtituatur ablatũ. Hac autem reſtitutionis lege tenetur non is ſolùm, qui furtum fecit, ſed omnes ꝓtereà, qui furti participes fuerũt. Sunt autem plura eorum hominum genera:

Ac primum eſt eorum, qui furari imperant: qui non modò ſunt ipſi furtorum ſocij & authores, ſed etiam in illo furum genere deterrimi.

Alterum eorum, qui cùm iubere non poſſint, ſuaſores ſunt atque impulſores furtorum.

Tertium genus eſt eorum, qui cum furibus conſentiunt.

Quartum genus eſt eorum, qui participes furtorum, indè lucrum ipſi etiam faciunt.

Quintum genus eſt furum, qui cùm furta poſſint prohibere, tantum abeſt vt illis occurrant & obſiſtant, vt eorũ licentiam permittant atque concedant.

Sextum genus eſt eorum, qui cùm & furtum factum, & vbi factum ſit, certò ſciant, non indicant rem, ſed eam ſe ſcire diſſimulant.

Poſtremum genus eſt, quod omnes complectitur furtorum adiutores, cuſtodes, patronos, quiq́ illis receptaculum præbent ac domicilium: qui omnes & ſatisfacere debent ijs, quibus aliquid detractum eſt, & ad illud neceſſarium officium vehementer cohortandi ſunt.

Ne huius quidem ſceleris omninò ſunt expertes, approbatores furtorum & laudatores.

Nec verò etiam ab eadem culpa ſunt alieni filij familiâs & vxores, qui pecunias à Patribus & viris ſubripiunt.

Alterum Eleemoſyna. nam huic præcepto etiam illa ſubiecta ſententia eſt, vt pauperum & inopum miſereamur, eorumq́ue difficultates & anguſtias noſtris facultatibus & officijs ſubleuemus. Quod argumentum, quia ſæpiſſimè & copioſiſſimè tractandum eſt, petendum eſt ex virorum ſanctiſſimorum, Cypriani, Ioãnis Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, & aliorum libris, qui de eleemoſyna præclarè ſcripſerunt.

Eſt etiam Chriſtianæ pietatis, niſi ſit aliundè facultas benè merendi de ijs, quibus ad victum aliena miſericordia opùs eſt, vitandi etiam ocij cauſa, labore, opera ac manibus ea quærere, quibus inopum indigẽtiam leuare poſſint: Hinc Apoſtolus Paulus: Qui furabatur, inquit, iam non furetur: magìs autem laboret, operando manibus quod bonum eſt, vt habeat, vndè tribuat neceſſitatem patienti.

Conſulendum deniquè eſt frugalitati, parcendumq́ue bonis alienis, nè cæteris graues aut moleſti ſimus. Quæ temperantia ſanè quàm elucet in omnibus Apoſtolis, ſed maximè eminet in D. Paulo: cuius illud eſt ad Theſſalonicenſ. Memores eſtis, fratres, laboris noſtri & fatigationis: nocte & die operantes, nè quẽ veſtrûm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. 1. Theſſ. 2.

DE EX-

DE EXCVSATIONIBVS FVRTORVM.

TABVLA 119.

SED QVIA *non deſunt, qui etiam ſe furtis excuſent, admonendi ſunt, fore, vt nullam eorum peccati excuſationem accipiat Deus: immò verò futurum, vt illa purgatione non modò nõ leuetur peccatum, ſed mirum in modum augeatur.*

Eccè nobilium hominum non ferendæ deliciæ, qui culpam extenuare ſibi videntur, ſi ſe affirmârunt, non cupiditate aut auaritia ad detrahendum alteri ſua deſcendere, ſed tuendæ cauſa amplitudinis, familiæ & Maiorum ſuorum, quorum exiſtimatio ac dignitas rueret, niſi rerum alienarum acceſſione fulciretur.

Non deſunt, qui non iam illam afferant cauſam ſplendoris & gloriæ, ſed victûs & vitæ commodiorem facultatem & elegantiam, qui refellendi docendique ſunt, quàm impia ſit eorum & actio & oratio, qui vllam commoditatẽ anteferant Dei voluntati & gloriæ: etſi quæ poteſt eſſe in furto commoditas, quod ſumma incommoda conſequantur?

Quid, quòd audire licet interdum fures, qui nihil ſe eô peccare cõtendant, quòd detrahant aliquid locupletibus & copioſis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ac ne ſentiant quidem? miſera ſanè & peſtifera defenſio.

Putat alius ſatisfactionem ſuam accipi debere, quòd eam furandi conſuetudinem cepit, vt non facilè poſſit ab illa mente & actione deſiſtere. Qui niſi audiërit Apoſtolum dicentem, Qui furabatur, iam non furetur: velit nolit, etiã conſuetudinem capiet æternorum ſuppliciorum.

Nonnulli ſunt, qui excuſant ſe occaſione data alteri aliquid ademiſſe. eſt enim illud tritum ſermone prouerbium: Fures qui non ſint, fieri occaſione. Qui hac ratione ſunt de nefaria ſententia deducendi, reſiſtendum eſſe prauis cupiditatibus.

Sunt qui furari ſe dicant vlciſcendi cauſa, quòd ab alijs eadem iniuria ſint affecti. Quibus ità reſpondendum eſt: Primùm nemini licere iniurias perſequi: deindè non poſſe quenquam rei ſuæ iudicem eſſe: tum multo minùs concedi, vt pœnas ab alijs repetant eorum, quæ alij in eum peccauerunt.

Poſtremò quidam furtum ſatìs illa ratione defenſum, tectumque arbitrantur, quòd, cùm ſint ære alieno oppreſſi, aliter eo liberari non poſſint, niſi illud furto diſſoluant. Quibuſcum ità agendum eſt, nullum eſſe grauius æs alienum, & quo magis prematur humanum genus, quàm debitum illud, cuius in diuina precatione quotidiè meminimus: Dimitte nobis debita noſtra: quarè illud inſaniſſimi hominis eſſe, plus velle Deo debere, id eſt, plus peccare, vt quod debet hominibus, diſſoluat.

REGVLA.

Vna eſt ratio conſeruandi & amplificandi copias & opes, Maiorumque gloriam, ſi fideles Dei voluntati paruerint, ſi eius præcepta ſeruauerint: quibus contemptis, fundatæ & optimè conſtitutæ opes euertuntur, Reges ex regio ſolio & ſummo gradu honoris pręcipites exturbantur: in quorum locum infimi interdùm homines, & qui ſummè in odio illis fuerunt, diuinitùs vocantur.

PRAECEPTVM OCTAVVM, DE FALSIS TESTIMONIIS, ET iudicandi temeritate. TABVLA 120.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMVM tuum falſum teſtimonium.

VERVM in hoc pręcepto eadem ratione & via progrediendũ eſt, qua in cæteris progreſſi ſum⁹, vt videlicet animaduertantur in eo duæ leges:

- *Altera prohibẽt, quæ prohibentur*
  - *Falſum teſtimonium*
    - *Illud præcipuè, quod in iudicio falsò dicitur à iurato.*
    - *Deindè, omne teſtimonium non modò in iudicio, ſed etiam extra iudicium, quod alteri incommodum aut detrimentum poßit afferre, Leuit.19.*
  - *Deteſtabilis libido & cõſuetudo detrahendi alteri. Eſt verò ſciendum*
    - *Non tantùm adhibenda calumnia offendi hominum exiſtimationem, ſed & augendis amplificandisq́ criminibus: & ſi quid occultiùs ab aliquo commiſſum ſit, quod vbi reſcitũ fuerit, graue aut turpe ſit ad famã, eam rem qui vbi, quãdò, quibus non neceſſè ſit, peruulgârit, is obtrectator & maledicus iure dicitur. Verùm totius obtrectationis nulla capitalior eſt, quàm eorum, qui Catholicæ doctrinæ eiusq́ue prædicatoribus obtrectant, vel malarum doctrinarum & errorum magiſtros extollunt laudibus.*
    - *Nec verò ab horum hominum numero & culpa ſeiunguntur, qui detrahentibus & maledicẽtibus hominibus patefacientes aures, non repræhendunt obtrectatores, ſed illis libenter aſſentiuntur.*
    - *In eodem genere ſunt, qui ſuis artificijs diſtrahunt homines, & inter ſe committunt, magnoperequè ſerendis diſcordijs delectantur.*
    - *Peccant deniquè in hanc Partẽ blandi homines & aſſentatores, qui blanditijs & ſimulatis laudibus influunt in aures & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, vt eſt apud Prophetam, malum bonum, & bonum malum. Iſa.5.*
  - *Mendacium. Fugiendum eſt autẽ omne mendaciorum gen⁹, ſed illud inprimis,*
    - *Quo graui damno quiſquam affici poßit.*
    - *Plenißimum verò impietatis eſt mendacium, cùm quis in religionem vel de religione mentitur.*
    - *Sed illis etiam maledictis & probris grauiter offenditur Deus, quæ committuntur libellis, quos famoſos vocant, & alijs huius generis contumelijs.*
    - *Prætereà ioco, vel officij cauſa fallere mendacio, etſi nemo in illo vel damnum, vel lucrum fecerit, tamen omninò indignũ eſt. Nam ex iocoſis mendacijs capiunt homines mentiendi conſuetudinem: vndè veniunt in opinionem, non eſſe veraces.*
    - *Poſtremò, priore parte huius præcepti ſimulatio repudiatur: nec modò quæ ſimulatè dicuntur, ſed quæ ità fiunt, cum ſcelere coniuncta ſunt.*
- *Altera iubens, vt, ſimulatione, fallacijsque ſublatis, dicta & facta noſtra ſimplici veritate metiamur: Cuius officij Apoſtolus Epheſios illis verbis admonuit: Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia. Ad Epheſ.4.*

DE IV-

DE IVSTITIA VNICVIQVE INVIOLABILITER miniſtranda, ſecunda videlicet octaui præcepti parte. TABVLA 121.

HVIVS *præcepti etiã ea vis eſt, vt non ſolùm ꝓhibeat falſum teſtimonium, ſed verũ etiã dici imperet. Vbi admonentur & inſtruuntur*

Iudices,
- *Vt iuſtè & ex legibus forenſia iudicia exerceantur.*
- *Nè ve occupent homines, & vſurpent iudicia.*
- *Nè re & cauſa incognita ſententiam ferant, quo in vitio fuit ſacerdotum & ſcribarum conſilium, qui de S. Stephano iudicârunt. Act. 7.*
- *Nè condemnent innocentes, aut nocentes abſoluant.*
- *Nè precio aut gratia, nè odio aut amore moueantur.*

Teſtes, qui
- *Licèt extra iudicium poſſint interdùm verum tacere:*
- *In iudicio tñ, vbi legitimè interrogantur à iudice, vera omninò patefacienda ſunt.* — *idq́ tam* — *Pro Reis, Quàm actoribus.*
- *Quo loco cauẽdum tamen eſt teſtibus,* — *Nè ſuæ memoriæ nimiùm confiſi, quod exploratum non habent, id pro certo affirment.*

Patroni cauſarum & Aduocati,
- *Vt Patrocinio ſuo non deſint neceſſarijs hominum temporibus, & egentibus benignè ſubueniant.*
- *Nè iniuſtas cauſas defendendas ſuſcipiant, neq; calumnia lites protrahant, nec alant auaritia.*
- *Quòd ad mercedem attinet laboris & operæ ſuæ, illa iure & æquo metiantur.*

Petitores verò & accuſatores monendi ſunt, nè cuiquam, amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent.

Pij deniquè omnes, vt in congreſſibus & colloquijs verè ſemper & ex animo loquantur, nihil dicant, quod alterius exiſtimationi poſſit officere, ne de illis quidem, à quibus lædi ſe & exagitari intelligunt, cùm illud propoſitum habere debeant, ſibi cum illis eam neceſſitudinem & ſocietatem intercedere, vt membra ſint eiuſdem corporis.

APPENDIX.

Eſt in humanis rebus maximus vſus veri teſtimonij, quòd ſunt innumerabiles res, quas à nobis ignorari neceſſe ſit, niſi eas ex teſtium fide cognoſcamus. Quare nihil tam neceſſarium eſt, quàm teſtimoniorum veritas in ijs rebus, quas nec ipſi ſcimus, neque tamen licet ignorare. De quo extat illa S. Auguſtini ſententia: Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus eſt: ille, quia prodeſſe non vult: hic, quia nocere deſiderat.

DE INCOMMODIS MENDACIORVM.

TABVLA 122.

AD EIICIENdum tantũ flagitiũ, ea proponenda ſunt mala, quæ mendacium conſequuntur. Quæ cùm ſint innumerabilia, fontes & capita incommodorum & calamitatũ ſunt cõmonſtranda.

Ac primùm, in quantam cadat Dei offenſionem, quantúmve eius odium incurrat homo vanus & mendax, facilè intelligitur ex nono Prouerbiorum capite. Iam quis ei præſtet incolumitatem, qui in inſigni odio ſit apud Deum, quò minùs grauiſsimis afficiatur ſupplicijs?

Deindè, quid impurius aut fœdius, vt S. inquit Iacobus, quàm in eadem lingua, qua benedicimus Deum & Patrem, maledicere homines, qui ad imaginẽ & ſimilitudinem Dei facti ſunt, ità vt fons de eodem foramine emánet dulcem & amaram aquam?

Maximum verò etiam illud in mendacio incommodum eſt, quòd ferè eſt inſanabilis animi morbus. Peccatum enim, quod inferendo falſo crimine, aut proximi famæ & exiſtimationi obtrectando, commiſſum eſt, non remittitur, niſi calumniator ei, quem criminatus fuerit, ſatisfaciat iniuriarum.

Præterea latiſsimè patet hoc detrimentum, & in cæteros diffunditur: qua vanitate & mendacio fides ac veritas tolluntur, arctiſsima vincula ſocietatis humanæ.

DE VITANDIS MENDACIORVM EXcuſationibus.

TABVLA 123.

SVNT QVI ſe in vanitate orationis excuſant, & mendacium prudẽtium exemplo defendunt: quorũ eſſe aiũt in tẽpore mentiri: hi, quod veriſſimum eſt, docendi ſunt, Prudentiam carnis, mortem eſſe. Rom. 8.

Qui cauſam ſui mendatij conferunt in eos, à quibus ſunt mendacio decepti, hi docendi ſunt, non licere hominibus ſeipſos vlciſci, neque malum malo compenſandum eſſe, ſed potiùs vincendum in bono malum.

Ijs qui afferunt humanæ naturæ imbecillitatem & fragilitatem, tradẽdum erit hoc officij præceptum, vt diuinum auxilium implorent, neque infirmitati humanitatis obtemperent.

Qui conſuetudinem opponunt, admonendi ſunt, ſi mentiri aſſueuerunt, vt dent operam, vt contrariam conſuetudinem capiant verè loquendi, præſertìm cùm qui vſu & conſuetudine peccant, grauiùs delinquant, quàm cæteri.

Et quoniam non deſunt, qui ſe tegant excuſatione cæterorum hominum, quos paſsim mentiri & peierare contendunt, hac ratione illi ab ea opinione deducendi ſunt, non eſſe imitandos malos, ſed repræhendendos & corrigendos.

Alij ſe ità defendentes, quòd vera dicendo ſæpè incommodo ſint affecti, ſic refellendi ſunt, eſſe illam accuſationem, non defenſionem, cùm ſit officium Chriſtiani hominis, quamuis potiùs facere iacturam, quàm mentiri.

Reſtant duo genera eorũ, qui ſe in mẽdacio excuſant:

Alteri, qui dicant ſe ioci cauſa mentiri, qui ab hoc vitio abducendi, & docendi ſunt, quantùm in eo genere peccandi conſuetudinem augeat vſus mentiendi: & illud inculcandum, omnis ocioſi verbi reddendam eſſe rationem.

Alteri, ſe idem facere, vtilitatis gratia, quippe qui benè nec emerent, nec venderent, niſi mendacium adhiberent. Hi acerbiùs etiam obiurgandi, & illius admonendi ſunt ſentẽtiæ: Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Matt. 5.

PRAECEPTVM IX. ET X.

DE REBVS ALIORVM NON CONCVpiſcendis.

IX.

NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI.

X.

NEC DESIDERABIS VXOREM EIVS, NON ſeruum,non ancillam,non bouem,non aſinum,nec omnia quæ illius ſunt.

CONTINVATIO.

CVM ſuperioribus legis præceptis nos quibuſdam quaſi præſidijs muniſſet Deus,ne quis noſipſos aut noſtra violaret: hoc adiuncto præcepto,maximè prouidere voluit, nè appetitionibus noſtris nos ipſi læderemus: quod facilè futurum fuit, ſi omnia cupere atque optare, liberum nobis atque integrum eſſet.

ARGVMENTVM.

IN his duobus præceptis, quæ poſtremo loco tradita ſunt, illud inprimìs ſciendum eſt, rationem ferè conſtitui,qua cætera præcepta ſeruentur.Nam quod his verbis præſcriptum eſt, eò ſpectat, vt ſi quis ſtudet ſuperiora legis iuſſa ſeruare, hoc maximè faciat,nè concupiſcat: quoniam qui non concupiſcet,ſuis contentus,aliena non appetet,aliorum commodis gaudebit,Deo immortali gloriam tribuet,gratias eidem maximas aget,Sabbathum colet,id eſt,quiete perpetua fruetur, Maioresq́ue venerabitur: neminem deniquè neq; re, neque verbis,neque vllo alio modo lædet. Nam ſtirps ac ſemen malorum omnium, eſt praua concupiſcentia: qua qui incenſi ſunt, præcipites feruntur in omne flagitiorum & ſcelerum genus.

SVMMA.

HAC igitur non concupiſcendi lege præſcripta,illud à Deo prouiſum eſt,vt cupiditatum aculei, quibus ad pernicioſa quæq; incitari ſolemus.huius legis vi quodammodò excuſſi,nos minùs vrgeant,maiusq́ue propterea temporis ſpatium nos, moleſtia illa cupiditatum ſolicitudine liberati, ad ea præſtanda pietatis & religionis officia habeamus,quæ ipſi Deo multa maximeq́ue debemus. Atque ſic intelligamus, legem Dei eiuſmodi eſſe, quæ non externis ſolùm munerum functionibus, ſed etiam intimo animi ſenſu ſeruanda ſit.

DE NECESSITATE NONI ET DECIMI præcepti. TABVLA 124.

VERVM *horũ præceptorũ duplex fuit neceſſitas:*

- *Alterã,vt ſexti, ſeptimiq́ præcepti ſententia explicaretur. Nam etſi quodam naturæ lumine intellectum eſt,alienæ vxoris potiundæ cupiditatem prohiberi, vetito adulterio: (nam ſi concupiſcere liceret, fas item eſſet potiri) tamen pleriq́ ex Iudæis peccato obcæcati,in eam opinionem adduci non poterant,vt crederent id à Deo prohibitũ eſſe.*
- *Altera,quòd aliqua diſtinctè explicateq́ue vetantur,quæ ſexto & ſeptimo explicatè non prohibebantur: nam exempli cauſa, ſeptimum præceptum prohibuit,nè quis iniuſtè concupiſcat aliena,aut eripere conetur:hoc autem vetat, nè vllo modo quis concupiſcat, & ſi iure legeq́ id aſſequi poſſit,ex cuius appetitione proximo damnum importari videat.*

IN QVIBVS HAEC DVO PRAECEPTA conueniant aut diſcrepent. TABVLA 125.

HAEC *duo præcepta*

- *Conueniunt: habent enim hæc ſingula præcepta illud cum cæteris commune, vt partim aliquid vetent, partim iubeant.*
- *Differunt inter ſe. Nam*
  - *Altera concupiſcentia ſolùm ſpectat, qđ vtile ſit,quid fructuoſum.*
  - *Alteri propoſitæ ſunt libidines & voluptates.*

DE CONCVPISCENTIA, ID EST, PECCATI FOmite, qui ex peccato originem habuit, & perpetuò nobis infixus inhæret. TAB. 126.

QVARè ſciendum eſt, Cõcupiſcẽtiam eſſe commotionem quãdã ac vim animi, qua impulſi homines, quas non habẽt, res iucundas appetunt. Et eſt triplex:

- *Naturalis, hoc eſt, recta concupiſcendi vis, quæ Deo authore, à natura nobis inſita eſt. Vt ſunt appetitus comedendi, bibendi, caleſcendi, frigeſcendi &c. Quæ ſi moderata ſit, ſuisq́ finibus contineatur, ſæpè etiam non mediocres vtilitates præbet. Nam*
  - *Illud primùm efficit, vt aſsiduis precibus Deũ oremus, ſupplicesq́ ab eo petamus, quæ maximè cupimus. Oratio enim, cupiditatis noſtræ interpres eſt.*
  - *Efficit præterea, vt chariora ſint nobis Dei munera. quo enim vehementiori alicuius rei cupiditate flagramus, eo charior illa nobis res eſt atque iucũdior, cùm eam adepti ſumus.*
  - *Tum verò delectatio ipſa, quam ex re concupita ſentimus, facit, vt maiore pietate gratias Deo agamus.*
- *Spiritualis, qua ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Hæc vſqueadeò non eſt probibita, vt ad eam ipſam ſacræ nos literæ adhortẽtur: Concupiſcite ſermones meos, Sap. 6. Et, Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, Eccl. 24. Itaq; hoc interdicto, non ipſa concupiſcendi vis, qua tum ad bonum, tum ad malum vti licet, ſed vſus prauæ cupiditatis, quæ carnis concupiſcentia & peccati fomes vocatur, àc ſi animi aſſenſionem adiunctam habeat, ſemper in vitijs numeranda eſt, omninò probibetur.*
- *Carnis, illi ſcilicet concupiſcendi motus, qui nullum rationis modum habent, neq; finibus à Deo cõſtitutis cõtinentur. Hæc cupiditas damnata eſt, vel quia*
  - *Malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia, & alia eiuſmodi nefaria ſcelera.*
  - *Etſi res natura ſua malæ non ſunt, cauſa tamen aliundè extat quarè illas concupiſcere nefas ſit, quo in genere ſunt ea, quæ nè poſsideamus, Deus aut Eccleſia probibet. vt fuerũt in veteri teſtamento aurum & argentum, ex quibus idola conflata erant.*
  - *Ob eam præterea cauſam hæc cupiditas vitioſa probibetur, quoniam quæ appetuntur, aliena ſunt, vt domus, ſeruus, ancilla, ager, vxor, bos, aſinus, & alia multa: quæ cùm aliena ſint, ea concupiſcere vetat diuina lex.*

DE IIS QVAE DVOBVS HIS PRAECEPTIS interdicta ſunt. TAB. 127.

EX HAC *interpretatione animaduertimus, hac duorum præceptorũ lege vetitũ nobis eſſe,*

- *Priore quidẽ,*
  - *Nè diuitias auidè expetamus, neque alienis opibus, potentiæ, nobilitati inuideamus: ſed ſtatu noſtro, qualiſqualis ille ſit, ſiue humilis, ſiue excelſus, contenti ſimus.*
  - *Alienæ deindè gloriæ appetitionem vetitam eſſe, intelligere debemus: nam hoc item ad domum pertinet.*
  - *Non ſolùm autem quæ magna ſunt, vt domum, nobilitatem & gloriã concupiſcere nobis non licere, ſed etiam parua, qualiaqualia illa ſint, ſiue animata, ſiue inanimata.*
- *Poſtrema verò, nè alienam concupiſcamus vxorẽ, qua lege concupiſcendi libido probibita cenſetur,*
  - *Non quidem ea tantùm, qua adulter alterius vxorem appetit:*
  - *Sed etiam, qua affectus aliquis, alterius vxorem in matrimonium ducere concupiſcit.*
  - *Atque hoc idem de ijs mulieribus dicitur, quæ alteri deſponſatæ ſunt.*
  - *Sic quæ ad Dei cultum religionemq́ eſt conſecrata, nullo pacto licet illam vxorem appetere.*

DE ALIIS CVPIDITATIS VITIIS.

TABVLA 128.

IAM VERO *qui præ cæteris hoc cupiditatis vitio laborant, quoſque prætereà ad colendum hoc præceptum diligentiùs cohortari oportet, illi ſunt,*

Qui luſionibus non honeſtis delectantur, aut qui ludis immoderatè abutuntur.

Mercatores item, qui rerum penuriam, annonæq́ caritatem expetunt, atque id ægrè ferunt, vt alij præter ipſos ſint, qui vendant aut emant, quô cariùs vendere, aut viliùs emere ipſi poſſint.

Qui alios egere cupiunt, vt aut vendendo, aut emendo ipſi lucrentur.

Milites etiam, qui bellum expetunt, vt furari ipſis liceat.

Medici item, qui morbos deſiderant.

Iureconſulti, qui cauſarum litiumq́ vim, copiamq́ concupiſcunt.

Tum artifices, qui quæſtûs auidi, omnium, quæ ad victum cultumq́ pertinent, penuriam exoptant, vt indè plurimum lucri faciant.

Qui alienæ laudis gloriæq́ auidi, atq; appetentes ſunt, non ſine aliqua famæ alterius obtrectatione, idq́ præſertim, ſi qui illam appetunt, ignaui nulliusq́ precij ſint homines: Fama enim & gloria, virtutis atque induſtriæ, nõ ignauiæ aut inertiæ, præmium eſt.

DE REMEDIIS ADVERSVS NOXIAS

concupiſcentias. TABVLA 129.

SED VT REmedia pateſiãt, *quæ ad tollendũ hoc cupiditatis vitiũ accõmodata ſunt, explicãda altera præcepti ratio eſt, quæ in eo conſiſtit: Vt*

Si diuitiæ affluant, cor non apponamus, eaſq́ pietatis & diuinarum rerum ſtudio abijcere parati ſimus, & in ſubleuandas pauperum miſerias, libenter pecunias erogemus.

Si deſint facultates, egeſtatem æquo & hilari animo feramus: & quidem ſi rebus noſtris dandis liberalitate vtemur, rerum alienarum cupiditates reſtinguemus.

Ardenti ſtudio, ſummaque cupiditate optemus id potiſſimum effici, non quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult.

Sed & ad hunc cupiditatum ardorẽ reſtinguendũ, plurimum etiam hoc poteſt, ſi quæ incommoda ex illis accidunt, ea nobis ob oculos proponamus.

Primum verò illud incommodum eſt, quòd quoniam eiuſmodi cupiditatibus paremus, in anima noſtra regnat ſumma peccati vis ac poteſtas.

Alterum prætereà incommodum eſt, quòd ab hac concupiſcendi vi, veluti fonte quodam omnia peccata manant: Omne enim quod eſt in mundo, concupiſcẽtia carnis eſt, & concupiſcẽtia oculorum, & ſuperbia vitæ. 1. Ioan. 2.

Tertium incommodum in eo eſt, quoniam rectum animi iudicium his cupiditatibus obſcuratur.

Opprimitur prætereà concupiſcendi vi verbũ Dei, quod in animis noſtris à magno illo agricola Deo inſitũ eſt. Marc. 4.

PARS

PARS ROMANI CATE-CHISMI QVARTA, DE ORATIONE Dominica, & primùm

DE ORATIONIS MODO.

PRAECIPVA cura id agendum eſt, vt pij homines intelligant, quid à Deo & quomodò orādum ſit. Omnes autem neceſſariæ precationis numeros continet diuina illa formula, quam Chriſtus Dominus apoſtolis, & per illos eorumq́; ſucceſſores omnibus deincèps, qui Chriſtianam religionem ſuſciperent, notam eſſe voluit, cuius verba atque ſententias ſic animo ac memoria compræhendere oportet, vt in promptu habeamus.

DE NECESSITATE ORATIONIS.

TABVLA 130.

PRAECEPTVM *orationis non ſolùm conſilij cauſa traditum eſt, ſed etiam neceſſarij iuſsi vim habet. Quod declaratur*

- *Verbis Chriſti: Oportet ſemper orare, Luc.18.*
- *Tū prætereà*
  - *Quòd tam multis indigemus bonis & commodis, ad animum & corpus tuendum neceſſarijs, vt ad precationem confugere oporteat, tanquàm ad vnam omnium optimam & indigentiæ noſtræ interpretem, & conciliatricem eorum quibus egemus.*
  - *Nam cùm nihil cuiquam debeat Deus, reliquum profectò eſt, vt quæ nobis opùs ſunt, ab eo precibus expetamus: quas preces tanquàm inſtrumentum neceſſarium nobis dedit ad id, quod optaremus, conſequendum: præſertim cùm quædam eſſe conſtet, quæ niſi eius adiumento non liceat impetrare.*
- *Singulari conſilio Dei. Poſſet enim Deus etiam non petentibus, ac ne cogitantibus quidem, abundè nobis omnia dilargiri: quo modo & animantibus rationis expertibus cuncta ſuppeditat ad vſus vitæ neceſſaria: ſed beneficentiſsimus parens vult à filijs inuocari: vult nos quotidiè ritè petendo, petere fidentiùs: vult impetratis ijs, quæ poſtulamus, indiès magìs teſtificari, ac prædicare ſuā in noſipſos benignitatem.*

DE VTI-

DE VTILITATE ORATIONIS.

TABVLA 131.

HABET AVtem hæc neceſſitas iucundiſſimam vtilitatem, quæ fructus ex ſe edit vberrimos: Quorum

Primus eſt is, quòd orantes, Deo honorem habemus: ſiquidem eſt quoddam religionis argumẽtum oratio, quæ in diuinis literis thymiamati comparatur.

Sequitur fructus ampliſſimus & iucundiſſimus orationis, cùm à Deo preces audiuntur. eſt enim ex ſancti Auguſtini ſententia, cæli clauis oratio. Nam aſcendit, inquit, precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Licèt alta ſit terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam.

Ineſt etiam omninò in precatione ſingularis gaudij cumulus, quamobrem ſic loquebatur Dominus: Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Ioan. 16.

Accedit eò etiam ille fructus, quòd orando, animi virtutes & exercemus, & augemus, maximè verò fidem.

Amplificatur etiam charitas Dei: nam illum authorem agnoſcentes omniũ bonorum, vtilitatumque noſtrarum, quanta cum poſſumus maxima charitate amplectimur.

Valent autem maximè hæc tanquàm orationis arma contra naturæ noſtræ hoſtes acerrimos: inquit enim ſanctus Hilarius: Aduersùs diabolum armaq; eius, orationum noſtrarum ſonitu certandum eſt.

Præclarum præterea illum orationis fructum aſſequimur, quòd cùm procliues ſimus ad malum, & ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitæ, patitur ſe Deus noſtris cogitationibus concipi, vt, dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni labe, delictorum omnium amputatione, purgemur.

Poſtremò, ex ſancti Hieronymi ſententia, iræ diuinæ reſiſtit oratio. Nihil enim eſt, quod æquè Deum leniat iratum, aut etiam paratum ad plagas ſceleratis inferẽdas, æquè retardet & reuocet à furore, ac preces piorum hominũ.

DE PAR-

DE PARTIBVS ET GRADIBVS orationis. TABVLA 132.

SVNT orationis

- *Partes præcipuæ duæ,*
  - *Poſtulatio, & Gratiarum actio.*
    - *Nam ad Deum accedimus, vt cultum et ac venerationem adhibentes,* Vel
      - *Ab eo aliquid impetremus,*
      - *De beneficijs, quibus aſſiduè ab eius benignitate ornamur & augemur, ipſi gratias agamus.*
  - *Vtranque hanc maximè neceſſariam partem orationis Deus ipſe pronunciauit ore Dauidis, illis verbis: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Pſal. 49.*
- *Gradus vtriuſq; officij, & petendi aliquid à Deo, & ei gratias agendi, ſunt multi: Quorum*
  - *Summus eſt is, quo pij & iuſti homines vtuntur.*
  - *Alius eſt eorum, qui mortiferis peccatis oppreſſi, fide tamen ea, quæ mortua dicitur, nituntur ſeſe erigere, & ad Deum aſſcendere.*
  - *Eſt præterea eorum gradus, qui nondum fidei lucẽ acceperunt, veruntamen diuina benignitate exiguum illorum naturæ lumen accendente, vehementer excitantur ad ſtudium cupiditatemq; veritatis: quam vt doceantur, ſummis precibus petunt.*
  - *Poſtremus eſt gradus eorum, quos non modò facinorum ac flagitiorum non pœnitentes, ſed etiam ſceleribus ſcelera cumulantes, tamen non pudet ſæpè à Deo petere peccatorum veniam, in quibus volunt perſeuerare. Horum oratio à Deo non auditur.*
  - *Singulorũ exempla vide hîc in ipſo Catechiſmo Tridẽtino.*

DE IIS QVAE PETENDA SVNT. TABVLA 133.

A DEO *iuſta & honeſta petenda ſunt. Bonorũ autem, alia*

- *Summè ſunt bona, vt Deus: Itaque*
  - *Primò ad Deum, qui ſummum eſt bonum, ſummum ſtudium deſideriumq; referamus.*
  - *Deindè cu piemus ea,*
    - *Quæ cum Deo nos maximè coniungant.*
    - *Quæ verò nos indè ſeiungant, aut cauſam aliquã afferant diſiunctionis, ab omni ſtudio & cupiditate noſtra remouenda ſunt.*
- *Corporis & externa,*
  - *Vt ſanitas, robur, pulchritudo, diuitiæ, honores, gloria, quia facultatẽ ac materiam ſæpè dant peccato, (qua re fit, vt non omninò piè aut ſalubriter petantur) erit illa petitio his præſcribenda finibus, vt hæc vitæ commoda poſtulentur neceſſitatis cauſa.*
  - *Ingenij autem bona & ornamenta, cuius generis ſunt artes atq; doctrinæ, petere non licet, ſed ea tantùm conditione, ſi nobis ad Dei gloriam & ad ſalutem profutura ſunt.*

PRO QVIBVS ORANDVM SIT.

TABVLA 134.

ORANDŨ eſt autem pro

- *Viuis*
  - *In genere omnibus, ſine vlla exceptione vel inimicitiarum, vel gentis, vel religionis: nam ſiue hoſtis ſit, ſiue alienus, ſiue infidelis, proximus eſt: quem quia Dei iuſſu amare debemus, ſequitur, vt preces quoquè, quod amoris officiũ eſt, pro eo facere oporteat. 1. Tim. 2.*
  - *In ſpecie*
    - *Primùm pro paſtoribus animarum, quod ab apoſtolo eius exemplo monemur. Scribit enim is ad Coloſſen. vt orent pro ſe, vt ſibi Deus aperiat oſtium ſermonis, Coloſſ. 4. & in Actis Apoſtolorum: Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro Petro, Act. 12.*
    - *Secundo loco pro principibus, ex eiuſdem Apoſtoli ſententia. quanto enim publico bono principibus pijs & iuſtis vtamur, nemo ignorat. Itaq; rogandus eſt Deus, vt tales ſint, quales eſſe oportet, qui reliquis hominibus præſint.*
    - *Præterea pro perſequentibus & calumniãtibus nos. Illud etiam B. Auguſtini teſtimonio celebratũ eſt, hanc eſſe acceptã cõſuetudinẽ ab apoſtolis preces & vota faciendi pro*
      - *Infidelibus & idolorũ cultoribus, Iudæis,*
      - *Hæreticis, Schiſmaticis,*
      - *vt*
        - *Eis donetur fides, & ab impietatis errore liberentur.*
        - *Diſcuſſa animorũ caligine, lucem veritatis accipiant.*
        - *Redeuntes ad ſanitatẽ, Catholicæ doctrinæ præceptis erudiantur.*
        - *Cum ſanctiſſimæ parentis Eccleſiæ communione, iterum veræ charitatis nodo iũcti copulentur.*
- *Mortuis, vt ab igne Purgatorij liberentur: quæ preces, vt ſatis dictum eſt, cùm de ſacrificio Miſſæ loqueremur, ex Apoſtolorum doctrina fluxerunt.*

QVIS ORANDVS SIT. TAB. 135.

DEVM

- *Principe loco orandum eſſe, & eius nomen inuocandum, ipſa loquitur naturæ vis, quæ hominum inſita eſt mentibus.*
- *Quòd verò ſecundo loco cõfugimꝰ ad auxilia ſanctorũ qui in cælo ſunt, id longè alia fit ratione. Nam*
  - *Primùm*
    - *Deum precamur, vt ipſe vel*
      - *Bona det,*
      - *A malis liberet.*
    - *A ſanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deũ, petimus vt*
      - *Noſtrî patrocinium ſuſcipiãt.*
      - *Nobis à Deo impetrẽt ea, quorum indigemus.*
  - *Deindè duas adhibemus formulas, modo differentes. Nam ad*
    - *Deum propriè dicimus: Miſerere nobis, Audi nos.*
    - *Sanctum, Ora pro nobis.*
  - *Quanquàm licet etiam alia quadam ratione petere à ſanctis ipſis, vt noſtrî miſereantur. Sunt enim maximè miſericordes. Itaque precari poſſumus eos, vt conditionis noſtræ miſeria permoti, ſua nos apud Deum gratia ac deprecatione iuuent.*
  - *Quo loco illud maximè cauendum eſt omnibus, nè, quod Dei proprium eſt, cuiquam præterea tribuant.*

DE PRAEPARATIONE ADHIBENDA.

TABVLA 136.

EST IN DIVI-*nĩs literis: Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Eccle.18. Tentat enim Deum is, qui cùm benè orat, malè agit: & cùm loquatur cum Deo, à precibus animus eius aberrat. Quarè cùm tanti interſit, quo quiſque animo Deo preces faciat, tradendæ ſunt fidelibus hæ precationum viæ:*

Primus igitur gradus ad orationem erit, verè humilis ac demiſſus animus, ſcelerũ quoquè recognitio: quibus ſceleribus intelligat, qui ad Deũ accedit, ſe non modò dignum non eſſe, qui quicquam impetret à Deo, ſed qui ne in eius quidem conſpectum veniat, oraturus.

Sequitur angor quidam in recordatiõe delictorum, vel ſaltem aliquis doloris ſenſus ob eam cauſam, quòd dolere non poſſimus: quorum vtrunq, vel certè alterũ, niſi à pœnitente adhibeatur, venia impetrari non poteſt.

Sed quia ſunt quædam ſcelera, quæ maximè obſtant, quo minùs in precatione Deus noſtræ poſtulationi cõcedat, vt cædes & illata vis, manus abſtinendæ ſunt ab hac crudelitate & violentia.

Fugienda eſt ira ac diſſidium, quæ magnoperè etiam impediunt, nè preces audiantur.

Videndum eſt præterea, nè nos implacabiles cuiquam præbeamus in iniuria: nam ſic affecti, Deum precibus adducere non poterimus, vt nobis ignoſcat.

Cauendum quoquè eſt, nè duri ſimus & inhumani egentibus. Nam qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. Prou.21.

Quid dicemus de ſuperbia? Quæ quantoperè Deum offendat, teſtis eſt illa vox: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iacob.4. 1.Pet.5.

Quid de contemptione diuinorum oraculorum? in quam extat illud Salomonis: Qui declinat aures ſuas nè audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Prouerb.28.

Eſt verò ad hanc quoquè præparationem animi fides neceſſaria: quæ ſi deſit, neque de ſummi patris omnipotentia, neque de illius miſericordia, vndè tamen orantis fiducia oritur, habetur cognitio, quemadmodùm docuit ipſe Chriſtus Dominus: Omnia, inquit, quæcunque petierĩtis in oratione credentes, accipietis. Matth.21. De huiuſmodi fide ſcribit ſanctus Auguſtinus: Si fides deficit, oratio perijt. Fides enim eſt, quæ preces fundit: preces faciunt, vt omni dubitatione ſublata, ſtabilis ac firma ſit fides. Poſtulet ergò vnuſquiſque in fide, nihil hæſitans. Iacob.1. Vide plura de hac fide in ipſo Catechiſmo.

Sed tum maximè & fide & ſpe vigentes, omnia à Deo optata conſequemur, cùm ad ipſius Dei legem ac voluntatem, omnem mentem, actionem & orationem noſtram conformabimus.

QVÆ

QVAE RATIO IN ORANDO REQVIratur. TABVLA 137.

QVAE autem ſit optima ratio benè petẽdi, & priuatim ac publicè orãdi, tradẽdum eſt. Itaq; eſt

- *Precãdi ratio alia*
  - *Spiritualis, quæ fit in ſpiritu & veritate. Orat autem eo modo, qui intimum ac flagrans animi ſtudium adhibet.*
  - *Vocalis, quæ propriam habet vtilitatem & neceſſitatem.*
  - *à ſpirituali verò precandi ratione*
    - *Non quidem excludimus vocalẽ. Nam incendit animi ſtudium, & religionem orantis inflammat:*
    - *Veruntamẽ principatum iure tribuendum ducimus illi, quæ à vehementi animo proficiſcitur, quã Deus, cui patent occultæ hominum cogitatiões, audit, etiamſi non ore proferatur.*
- *Alia itemq;*
  - *Priuata, cuius pronunciatione vtimur, vt intimum ſtudium & pietatem adiuuet.*
  - *Publica, quæ ad incitandam fidelis populi religionem inſtituta eſt, & in qua certis ſtatisq; temporibus linguæ officio ſuperſederi nullo modo poteſt.*
- *In vtraq; ratione*
  - *Prohibetur quidẽ*
    - *Multiloquium, à quo nos dehortatur Chriſtus: Orantes, inquit, nolite multùm loqui, ſicut Ethnici faciunt: putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Matth. 6.*
    - *Cùm autem prohibeat loquacitatem, longas tamẽ preces, quæ à vehementi ac diuturno animi ſtudio proficiſcuntur, tantum abeſt vt reijciat, vt etiam ſuo exemplo nos ad eam rationem cohortetur, qui non modò noctes in precatione conſumpſit, ſed tèr eundem ſermonem repetijt, Matth. 26.*
  - *Requiritur cum primis*
    - *Aſſiduitas, quæ quantam vim habeat, iudicis illius exemplo, Dei filius oſtendit, qui cùm nec timeret Deum, nec hominem reuereretur, victus aſſiduitate ac diligentia viduæ, eius poſtulationi conceſſit. Luc. 18.*
    - *Vult etiam Dei filius orationem noſtram ad patrem ſuo nomine peruenire, quæ eius merito & gratia deprecatoris id pondus aſſequitur, vt à cœleſti patre audiatur. Ioan. 16.*
    - *Vt ad orationem adhibeamus*
      - *Ieiunium, quod certè maximè eſt cum oratione ſociatum. nam qui cibo & potu ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt ſic, vt neque Deum intueri, neque quid ſibi velit oratio, cogitare poſſint.*
      - *Eleemoſynam, quæ magnam & ipſa cum oratione ſocietatem habet.*
      - *Gratiarum actiõem, idq; apoſtolorum exemplo, qui hanc conſuetudinem perpetuò ſeruauerunt.*

DE PROOEMIO PRAECATIONIS DOMINICÆ, quòd his continetur verbis:

PATER NOSTER, QVI ES IN CAELIS.

& primò, quid ſibi velit hæc prima vox, PATER, qua Dei iuſſu & inſtitutione vtimur in hac precatione. TAB. 138.

PROOEMIVM *hoc, ſi ſpectes verba, breuiſsimum eſt; ſi res æſtimes, grauiſsimum myſteriorumq́ pleniſsimum. Nam primum quòd ad vocem attinet, patris, eam adhibuit Chriſtus, quòd orantibus amorem fiduciamque conciliet. Atq; hinc diſcimus,*

Vt erga nos affectus ſit Deus. Quid enim iucundius eſt patris nomine? quod indulgentiam ſonat et charitatē. Quibus aūt rationibus patris nomen Deo conueniat, doceri poteſt ex locis

Creationis: nam cùm Deus hominem creauerit ad imaginem ſuam, nec illam cæteris animantibus impartiuerit, ex hoc ſingulari munere, quo hominem ornauit, iurè omnium hominū, nec fidelium modò, ſed etiam infideliū, Pater in diuinis ſcripturis appellatur.

Gubernationis, à qua ſumere licet argumentum,

Quòd proſpiciendo & conſulendo vtilitati hominum, præcipuo quodam curæ & prouidentiæ modo nobis præſtat patriam charitatem.

Indè illius prouidentia etiam angelis datum eſt hoc negocium, vt cuſtodiant humanum genus, ſingulisq́ hominibus præſtò ſint, nè grauius aliquod detrimentum accipiant.

Redemptionis, quòd ſic eminet inter duo ſuperiora, vt beneficentiſsimus Deus, parensq́ noſter ſummam in nos benignitatem tertio hoc beneficio cumulatā illuſtrârit. Eſt enim præſtantiſsima hæc eius in nos charitas, qua redempti, admirabilem in modum Dei euaſimus filij, Ioan. 1. Atq; huius quidem pondere redemptionis, & ſpiritumſanctum accepimus, & Dei gratia dignati ſumus. Cuius vim & efficaciam adoptionis explanat ſanctus Ioannes ad hunc modum: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Epiſtola 1. cap. 3.

Quid nos viciſsim debeamus amantiſsimo patri Deo. Vbi agēdum eſt.

Primò, vt intelligat fidelis populus, quem amorem ac pietatem, quam obedientiam ac venerationem creatori, gubernatori, ac redemptori præſtare, qua ſpe ac fiducia illum inuocare oporteat.

Deindè rebus non tantùm ſecundis, ſed etiam aduerſis & calamitatibus Deum conſeruare nobis amorem ſuum. Cùm enim tangit nos manus Domini, minimè id hoſtiliter facit Dominus, verùm percutiendo ſanat, & plaga veniens à Deo, eſt medicina. Nam viſitat quidem in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra, miſericordiā autem ſuam non aufert à nobis. Iob 19. Pſal. 88.

DE VO-

DE VOCE, (NOSTER.)

TABVLA 139.

HAC voce admonemur

- **Primũ,**
  - **Ex dono ac iure diuinæ adoptionis, conſequi neceſſariò,**
    - *Vt fratres ſint fideles omnes, & inter ſe fraternè amare debeant: Omnes enim, inquit, vos fratres eſtis: Vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt. Matth. 23. Quarè etiam in epiſtolis fideles omnes, Apoſtoli fratres appellant.*
    - *Ex quo item conficitur illa conſecutio neceſſaria, vt eadem adoptione Dei non ſolùm inter ſe fideles vniuerſi fraterna neceſsitudine coniũgantur, ſed quia homo eſt vnigenitus Dei filius, fratres etiã eius & nominentur, & ſint.*
    - *Tum nè ſe alijs alij præferant inſolentiùs, ſed communis huius fraternæ neceſsitudinis memores, comiter & fraternè ſe gerãt. Nam & ſi in Eccleſia Dei diuerſi ſunt officiorum gradus, tamen illa varietas graduum & munerum, fraternæ neceſsitudinis coniunctionẽ minimè tollit. Quia non eſt Deus alius is, ex quo diuites & reges nati ſunt, ab eo, à quo pauperes, & qui in Regum poteſtate ſunt, extiterunt: ſed vnus Deus, & parens, & Dominus omnium.*
  - **Igitur curandũ eſſe, vt**
    - *Cùm has preces facturus es, Chriſtiane, memineris te tanquàm filium ad patrem Deum accedere. Itaque cùm precationem ordiris, & illud, Pater noſter; pronuncias, cogita, quem in locum te ſumma Dei benignitas extulerit, qui non vt ſeruum ad Dominum adire inuitum ac timidum, ſed vt ad patrem filium voluntarium, ſecurumque confugere iuſſerit.*
    - *Qua memoria & cogitatione, quo viciſsim ſtudio & pietate tibi orandum ſit, conſideres. Danda eſt tibi opera, te vt talem præbeas, qualem eſſe decet Dei filium, id eſt, vt oratio & actiones tuæ non indignæ ſint diuino genere, quo te dignari voluit beneficentiſsimus Deus.*
- *Deindè, quàm hanc ex animo vocem proferre debeamus. Id quod D. Chryſoſtomi ſententia declaratur, qui Deum inquit libenter Chriſtianum audire non ſolùm pro ſe, ſed pro altero deprecantem: quòd pro ſe orare, naturæ eſt: pro altero, gratiæ: pro ſe neceſsitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur. quibus illa ſubiunxit: Iucundior eſt Deo, quam charitas fraterna commendat, quàm ea, quæ neceſsitate pronunciatur.*

DE SECVNDA ADIECTIONE, QVOMODO Deus ſit in cælo. TABVLA 140.

HAEC verba, *Qui es in cælis*,

- *Ità accipienda ſunt: Etſi præſens adſit Deus in locis & rebus omnibus, nullis terminis definitus, tamen in diuinis ſcripturis ſæpè dicitur habere domicilium ſuum in cælo. quod ideò factum videmus, quòd cæli, quos ſuſpicimus, ſunt nobiliſſima mundi pars, ijdemque manent incorrupti, præſtantes vi, magnitudine ac pulchritudine cæteris corporibus, certiſq; ac ſtabilibus motibus præditi.*
- *Admonent fideles, vt oraturi*
  - *Meminerint, mentem animumq; eſſe referendum ad cælum: quantumque ſpei ac fiduciæ affert eis patris nomen, tantum Chriſtianæ humilitatis ac pietatis adiungat præſtans illa natura ac diuina maieſtas patris noſtri, qui eſt in cælis.*
  - *Intelligant quid petendũ ſit. Omnis enim poſtulatio noſtra, quæ ad huius vitæ vſum ac neceſſitatem pertineat, niſi cum cæleſtibus ſit coniuncta bonis, & ad illum finem dirigatur, inanis eſt & indigna Chriſtiano.*
  - *Non obliuiſcantur illius D. Pauli ſententiæ: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ furſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ furſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, Coloſſ. 3.*

DE POSTVLATIONVM NVMERO ET Ordine. TABVLA 141.

CVM *ſtudij & deſiderij noſtri nuncia ſit & interpres oratio, tum rectè & ratiõe petimus, cũ poſtulationum ordo ſequtur ordinẽ rerũ expetẽdarũ. Petitiões aũt orationis Dominicæ ſunt ſeptem, quarũ aliæ pertinent ad*

- *Dei laudem & gloriã, vt tres priores;*
  - *Sanctificetur nomen tuum.*
  - *Adueniat Regnum tuum.*
  - *Fiat volũtas tua.*
  - *Quibus petimus, vt*
    - *Dei nomen notius ſit gentibus.*
    - *Regnũ eius amplificetur.*
    - *Pluresquotidiè obediãt diuino numini.*
  - *Quæ tria, videlicet*
    - *Nomen,*
    - *Regnũ,*
    - *Obediẽtia,*
  - *Sunt*
    - *Non in illo ipſo intimo bono,*
    - *Sed aſſumuntur extrinſecùs.*
    - *Et ad has ſingulas petitiões referri poſſunt verba illa: Sicut in cælo & in terra.*
- *Ad ea q̃ nobis aut p̃ximo cuique opis ſint: q̃ ſunt quatuor.*
  - *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.*
  - *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*
  - *Et nè nos inducas in tẽtationem.*
  - *Sed libera nos à malo.*
  - *Quæ quidem ideò optanda ac petenda ſunt, vel*
    - *Quòd ità diuinꝰ ordo poſtulat.*
    - *Quòd illis adiumentis, ad diuinorum bonorum adeptionẽ indigemꝰ.*
  - *In quibus à Dei præſcriptione nulla ex parte eſt declinandum. Quæ autem petitio ſit vel*
    - *Praua,*
    - *Recta,*
  - *Erit certa iudicandi nota ex poſtulãtis*
    - *Conſilio &*
    - *Propoſito.*

PETITIO

PETITIO PRIMA, DE DIVINI NOMINIS SANCTIFICATIONE.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

RATIO ORDINIS.

Vt ordine procederet oratio, ſaluator noſter Petitionem hanc de ſummo bono Principem & caput conſtituit Petitionum reliquarum, docens nos, priùs quàm ea, quæ nobis aut proximo cuiq; opùs ſint, poſtulemus, quæ propria ſint Dei gloriæ, petere debere, ipſique Deo ſtudium & deſiderium eius rei noſtrum exponere.

DE PETITIONIS HVIVS SVMMA.

TABVLA 142.

CVM autē petimus, vt ſanctificetur nomen Dei: id ſentimus, vt augeatur ſanctitas & gloria diuini nominis. Porrò

Vt veriſsimum illud eſt, diuinum nomen per ſe ſanctificatione non egere, cùm ſanctum & terribile ſit, Pſal. 110. quemadmodùm ipſe Deus ſuapte natura ſanctus eſt: neque ei vlla ſanctitas, quæ ab omni æternitate præditus non fuerit, poſsit accedere:

Ità non id docemur hac petitione, vt eodem modo ſanctificetur in terra, quo in cælo, id eſt, vt amplitudine terreſtris ſanctificatio cæleſtem exæquet, hoc enim fieri nullo pacto poteſt: ſed vt ex charitate & intimo animi ſtudio id agatur.

Tamen quòd in terris lōgè minori honore afficitur, quàm par eſt, nonnunquàm etiam maledictis & nefarijs vocibus violatur, propterea cupimus ac precamur,

Quemadmodùm cælites ſumma conſenſione gloria & prædicatione efferunt Deum, vt idem contingat orbi terrarum, & omnes gentes Deum cognoſcant, colant & venerentur, vt nulli planè mortales reperiantur, qui non & ſuſcipiant Chriſtianam religionem, & ſe totos Deo dicantes, credāt ex eo omnem ſanctitatis fontem exiſtere, neque quidquam eſſe purum aut ſanctum, quod non à ſanctitate diuini nominis oriatur.

Pertinet verò optatum & poſtulatio noſtra non minùs etiam ad eos, qui flagitijs & ſceleribus contaminati, puram baptiſmi integritatem & innocentiæ ſtolam amiſerunt, vt ad cor & ſanitatem redeuntes, ſacramēto pœnitentiæ redimant priſtinam ſanctitatem, ſeque ipſos purum ac ſanctum Deo templum ac domicilium præbeant.

Oramus deniquè, lumen vt ſuum Deus præferat omnium mentibus, quô videre poſsint omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens à Patre luminum, ad nos diuinitùs eſſe delatum, quô temperantiam, iuſtitiam, vitam, ſalutem, omnia deniquè animi, corporis, externa, vitalia, ac ſalutaria bona, illi accepta referant, à quo, quemadmodùm prædicat Eccleſia, bona cuncta procedunt.

PETITIO SECVNDA, DE REGNO CAELESTI POSTVLANDO.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

SVMMA.

Etſi hęc Petitio coniuncta ſit cum reliquis omnibus, Chriſtus tamen Dominus eam ſeparatìm etiam adhiberi iuſſit à cæteris, vt, quod petimus, ſummo ſtudio quæramus. inquit enim: Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hęc omnia adijcientur vobis, Matth. 6. Et quidem tanta vis & copia cæleſtium munerum hac petitione continetur, vt omnia complectatur, quæ ad corpoream & ſpiritualem vitam tuendam ſint neceſſaria,

DE PRAEDICATIONE REGNI CAELESTIS in genere.

TABVLA 143.

REGNVM CAELEſte, quod altera hac Petitione poſtulamus, eiuſmodi eſt, vt eò referatur ac terminetur omnis Euangelij prædicatio. Nam & inde

- *Sanctus Ioan. Baptiſta exorſus eſt ad pœnitentiam cohortari, dum Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Mat. 3.*
- *Hoc idem poſteà regnum Saluator humani generis ipſe*
  - *Fecit prædicationis ſuæ initium,*
    - *Et in illo ſalutari ſermone, quo beatitudinis vias diſcipulis in monte monſtrauit: Beati, inqt, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5.*
    - *Atque etiam eum retinere cupientibus attulit illam cauſam neceſſariæ profectionis: Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ Dei. Lucæ 4.*
  - *Prædicare poſteà iuſsit Apoſtolos: & illi qui ſe ire ad ſepeliendum Patrem ſuum velle dixerat, reſpondit: Tu vade, & annuncia regnum Dei. Luc. 9.*

REGNVM DEI QVID SIT.

TABVLA 144.

VOCABULũ regni Dei, ſacris in literis varias habet ſignificationes. Nam

- *Primùm communis quædam regni Dei ſignificatio, quæ frequens eſt in diuinis literis, eſt non ſolùm eius poteſtatis, quam habet in omnem hominem, rerumq́ue vniuerſitatem, ſed etiam prouidentiæ, qua cuncta regit & moderatur. In manu enim eius, inquit Propheta, ſunt omnes fines terræ. Pſal. 94.*
- *Item Dei regno declaratur præcipua illa ac ſingularis prouidentiæ ratio, qua Deus pios & ſanctos homines tuetur & curat. De qua propria & eximia quadam Dei cura dictum eſt illud à Dauide: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Pſal. 22.*
- *Ex Apoſtoli ſententia, regnum Dei, iuſtitia eſt: inquit enim: Regnum Dei eſt iuſtitia, & Pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Ad Rom. 14. Id autem regnum iuſtitia dicitur, quia Chriſti Domini iuſtitia conſtitutum eſt. At de hoc regno ſic loquitur apud S. Lucam Dominus: Regnum Dei intrà vos eſt. Nam & ſi Ieſus Chriſtus per fidem regnat*
  - *in omnibus, qui gremio ac ſinu ſanctiſsimæ Matris Eccleſiæ continentur, præcipuo tamẽ modo regit eos, qui præſtanti fide, ſpe & charitate p̃diti, ſe tanquàm pura quædam & viua membra Deo præbuerunt: & in his Dei gratiæ regnum eſſe dicitur.*
  - *Eſt verò etiam Dei gloriæ regnum illud, de quo Chriſtum Dominum apud ſanctum Matthæum loquẽtem audimus, Venite benedicti Patris mei: poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, Matth. 25.*
    - *Neceſſe eſt autẽ priùs ponere regnũ gratiæ. neq; enim fieri poteſt, vt in illo regnet Dei gloria, niſi eiuſdem gratia in illo regnârit. Eſt verò*
      - *Gratia, ipſius ſententia Saluatoris, fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ioan. 4.*
      - *Gloriam autẽ quid eſſe dicem⁹, niſi gratiã quandam perfectam & abſolutam?*

QVID HAC PETITIONE PRAECIPVE continеatur. TABVLA 145.

HIS IGItur expoſitis, q̃ communẽ regni Dei ſententiam declarãt, qd ſibi hæc petitio propriè velit, dicendũ eſt. Petimus autem à Deo,

Vt regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia, propagetur, vt ſe ad fidem Chriſti Domini, & ad accipiendam veri Dei cognitionem conuertant infideles & Iudæi, & ſchiſmatici ac hæretici redeant ad ſanitatem, & ad Eccleſiæ Dei communionem, à qua deſciuerũt, reuertãtur, vt compleatur, & ad exitum perducatur, quod Iſaiæ ore dixit Dominus: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende &c. Ad dexteram enim & ad læuã penetrabis, quia dominabitur tuî, qui fecit te. Iſa. 54.

Verùm quia ſunt in Eccleſia, qui verbis confitentes Deum, factis negantes, deformatam fidem præ ſe ferant, in quibus propter peccatum dæmon habitat, ac dominatur tanquàm in proprijs domicilijs: petimus etiam, vt ad eos veniat regnum Dei: quô illi, peccatorum diſcuſſa caligine, reſtituantur in filiorum Dei priſtinam dignitatẽ.

Petimus denique, vt ſolus in nobis viuat, ſolus regnet Deus: nè ſit poſthàc morti locus, ſed vt illa abſorbeatur in victoria Chriſti Domini noſtri, qui diſiecto ac diſſipato omni hoſtium principatu, poteſtate & virtute, ſuo omnia ſubijciat imperio.

QVIBVS COGITATIONIBVS ET MEDITATIOnibus inſtructus, has piè Deo preces facere quis poſſit. TABVLA 146.

HORtandus eſt autem populus fidelis,

Vt vim ac ſententiam intueatur illius ſimilitudinis, à Saluatore introductæ: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Nam qui nouerit Chriſti Domini diuitias, is præ illis omnia contemnet: huic facultates, opes, potentia ſordeſcent. Nihil enim eſt, quod illi ſummo precio comparari, immò verò quod in conſpectu eius ſtare poſſit.

Proficiet autem ad impetrãdum maximè, quod petimus, ſi, qui ſimus, ipſi nobiſcum reputemus, id eſt, Adam progenies, iure è parad iſo eiecti & exules: quorum indignitas ac peruerſitas ſummum Dei odium ac ſempiternas pœnas poſtularet. Quarè demiſſo tum & abiecto animo ſimus oportet.

Noſtra etiam erit plena Chriſtianæ humilitatis oratio, & omninò nobis ipſi diffidentes, illius more publicani confugiemus in Dei miſericordiam, totumque eius benignitati tribuẽtes, ipſi gratias agemus immortales, qui nobis ſuum ſpiritum ſit elargitus, quo freti, clamare audeamus, Abba Pater.

Suſcipiemus etiam illam curam & cogitationem, quid agendum, quid contrà vitandum ſit, vt ad cæleſte regnum peruenire poſſimus. non enim à Deo ad ocium & ad inertiã vocati ſumus: Quimmò, inquit, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matth. 11. Et, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Matth. 19.

Quarè vehementer ad extremum petamus à Dei ſpiritu, nos vt omnia iubeat è ſua voluntate facere, ſatanæ vt tollat imperium, nullam vt in nobis ſummo illo die poteſtatem habeat: vt vincat & triumphet Chriſtus, vt vigeant eius leges toto orbe terrarum: vt decreta ſeruentur: nullus vt proditor aut deſertor eius ſit: ſed tales ſe præbeant omnes, vt in Regis Dei conſpectum non dubitanter veniant, & conſtitutam illis ex omni æternitate poſſeſſionem adeant regni cæleſtis, vbì beati cum Chriſto ſempiterno æuo fruãtur.

PETI-

PETITIO TERTIA, DE OBEDIENTIA ERGA DEI VOLVNtatem declaranda.

FIAT VOLVNTAS TVA.

CONTINVATIO.

Cùm à Chriſto Domino dictum ſit, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum, Matth. 7. quicunque in illud cæleſte regnum peruenire cupiunt, id à Deo petere debent, vt fiat voluntas eius. Quamobrem hæc petitio poſita eſt ſtatìm poſt regni cæleſtis poſtulationem.

QVAE SIT HVIVS PETITIONIS VIS.

Traditur hoc loco remedium & regula ſalutaris, ad quam Chriſtiani hominis vita dirigenda & conformanda ſit. Hoc verò illud eſt, quod imploramus, cùm ità precamur Deum, Fiat voluntas tua. Voluntatis autem nomine hoc loco comprahenſa ſunt vniuerſa, quæ nobis ad cæleſtem beatitudinem comparandam proponuntur, ſiue illa ad fidem, ſiue ad mores pertineant. Omnia deniquè, quæcunque nos Chriſtus Dominus per ſe, vel per Eccleſiam ſuam facere aut imperârit, aut prohibuerit: De qua voluntate ità ſcribit Apoſtolus: Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei, Ad Epheſ. 5. 1. Pet. 2.

QVAS HABEAT PARTES, ET QVID HAC Petitione contineatur. TABVLA 147.

PETIMVS AVTEM

IN PRIMIS,

Vt Pater cæleſtis facultatem concedat obtemperandi diuinis iuſſis, & inſeruiendi ei in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris: vt ad nutum & voluntatem eius omnia faciamus, vt ea colamus officia, de quibus in ſacris literis admonemur: vt ipſo duce & authore reliqua omnia præſtemus, quæ eos decent, qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt, exemplum Chriſti Domini ſecuti, qui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: vt parati ſimus omnia perpeti potiùs, quàm vel minimum ab eius voluntate diſcedere.

II.

Secundo loco, cùm illud precamur, Fiat voluntas tua: deteſtamur opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria &c. Ad Galat. 5. Petimuſque nè ſinat Deus ea nos perficere, quæ ſenſus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas noſtra ſuaſerit, ſed vt noſtram voluntatem ſua voluntate moderetur.

Præ-

III.

Precamur etiam, vt Dei voluntatis cognitionem totus orbis terrarum accipiat, quod diuinum myſterium, abſconditum à ſeculis & generationibus, notum ac peruulgatum ſit apud omnes.

IIII.

Formam præterea & præſcriptionem huius obedientiæ poſtulamus, vt videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in cælo & ſeruant beati angeli, & colit reliquus cæleſtium animarũ chorus, vt quẽadmodùm illi ſpontè & ſumma cum voluptate obediunt diuino numini, ſic nos Dei voluntati, quomodò ipſe maximè vult, libentiſſimè pareamus.

V.

Gratiarum item actionem continet hæc Petitio. Veneramur enim eius ſanctiſſimam voluntatem, & maximo perfuſi gaudio, ſummis laudibus & gratulationibus omnia eius opera celebramus, qui certò ſciamus eum omnia benè feciſſe. Cùm enim conſtet, eſſe omnipotentem Deum, neceſſariò ſequitur, vt oĩa eius nutu facta eſſe intelligamus. Cùm verò etiam ipſum, ſicuti eſt, ſummum bonum eſſe affirmemus: nihil ex eius operibus non eſſe bonum, cùm omnibus ipſe ſuam impertiuerit bonitatem, confitemur.

EPILOGVS.

Certò ſtatuendum eſt, nihil horum, quæ nobis moleſta occurrunt, ſine Dei volũtate, quæ ſumma omnium ratio eſt, nobis accidere poſſe, ideoque non debere nos grauiùs commoueri, ſed inuicto animo ferre, ſemper illud in ore habentes, Domini voluntas fiat: & illud beati Iob, Sicut Domino placuit, ità factum eſt.

PETITIO QVARTA,

DE REBVS AD VITAE SVSTENTAtionem neceſſarijs.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIAnum da nobis hodiè.

CONTINVATIO.

Quarta Petitio, & reliquæ deincèps, quibus animæ & corporis ſubſidia propriè ac nominatìm poſtulamus, ad ſuperiores petitiones referuntur. Habet enim hunc ordinem ac rationem precatio Dominica, vt poſtulationem rerum diuinarum, conſequatur earum petitio, quæ ad corpus & ad hanc vitàm tuendam pertinent. Nam vt ad Deum, tanquàm ad vltimum finem, referuntur homines: ſic humanæ vitæ bona, ad diuina eadem ratione diriguntur.

QVID

QVID HAC PETITIONE POSTVLETVR.

TABVLA 148.

- *PEtimus autē hoc loco,*
  - *primū, huius, quā in terris agim⁹, vitæ ſubſidia, ſanctorū Patrū ità ſentiētium authoritate: ſub hac pſcriptione*
    - *Panem*
      - *Corporalem, quo vocabulo non abundantem & exquiſitam ciborum ac veſtium copiam, ſed neceſſariam ac ſimplicem intelligere debemus: vt panis nomine quod ſatis ſit & veſtium ad tegendum, & cibi ad veſcendum, ſiue panis is ſit, ſiue caro, ſiue piſcis, ſiue quodcunq; aliud, intelligamus.*
      - *Spiritualem, quo ſignificantur omnia, quæcunq; in hac vita ad ſpiritûs & animæ ſalutem & incolumitatē requiruntur. Non eſt aūt vnius generis eſca, q̃ ſpiritûs & animæ vitā cōtinet. Nam &*
        - *Verbum Dei cibus eſt animæ. ſapiētia enim inquit: Venite, comedite panē meū: & bibite vinum, quod miſcui vobis: Prouerb. 6.*
        - *Ipſe Chriſtus Dominus, panis eſt & animæ cibus, qui in Sacramento Eucharistiæ ſubſtantialiter continetur. Hoc inexplicabile pign⁹ charitatis dedit nobis rediturus ad Patrē: de quo dixit, Qui manducat meā carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Ioan. 6.*
    - *Noſtrū, & hoc iterùm quo ad*
      - *Corporalem, nō quia eum nobis opera noſtra, ſine Deo parare poſſumus, ſed quia neceſſarius eſt, & à parente omnium Deo, qui omnes ſua prouidentia alit animantes, nobis attributus.*
      - *Spiritualem, qui & ipſe noſter dicitur, quia fidelium modò hominū eſt, id eſt, eorum, qui charitatem cum fide coniungentes, pœnitentiæ ſacramento ſordes eluunt peccatorum, & diuinum ſacramentū ſumunt & colunt quanta maxima ſanctitate ac veneratione.*
    - *Quotidianum, quod & ipſum intelligendum eſt de Pane*
      - *Tam corporali,*
        - *Cui voci ſubiecta eſt ea ratio frugalitatis ac parſimoniæ, quā proximè diximus: non enim multiplicem aut delicatum cibum poſtulamus, ſed eum q naturæ neceſſitati ſatisfaciat.*
        - *Eſt etiam illa huius ratio nominis, quòd aſſiduè petendus eſt, vt in hac conſuetudine amandi & colendi Deum retineamur: nobisq; omninò perſuadeamus, id quod eſt, vitā ac ſalutem noſtram ex Deo pendere.*
      - *Quàm ſpirituali, cui⁹ duplex eſt ratio:*
        - *Altera, q in ſacris Chriſtianæ Eccleſiæ myſterijs, quotidiè & offertur Deo, & datur piè ſanctéq; poſtulantibus.*
        - *Altera, quòd quotidiè ſumendus eſt: vel certè ità viuendum, vt quotidiè, quoad eius fieri poſſit, dignè ſumere queamus.*
    - *Da: qua voce monemur, vt infinitam Dei potentiam piè ſanctéq; colamus & veneremur, in cuius manu ſunt omnia.*
    - *Nobis, numero multitudinis dicim⁹, & nō mihi, Tum*
      - *Quia proprium illud eſt Chriſtianæ Charitatis, non vt quiſquā de ſe vno ſit ſolicitus, ſed vt præterea de proximo laboret, & in cura ſuæ vtilitatis, meminerit etiam aliorum.*
      - *Quia quæ alicui munera diuinitùs tribuuntur, non idcirco tribuuntur, vt ſolus is ea poſſideat, vel in illis luxurioſè viuat, ſed vt cum alijs communicet, quæ neceſſitati ſuperfuerint.*
    - *Hodiè: quæ vox admonet nos communis infirmitatis. Et habet hæc ſentētia illam neceſſariam rationem, quia quotidiano pane egemus omnes, quotidiè etiam Dominica precatione ſingulis vtendum eſſe.*
  - *Deindè verò non id ſolùm petimus à Deo, nobis vt illo vti liceat, quod noſtro ſudore ac virtute peperimus eius adiumento benignitatis, id enim verè dicitur noſtrum: ſed etiam bonam mentem poſtulamus, vt rectè partis, rectè item ac prudenter vti poſſimus.*

QVÆSTIO

QVAESTIO.

Sed quæ diuitibus hîc eſt impoſita neceſsitas, dixerit quiſpiam, petendi quotidianum panem, cùm rebus omnibus abundent?

RESPONSIO.

Hæc illis neceſsitas eſt orandi in hunc modum, non vt dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam, ſed nè, quæ abundè illis adſunt, amittant.

ADMONITIO AD DIVITES.

Quamobrem, vt ſcribit Apoſtolus, hinc diſcant diuites, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, 1. Tim. 6.

QVAE PETITIONIS HVIVS SIT cauſa.

Huius autem neceſſariæ Petitionis hanc cauſam affert Chryſoſtomus, non ſolùm vt nobis ſuppetat cibus, ſed vt eum nobis ſuppeditet Domini manus, quæ ſalubrem atque adeò ſalutarem vim inſerens pani quotidiano, efficit vt & cibus corpori proſit, & corpus animę ſeruiat.

REGVLA COMMVNIS.

Sed in hac precatione ad illud præcipuè cohortandi ſunt fideles. vt cùm rectè & conſilium & induſtriam ſuam poſuerint in comparandis rebus vitæ neceſſarijs, rei exitum Deo permittant, ſuumque deſiderium ad eius referant voluntatem, qui non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Pſal. 54. Nam vel concedet Deus, quę petuntur, & ità ſuum optatum conſequentur: vel non concedet, & id erit certiſsimum argumentum, nec ſalutare illud eſſe, nec vtile, quod pijs à Deo negatur, cui magis curæ eſt de eorum ſalute, quàm illis ipſis.

ALIA REGVLA DIVITIBVS MAXIME neceſſaria.

Extremum illud erit in huius tractatione Petitionis, vt meminerint diuites, facultates ſuas & copias Deo acceptum referre, cogitentque ſe idcircò illis bonis eſſe cumulatos, vt ilia diſtribuant indigentibus.

PETITIO QVINTA,

PRO REMISSIONE PECCAtorum obtinenda.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

CONTINVATIO.

Ingredimur hîc nouam prædicandi rationem. Nam hactenùs à Deo non ſolùm æterna & ſpiritualia bona, ſed caduca, & quę ad hanc vitam pertinent, commoda petiuimus: nunc verò mala deprecamur & animę & corporis, & huius, & ſempiternæ vitæ,

QVAE HVIVS PETITIONIS SVMMA SIT.

Continet autem hęc Petitio ſummam quandam eorum bonorum, quibus per Ieſum Chriſtum cumulatum eſt humanum genus. Id enim docuit Iſaias: Dimittetur, inquit, iniquitas domui Iacob: & iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. Iſai.27. Quod Dauid etiam oſtendit, beatos prædicans eos, qui ſalutarem illum fructum percipere potuerunt, his verbis: Beati quorum remiſſę ſunt iniquitates, Pſal.31.

QVOMODO AFFECTOS ESSE OPORTEAT eos, qui ad hanc Petitionem ſunt acceſſuri.

TABVLA 149.

QVONIAM *ad impetrandũ quod poſtulamus, requiritur recta poſtulãdi ratio:*

Primum neceſſe eſt, vt is qui ad hoc petendum velit accedere, ſuum ipſe peccatum agnoſcat. Facilè autem adducemur, vt peccatum noſtrum agnoſcamus, ſi ipſum audiẽrimus Deum, in ſacris literis huius rationis admonentem: eſt enim illud apud Dauidem: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Pſal.13.52. In eandem ſententiam loquitur Salomon: Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccl.7. Quò illud etiam pertinet: Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, Purus ſum à peccato? Prouerb.20.

II.

Deindè, vt eius ſenſu ac dolore moueatur. Siquidem in neceſſaria recognitione peccatorum non eſt ſatis, illa leuiter recordari. nam vt acerba nobis ſit ea memoria, vt cor pungat, animum ſtimulet, & dolorem inurat neceſſe eſt, ità vt nõ ſolùm facinorum ac flagitiorum ſuorum meminerint fideles, ſed vt moleſtè dolenterq́ meminerint, vt cùm angantur intimis ſenſibus, conferant ſe ad Patrem DEUM, *à quo, vt inhærentes euellat ſcelerum aculeos, ſuppliciter petant.*

III.

Tum vt ſibi omninò perſuadeat, DEUM *in hac eſſe voluntate, vt ijs qui peccauerunt, ità vt diximus, affectis & comparatis, ignoſcat: nè fortè acerbam delictorum recordationem ac recognitionem illa veniæ deſperatio conſequatur, quę olim Cain & Iudæ animum occupauit, qui* DEUM *modò vindicem & vltorem, non etiam mitem & miſericordem exiſtimârunt. Geneſ. 4. Matth. 27. Nam omninò ſub hac Petitione illa eſt ſubiecta ſententia, ſic eſſe in nos affectum* DEUM, *vt verè pœnitentibus libenter ignoſcat. Quarè nemini dubium eſſe poteſt, quin illo authore, in noſtra poteſtate ſit, nobis* DEI *gratiam reconciliare.*

QVID

QVID IN HANC PETITIONEM VENIAT.

TABVLA 150.

QVID AVTEM *ſibi hæc Petitio velit, ex ipſa formula, quã, vt cæteras, etiam ipſe præſcripſit Saluator noſter, cognoſcere licet: ait enim, Et*

Dimitte: Hoc verbo ad ignoſcendum propenſam eſſe diuinam voluntatem confitemur. Quæ teſtificatio fidem auget, ſpem alit, charitatem inflammat.

Nobis. Ità dicimus, non mihi, quòd fraterna neceſſitudo & charitas, quæ inter omnes homines intercedit, à nobis ſingulis poſtulat, vt de communi proximorum ſalute ſoliciti, cùm pro nobis preces facimus, pro illis etiam deprecemur.

Debita. Pro cuius vocis declaratione, tria hoc loco ſunt expendenda:

Primùm ſcire oportet, minimè petere nos, nobis vt remittatur amor ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente noſtra, quem omninò Deo debemus, & cuius debiti ſolutio ad ſalutem eſt neceſſaria.

Neque verò, quia debiti nomine etiam obedientia, cultus, veneratio, & cætera huius generis officia continentur, poſtulamus, vt non ampliùs ea debeamus: ſed precamur, vt liberet à peccatis. Sic enim ſanctus Lucas eſt interpretatus, qui peccata pro debitis poſuit, Luc. 11. ob eam cauſam, quòd illis committendis rei efficimur Deo, & debitis pœnis propoſiti, quas vel ſatisfaciendo, vel patiendo pendimus.

Non ſolùm autem nos debitores eſſe, ſed etiam non eſſe ſoluendò licet intelligere, cùm peccator per ſe ſatisfacere nullo modo poſſit. Quarè confugiendum nobis eſt ad Dei miſericordiam: cui quia par iuſtitia reſpondet, cuius eſt retinentiſſimus Deus, vtendum erit deprecatione, & patrocinio Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſine qua nemo vnquàm veniam delictorum impetrauit, à qua omnis & ſatisfaciendi vis & ratio, tanquàm ex fonte profluxit.

Noſtra: quod longè aliter, atquè Panem noſtrum, dicimus. Noſter enim ille eſt panis, quia nobis Dei munere tribuitur. At peccata noſtra ſunt, quia illorum culpa reſidet in nobis: nam noſtra voluntate ſuſcipiuntur, quæ peccati vim non haberent, niſi eſſent voluntaria.

QVAE IN HAC PETITIONE VLTERIVS ſint obſeruanda. TABVLA 151.

CONſiderandũ autem eſt quòd

Illud, ſicut, dupliciter intelligi poſſit. Nam &

Similitudinis vim habet, cùm videlicet à Deo petimus, vt quemadmodum nos iniurias & contumelias remittimus ijs, à quibus læſi ſumus, ſic ipſe nobis peccata condonet.

Eſt præthereà conditionis nota, in quam ſententiam Chriſtus Dominus eam formulam interpretatur. Si enim dimiſeritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Matth. 6.

Verùm habet vterque ſenſus eandem ignoſcendi neceſſitatem: vt ſi volumus Deum nobis veniam concedere delictorum, parcamus illis ipſis neceſſe ſit, à quibus iniuriam accepimus.

Error exitioſus ſit eorum, qui cùm nondùm animum inducere poſſint, vt obliti iniurias, ament inimicos, inani & prauo commouentur timore, nè ſibi Deum reddant offenſionem hac precatione, atque propterea precatione Dominica non vtuntur: quorum error duabus his rationibus illis eripiendus eſt:

Nam quiuis vnus è fidelium numero preces has facit toti Eccleſiæ nomine, in qua pios eſſe aliquot neceſſe eſt, qui debitoribus ea, quæ hîc commemorantur, debita remiſerunt.

Accedit eò, quòd id à Deo petentes, vnà etiã petimus, quidquid ad illud impetrandum in eam petitionem à nobis neceſſariò conferendũ eſt. Atque ſic etiam petimus, quô nobis Deus eam det mentem, vt ijs, qui læſerint, ignoſcamus, & inimicos diligamus.

Precatio vt omninò fructuoſa ſit, hæc in ea ſit cura meditatioque adhibenda:

Primùm nos Deo ſupplices eſſe, & ab eo veniam petere, quæ non datur niſi pœnitenti: itaque nos ea Charitate & pietate præditos eſſe oportere, quæ pœnitentibus conueniat: conuenire autem maximè ijs, ſubiecta quaſi oculis propria flagitia atque facinora lachrymis expiare.

Cum hac cogitatione coniungenda eſt cautio in poſterum earum rerum, in quibus fuit aliqua occaſio peccãdi, quæque nobis anſam dare poſſint ad offendendum Parentem Deum. In his curis verſabatur Dauid, cùm diceret: Et peccatum meũ contra me eſt ſemper. Pſal. 50. Et alio loco: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Pſal. 6.

Proponat ſibi prætereà vnuſquiſque ardentiſſimum orandi ſtudiũ eorum, qui à Deo precibus impetrârunt veniam delictorum, vt publicani illius ſtantis à longe, Luc. 18. Peccatricis mulieris, Luc. 7. & Petri flentis amarè, Matth. 26.

REGVLA.

In hac Petitione ſic affecti ſimus oportet, vt dolenter peccata noſtra recognoſcentes, ad Deum tan quàm ad parentem, non quaſi ad iudicem, confugiamus: à quo, non vt ex iuſtitia nobiſcum agat, ſed ex miſericordia, poſtulemus.

ALIA REGVLA:

Quicunque cupit in ſe eſſe maximè miſericordem Deum, is ipſi Deo ſuas donet inimicitias, remittatque omnem offenſionem, & pro hoſtibus libentiſſimè deprecetur, omnem captans occaſionem de illis ipſis benè promerendi. Nihil enim iniuſtius eſt, aut fingi poteſt, quàm is, qui cùm hominibus durus ſit, vt nemini ſe det ad lenitatem, idem poſtulet, vt in ſe ſit mitis & benignus Deus.

PETI-

PETITIO SEXTA, DE SVPERANDIS MALIS TENTAtionibus.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTAtionem.

CONTINVATIO.

At verò, quoniam qui ſe Deo dicauerunt, in terris cæleſtem vitam agentes, ij maximè omnium ſatanæ incurſibus petuntur, hos acerbiſsimè odit, his in ſingula temporis momenta ſtruit inſidias: neceſſariò fideles confirmandi ſunt, ſi qui animi imbecillitate, aut rei ignoratione, dæmonum vim perhorreſcunt, vt ipſi tentationum fluctibus agitati, in hunc precationis portum confugiant.

DE CHRISTIANI HOMINIS MILITIA.

Difficilima ſunt prælia ac pericula, in quibus aſſiduè verſamur, dum anima eſt in hoc mortali corpore, quos vndiquè caro, mundus & ſatanas oppugnant. Quid ira, quid cupiditas in nobis poſſit, quotuſquiſque eſt, qui magno ſuo malo non experiri cogatur? Quis non his laceſſitur ſtimulis? quis non hos ſentit aculeos? quis ſubiectis non vritur ardentibus facibus? & quidem tam varij ſunt ictus, tam diuerſæ impetitiones, vt difficilimum ſit, grauem aliquam plagam non accipere.

QVOS HOMO CHRISTIANVS PRAEtereà habeat hoſtes.

Ac præter hos inimicos, qui habitant & viuunt nobiſcum, ſunt præterea illi hoſtes acerrimi, de quibus ſcriptum eſt: Non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnem & ſanguinem, ſed aduerſùs Principes & poteſtates, aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtibus, Ad Epheſ. 6.

QVAE SINT ILLA SPIRITVALIA nequitię.

Spiritualia autem nequitię, ſicut & principes & poteſtates, Apoſtolus ipſos nuncupat dæmones: eſt enim & carnis & ſpiritûs nequitia: Carnalis quæ dicitur nequitia, intendit appetitum ad libidines & voluptates, quæ percipiuntur ſenſibus. Spiritualia nequitię, ſunt mala ſtudia & prauę cupiditates, quę ad ſuperiorem pertinent animæ partem: quę tanto peiores ſunt quàm reliquę, quanto mens ipſa & ratio altior eſt atque pręſtantior.

DE DVOBVS TENTATIONVM GENERIBVS.

TABVLA 152.

SVNT *autẽ duo tentationum genera:*

- *Vno modo, tentare eſt periculum facere de eo, qui tentetur, vt ab ipſo quod cupimus, elicientes, verum exprimamus. Qui tentandi modus in Deum minimè cadit. Quid enim eſt quod neſciat Deus? Omnia enim, inquit, nuda & aperta ſunt oculis eius. Ad Heb. 4.*
- *Et alterum tentãdi genus, cùm cõgiùs pregrediendo, aliud quæri ſolet in partem, vel*
  - *Bonam, cùm ea re tentatur alicuius virtus, vt illa perſpecta & cognita, is commodis & honoribus augeatur, eiusq́ exemplum cæteris imitandum proponatur, ac deniquè oĉt ob id ipſum ad Dei laudes excitentur, quæ tentandi ratio ſola conuenit in Deum. Huius exemplum tentationis eſt illud*
    - *Deut. 13. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum, an non. Quomodò etiam tentare dicitur ſuos Deus, cùm inopia, morbo, & alijs calamitatum generibus premit: quod probandæ eorum patientiæ cauſa facit, & vt alijs documentum ſint Chriſtiani officij.*
    - *In hanc partem legimus Abraham eſſe tentatum, vt filiũ immolaret, quo facto fuit is obedientiæ & patientiæ exemplum ſingulare ad memoriam hominum ſempiternam. Geneſ. 22.*
  - *Malam, cùm homines ad peccatum aut exitium impelluntur, quod proprium Diaboli officium eſt: is enim eo animo tentat homines, vt decipiat, agatq́ præcipites. Quãobrem Tentator in diuinis literis appellatur. In ijs verò tentationibus modò*
    - *Intimos nobis admouens ſtimulos, animæ affectiones & commotiones adhibet adminiſtras.*
    - *Nos exagitans extrinſecùs, externis rebus vtitur, vel proſperis ad efferendos, vel ad frangendos aduerſis.*
    - *Nonnunquàm habet emiſſarios & excurſores perditos homines, inprimisq́ hæreticos, qui ſedentes in cathedra peſtilentiæ, malarũ doctrinarum mortifera ſemina diſpergunt, vt illos qui nullum delectũ aut diſcrimen habẽt virtutis & vitiorũ, homines per ſe procliues ad malum, nutãtes ac præcipitantes impellant.*

QVIBVS MODIS DICAMVR INDVCI IN tentationem.

TABVLA 153.

DICI- *mur autem induci in tentationẽ, cùm tentationibus ſuccumbimus. Inducimur verò in tentationem dupliciter:*

- *Primùm, cùm de ſtatu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem à Deo hoc modo in tentationem inducitur. Quia nemini eſt peccati author Deus, immò verò odit omnes qui operantur iniquitatem. Pſal. 5.*
- *Deindè dicitur nos in tentationem inducere is, qui etſi nõ tentat ipſe, neque operam dat, quô tentemur: tentare tamen dicitur, quia cùm poſſit prohibere, nè id accidat, aut nè tentationibus ſuperemur, non impedit. Hoc modo Deus bonos & pios tentari quidem ſinit, veruntamen ſua gratia ſuſtentatos non deſerit.*
- *Prætereà nos in tentationem Deus inducere dicitur, cùm eius beneficijs, quæ nobis ad ſalutem dedit, abutimur ad perniciem, & patris ſubſtantiam, vt prodigus ille filius, diſſipamus, viuendo luxurioſè, noſtris cupiditatibus obſequentes. Luc. 15. Quamobrem id dicere poſſumus, quod de lege dixit Apoſtolus: Inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Ad Rom. 5.*

QVID

QVID HAC POSTVLATIONE PETAMVS.

TABVLA 154.

QVID VERÒ in hac precationis parte poſtulemus, videndum eſt:

- *Non enim id petim⁹,*
  - *Ne omninò tentemur. Eſt enim hominum vita tentatio ſuper terram. Eſt autem ea res vtilis & fructuoſa hominum generi. nam in tentationibus nosipſos, id eſt, vires noſtras cognoſcimus. Quamobrem etiam humiliamur ſub potenti manu Dei, viriliterque decertantes, expectamus immarceſcibilem coronam gloriæ.*
  - *Sed petimus, nè diuino p̃ſidio deſerti, tentationibus vel decepti aſſentiamur, vel cedamus afflicti: vt præſtò ſit nobis Dei gratia, quæ, cùm defecerint nos propriæ vires, in malis recreet ac reficiat. Quarè*
    - *Et generatìm Dei opẽ implorare debemus in omnibus tentationibus:*
    - *Et nominatìm, cùm ſingulis affligimur, ad precationem confugere oportet.*
- *Ergò poſtulamus nè morem geramus cupiditatibus, néve defatigemur in tentationibus ſuſtinendis, nè declinemus de via Domini, vt tam in rebus incommodis, quàm in proſperis, æquitatem animi, conſtantiamque ſeruemus, & nullam noſtrî partem Deus ſua tutela vacuam relinquat.*
- *Petimus deniquè, vt ſatanam conterat ſub pedibus noſtris.*

QVAE IN HAC PETITIONE MAXIME

cogitare & meditari oporteat. TAB. 155.

IN HAC *precatione erit illa optima ratio.*

- *Si, quanta ſit hominum infirmitas, intelligentes, viribus noſtris diffidamus, & omni ſpe noſtræ incolumitatis in Dei benignitate collocata, eo freti patrocinio, vel in maximis periculis magnum animum habuerimus, præſertim cogitantes, quàm multos hac ſpe atque hoc animo præditos ex hiantibus ſatanæ faucibus liberârit Deus.*
- *Cogitent etiam fideles, quem in hoſtium tentationibus ducem habeant, nempe Chriſtũ dominum, qui victoriam ex illo certamine retulit. Vincitur autem Satanas*
  - *Non*
    - *Ocio,*
    - *Somno,*
    - *Vino,*
    - *Comeſſatione,*
    - *Libidine:*
  - *Sed*
    - *Oratione,*
    - *Labore,*
    - *Vigilia,*
    - *Abſtinentia,*
    - *Continentia,*
    - *Caſtitate.*
    - *Ait enim:*
      - *Vigilate & Orate,*
      - *Nè intretis in tentationem. Matth. 26.*

PETITIO SEPTIMA,
DE MALORVM DEPRECATIONE.

SED LIBERA NOS A MALO.

CONTINVATIO.

POSTREMO hæc petitio eſt inſtar omnium,qua Dei filius diuinam hanc orationem concluſit: cuius etiam vim & pondus oſtendens,ea vſus eſt orandi clauſula,cùm è vita migraturus, Deum patrem pro hominum ſalute deprecaretur. Rogo enim,inquit,vt ſerues eos à malo. Ioan.17.

ARGVMENTVM.

ERGO hæc precationis formula, quam & præcepto tradidit, & exemplo confirmauit Chriſtus, quaſi quadam epitome ſummatim complexus eſt vim & rationem cæterarum petitionum. Cùm enim id,quod ea prece continetur, impetrauerimus, nihil, authore ſancto Cypriano, remanet, quod vltrà adhuc debeat poſtulari,cùm ſemel protectionem Dei aduersùs malum petamus: qua impetrata,contra omnia,quę diabolus & mundus operantur,ſecuri ſtamus & tuti.

DE DVPLICI HVIVS PETITIONIS diſcrimine. TABVLA 158.

SED differunt

- *Primùm hæc & proxima petitio, quòd*
  - *Illa vitationem culpæ,*
  - *Hæc pœnæ liberationem.*
  - *poſtulamus.*
- *Deindè infidelium & Chriſtianorum hominum preces: petunt enim*
  - *Vehementer illi etiam à Deo, vt poſſint ex morbis vulneribusq́ conualeſcere, ſibi vt ex vrgentibus vel imminentibus malis euadere liceat: ſed tamen illius præcipuam ſpem liberationis ponunt in remedijs, natura, vel hominum induſtria comparatis: qui etiam ſibi datum, etiamſi cantionibus, ſi veneficijs, ſi dæmonum opera confictum ſit, ſine vlla religione adhibent, modò aliqua valetudinis ſpes oſtendatur.*
  - *Longè alia eſt ratio Chriſtianorum, qui in morbis & in omnibus aduerſis rebus habent ſummum perfugium & præſidium ſalutis, Deum: vnum illum omnis authorem boni & liberatorem ſuum agnoſcunt ac venerantur. Remedijs verò quæ ineſt ad ſanandum vis, inſitam à Deo eſſe, pro certo habent: tantumq́ illa ægrotis prodeſſe exiſtimant, quantum ipſe voluerit Deus. Eſt enim à Deo data hominum generi medicina, qua morbos ſanaret.*

QVÆ

QVAE PETITIONIS HVIVS VIS SIT atque ratio. TABVLA 157.

SEQVItur huius vis & ratio Petitionis, vt fideles intelligant,

Non omninò petere nos hoc loco, vt à malis omnibus liberemur. Sũt enim quædam, quæ communiter mala putantur, quæ tamen ſunt illis fructuoſa, qui patiuntur, vt ille ſtimulus, qui Apoſtolo erat adhibitus, vt DEI gratia adiuuante, virtus in infirmitate perficeretur. 2. Cor. 12. Hæc, ſi cognita ſit eorum vis, ſumma voluptate pios afficiunt: tantum abeſt vt à DEO petant, vt auferantur.

Sed omninò huic voci eam ſubiectam eſſe vim,

Vt à peccato liberati, à tentationis etiam periculo, ab intimis externisque malis eripiamur: Vt tuti ſimus ab aqua, ab igne, à fulgure: nè grando noceat frugibus, nè annonæ caritate, ſeditionibus, bello laboremus.

Petimus à DEO, vt morbos, peſtem, vaſtitatem arceat, vincula, carcerem, exilium, proditiones, inſidias, cæteraq́ omnia probibeat incommoda, quibus maximè terreri ac premi ſolet hominum vita: omnes deniquè flagitiorum & facinorum cauſas auertat.

Neque hæc ſolùm, quæ omniũ conſenſione mala ſunt, deprecamur, ſed illa etiam, quæ penè omnes bona confitentur, diuitias, honores, valetudinem, robur, hanc ipſam vitam: petimus, inquam, nè ad malum, & ad animæ noſtræ exitium hæc conuertantur.

Oramus etiam DEUM, nè morte opprimamur repentina: nè in nos iram DEI concitemus: nè quæ impios manent ſupplicia, ſubeamus: nè igne purgatorij torqueamur: à quo vt alij liberentur, piè & ſanctè precamur. Hanc petitionem & in Miſſa, & in Litanijs ſic interpretatur Ecleſia, nos videlicet ea præterita, præſentia, futura mala deprecari.

QVIBVS MODIS HOMINES A MALIS liberari dicantur. TAB. 158.

NON VNO *autem modo* DEI *nos benignitas eripit à malis. Nam*

Impendentes probibet calamitates: quomodò legimus, magnum illum Iacob eſſe liberatum ab inimicis, quos in illum concitàrat Sichimitarum cædes, Geneſ. 35.

Et quidem beati omnes, qui cum Chriſto DOMINO *in cælis regnant, omnibus malis* DEI *ope liberati ſunt. Nos autem, qui in hac peregrinatione verſamur, ab omnibus incommodis ſolutos eſſe minimè vult, ſed eripit à quibuſdam. etſi ſunt inſtar liberationis malorum omnium ea ſolatia, quæ dat interdùm* DEUS *ijs, qui rebus premuntur aduerſis.*

Præterea à malis homines liberat DEUS, *cùm illos in ſummum diſcrimen adductos, integros ſeruat & incolumes: quod & pueris illis in ardẽtem fornacem coniectis, & Danieli contigiſſe legimus, quem leones nibil læſerunt, quemadmodùm neque pueros flamma violauit.* Daniel. 3. & 6.

DAEMON CVR DICATVR MALVS.

TABVLA 159.

MALVS VERÒ etiam ex ſentētia ſanctorū Baſilij magni, Chryſoſtomi, & Auguſtini præcipuè dicitur dæmon, quòd

Hominum culpæ, id eſt, ſceleris & peccati author fuit: quo etiam miniſtro vtitur Deus in repetendis pœnis à ſceleratis & facinoroſis: dat enim Deus omne malum hominibus, quod illi peccati cauſa patiuntur,

Etſi nihil eum læſerimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, & capitali nos inſectatur odio. Quòd ſi nobis & fide armatis, & innocentia tectis nocere non poteſt: tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis, & quacunque poteſt ratione diuexandi. Quamobrem Deum precamur, vt nos à malo liberare velit.

CVR A MALO, ET NON A MALIS, petamus nos liberari.

DICIMVS autem, à malo, non à malis, ob id, quòd mala, quæ in nos à proximis proficiſcuntur, illi aſsignamus tanquàm authori & impulſori. Quo minùs etiam proximis iraſci debemus: quin odium & iracundiam in ipſum ſatanam conuertere oportet, à quo homines ad inferendam iniuriam impelluntur. Itaque ſi te aliqua re læſerit proximus, cùm preces facis parenti Deo, pete, vt nō modò te liberet à malo, id eſt, ab ijs, quas tibi proximus imponit, iniurijs: ſed illum ipſum eripiat proximum ex diaboli manu, cuius impulſu homines in fraudem inducuntur.

DE REMEDIIS, QVIBVS RES VINcuntur aduerſæ.

TABVLA 160.

ILLVD DEniquè ſciendum eſt,

Si in precibus & votis non liberamur à malis, debere nos, quæ premant, ferre patienter, intelligentes placere diuino numini, vt toleranter ea patiamur. Quarè minimè nos indignari aut dolere par eſt, quòd preces noſtras non audiat Deus, ſed omnia ad eius nutum ac voluntatem referre oportet, exiſtimantes id vtile, id eſſe ſalutare, quod Deo placet vt ità ſit, non autem id quod ſecùs nobis videatur.

Dum in hoc vitæ curriculo verſamur, fideles ad omne incommodorum & calamitatum genus non ſolùm æquo, ſed etiam gaudenti animo ferendum paratos eſſe debere. Omnes enim, inquit Apoſtolus, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur, 2. Timoth. 3. Item, Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Act. 14. Rurſum, Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. Non enim æquum eſt, ſeruum maiorē eſſe Domino ſuo: ſicuti turpe eſt è ſententia ſancti Bernardi, membra eſſe delicata ſub ſpinoſo capite.

EPILOGVS ORATIONIS DOMINICAE PER HANC VOCEM, AMEN.

CONTINVATIO.

VT anteà edocti fuimus de præparatione, quæ adhibenda ſit priùs, quàm adgrediamur ad diuinā precationem: ſic nunc id fideles admonendi ſunt, vt clauſulæ ac finis ipſius precationis cauſam, rationemque cognoſcant,

DE CLAV-

DE CLAVSVLAE HVIVS SIGNIFI-catione. TABVLA 161.

VERBVM AMEN, *variè à multis eſt interpretatum. Nam*

- *Septuaginta interpretes verterũt, Fiat.*
- *Alij reddiderunt, Verè.*
- *Aquila conuertit, Fideliter.*

Et quidẽ adeò frequens fuit hæc Hebræa vox in ore Saluatoris, vt ſpiritui ſancto placuerit, vt in Eccleſia Dei retineretur.

Eſt autem huic voci illa quodammodò ſubiecta ſententia: Scito tuas auditas eſſe preces. Habet enim vim reſpondentis, & illũ, qui precibus, quod velit, impetrârit, cum bona gratia dimittentis Dei. Cuius ſententiæ teſtis eſt Apoſtolus in Epiſtola ad Corinthios: Quotquot enim, inquit, promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt, ideò & per ipſum AMEN Deo, ad gloriam noſtram. 2. Cor. 1.

DE EIVSDEM CLAVSVLAE FRV-ctibus. TABVLA 162.

NON SOlùm autem cõſequimur poſtrema hac parte precationis, *vt noſtræ preces audiantur, ſed quædã etiam maiora ac p̃clariora, quàm vt verbis explicari poſſint.*

Nam cùm orando homines cùm Deo colloquantur, vt ſanctus Cyprianus ait, fit quodam inexplicabili modo oranti diuina Maieſtas propior, quàm cæteris: quem prætereà ſingularibus ornat muneribus: vt qui piè Deum orant, quodam modo cum iis, qui ad ignem accedunt, comparari poſſint: qui ſi algent, caleſcũt: ſi calent, æſtuant: Sic illi aſſiſtentes ad Deum, pro modo pietatis ac fidei ardentiores euadunt: Inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illuſtratur admirabilem in modum, omninò cumulantur diuinis muneribus. Eſt enim illud proditum ſanctis literis: Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Pſal. 20.

Omninò qui vehementi illo ſtudio preces faciunt, Dei benignitate ac maieſtate admirabiliter perfruuntur. Manè adſtabo, inquit Propheta, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Hæc quo magis noſcunt homines, eo Deum vehementiori cultu ac pietate venerantur: eo etiam ſentiunt iucundiùs, quàm ſuauis ſit DOMINUS, & quàm verè beati ſint omnes, qui ſperant in eo: tum verò clariſſima illa luce circunfuſi, quanta ſit eorum humilitas, quanta ſit Dei maieſtas, conſiderant.

QVO AFFECTV PRECATIO DOMINICA concludenda ſit.

QVARE qui ſe confert ad ſacras preces, fide ſpeq́ue munitus, Parentem adeat Deum, vt ſe id conſequi poſſe, quod ei opùs ſit, nullo modo diffidat.

Fiat fiat.

FINIS.


IN QVO EST SALV
GEORG EDER
I.C.F.

1-1-1